Digitized by Google

I H S
DOMUS ARGENTINENSIS
SOC. JESU.
Dedit | Loc. Bibl.
L 2/42

Digitized by Google

Digitized by Google

VETVS
LITVRGIA
ALEMANNICA
DISQVISITIONIBVS PRAEVIIS,

NOTIS, ET OBSERVATIONIBVS ILLVSTRATA.

PARS SECVNDA & TERTIA.

Digitized by Google

Digitized by Google

DISQUISITIO V.

DE SACRAMENTORUM ADMINISTRATIONE.

CAPUT I.

De Sacramento Baptiſmi, ſimulque adminiſtrari ſolita Confirmatione & Euchariſtia.

I.

Sacrificio, primario in omni cultu religionis capiti, cui in liturgia chriſtiana ſacramentum Corporis & Sanguinis Domini intime connexum & implicatum eſt, ſubiungimus nunc aliqua de Sacramentis, quatenus ad noſtrum ſpectant inſtitutum, quoad ritus & cerimonias in eorumdem publica adminiſtratione adhiberi ſolitas. Et quamvis Euchariſtiæ ab antiquiſſimis temporibus nomen Sacramenti, ſeu Sacramentorum κατ' ἐξοχὴν eſt tributum, hincque etiam libri liturgici ad eius celebrationem ſpectantes libri Sacramentorum, ſeu ſacramentaria ſunt dicti: peculiaris tamen eius rei ratio haberi poteſt, quod aliorum etiam Sacramentorum ritus paſſim complecterentur, ac imprimis Baptiſmi, & quæ ei erant connexa Sacramenta, ut cernere eſt in antiquioribus monumentis liturgicis Occidentalibus cum *Romanæ* eccleſiæ,

De ordine aliorum Sacramentorum, imprimis Baptiſmi.

Digitized by Google

tum aliarum, omnium vero diſtinctiſſime in noſtro antiquiſſimo ſacramentario, quod ex codice *Rhenaugienſi* edimus, prout diſtinguitur ac inſcribitur *liber ſecundus de extrema parte*, qua caret codex *ſan-Gallenſis*, quare poſt orationes ad Matutin. Primam, Tertiam, Sextam, Nonam mox *ordo baptiſterii* habetur. In quo præcipua ſemper fuit paſtorum cura, quo maxime a tempore illuſtrior apud nos per S. Bonifacium reddita eſt eccleſia, ſub eoque in ſynodo incerti loci an. 745. inter alios hic *T. I. Conc. Germ. p. 74.* canon eſt editus: „Ut unusquisque epiſcopus in ſua parochia diligenter diſcutiat ſuos presbyteros, & faciat, ut illorum ſignacula & baptiſteria bene faciant, & edoceant presbyteros, quid in illo baptiſterio unumquodque verbum vel ſententia per ſe ſignificet." Seu ut habetur in ad- *pag. 184.* monitione imperatoris Caroli M. ad presbyteros an. 804. *ut ſignacu- pag. 41[illegible]* *lum & baptiſterium memoriter teneant.* Et in capitulari eiusdem imperatoris an. 813. mox primo capitulo: „Ut unusquisque archiepiſcopus ſuos ſuffraganeos diligenter ſtudioſeque admonere ſtudeat, ut unusquisque ſuos presbyteros pariter inveſtigare non negligat, baptiſmatis ſacramenta qualiter agant, & hoc eos ſtudioſe doceant, ut ordinabiliter fiat." Extat eiusdem imperatoris epiſtola ad diverſos regni *Francici* archiepiſcopos, qua, quid de ritibus & cerimoniis baptiſmi ſentiant, exponi ſibi petit: qua occaſione multa eam in rem fuere ſcripta paſſim edita, veluti Theodulphi *Aurelianenſis* ad Magnum *Senenſem* epiſcopum de or- *T. II. Opp.* dine baptiſmi a Sirmondo & Menardo editus tractatus. Ex huius etiam ſchedis Baluzius anonymi ſcriptoris reſponſionem ad capitula archiepi- *pag. 1402.* ſcopis regni *Francorum* miſſa a Karolo M. anno Chriſti DCCCXI. publici iuris fecit in append. Capitul. Extat porro eiusdem argumenti tractatus, de baptiſmo, Iesse *Amianenſis* inter opuſcula Hincmari an. 1615. *Pariſiis*, & poſtea T. XIV. Bibl. PP. *Lugd.* editus. *Henr.* Canisius ſub Alcuini nomine vulgavit epiſtolam de cerimoniis baptiſmi reſponſoriam ad eundem imperatorem ex codice *Weingartenſi*, nos vero, quod Baluzius, Mabillonius, & Basnagius exiſtimarunt, Amalarium *Trevirenſem* eſſe auctorem, extra omne dubium poſuimus ex cod. *Tigurino* antiquiſſimo, ubi extant eiusdem Amalarii ad imperatorem, ac etiam Petri abbatis *Nonantulæ* ad Amalarium epiſtolæ, quæ auctorem manifeſtant. Quam ob rem recudendam ducimus inter monumenta liturgica, unacum epiſtola ipſius Alcuini brevi quidem, at eiusdem argumenti. Mabillonius ex bibliotheca *Augienſi* edidit in analectis Odilberti *pag. 76.* archiepiſcopi *Mediolanenſis* reſponſionem ad Carolum M. cum elencho *pag. 78.* capitum libri eiusdem argumenti, Leidardi item epiſcopi *Lugdunenſis* librum de ſacramento baptiſmi ad Karolum M. imperatorem; *Bern.* Pe-

zius

Digitized by Google

zius vero Maxentii patriarchæ *Aquileienſis* epiſtolam ad Carolum M. imper. de ſignificatu rituum & cerimoniarum baptiſmi. Sub eodem imperatore capitula habentur an. 789. ubi inter alia ſtatuitur: *Ut audiant epiſcopi baptiſterium presbyterorum, ut ſecundum morem Romanum baptizent.* Et in concilio *Mogunt* an. 813. ſub eodem adhuc imperatore ſtatutum eſt: „Sacramenta itaque baptiſmatis volumus, ut ſicut ſancta veſtra fuit admonitio, ita concorditer atque conformiter in ſingulis parochiis ſecundum *Romanum* ordinem inter nos celebrentur, iugiterque conſerventur.“ Similia poſtea in concilio *Moguntino* an. 847. ſunt ſancita. Cura ſemper fuit apud nos maxima paſtorum, ut hoc ſacramentum rite adminiſtrandi haberent peritiam ſacerdotes. Unde in Inquiſitione *de his, quæ epiſcopus vel eius miniſtri in ſuo diſtrictu inquirere debeant*, quæſtio eſt art. 86. *ſi exorciſmos & orationes ad catechumenum faciendum, ad fontem quoque conſecrandum, & reliquas preces ſuper maſculum & fœminam pluraliter atque ſingulariter diſtincte & rationabiliter proferre valeat?* Quæ iisdem verbis inculcantur in ſermone ſynodali, qui S. Udalrico tribuitur. Omnis ordo in cod. canon. univerſæ eccleſiæ c. 170. ex canone 7. concilii *Cpolitani* I. his explicatur verbis: „Primo quidem die ipſos chriſtianos facimus; ſecundo catechumenos, deinde tertio exorciſamus, ſive adiuramus ipſos, ter ſimul in faciem ipſorum & aures inſufflando. Et ſic eos catechizamus, ſive initiamus & curamus, ut longo tempore verſentur in eccleſia, & audiant ſcripturas, & tunc eos baptizamus.“

T. II. Anecd. P. II. p. 7.
T. I. Conc. Germ. pag. 286. Can. 4.
T. II. Conc. p. 441.
T. XI. Concil. ed. Ven. p. 1077. 1078.

II. Fuit ſane in antiqua eccleſia inſignis hæc diſciplina catechumenorum. Cuius rei documenta tum libri liturgici, tum auctores, qui de his rebus ſcripſerunt, præbent. „Ingreſſuros baptiſmum (ſunt verba antiquiſſimi ex *Latinis* ſcriptoribus eccleſiaſticis Tertulliani libro de baptiſmo circa finem) orationibus crebris, ieiuniis, & geniculationibus, & pervigiliis orare oportet, & cum confeſſione omnium retro delictorum, ut exponant etiam baptiſmum *Ioannis.* Tingebantur, inquit, confitentes delicta ſua.“ Nimirum ut apud Matthæum & Marcum legitur: *exibat ad eum Ieroſolyma & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem, & baptizabantur ab eo in Iordane confitentes peccata ſua.* Congruunt, quæ leguntur apud S. Gregorium *Nazianz* orat. de lavacro: „Ne peccatum tuum confiteri grave ducas, ſciens quo pacto Ioannes baptizaverit, ut per huius vitæ pudorem, futuri ſæculi pudorem, ignominiamque fugias.“ Sic & S. Cyrillus *Hieroſ.* primo ad catechumenos ſermone ſeu catecheſi *Tempus præſens* (inquit) *eſt tempus confeſ-*

Catechumenatus cum pœnitentia & inſtructione.
Matth. III. 6. Marci I. 5.

 ſionis

Digitized by Google

ſionis, confiteare, quæ perpetraſti ſive verbo, ſive opere. Nec defuerunt, qui pœnitentiæ quoddam genus ante baptiſmum apud catechumenos agnoſcerent: quam ſententiam ad examen revocat *Gabr.* ALBASPINÆUS lib. II. obſervat. 1. & 2. unam, & alteram catechumenorum pœnitentiam agnoſcens, ſed privatam quandam, ac ſpontaneam, a difficili illa, & laborioſa poſt baptiſmum relapſis imponi ſolita, plane diverſam: quæve mea ſententia potiſſimum conſiſtebat in exercitiis illis per tempus catechumenatus obeundis, exantlandisque, orationibus nimirum, crebris ieiuniis, geniculationibus, pervigiliis iuxta TERTULLIANUM: „quia (iuxta S. AMBROSIUM in cap. 11. LUCÆ) gratia Dei in baptiſmate non quærit gemitum, aut planctum aut opus aliquod, niſi ſolam ex corde profeſſionem.“ Quænam ad hanc *profeſſionem ex corde* requiri debuerint in adultis præſertim ex gentiliſmo ad chriſtianam religionem converſis, res ipſa loquitur, nec opus eſt hic pluribus exponere. Eoque collimabant omnes illæ variæ quidem exercitationes in decurſu catechumenatus ſuſcipiendæ, primum tamen ac potiſſimum ſemper fuerat, ut imbueretur fide catechumenus ſecundum etymologiam ſuam: „Catechumenus autem dicitur (iuxta *Rhabanum* MAURUM) pro eo, quod adhuc doctrinam fidei audit, necdum tamen baptiſmum recepit.“ Ex eodem apud GRATIANUM refertur: „Ante baptiſmum catechizandi debet hominem prævenire officium, ut fidei primum catechumenus accipiat rudimentum.“ LEIDARDUS etiam inter catechumenos & competentes diſtinguit, ſed vetuſtiori more, quando ob adultos ethnicos, ad chriſtianam religionem converſos, ea diſciplina ſolemnior fuit, ac neceſſaria, nec tamen, adulta etiam fide, ſtatim mutata, ut ex dicendis patebit. His præmittere veluti facem iuvat LEIDARDI locum: „Differt ſane inter catechumenos & competentes. Catechumeni itaque ſunt, qui primum de gentilitate veniunt, & habentes voluntatem credendi in Chriſto, audiunt verbum fidei, ſed nondum appellantur fideles. Competentes autem ſunt, qui iam poſt doctrinam fidei, poſt continentiam vitæ, gratiam Chriſti percipere feſtinant. Ideoque appellantur competentes, id eſt, gratiam Chriſti petentes. Illi petunt & accipiunt; catechizantur, & inſtruuntur inſtructione Sacramentorum: iſtis ſalutare ſymbolum traditur, quaſi commonitorium fidei & ſanctæ confeſſionis indicium, quo inſtructi agnoſcant, quales iam ad gratiam Chriſti exhibere ſe debeant.“

Lib. I. de inſtit. Cler. c. 26.

De conſecr. diſt. IV. c. 54.

Mabill. analecta p. 79.

Scrutinia.

III. „Hæc tota actio (pergit LEIDARDUS) quæ ſuper Catechumenis & competentibus celebratur, a quibusdam *Scrutinium* nominatur, non ob aliud, ut putamus, niſi a ſcrutando, iuxta illud pſalmiſtæ: *Scrutans corda*

Digitized by Google

da & renes Deus; eoquod ibi ſcrutarentur corda credentium & dubitantium a ſacerdotibus, ut intelligerent, quis ad baptiſmum iam rite admitteretur, quis adhuc differretur.“ Facile patet, hæc ad rationis compotes, atque adultos homines proprie pertinuiſſe. Qua de re pulchre diſſerit *Rhabanus* MAURUS: „Qui vero illius ſunt iam ætatis, ut rationem credulitatis ſuæ reddere poſſint, diligenti examine ſcrutandi ſunt, utrum veraciter credant, an alicuius falſitatis in eis macula celetur. Ne, dum aut timore aut favore terrenarum poteſtatum, aut acquiſitione quarundam rerum ad baptiſmatis Sacramentum ignorantibus miniſtris eccleſiæ perveniunt, tradatur Sanctum canibus, & margaritæ mittantur inter porcos, & lupi ovina pelle veſtiantur. Hunc enim morem eccleſia ſervare conſuevit, ut per aliquot dierum ſpacium hi, qui in ſolemnitate paſchali baptizandi ſunt, ſcrutentur, ut inſtructis & doctis, & ſimplici corde ad fidem veram venientibus vitæ Sacramenta impertiantur, quibus, ut aptiores inveniantur baptiſmatis Sacramento, & eorum fides probabilior ſit, quædam fiunt corporaliter, quæ ſpiritali guſtu deguſtata, myſticum quid & ſpiritale ſapiunt.“ Hæc omnia paucis verbis complexus eſt S. AUGUSTINUS in libro de fide & operibus: *Quales* (inquit) *ſint ipſis diebus, quibus catechizantur, ſcrutantur, exorcizantur.* Articulatius autem, breviter tamen ſingula recenſet AMALARIUS *Trevirenſis* de cerimoniis baptiſmi. „In ſcrutinio (inquit) facimus ſignum crucis ſuper pueros, ſicut invenimus ſcriptum in *Romano* ordine, & genuflexionem & adiurationem, & docemus orationem dominicam patrinos & matrinas, ut & ipſi ſimiliter faciant, quos ſuſcepturi ſunt a ſacro baptiſmate. Similiter docemus ſymbolum &c.“ Et alter AMALARIUS lib. I. c. 8. de eccleſ. officiis. „Scrutinium poſſumus recte intelligere iter ad baptiſmum. Scrutinium proprium ſyntagma habet & propriam miſſam. De miſſa, quam publicam vocamus, eſt modo dicendum. In ea commemoratio celebratur eorum, quæ aguntur in ſcrutinio. Duo officia ibi aguntur: imbuitur namque de fide & moribus.“

De ord. Sacram. c. 10.

IV. In antiquiſſimo noſtro ſacramentario incipit ordo baptiſmi a miſſis, quæ poſt ſcrutinium celebrantur ſeu pro ſcrutinio. Tum ſequitur *denuntiatio pro ſcrutinio in hebdomada III. in Quad. ſecunda feria initiata. Scrutinii diem dilectiſſimi &c.* uti in ſacramentario *Gelaſiano*, ubi aſſignatur *dominica tertia*, *quæ pro ſcrutiniis electorum celebratur.* Item dom. IV. pro ſcrutinio II. &c. ſed in denuntiatione ſcrutinii feria aliqua iuxta ordinem *Romanum* pro arbitrio determinanda indigitatur, ac qui-

Quibus temporibus.

Digitized by Google

dem in noſtro *Rhenaugienſi* fer. VI. hebd. III. *In ſan-Gallenſi* vero ſabbato ſequenti notatur: *Hic facis ſcrutinium primum.*

Capitulare ordinis eccleſiaſtici inter monumenta noſtra liturgica, a quarta hebdomada primum repetit ſcrutinium: „Ita tamen penſandum eſt, ut a primo ſcrutinio uſque in ſabbato ſancto ſeptem vicibus hoc fiat, id eſt in prima ebdomada duabus vicibus, in ſecunda una, inde in tertia duabus; in quinta vero, quæ eſt ultima, iterum duabus.“ En ſeptem ſcrutinia a pleriſque etiam ſacrorum rituum ſcriptoribus numerata, licet totidem in monumentis noſtris liturgicis non annotentur, quod etiam in ſacramentario *Gelaſiano* obſervavit P. Vezzosius præf. in T. VI. opp. Ven. Thomasii p. XXXVIII. ſed quatuor tantum hoc ritu. „Illorum primum habebatur feria II. poſt dominicam Quadrageſimæ tertiam. Ea in dominica, ut & in quinta, miſſarum officia pro ſcrutinio rite inſtituendo celebrabantur: & in Canone non tantum pro electis ad baptiſmum, eorum nominibus recitatis, orandum erat; ſed & nomina recitari conſueverant qua virorum, qua mulierum, qui baptizandis de ſacro fonte ſuſcipiendis deſignati fuerant, Tertio in ſcrutinio evangelia ritu ſolemni catechumenis explicantur unacum fidei ſymbolo &c.“

Celebrius vero fuit ſcrutinium, ac fixum feria IV. hebd. IV. cui etiam nunc reſpondet officium, duæque relictæ ſunt orationes. Etiamnum celebrari ſolent ſcrutinia *Viennæ*, *Rotomagi*, & *Leodii* teſtibus De-Moleon & Martenio in *Itinerariis.* Tota miſſa in hunc finem compoſita eſt, unde etiam *miſſa ſcrutinii*, ac ipſa feria ſcrutinii appellatur. Introitus eſt *Cum ſanctificatus fuero in vobis, congregabo vos de univerſis terris & effundam ſuper vos aquam mundam &c.* qui introitus hodie adhuc dicitur, habeturque in antiquiſſimo noſtro antiphonario. „Varietas eſt (inquit Amalarius) per adiectionem unius lectionis & unius reſponſorii. Prima lectio Ezechielis prophetæ: *Hæc dicit Dominus Deus. Lavamini mundi eſtote.* Cauſam promemus Domino miſerante: Memorata quarta feria apud cultores eccleſiæ *In apertione aurium* dicitur. Eadem die agitur ſcrutinium tertium, quod maximum eſt inter ſeptem ſcrutinia. Eadem die tanguntur aures & nares catechumenorum digitis presbyterorum. Eadem die inſtruuntur de auctoribus & initiis quatuor evangeliorum. Eadem die percipiunt orationem dominicam, & ſymbolum, ad reddendum in ſabbato ſancto Paſchæ.“ Imprimis copioſe de hac feria IV. Scrutiniorum agit Rupertus *Tuitienſis* lib. IV. de officiis divinis cap. XVIII. & ſequentibus.

Voyage liturg. p. 20. 297. *Voy. liter. an.* 1724. *p.* 184.

L. I. de off. c. 8.

V. Or-

Digitized by Google

V. Ordinem autem ſcrutiniorum exponit capitulare ordinis eccleſiaſtici: „Secunda vero feria in ipſa ebdomada (quarta) veniunt hora tertia ad eccleſiam matres cum infantibus eorum, & facit eos presbyter primum catechumenos, id eſt, impoſita manu ſuper capita ſingulorum dicit orationem his verbis: *Omnipotens ſempiterne Deus*, *Pater Domini noſtri.* Dicta ipſa oratione accipit ſalem exorcizatum, & ponit in ore infantum dicendo: *Accipe talis ſalem.*" Idem ordo habetur in antiquiſſimo noſtro ſacramentario. Pertinent huc exorciſmi & abrenunciationes poſtquam omnium primo nomina tam infantium, quam ſuſcipientium ſcripta fuerunt. Et quo ritu.

Antiquiſſimis temporibus ſubinde ſaltem mutari in baptiſmo ſolita nomina, ex paſſione S. *Petri* BALSAMI apud RUINARTUM Act. ſinc. p. 502. diſcimus. Interrogante quippe SEVERO præſide: *Quid diceris?* PETRUS reſpondit: *Nomine paterno* BALSAMUS *dicor*; *ſpirituali vero nomine*, *quod in baptiſmo accepi*, PETRUS *dicor.* Sed hoc conſtanter factum eſſe antiquitus, dici non poteſt: cauſam vero mutati eiusmodi nominis EUSEBIUS de ſanctis martyribus *Palæſtinis* reddit: „Quippe ipſi indita ſibi a parentibus nomina, ideo fortaſſe, quod eſſent idolorum vocabula, abiecerant." C. II. n. 35. Dum vero ex chriſtianis parentibus nati fuerunt filii (ut iam ex DIONYSIO *Alexandrino* adnotavit idem EUSEBIUS, atque etiam ex CHRYSOSTOMO & THEODORETO obſervat RUINART ſtudium parentum, ut Sanctorum nomina liberis ſuis imponerent) nihil opus fuit, quam ut in ſcrutiniis redderent hæc nomina, ſcriberenturque ab acolytho, & ſic vocarentur in eccleſiam per nomina, ſicut ſcripti ſunt, ut noſtra monumenta liturgica habent. pag. 507. Ubi nota, quod olim exorciſtarum erat, hic, uti etiam apud GELASIUM & alibi, acolytho tribui: „Tunc primum veniens acolythus facit crucem in frontibus ſingulorum, imponens manus ſuper illos, dans orationem excelſa voce his verbis, *Deus Abraham &c.*" Idem capitulare ordinis eccleſiaſtici præſcribit, additque præterea: „Completa oratione ſuper maſculos convertit ſe ad feminas, & facit ſimiliter, & iterum ſequitur alius acolythus, & facit ſimiliter, inde tertius, & facit ſimiliter. Poſtea vero intrat presbyter, & imponit eis manum, & benedicit eos his verbis: *Æternam ac iuſtiſſimam pietatem tuam &c.* Sequente vero ebdomada iterum una die, quam presbyter adnuntiaverit, ſimiliter faciunt."

VI. Poſt denuntiationem pro ſcrutinio, *quod tertia hebdomada in Quadrageſima ſecunda feria initiatur* iuxta ſacramentarium *Gelaſianum*, ſequitur *Orat. ſuper Electos ad catechumenum faciendum*, deinde *benedictio ſalis dandi catechumenis.* Sal benedictum qua formula ori ingeſtum ſit, modo notavimus. Sequitur *Benedictio poſt datum ſalem:* Qui adeoque diverſus Sal Catechumenis guſtandum datum. *T. VI. Opp. Ven. Thomaſii p.* 37.

ſus eſt ritus ab eo, quem ex canone concilii *Carthag.* profert BURCHARDUS: „Item placuit, ut per ſolemniſſimos paſcales dies ſacramentum catechumenis non detur, niſi ſolum ſalis, quia ſi fideles per illos dies ſacramentum non mutant, nec catechumenos oportet mutare.“

Lib. IV. decreti c. 17.

Exorciſmi, inſufflationes.

VII. Benedictione poſt datum ſalem expleta, Electis exeundum erat ab eccleſia, ut VEZZOSIUS ad ſacramentarium *Gelaſianum* adnotavit, exſpectandumque præ illius foribus, donec intus revocarentur. Cantabatur autem a Clero Miſſa, cuius Introitus eſt: *Cum ſanctificatus fuero in vobis &c.* quæ habetur Feria IV. hebd. IV. Quadrag addita nihilominus oratione tertiæ Dominicæ, *quæ pro ſcrutiniis electorum celebratur*: *Deus qui Electis noſtris &c.* qua dicta a diacono vocati hac formula: *Catechumeni procedant*, ingreſſi in eccleſiam iterum ab Acolytho nominatim vocabantur ordine, quo ſcripta erant nomina, quove poſt orationem exorcizabantur iuxta præſcriptum ibi ritum. *Item Exorciſmi ſuper electos, quos acolythi impoſita manu ſuper eos dicere debent.*

Loc. cit. p. 39. *Ibid. p. 29.* *Pag. 39.*

Exorciſmi in baptiſmo necdum aſſerta ſatis eſt prima origo, de qua extat ſingularis diſputatio *Io. Andr.* HOECKER *Lutherani* an. 1736. habita *Ienæ*, ubi in uſu eſt exorciſmus, alibique, paſſim tamen etiam exploſus a *Lutheranis*: taceo hic novaturientes non paucos ex Catholicis, qui per indirectum ſaltem doctrinam ritumque eccleſiæ circa exorciſmos explodunt, immemores quid ſecum infantibus in baptiſmi celebratione actum ſit. Orthodoxior eam in rem eſt diſputatio inauguralis *Pauli* SPERLINGI *de antiquiſſimo exorciſmi in baptiſmo ritu, nequaquam temere, multo minus tumultuarie vel reiiciendo vel abrogando*: ubi quidem IUSTINI M. dialogum cum TRYPHONE *Iudæo* in teſtimonium vocat ex *græca* eccleſia, ex *latina* autem TERTULLIANUM, & S. CYPRIANUM *Afros* primos citat auctores eiusdem rei, veluti etiam CALOVIUS diſſert. de Exorciſ. poſt PAMELIUM in adnotat. ad libr. TERTULLIANI de baptiſmo: locus autem vexatus TERTULLIANI legitur in libro de *præſcriptionibus* c. 41. eiuſcemodi: *ipſæ mulieres hæreticæ quam procaces, quæ audeant docere, contendere, exorciſmos agere, curationes repromittere, forſitan & tingere.* Locus hic tamen perinde de promiſcuo exorciſmi contra dæmoniacos uſu intelligi poteſt, de quo omnium ſcriptorum Chriſtianorum omnis ætatis extant teſtimonia, atque etiam exempla.

Ad rem quidem facere videtur, quod ex eius ſententia, in libro *de anima*, cuique hominum adhæreat ſpiritus nequam *ab ipſa etiam ianua nativitatis animas aucupabundus*, id quod S. CYPRIANUS luculentius ad exorciſmum in baptiſmo trahit Epiſt. 86. „Quodſi (inquit) aliquis illo movetur,

Digitized by Google

movetur, quod quidam de iis, qui ægri baptizantur, ſpiritibus adhuc immundis tentantur, ſciat diaboli nequitiam pertinacem uſque ad aquam ſalutarem valere, in baptiſmo vero omne nequitiæ ſuæ virus amittere. Quod exemplum cernimus in PHARAONE, qui diu reluctatus, ut in ſua perfidia demoretur, tamdiu reſiſtere potuit, donec ad aquam veniret: quo cum veniſſet, victus eſt & extinctus. Mare autem illud ſacramentum baptiſmi declarat PAULUS. Quod hodie etiam geritur, ut per exorciſtas voce humana & poteſtate divina flagelletur, & uratur, & torqueatur diabolus, & cum exire ſe, & homines Dei dimittere ſæpe dicat, & in eo tamen, quod dixerit, fallat, id quod per PHARAONEM prius geſtum eſt, eodem mendacio obſtinationis & fraudis exerceat. Cum tamen ad aquam ſalutarem atque ad baptiſmi ſanctificationem venitur, ſcire debemus, & fidere, quia illic diabolus opprimitur, & homo Deo dicatus divina indulgentia liberatur.“ Breviter rem exprimit OPTATUS *Milevitanus*: „Neminem (inquit) fugit, quod omnis homo, qui naſcatur, quamvis de parentibus chriſtianis naſcatur, ſine ſpiritu immundo eſſe non poſſit, quem neceſſe ſit ante ſalutare lavacrum ab homine excludi & ſeparari. Hoc exorciſmus operatur, per quem ſpiritus immundus depellitur, & in loca deſerta fugatur.“ Taceo CYRILLUM *Hieroſol.* qui ritum hunc in præfat. ad catecheſes ex inſtituto proſequitur. „Exorciſmos (infit) ſtudioſe ſuſcipe: ſive enim inſuffleris, ſive exorcizeris, exiſtima eam rem tibi eſſe ſaluti.“. Idem argumentum poſtea catech. 16. & ſeqq. paſſim attingit, ac catech. 2. myſtag. vim etiam inſufflationum explicat, ut mox videbimus. Quam conſuetudinem ubique obtinuiſſe S. AUGUSTINUS L. II. de Nupt. c. 18. teſtatur: *Ubique in eccleſia infantes exſufflantur ideo, ut princeps mundi foras mittatur.* Et GENNADIUS lib. I. de eccl. dogm. c. 31. „Illud etiam (inquit) quod circa baptizandos in univerſo mundo ſancta eccleſia uniformiter agit, non otioſo contemplamur intuitu: cum ſive parvuli ſive iuvenes ad regenerationis veniunt ſacramentum, non prius fontem vitæ adeant, quam exorciſmis & exſufflationibus clericorum Spiritus ab eis immundus abigatur.“ Ritum hunc S. GREGORIUS *Nazianz.* contra dicteria IULIANI apoſtatæ Orat. IV. in eundem, defendit: indeque S. AUGUSTINUS contra *Pelagianos* argumentum repetit fortiſſimum. „Non inveniunt (ſcribit ad SIXTUM) quid ad hoc reſpondeant, quod exorcizantur & exſufflantur infantes, hoc enim procul dubio fallaciter fit, ſi diabolus eis non dominatur.“ Alibi antiquitatem eius ritus prodit ad abſtergendam *Manichaiſmi* calumniam: „Neque enim (inquit) ex quo eſſe cœpit *Manichæi* peſtilentioſa doctrina, ex illo cœperunt in eccleſia Dei parvuli baptizandi exorcizari, & exſufflari.“ Et poſt pauca: „Hos iſte audeat

1 Cor. 10.

De ſchiſmate Donat. lib. IV. n. 6.

Ep. 194. n. 46. p. 729.

L. II. de Nupt. & concup. c. 19.

Digitized by Google

dicere *Manichæos*, & antiquiſſimam eccleſiæ traditionem iſto nefario crimine adſpergat, qua exorcizantur, &, ut dixi, exſufflantur parvuli &c.“ De inſufflationibus idem ſingulariter: „Ad hoc (inquit) reſpondeo, cur exſufflentur baptizandi parvuli, oſtende: aut univerſæ antiquiſſimæ eccleſiæ bellum indicens, exſufflari eos non debere contende.“ a)

L. III. Op. Imp. c. 144.

Mirum ſane eſt, Proteſtantes potiſſimum, qui tamen peccati originalis labem maxime urgent, in hoc imitari *Pelagianos*, & cum iisdem explodere ritus hoſce, a primis eccleſiæ ſæculis ad noſtra uſque tempora obſervatos. Catholicos vero maxime ſtringit auctoritas relatæ paullo ante ex Gennadio de dogmat. eccleſ. ſententiæ, *quod gratiam Dei etiam baptizandorum teſtetur inſtituta purgatio, cum exorciſmis & exſufflatione ſpiritus ab eis abiguntur immundi*, ut habet titulus apud Sirmondum inter præteritorum ſedis apoſtolicæ epiſcoporum auctoritates &c. ſub Coelestino I. P. Additur ibidem: „ut tunc vere appareat, quomodo princeps mundi huius mittatur foras, & quomodo prius alligetur fortis, ut deinceps vaſa eius diripiantur, in poſſeſſionem translata victoris.“ Iis, quæ hic opponi queunt, ſatisfaciemus poſtea de exorciſmis iterum tractaturi.

T. I. Conc. Gall. p. 63. c. 9.

Exorciſmus ſalis, ſignum crucis, impoſitio manus, unctio.

VIII. Nunc, quæ ad hanc rem porro pertinent, breviter attingemus, qualia ſunt, exorciſmus ſalis, *ut in nomine ſanctæ Trinitatis* efficiatur *ſalutare ſacramentum ad effugandum inimicum &c.* ſignum ſanctæ crucis, *quod nos fronti eius damus, tu maledicte diabole, nunquam audeas violare*: impoſitio manus eundem in finem cum formula: *Nec te lateat ſatana, imminere tibi pœnas &c.* Unctio pectoris & ſcapularum noſtro ritu, totius autem corporis apud *Græcos*, *exorciſato oleo*, iuxta S. Cyrillum *Hieroſ.*, *quo a ſummis capillis ad infimas usque partes peruncti ſunt:* „Nam (inquit idem S. Pater) ut inſufflationes Sanctorum, & nominis Dei invocatio tanquam vehementiſſima quædam flamma urit dæmones, & in fugam convertit, ſic & exorciſatum oleum per orationem, Deique invocationem tantam virtutem conſequitur, ut non modo ardentia peccatorum veſtigia expurget, verum etiam inviſibiles dæmones repellat.“ Hæc aliaque expenduntur in diſſertatione *Gallica* (*ſur la coutume de l'egliſe de ſuppleer les exorciſmes apres le batême lorsque la neceſſité a obligé de les omettre*) quæ fuerat conſcripta, cum exorciſmi in *Gallia* poſthaberentur apud eos, qui ſubito baptizati fuerant, illosque im-

Catech. II. Myſtag.

a) Add. L. I. *de Nupt.* c. 20. lib. I. de peccat. meritis c. 34. L. II. de gratia & peccato orig. c. 40. Lib. *X.* de Civit. Dei. c. 20. De fide & oper. c. 6. Lib. I. de Symbolo c. 1. Relat. diſt. 4. De Confecr. c. 71.

Digitized by Google

impugnat, qui effugato iam poſt baptiſmum, religatoque dæmone exorciſmos prorſus fruſtraneos eſſe exiſtimant. Olim tamen brevioris exorciſmi ritu ſuccurrebatur in neceſſitatis articulo conſtitutis, quod colligitur ex formulis, quas in antiquiſſimis monumentis liturgicis deprehendere licet: *Ad ſuccurrendum infirmum catechumenum.* Item *Benedictio aquæ ad ſuccurrendum &c. Ad ſuccurrendum benedictio olei exorcizati.* Singulares item formulæ *in energumenos catechumenos* continentur in antiquiſſimis noſtris monumentis *Alemannicis*, perinde ac in *Gelaſiano* notatur *impoſitio manus in energumenum catechumenum.* Item alia *pro parvolo energumeno.*

IX. Poſt exorciſmos in ſacramentario *Gelaſiano* ſuo ordine *Incipit expoſitio evangeliorum in aurium apertionem ad electos.* Ad feriam IV. hebd. IV. qua præcipuum erat ſcrutinium, in antiquiſſimo noſtro ſacramentario *Rhenaugienſi* prænotatur: *Hic facis ad auris apertionem.* Quod in capitulari ordinis eccleſiaſtici tertiæ hebdomadæ aſſignatur. „Tertia vero hebdomada ſimiliter die, quam elegerit presbyter, faciunt aures apertionum, id eſt, veniunt ad eccleſiam, ſicut ſcripti ſunt, & ſtatuuntur ſicut diximus, maſculi ad dextram, feminæ ad ſiniſtram, & imponunt acolythi tres, ſicut dictum eſt, manus ſuper eos, & inde ſimiliter presbyter. Hoc facto accedit ante altare, & canent antiphonam ad Introitum, & inde leguntur lectiones duæ, quas in Capitulare commemorat, & ſequuntur reſponſoria. Inde leguntur initia quatuor evangeliorum cum expoſitionibus ſuis, & inde tradit presbyter orationem dominicam & ſymbolum.“ In ſacramentario *Gelaſiano* ſolemnis proceſſio deſcribitur ad deferenda IV. evangelia. „Primitus procedunt de ſacrario quatuor diaconi cum quatuor evangeliis, præcedentibus duobus candelabris cum thuribulis, & ponuntur ſuper quatuor angulos altaris.“ Habeturque pariter ac in miſſali *Gallicano* veteri *expoſitio evangeliorum in aurium apertione ad electos.* Seu, ut in ſacramentario *Bobienſi* notatur. *In ſymbolum ad aurium apertionem ad electos.* Quia ambo hæc ſeſe inſequebantur, uti etiam notantur in noſtro antiquo ordine. Præmittitur in *Gelaſiano* ſacramentario oratio: *Æternam ac iuſtiſſimam pietatem tuam &c.* de qua ſupra; notatque Pamelius in codice quodam haberi titulum: *Oratio ſuper infantes in Quadrag. ad IIII. evangelia.*

Apertio aurium cum expoſitione evangeliorum.

T. II. Lit. p. 262.

Pertinet huc ritus tangendi ſaliva nares & aures baptizandorum. „Poſtea (inquit *Rhabanus* Maurus) tanguntur ei nares & aures cum ſaliva, & dicitur ei verbum illud evangelicum, quod Jesus, quando ſurdum & mutum ſanavit, tangens cum ſputo linguam eius, & mittens digitos in auri-

Saliva tangendi nares & aures ritus.

De inſtitut. Cler. lib. I. c. 27.

Digitized by Google

auriculas eius dixit: *Effeta*, *quod eſt adaperire*. Hoc enim Sacramentum hic agitur, ut per ſalivam typicam ſacerdotis, & tactum ſapientia & virtus divina ſalutem eiusdem Catechumeni operetur: ut aperiantur ei nares ad accipiendum odorem notitiæ Dei; ut aperiantur illi aures, ad audiendum mandata Dei, ſenſuque intimo cordis reponendum.“ Qui hactenus ſervatus eſt ritus.

De abrenuntiationibus, & ſponſionibus.

X. Sequitur in antiquiſſimo noſtro ſacramentario: „Poſtea ... vocato nomine ſingulo dicit: *Abrenuntias ſatanæ &c.* ab hoc incipit ordo ad faciendum Catechumenum ſive baptizandum ex authentico ſancti Gregorii ſacramentario.“ Mox iubentur ſcribi nomina tam infantium, quam ſuſcipientium; ſicut in capitulari ordinis eccleſiaſtici antiquiori ante primum ſcrutinium præſcribitur, quando incipiebantur abrenuntiationes deinceps repetitæ, ut iam notavimus. Sic vero ordo baptiſmi in codice *ſan-Blaſiano* ann. circiter 800. incipit: „Cum infantes ad eccleſiam venerint, ſcribantur nomina eorum iuxta *Romanum* ordinem, & vocantur in eccleſiam per nomina, ſicut ſcripti ſunt, tam infantes, quam illi, qui eos ſuſcepturi ſunt, & tunc ſtatuantur maſculi ad dextram, & feminæ ad ſiniſtram. Deinde ſacerdos nominatim ſingulos interroget: *N. Abrenuntias ſatanæ?* Reſpondet patrinus infantis pro ipſo dicens: *Abrenuntio &c.*“

De Corona milit. c. 3.

Hunc vetuſtiſſimum morem eſſe, ex Tertulliano diſcimus, iam tum non ſemel repeti ſolitum: „Aquam adituri (inquit ibidem) ſed & aliquanto prius in eccleſia ſub antiſtitis manu conteſtamur, nos renunciare diabolo, & pompæ, & angelis eius.“ Paſſim de eo ritu apud SS. Patres fit mentio. Extat eiusmodi formula abrenuntiationis lingua veteri theotiſca ad calcem concilii *Liptinenſis*.

Deque earum fide ſervanda. *T. I. Conc. Germ. p. 51. T. I. Caniſii p. 792.*

XI. In ſermone S. Galli habito *Conſtantiæ* fit admonitio ad fideles de facta hac abrenuntiatione: „Obſecramus pro Christo, ut ſicut quondam in baptiſmo, ita ſemper abrenuntietis diabolo, & omnibus operibus eius, & cognoſcatis unum verum DEUM Patrem ſemper in cœlo regnantem, & ſempiternam Sapientiam eius in tempore pro nobis incarnatam, & ſanctum Spiritum æternæ pignus ſalutis in hac vobis peregrinatione conceſſum, atque ita vivere curetis, ſicut Dei filios decere cognoviſtis, devitantes gulæ concupiſcentiam &c.“ In libello S. Pirminii *Augiæ* abbatis prope *Conſtantiam* ſequentia leguntur: „Ideo fratres ad memoriam veſtram reducimus, quale pactum in ipſo baptiſterio cum Deo fecimus v. g. cum interrogati ſinguli nomen noſtrum a ſacerdote fuimus, quomodo diceremur; reſpondiſti autem tu, ſi iam poteras reſpon-

Analecta Mabill. p. 67.

dere,

Digitized by Google

dere, aut certe, qui pro te fidem fecit, qui te de fonte ſuſcepit & dixit, *Ioannes dicitur*, aut aliud nomen. Et interrogavit ſacerdos: *Ioannes abrenuncias diabolo & omnibus operibus eius: & omnibus pompis eius?* Reſpondiſti, *Abrenuntio*, hoc eſt deſpicio & derelinquo omnia opera mala, & diabolica. Poſt iſtam abrenuntiationem diabolo & omnibus operibus eius, interrogatus es a ſacerdote: *Credis in Deum Patrem omnipotentem &c.* Reſpondiſti aut tu, aut patrinus pro te: *Credo.* Ecce pactio qualis & promiſſio vel confeſſio veſtra apud Dominum tenetur, & credens baptizatus es in nomine Patris &c." Sic pro eadem pactione computabantur, quæ ritu etiam ſemper coniuncta credulitatem pariter ac mores attinent. „Quia igitur conſtat (inquit *Rhabanus* MAURUS de Ordine Sacrament. c. 13.) pactiones credentium eſſe duas, unam, in qua renuntiatur diabolo & pompis eius, & omnibus operibus eius, alteram, qua ſe credere confitentur in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, oportet has inconfulſæ mentis intentione conſervari.

Nihil antiquius habuerunt paſtores, quam iſtas fidelibus in memoriam revocare promiſſiones. Edidit *Bern.* PEZIUS S. BONIFACII ſermonem, *Anecd. T. IV. P. II. p. 3. ſeq.* quem imminente Natali Domini habuit, *de abrenuntiatione in baptiſmo*, cuius exordium in exemplum exſcribam. „Audite fratres, & adtentius cogitetis, quid in baptiſmo renuntiaſtis. Abrenuntiaſtis enim diabolo, & omnibus pompis eius. Quid ſunt ergo opera diaboli? Hæc ſunt ſuperbia, idololatria, invidia, homicidium, detractio, mendacium, periurium, odium, fornicatio, adulterium, omnis pollutio, furta, falſum teſtimonium, rapina, avaritia, gula, ebrietas, turpiloquia, contentiones, ira, veneficia, incantationes, & ſortilegos exquirere, ſtrigas & fictos lupos credere, avorſum facere, dominis inobedientes eſſe, filacteria habere. Hæc & his ſimilia mala opera ſunt diaboli, & his omnibus in baptiſmo renuntiaſtis, & ſicut apoſtolus dicit, *qui talia agunt, digni ſunt morte, & regnum Dei non conſequentur.* Sed quia credimus per Dei miſericordiam, ut his omnibus ſuperius dictis corde & opere renuntietis, ut veniam conſequi mereamini: ammoneo vos fratres chariſſimi, ut reminiſcamini, quod omnipotenti Deo promiſiſtis. Primitus enim promiſiſtis *credere in Deum Patrem omnipotentem &c.*" In ſtatutis, quæ S. BONIFACIO attribuuntur, eſt 27mum: „Nullus ſit presbyter, qui in ipſa lingua, qua nati ſunt, baptizandos abrenuntiationes vel confeſſiones aperte interrogare non ſtudeat, ut intelligant, quibus renuntiant, vel quæ confitentur." In Capitulo CAROLI M. de iis, quæ pro communi omnium utilitate interroganda conſtituit, hæc inter alias ſunt quæſtiones: „VI. Quid ſit, quod unusquisque Chriſtianus in baptiſmo, vel quibus abrenuntiet? VII. Quæ ſectando vel *T. I. Conc. Germ. p. 74. & apud Dacher. in Spicil. Ib. p. 397. & apud Ba-*

 negli-

lux. T. I. Capit. pag. 478. negligendo ipſam ſuam renuntiationem vel abrenuntiationem irritam faciat?

Diſcrimen renuntiationis & abrenuntiationis hoc LEIDARDUS in reſponſione ad CAROLUM M. prodit: „Quod renuntiamus rebus licitis, abrenuntiamus rebus illicitis.“ Apud MABILL. Analect. pag. 85. Et mox in brevi Capitulorum, quibus imperator fideles epiſcopos & abbates alloqui voluit & commonere, ſubditur IX. „Quid unusquisque Chriſto in baptiſmo promittat, vel quibus cauſis abrenuntiet, quamvis unicuique Chriſtiano conſiderandum ſit; ſpecialiter tamen ab eccleſiaſticis inquirendum: qui laicis ipſius promiſſionis & abrenuntiationis in ſua vita exemplum præbere debent. Hic diligentiſſime conſiderandum eſt, & acutiſſime diſtinguendum, quæ ſectando, vel quæ negligendo unusquisque noſtrum ipſam ſuam promiſſionem & abrenuntiationem vel conſervet, vel irritam faciat. Et quis ſit ille ſatanas, ſive adverſarius, cuius opera vel pompas in baptiſmo renuntiavimus. Hic autem conſpiciendum eſt, ne perverſa unusquisque faciendo, illum quislibet noſtrum ſequatur, cui iam dudum in baptiſmo renuntiavimus.“ In confeſſione theotiſca, quam inter monumenta damus, inter alia etiam ſe accuſat Chriſtianus, non ſtetiſſe promiſſionibus in baptiſmo amplectendo Chriſtianiſmum: *Thes ih Got Almahtigen in minera Kriſtenheiti gebiezi &c.* Morem ſane egregium DE-MOLEON refert in *itinere liturgico*, quotannis feria II. Paſchæ renovandi vota in baptiſmo facta. a)

pag. 398. Bal. p. 48.

a

Traditio, redditioque ſymboli, Capitula vivum, dominica Palmarum.

XII. Interea temporis ſcrutinii nempe & exorciſmi doctrina ſymboli imbuebantur catechumeni, antiquiſſimo eccleſiæ more: „Ut ſicut antiqui canones iubent, ante viginti dies baptiſmi ad purgationem exorciſmi catechumeni currant: in quibus viginti diebus omnino catechumeni ſymbolum, quod eſt, *Credo in Deum Patrem omnipotentem*, ſpecialiter doceantur.“ Qui eſt canon I. Conc. III. *Bracarenſis*, aliter apud BURCHARDUM & GRATIANUM relatus. Traditionem ſymboli ritu *Romano* cum apertione aurium coniunctam fuiſſe, iam obſervavit VEZZOSIUS ad ſacramentarium *Gelaſianum*, comprobavitque contrarium *Gallicanæ*, *Hiſpanicæ*

pag. 44.

a) Queſtionem quoad parvulos ratione carentes movit S. AUGUSTINO BONIFACIUS epiſc. quam in rem videri poteſt eius epiſtola 23. GANDULPHUS quidam eandem ob cunctationem in ſynodo *Cameracenſi* & *Atrebatenſi* an. 1025. a DACHERIO in ſpicilegio ed. eſt damnatus. Eaque de re inter Proteſtantes, ut nihil de *Anabaptiſtis* & *Quackeris* dicam, variæ fuerunt lites obortæ, de quibus legi poteſt *Chriſt.* CLUGII *de ritu interrogandi infantes de fide ante ipſam aquæ divinæ affuſionem, ſpeciatim de eius adverſariis* commentatio ſacra, alteraque eiusdem *de uſu formulæ, qua interrogamus infantes ante ſacram lotionem de fide, Vittembergæ an. 1734. diſceptata.*

Digitized by Google

ca, & *Ambroſianæ* eccleſiæ, quo illud competentibus tradebatur dominica palmarum. Extat tamen etiam in *Gelaſiano* immediate ante officium Dominicæ in palmis traditio ſymboli & orationis dom. cum expoſitione nimirum ſymboli pariter ac orationis dominicæ, qualis etiam in ſacramentario *Gallicano* legitur, ac alibi paſſim apud auctores, veluti apud *Rhabanum* MAURUM lib. II. de ſacramentis divinis notatur. Extat etiam miſſa peculiaris in miſſali *Gothico*, & veteri *Gallicano* utroque *in ſymboli traditione.*

Auctor de offic. div. ſub nomine ALCUINI ideo Paſcha *petitum ſive competentium* dici refert, „quia hodie ſymbolum competentibus tradebatur propter confinem dominicæ Paſchæ ſolemnitatem. . . . . Capita lavantium ideo hunc diem appellat vulgus, quia tunc mos eſt lavari capita infantium, qui ungendi ſunt ſabbato S. ne forte obſervatione Quadrageſimæ ſordidati ad unctionem accederent.“ Apud *Rhabanum* MAURUM, ubi hæc ad verbum habentur, nomen eſt *capitulavium*, lib. II. de inſtit. Cler. c. 35. Eademque eiusdem nominis & ritus ratio redditur apud ISIDORUM lib. I. de offic. c. 27.

Sancit canon *Laodicenus* 46. *Oportere eos, qui ad baptiſma veniunt, fidem diſcere, & quinta feria ſeptimanæ maioris epiſcopo, aut presbyteris reddere.* Refertur id apud GRATIANUM & BURCHARDUM, & citatur ab AMALARIO, qui: *Tamen* (ſubdit) *Romanum ordinem ſequentes, hanc redditionem ſervamus uſque in Sabbato ſancto*, uti notatur in ſacramentario *Gelaſiano*, iisdemque verbis in antiquiſſimo noſtro: *Sabbatorum die mane reddentes ſymbolum, prius catechizas eos &c.* Quod alicubi neglectum S. BONIFACIUM anxium habuit, ut patet ex reſponſione GREGORII II. „Enim vero quosdam absque interrogatione ſymboli ab adulteris & indignis presbyteris faſſus es baptizatos. In his tua dilectio teneat antiquum morem eccleſiæ: quia quisquis in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti baptizatus eſt, rebaptizari eum minime licet. Non enim in nomine baptizantis, ſed in nomine Trinitatis huius gratiæ donum percipitur. Et teneatur quod apoſtolus ait: *Unus Deus, una fides, unum baptiſma.* Doctrinam vero ſpiritualem talibus ſtudioſius ut impertias, demandamus.“

Lib. I. de off. eccl. c. 12.

T. I. Conc. Germ. p. 34.

XIII. Inter ſtatuta, quæ S. BONIFACIO tribuuntur, 26tum eſt. „Adnuntient presbyteri, ut neque viri, neque fœminæ de ſacro fonte filiolas ſuſcipiant, ſi non memoriter ſymbolum & orationem dominicam tenuerint.“ Extat epiſtola CAROLI M. ad GERIBALDUM *Leodienſem* epiſcopum de cura, quam inſtruendis populis, præcipue ante baptiſmum, adhibere

Cum oratione dominica.

Ib. p. 74.

Ib. p. 358.

hibere debeant paſtores: „Primo omnium de fide catholica, ut qui amplius capere non valuiſſet, tantummodo orationem dominicam & ſymbolum fidei catholicæ, ſicut apoſtoli docuerunt, tenere & memoriter recitare potuiſſet, & ut nullus de ſacro fonte baptiſmatis aliquem ſuſcipere præſumeret, antequam in veſtra, aut miniſtrorum veſtrorum ſacri ordinis præſentia orationem dominicam & ſymbolum recitaret &c." Sequitur eiusdem GERIBALDI epiſtola ad ſuæ diœceſis presbyteros, & inſtructio paſtoralis ad gregem ſuum in eam rem, ubi inter alia: „Nam (inquit) & qui in poſterum in Paſcha & Pentecoſte filios & filias de ſacro fonte ſuſcepturi ſunt, ſciant ſe orationem dominicam & fidem ſymboli apoſtolorum reddere rationem, ut ſciamus, qualiter verus fideiuſſor ſit unusquisque illius, quem ſuſcepturus eſt a ſacro fonte." In collectione ANSEGISI & REGINONIS idem habetur: „Ut nullus ſuſcipiat infantem in baptiſmo a ſacro fonte, antequam eundem ſymbolum & orationem dominicam coram presbytero decantet: & ut presbyter omnibus patrinis annuntiet, quod debitores ſint ſuis filiolis, cum ad intelligibilem ætatem venerint, hæc eadem inſinuare." Apud GOLDASTUM, FREHERUM & SCHILTERUM extant in hunc uſum lingua veteri theotiſca, & nos eiusmodi inter monumenta liturgiæ *Alemannicæ* damus.

p. 359. 360. 361.

De Sponſoribus ſeu Patrinis, & Matrinis.

XIV. In ſponſores ſeu Patrinos hic grave periculum recidere ſemper exiſtimatum eſt. „Itaque (inquit TERTULLIANUS) pro cuiusque perſonæ conditione ac diſpoſitione, etiam ætate cunctatio baptiſmi utilis, præcipue tamen circa parvulos. Quid enim neceſſe eſt, ſponſores etiam periculo ingeri? quia & ipſi per mortalitatem deſtituere promiſſiones ſuas poſſunt, & proventu malæ indolis falli." Eadem ex cauſa etiam fideiuſſores ſunt dicti. „Mementote (inquit S. ELIGIUS *Noviomenſis*) quia tunc pactum cum Deo feciſtis, atque abrenuntiare vos diabolo & omnibus operibus eius in ipſo baptiſmi ſacramento promiſiſtis. Qui potuit tunc, ipſe per ſe & pro ſe hæc reſpondit. Qui vero non potuit, fideiuſſor pro eo ad eius vicem iſta Deo promiſit, ille ſcilicet, qui eum de ſacro fonte ſuſcepit." In Capitulari quodam CAROLI M. palam fit pii huius principis cura, præſertim circa orationem dominicam ac ſymbolum ab omnibus ex corde tenenda, nominatim ab his ſuſceptoribus infantum in baptiſmo patrinis & matrinis, prout paſſim nominantur in Capitularibus, diſtincti iam in baptiſmi & confirmationis ſacramento. „Ut ſi patrini vel matrinæ, (ſunt CAROLI verba) qui infantes de fonte ſuſcipiunt, ſive maſculos ſive fœminas, ſi ipſum ſymbolum & orationem dominicam ſciunt, & filios & filias ſpirituales, quos & quas de fonte ſuſceperunt, pleniter inſtru-

Lib. I. de Baptiſ.

T. V. Spicil. Dacher. p. 212.

T. I. Conc. Germ. p. 424.

inſtructos habeant de fide, de qua pro eis fideiuſſores extiterunt." Hinc AMALARIUS *Trevir.* in epiſtola ad CAROLUM M. *Docemus* (inquit) *orationem dominicam patrinos & matrinas, ut & ipſi ſimiliter faciant, quos ſuſcepturi ſunt ad ſacrum baptiſma.* Et concilium *Remenſe* apud REGINONEM: *Presbyter omnibus patrinis annuntiet, quod debitores ſint ſuis filiolis.*

Cap. 2.

Lib. I. c. 272.

Moris tum erat, ut patrini & matrinæ ſignarent cum acolythis & presbyteris infantes (ut ex monumentis noſtris liturgicis conſtat) atque ſingulis adeſſent ſcrutiniis: nec admittebantur niſi baptizati, vel confirmati, ut apud GRATIANUM refertur ex concilio *Moguntino*: quod etiam apud THEODORUM *Cantuarienſem* reperitur. *In baptiſmate vel in chriſmate non poteſt alium ſuſcipere in filiolum, qui non eſt ipſe baptizatus vel confirmatus.*

De Conſecr. diſt. IV. c. 102.

Nec tum iam ob ſpiritualem parentelam permittebantur parentes eſſe ſuſceptores, ſeparati etiam a coniugio, qui id feciſſent, ut aliquando in fraudem factum legimus: hinc ex ſententia concilii *Cabilon.* II. „Si qua mulier filium ſuum deſidia, aut fraude aliqua coram epiſcopo tenuerit ad confirmandum, propter fallaciam ſuam, aut propter fraudem, quamdiu vivet, agat pœnitentiam, a viro tamen ſuo non ſeparetur." Vide BALUZ. T. II. Capitular. p. 1054. Omnia vero luculento ſermone complexus eſt *Walafridus* STRABO ſponſorum munus declarans. „Ex hac igitur (inquit) occaſione inventum eſt, ut patrini vel matrinæ adhibeantur ſuſcepturi parvulos de lavacro: & pro eis reſpondeant omnia, quæ ipſi per ætatis infirmitatem confiteri non poſſunt: pariterque debet ſpiritalis pater vel mater ei, quem de fonte regenerationis ſuſcepit, cum ad intelligibilem pervenerit ætatem inſinuare confeſſionem, quam pro eo fecit, ut qui aliena confeſſione, ſicut paralyticus fide portantium meruit a peccatorum ſolvi languore, ſtudeat ſaluti præſtitæ vivere non indigne, & ſua impleat executione, quod illorum confeſſus eſt ore, ſi non vult ſalvatione carere, quam illorum meruit fide. Non autem pater debet vel mater de fonte ſuam ſuſcipere ſobolem, ut ſit diſcretio inter ſpiritalem generationem atque carnalem. Quod ſi caſu evenerit, non habebunt carnalis copulæ deinceps ad invicem conſortium, qui in communi filio compaternitatis ſpiritale vinculum ſuſceperunt." Quam ad rem nihil in antiquioribus monumentis notatur, antequam nomina increbuiſſent patrini, matrini, compatris, commatris, *Patris ſpiritualis*, quæ vox legitur in vita S. RICTRUDIS, ab HUGBALDO monacho ſcripta. AMALARIUS adhuc ſub LUDOVICO pio ſimpliciter Patres vocat lib. I. de div. off. c. 24. unde etiam *Germanicum* nomen *Pate*, *Pat*, derivat *Gerard.* DE-MA-

De rebus eccl. c. 26.

STRICHT *de ſuſceptoribus infantium ex baptiſmo, eorum uſu & abuſu.* Ubi recte STRABONEM noſtrum inceſſit, quod ad tempora S. AUGUSTINI ſuſceptorum in baptiſmo infantum initium referat, ut vel ex allato a nobis TERTULLIANI loco elucefcit, ne quid dicam de conſtitutionibus apoſtolicis, Pſeudo-DIONYSIO *Areopagita*, auctore *quæſtionum & reſponſ. ad orthodoxos*, aliosque, quos laudatus citat MASTRICHT, quique eum ſequitur *Iſaac* IUNGT in diſſert. *de ſuſceptorum baptiſmalium Origine, Argentorati* an. 1755. edita. paullo autem ante TERTULLIANI tempora invaluiſſe munus iſtud ſuſceptorum contendit *Gottlob. Aug.* IENICHEN *de patrinis eorumque origine, numero & ſexu.*

De baptiſteriis.

XV. Diſtinctum olim erat ſuſceptorum munus pro ſexuum varietate iuxta antiquum ritum publico in baptiſterio pro omnis ætatis hominibus ad immerſionem ample inſtrui ſolito, quod baptiſterii baſilicam vocat S. AMBROSIUS: *Dimiſſis* (inquit) *catechumenis, ſymbolum aliquibus competentibus in baptiſterii tradebam baſilica.* S. CYRILLUS *Hieroſ.* περὶ τὴν προαύλην τῶν βασιλείων, *circa veſtibulum ſeu aulam baſilicæ* eſſe dicit, quam aulam baptiſmalem FORTUNATUS vocat:

Epiſt. 13. ad Marcell.

Lib. I. Poem. 15.

Inſtaurata etiam ſacris eſt baptiſmatis aula,
Quæ maculas veteres fons lavat unus aquis.

Apud DAMASUM, PAULINUM. & SEVERUM extant baptiſteriorum deſcriptiones, cum opere etiam inſigni aquæductuum, quos imprimis DAMASUS operoſe *Romæ* inſtruxit, ubi præter morem aliarum urbium plura erant baptiſteria in ſingulis fere baſilicis.

Alias tantum, ubi epiſcopus erat, ſolebant eſſe baptiſteria, deinceps demum in parochiis inſtructa pro epiſcopi arbitrio, refertque MARTENIUS *in Itin. lite.* P. I. p. 9. *Pictavis* vix adhuc ante ſæculum necdum in eccleſiiis parochialibus baptiſmum eſſe adminiſtratum. In Capitulis Syn. *Vernenſis* an. 755. ſtatuitur: „Ut publicum baptiſterium in nulla parochia eſſe debeat, niſi ubi epiſcopus conſtituerit, cuius parochia eſt. Niſi tantum, ſi neceſſitas evenerit pro infirmitate, aut pro aliqua neceſſitate, illi presbyteri, quos epiſcopus in ſua parochia conſtituerit, in qualicunque loco evenerit, licentiam habeant baptizandi, ut omnino ſine baptiſmo non moriantur.“ BURCHARDUS veluti ex quodam concilio *Aquisgran.* canonem affert: „Plures baptiſmales eccleſiæ in una terminatione eſſe non poſſunt, ſed una tantum cum ſubditis capellis.“

Lib. III. Dec. c. 22.

In ſermone ſynodali ex mſc. monaſterii *Neresheimenſis Auguſtanæ* diœceſis ſic habetur: „Unusquisque fontes habeat, & ſi non poteſt lapideos, habeat aliud vas ad hoc præparatum, in quo nihil aliud fiat. S. EDMUNDUS

Digitized by Google

dus *Cantuarienſis* præſul infantes in ligneo vaſe tingi quidem permiſit, ſed confecto baptiſmate illa vaſa voluit igne comburi, & in cineres redigi, ut *Iac.* Basnagius refert obſervatione in vitam B. Ottonis *Sueviæ* Comitis, epiſcopi *Bambergenſis* & *Pomeranorum* apoſtoli, in qua pluribus deſcribuntur baptiſteria ab eo inſtructa, antequam etiam ſacræ ædes ab eo potuiſſent exſtrui, quave B. Otto cautione baptiſmum in illis adminiſtrari curarit, quæ hic inſerenda ducimus: „Interim vero tribus extructis baptiſteriis, ita ordinavit, ut ipſe ſolos mares pueros in uno baptizaret; alii autem ſacerdotes in aliis fœminas ſeorſum, & viros ſeorſum. Tanta quoque diligentia, tanta munditia & honeſtate Pater optimus Sacramenti operationem fieri edocuit, ut nihil indecorum, nihil pudendum, nihil unquam, quod alicui viro gentilium minus placere poſſet, ibi ageretur. Namque dolia grandia valde terræ altius immergi præcepit, ita ut ora doliorum uſque ad genu hominis vel minus de terra prominerent, quibus aqua impletur. Facilis erat in eam deſcenſus, cortinas circa dolia, fixis columnellis funibusque inductis, oppandi fecit, ut in modum coronæ velo undique cuppa cingeretur, ante ſacerdotem vero & comminiſtros, qui ex una parte aſtantes Sacramenti opus explere habebant, luteum ſine (*pluteum fune*) traiecto pependit: quatenus verecundiæ undique proviſum foret, ne quid ineptiæ aut turpitudinis notaretur in Sacramento, neve honeſtiores perſonæ pudoris occaſione ſe a baptiſmo ſubtraherent. Cum ergo ad ſtadium baptiſmi turbæ venirent, ſermone, qui talibus competeret, epiſcopus eos omnes communiter alloquens, ſexumque a ſexu dextrorſum & ſiniſtrorſum ſtatuens, catechizatos oleo perunxit; deinde ad baptiſteria degredi mandat. Igitur ad introitum cortinæ venientes ſinguli tantum cum paternis ſuis intrabant, ſtatimque veſtem, qua fuit amictus is, qui baptizandus erat, & cereum, illo inquam deſcendente, paterni ſuſcipiebant; & ante faciem ſuam illam tenentes exſpectabant, donec eam redderent de aqua exeunti. Sacerdos vero, qui ad cupam ſtabat, cum audiſſet potius, quam vidiſſet, quod aliquis eſſet in aqua, velo paululum remoto, trina immerſione capitis illius myſterium Sacramenti perfecit, unctumque liquore chriſmatis in vertice, & alba propoſita, reductoque velo de aqua iuſſit exire baptizatum; paternis, veſte quam tenebant, illum cooperientibus atque deducentibus . . . In hyeme quoque in ſtubis calefactis, & in aqua calida eodem nitore, atque verecundiæ obſervatione infoſſis doliis, & cortinis adhibitis, thure quoque & aliis e diverſis ſpeciebus cuncta reſpergentibus veneranda baptiſmi confecit Sacramenta.“ Hæc paucis poſtea c. 24. repetit, etiam de antecedanea balnei lotione, quæ ſolebat alicubi fer. V. in Cœna Domini fieri, ſicuti capitilavium in dominica Palmarum.

Apud Caniſ. T. III. P. II. pag. 60. Bolland. T. I. Iul. pag. 395.

Conſecratio aquæ baptiſmalis.

XVI. Benedicere aquam baptiſmatis S. BASILIUS inter traditiones apoſtolicas refert. Potuit iam S. Doctor ad auctorem Conſtitutionum apoſtolicarum, quisquis demum ſit, S. BASILIO antiquiorem reſpicere, apud quem conſecrationis huius formula legitur lib. VII. c. 43. hoc tit. περὶ τῦ μυςικῦ ὕδατος ἐυχαριςία. Obſcurius eam TERTULLIANUS videtur attingere in libro de baptiſ. c. 4. his verbis: „Igitur omnes aquæ de priſtina originis prærogativa ſacramentum ſanctificationis conſequuntur, invocato Deo. Supervenit enim ſtatim ſpiritus de cœlis, & aquis ſupereſt, ſanctificans eas de ſemetipſo, & ita ſanctificatæ vim ſanctificandi combibunt.“ Quæ ſiquidem de ipſa baptiſmi formula, ſeu ſanctiſſimæ Trinitatis invocatione interpretari malis; a) ipſam certe conſecrationem aquæ demonſtrat S. CYPRIANUS: *Oportert ergo* (inquit) *mundari & ſanctificari aquam prius a ſacerdote, ut poſſit baptiſmo ſuo peccata hominis, qui baptizatur, abluere.*

a *Epiſt. ad Ianuarium.*

Cap. 5.

S. AMBROSIUS præcipuas partes huius conſecrationis in libro *de his, qui initiantur*, recenſet. „Nam (inquit) ubi primum ingreditur ſacerdos, exorciſmum facit, ſecundo ſuper creationem aquæ invocationem, poſtea & precem defert, ut ſanctificetur fons, & adſit præſentia Trinitatis æternæ.“ Differunt tamen ſolemnes preces in variis liturgiis, *Gallicana*, *Ambroſiana*, *Mozarabica*, ac *Romana*. Atque ad calcem ſacramentarii *Leoniani* unica habetur oratio cum titulo: „Incipit benedictio fontis: *Precem tibi fundimus.*“ Mancum vero eſt ſacramentarium illud quoad totam illam priorem partem, qua officium paſchale continebatur, quaque in *Gelaſiano* & *Gregoriano* ſacramentar. habetur benedictio fontis in ſabbato Paſchæ, quæ eadem etiam in ſabbato Pentecoſtes repetebatur, ubi in *Leonino* ſacramentario miſſa notatur, *In Pentecoſten aſcendentibus a fonte*, quæ partim cum *Gelaſiano* partim cum *Gregoriano* ſacramentario PAMELII congruit, differt vero ab ea, quæ in noſtro antiquiſſimo ſacramentario habetur eodem titulo poſt rubricam, quæ in utroque ſabbato legitur: *Inde deſcendis cum litania ad fontes*, de quibus litaniis AMALARIUS, *Litaniæ* (inquit) *quæ fiunt circa baptiſterii conſecrationem, interceſſiones Sanctorum deſignant pro renaſcentibus.*

Voyage liturg. p. 404.

Singulare eſt, quod refert De-MOLEON de eccleſia S. LAUDI *Rothomagi*, antequam chriſma mitteretur in fontes, in his ſabbatis de aqua benedicta fideles domum aſportaſſe tum ad aſperſionem, cum etiam ad baptiſmum in neceſſitate conferendum. XVII.

a) Hunc tamen S. CYRILLI *Hieroſ.* haud abſimilem locum (*aqua ſimplex Spiritus ſancti, & Chriſti & Patris invocationem percipiens vim ſanctitatis acquirit*) ad ipſam fontis benedictionem pertinere multis probat D. *Ant.* TOUTTÉE editor ex Congreg. S. MAURI not. ad Catech. III. n. 3. p. 40.

Digitized by Google

XVII. Burchardus pariter ac Gratianus in ſuis decretis: hic P. III. can. 11. & ſeqq. ille prioribus octo capitulis lib. IV. tum pontificum, cum etiam conciliorum afferunt decreta, quibus ſolemnis baptiſmus ad duo illa tempora Paſchatis & Pentecoſtes affigitur, quæ etiam Walafridus colligit. „Tempora baptizandi legitima Paſcha & Pentecoſte præfiguntur ſecundum decreta Siricii, Leonis & Gelasii epiſcoporum, quamvis in concilio *Gerundenſi* Natalis Domini & Paſcha ponantur.“ Contra tamen ac in illo *Gerundenſi* etiam hodie concilio legatur, quem ideo Launoius a collectoribus conciliorum interpolatum exiſtimat canonem: quod nunc ad nos nihil attinet. Id intereſt vero vetera circa hanc rem afferre decreta ob Capitulare ordinis eccleſiaſtici, quod ex codice *ſan-Gall.* plus 900. annorum edimus, ubi baptiſmus etiam pro Epiphania notatur, ut paullo poſt exponemus. In Capitulari Gregorii II. pro Martiniano epiſcopo & Georgio presbytero &c. in *Bavariam* ablegatis cap. 5. legitur: „Sacroſancti autem baptiſmi ſacramentum nonniſi in Paſchali feſtivitate & Pentecoſte noverit eſſe præbendum, exceptis his, quibus mortis urgente periculo, ne in æternum pereant, talibus oportet remediis ſubvenire.“ Quod totidem verbis legere eſt in epiſtola Gregorii inter *Bonifacianas* 124. In conc. *Moguntino* an. 813. idem iuxta *Romanum* ordinem & decretum Leonis P. his verbis ſtatuitur: *In capitulo XI. duo tempora, id eſt Paſcha & Pentecoſte, ad baptizandum a Romano pontifice legitima præfixa ſunt.* In capitulis circa idem tempus* ſub Carolo M. editis generatim decernitur, *Ut a cunctis ſacerdotibus ius & tempus baptiſmatis temporibus congruis ſecundum canonicam inſtitutionem cautiſſime obſervetur.* In capitulari Ahytonis, epiſcopi tunc *Baſileenſis* declarantur legitima illa tempora: *Septimo, ut ſciant tempora legitima ad baptizandum in anno; id eſt ſabbato ſancto Paſchæ. . . . Aliud vero tempus baptiſmatis ſabbato ſancto Pentecoſtes celebrandum eſt.* In concilio *Moguntino* an. 847. ſub Rhabano circa eandem rem ad decretum Leonis P. provocatur. Atque in concilio *Wormatienſi* an. 868. can. I. qui etiam a Burchardo & Reginone refertur, idem ſtatuitur his verbis: „Sacroſancti autem baptiſmi ſacramentum non niſi in Paſchali feſtivitate & Pentecoſte unusquisque fidelium noverit eſſe præbendum, exceptis his, quibus mortis urgente periculo, ne in æternum pereant, talibus oportet remediis ſubvenire.“ Quæ cautio etiam in ſuperius relatis canonibus adiungitur ex ſimili decreto Siricii, ad quod pariter ac ad Leonis decretum in eadem re canone *Triburienſi* 12. an. 895. provocatur. In ſermone ſynodali, qui S. Udalrico tribuitur, & altero Ratherii *Veronenſ.* eadem præfiguntur

Baptiſmi tempora Paſcha & Pentecoſte.

De rebus eccleſ. c. 26.

De priſcis & ſolemn. bapt. temp. c. 9.

Cap. 4.

T. I. Conc. Germ. pag. 407.

pag. 421.

T. II. p. 18.

C. 3.

pag. 311.

pag. 394.

T. XI. Conc. ed. Ven. pag. 1077. T. III. Concil. Germ. pag. 7.

tur tempora. *Nullus præſumat baptizare, niſi in vigilia Paſcha & Pentecoſtes, niſi propter periculum mortis.* Ita etiam in concione ſua ad *Pomeranos* B. OTTO *Suevus* circa medium XII. ſæc. in Paſchate & Pentecoſte baptizandum eſſe vult; prope eodem tempore, quo in concilio *Londinenſi* OTTO legatus apoſtolicæ ſedis idem adhuc tempus ad ſolemnem baptiſmum præfigit iuxta canones.

T. III. Conc. Germ. p. 572. & 597. T. IV. pag. 272.

In concilio *Frizlarienſi* provinciali *Mogunt.* an. 1261. de baptiſmo doctrina neceſſaria explicatur ſine alicuius temporis determinatione. In conc. *Olmuzenſi* an. 1318. de infant. baptizandis ſic habetur c. 19. *Nullus baptizandus non baptizatus ultra unius menſis ſpacium reſervetur, & pueri non alibi, quam intra eccleſiam, niſi neceſſitatis articulus ſubvenerit, exceptis filiis principum, baptizentur.* Nihilominus tamen iam ineunte ſæculo XII. THEOPHYLACTUS ſcriptor *Græcus* aſſerit, deſiiſſe morem antiquiſſimum certis diebus baptiſmum adminiſtrandi. Quo nimirum paulatim res devenit ex ratione, quam ipſi pontifices & conciliorum patres ſuggerebant de mortis periculo, ut diſcere licet ex ſcholaſticis præſertim theologis illorum ac ſuccedentium temporum.

In eccleſia *Romana* hodieque veſtigium aliquod conſervatur antiqui ritus, ut quidam deſtinatis temporibus Paſchatis & Pentecoſtes baptizentur. Atque an. 1549. in conc. *Colonienſi* ſtatutum ſaltem eſt, ut paſtores & concionatores adhortentur populum, ut parvulos natos inſtante feſto Paſchæ ſervent baptizandos in vigilia Paſchæ, & natos feſto Pentecoſtes inſtante, ad feſtum Pentecoſtes uſque ſervent, ſi tamen nullum immineat vitæ periculum.

In Epiphania iuxta Capitulare ord. eccleſ. & aliis diebus.

XVIII. Sed nunc ad id ſe reflectat oratio, ob quod hæc operoſius digeſſi ex tot decretis pro ſolemni baptiſmo in ſolo Paſchate & Pentecoſte celebrando, cum tamen in antiquiſſimo Capitulari ordinis eccleſiaſt. etiam de ſolemni baptiſmo in Epiphania collato luculentiſſimum habeatur teſtimonium, primum ac unicum, ni fallor, in omnibus monumentis liturgicis, tam ſtudioſe, noſtra cumprimis ætate, in lucem prolatis: quare intereſt, ut totus ordo deſcribatur, prout ſequitur: „Expletis igitur nocturnis & matutinis, mox cum cereis & candelabris canendo *Te Deum laudamus* incipiunt letania, id eſt *Chriſte audi nos* & reliqua. Ipſa letania finita ſtatim epiſcopus benedicit fontes, poſt benedictionem chriſma, faciens crucem, in fontes ponet, & cum manu ſua per omnes fontes de ipſa chriſma ſpargit; hoc facto omnis populus accipit benedictionem unusquisque in vaſis ſuis de ipſa aqua. Deinde diſcalceati presbyteri aut diaconi ingrediuntur in fontes, & acceptis infantibus parentibus (a patrinis) baptizantur

tur

Digitized by Google

tur eos ter mergentes in aqua *In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti* tantum ſemel invocantes. Levatis ipſis infantibus offerunt eos in manibus ſuis presbytero. Ipſe vero presbyter facit de chriſma crucem in verticem eorum cum oratione & invocatione Sanctæ Trinitatis, nominis Chriſti. Deinde ſunt parati, qui eos ſuſcipere debeant, cum linteis, & traduntur eis a presbyteris vel diaconibus, qui eos baptizantur. “

Benedictionem aquæ quod ſpectat, hodieque apud nos in vigilia Epiphaniæ oppido prolixa habetur, & auguſta, quæ fere omnem officii divini rationem in ſe continet, multo amplior, quam exſtet in codice *San-Gallenſi* ſæc. XI. Quæ vero retulimus, conveniunt cum illis, quæ S. CHRYSOSTOMUS de hac aqua domum a fidelibus referri ſolita narrat. „Omnes enim (inquit) in hac ſolemnitate ſub noctem, cum omnes aquati fuerint, domum latices referunt, & recondunt, & per integrum annum conſervant, utpote quod hodierna die ſanctificatæ ſint aquæ: fitque miraculum evidens, dum nihil temporis longinquitate aquarum illarum natura vitiatur, ſed integro anno, atque adeo biennio & triennio ſæpe, quæ hodie fuit hauſta, incorrupta & recens permanet, ac poſt tantum temporis cum iis, quæ nuper fuerint fontibus eductæ, certat.“ THEODORUS lector, & poſt eum CEDRENUS *Petrum* FULLONEM, qui ſub finem ſæculi V. patriarchatum *Antiochenum* invaſit, inſtituiſſe dicunt, ut invocatio ſuper aquas die feſto Epiphaniæ fieret ſub veſperam, uti paſſim apud nos fit, teſtaturque GOAR hac ſola die fieri apud *Græcos*, & quidem cum magna ſolemnitate. Habetur in euchologio officium maioris aquæ benedictionis in ſanctis theophaniis. Refertque poſt GRAVESONIUM & Cardinalem GOTTI BENEDICTUS XIV. de Feſtis lib. I. c. 2. n. 48. conſuetudinem afferendi domum aquam benedictam adhuc retinere Chriſtianos Orientales, & incorruptæ aquæ miraculum nonnunquam ſolere contingere, *Ioſephum* quoque GEORGINUM *Sami* in *Ægæo* mari inſulæ archiepiſcopum an. 1676. dum eſſet in *Gallia*, aquam orientali ritu in eccleſia conſecraſſe, in eam IESU Chriſti ſtatuam ter immerſiſſe in eius baptiſmi memoriam, eamque aquam vitreo ſimpulo incluſam multos annos ab omni vitio fuiſſe expertem, ac fortaſſe duraturam fuiſſe diutius, niſi ſimpulum diffractum fuiſſet.

Hom. de Bapt. Chriſti. T. II.

Lib. II. chr. in Zenone.

Euch. pag. 453. 467.

T. XII. opp. p. 58.

Codinus CUROPILATA non ſolum ſolemnem aquæ benedictionem, & quidem obſervante GOARIO ſemel in pervigiliis veſpere, & ſecundo in miſſa, verum etiam baptiſmum generalem in tota Orientali eccleſia vigere teſtatur. Qua de re habetur inſigne S. GREGORII *Nazianzeni* teſtimonium. „Excuſas te (inquit) excuſationes in peccatis obtendis: Diem luminum exſpecto: Paſcha mihi charius eſt: ad Pentecoſten uſque præſtolabor: cum Chriſto mihi melius eſt illuminari.“ Et infra: „Non tantum

De offic. c. 8.

Orat. 40. in ſancta lumina.

tum

tum te dimittes, quantum Chriſtus, cui hodie baptizaris." Iterum: „Confeſſionem in Patrem & Filium, & Spiritum ſanctum hodierno die tibi committo, & cum illa baptizabo." Refert *Ioannes* MOSCHUS de *Somba* vico ad radices montis, in quo ſita eſt *Coenenſium* civitas: *In eo baptiſterium eſt, quod in ſanctis Epiphaniis ſudat, qui ſudor per tres horas continuis incrementis augetur, & poſt baptiſma peractum decreſcere incipit, & tribus aliis horis ſenſim deficit.* Hoc unacum teſtimonio PAULI diaconi lib. XVI. hiſtor. ad an. 520. & THEOPHANIS in chronico de rege *Herulorum* GETHE *Cpoli* in theophania baptizato adducit LAUNOIUS c. 13. de priſcis, & ſolemn. baptiſmi temporibus: quæve RUPERTUS abbas lib. XII. de victoria verbi Dei cap. 11. dicit de diutina ſanctæ *Romanæ* eccleſiæ contra conſuetudinem *Græcorum* decertatione, volentium debere die epiphaniæ ſolemne baptiſmi celebrari ſacramentum. Qui idem lib. III. de div. off. c. 24. de die epiphaniæ ſic habet: „de eo, quod Chriſtus eo die baptizatus ſit. Propter quod & *Græci* baptiſmi ſacramentum hac die numeroſius atque ſolemnius celebrare feruntur." *Ioannes* BELETHUS ſic loquitur: „ſolebant tamen *Græci* baptiſmum celebrare in Epiphania, quod tum dominus eſſet baptizatus, atque ita baptizabant tribus diebus." LAUNOIUS ſubdit: „Cum BELETHUS dicit, ſolebant *Græci*, dicere debuit, ſolent *Græci*, ut diſcimus ex DURANDO *Mimatenſi*, qui annis poſt illum quinquaginta teſtatur *Græcos* etiamnum in Epiphania baptizare."

Prat. ſpirit. c. 114.

Explic. div. offic. c. 110.

L. c. c. 18.

Siculis, qui *Græciæ* magnæ accenſentur, id LEO M. exprobrat: *Ita ut baptiſmi ſacramentum numeroſius in die Epiphaniæ, quam in paſchali tempore celebretis.* Idem poſtea rationem ex baptiſmo Chriſti afferri ſolitam ſufflaminat. „Si quis autem Epiphaniæ feſtivitatem, quæ ſuo in ordine debito honore veneranda eſt, ab hoc exiſtimat privilegium habere baptiſmatis, quia hoc quidam putant, quod in eadem die Dominus ad baptiſmum IOANNIS acceſſerit, ſciat illius baptiſmi aliam cauſam, aliam fuiſſe rationem, nec ad eandem pertinuiſſe virtutem, qua per Spiritum ſanctum renaſcuntur, de quibus dicitur: *Qui non ex ſanguinibus neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Dominus enim nullius indigens remiſſione peccati, nec quærens remedium renaſcendi, ſic voluit baptizari, quomodo voluit circumcidi." Et ante eum SIRICIUS ad HIMMERIUM *Tarraconenſem* temeritati imputat, ut paſſim ac libere natalitiis Chriſti, ſeu apparitionis, nec non & apoſtolorum, ſeu martyrum feſtivitatibus innumeræ plebes baptiſmi myſterium conſequantur.

Ep. 4.

Nihilo-

Digitized by Google

Nihilominus poſtea id adhuc ſolemne fuit etiam in *Africa*, ut ex VICTORE *Uticenſi* lib. II. de perſecutione Vandalica conſtat, qui etiam ſub S. EUGENIO inſigne miraculum ea occaſione factum narrat, cæco viſum recipiente. „Hic (inquit) viſitatur a Domino, prædiciturque ei nocte per viſum, ſurge, vade ad ſervum meum EUGENIUM, & dices ei, quia ego te ad illum direxi, & illa hora, qua benedicit fontem, ut baptizentur accedentes ad fidem, continget oculos tuos, & aperientur, & videbis lumen."

De *Hibernia* & *Anglia*, nec non *Germania*, ac de LUDOVICO duce *Bohemorum* XV. laudatus LAUNOIUS affert ſimilia teſtimonia. Quibus ego unum addam adhuc nobis vicinius ex ipſa CAROLI M. epiſtola ad GARIBALDUM *Leodienſem* epiſcopum, ubi ſic ſcribit imperator: „Et, ſicut in proximo comperimus in die apparitionis Domini, multi fuerunt apud nos inventi, qui volebant ſuſcipere infantes de ſacro fonte baptiſmatis, quos iuſſimus ſingulariter & diligenter examinare & exquirere, ſi orationem dominicam & ſymbolum, ut ſupra diximus, ſcirent, & memoriter tenerent; & plures, qui nulla exinde in memoriam habeant: quibus præcepimus abſtinere, ut antequam orationem & ſymbolum ſcirent, & recitare potuiſſent, neque aliquem de ſacro fonte baptiſmatis ſuſcipere præſumerent." Ratio hic tangitur, quam S. LEO in epiſt. ad epiſcopos *Campaniæ*, *Samnii* & *Piceni* luculentius multo proſequitur quoad ipſos baptizandos: „Ut circa renovandos nihil doctrinæ eccleſiaſticæ, nihil in exorciſmis impoſitio manuum, nihil ipſa ieiunia, quibus vetus homo deſtruitur, operentur, neque in tanto myſterio ſalutis humanæ ulla eius diei habeatur exceptio, quo ipſum donum eſt conditum renaſcentibus." Quæ eadem fere in vulgato apud HITTORPIUM ordine *Romano* contra conſuetudinem baptiſmi in Epiphania referuntur, quod tunc nulla commoda fuerint tempora, nec etiam uſpiam legantur de congruis catechumenorum præparationibus, unde adlaborantibus ſummis pontificibus mos ille mutatus eſt, quem apud nos ante nongentos annos adhuc viguiſſe palam eſt ex capitulari ord. eccleſ. relato.

T. I. Conc. Germ. pag. 358.

pag. 21.

Iam vero hoc obſoluiſſe ſæc. IX. ex *Rhabano* MAURO diſcimus. „Illud tamen (inquit) ſciendum, quod licet ea die baptiſmus Chriſti a *Ioanne* fieri credatur, univerſale tamen baptiſma celebrari in ea, canonica contradicit authoritas." Faciunt huc allati canones & decreta de ſolo Paſchate & Pentecoſte. Apertum vero eſt conc. *Rothomag.* an. 1072. decretum c. 24. „Item iuxta ſanctorum patrum decreta ſcilicet INNOCENTII papæ & LEONIS, ſtatuimus, ne generale baptiſma niſi ſabbato Paſchæ & Pentecoſtes fiat. Hoc quidem ſervato, quod parvulis, quocunque tempore, quocunque die petierint, regenerationis lavacrum non negetur.

De inſtitut. Cler. lib. II. c. 32.

T. XII. Conc. ed. Ven. p. 214.

Digitized by Google

getur. Vigilia vel die Epiphaniæ ut nullus, niſi infirmitatis neceſſitate, baptizetur, omnino interdicimus.“

In *Matiſconenſi* conc. II. c. 3. idem prohibetur in natalitiis martyrum, quod pariter caverunt laudati *Romani* pontifices, uti etiam de natali Domini, quo tamen CLODOVEUM baptiſmum ſuſcepiſſe luculentum eſt AVITI *Viennenſis* teſtimonium, a LAUNOIO & aliis relatum, cui ſagaces ſubſcribendum potius exiſtimant, quam FREDEGARIO, HINCMARO, FLODOARDO & aliis, qui remotiores ſunt tempore, ac Paſcha aſſignant. Luculentum etiam ex GREGORIO *Turonenſi* affert MABILLONIUS teſtimonium, ſolemne poſtea ſub ſtirpe *Merovingica* fuiſſe tempus baptiſmi in natali Domini. De baptiſmo in feſto S. IOANNIS baptiſtæ apud *Gallos* videri poſſunt *Ioan.* LAUN. de priſcis & ſolemn. baptiſmi temporibus c. 6. & MARTENIUS lib. I. de antiq. eccleſ. ritibus, qui alibi memorat, ſe in vetuſtiſſimo codice bibliothecæ regiæ poſt miſſæ tertiæ eius diei orationes reperiſſe orationes *ad fontes. Forte* (inquit) *quia olim in Galliis hac die celebrabatur baptiſmus.*

De lit. Gall. lib. II. p. 142.

De ant. eccleſ. diſc. c. 32.

Quovis tempore in neceſſitatis caſu.

XIX. Cum vero ſemper caſus neceſſitatis exceptus nullam moram tulerit, hinc, ut in aliis, ſic etiam in noſtris antiquiſſimis liturgiis peculiariter habetur ritus *ſuper catechumenum infirmum. Ad ſuccurrendum infirmum catechumenum. Benedictio aquæ ad ſuccurrendum*, ſeu ut in *Gregoriano* habetur, *ad baptizandum infirmum.* Quæ omnia ad articulum neceſſitatis pertinent, quo baptizabantur infirmi non ſervatis ſtatis temporibus. „Audientibus (inquit S. CYPRIANUS) etiam ſi qui fuerint periculo præventi, & in exitu conſtituti, vigilantia veſtra non deſit.“ Et S. AUGUSTINUS: „Fit hoc (ait) ubi quemquam forte dies urget extremus, ut ad verba pauciſſima, quibus tamen omnia continentur, credat, ſacramentumque percipiat, ut ſi ex hac vita migraverit, liberatus exeat a reatu præteritorum omnium peccatorum.“ Narrat *Niceph.* CALISTUS *Iudæum* quemdam a multis annis paralyticum, atque in lecto graviter *Cpoli* decumbentem, ab ATTICO ſic baptizatum a morbo ſubito liberatum fuiſſe.

Epiſt. 13.

De fide & operibus. c. 6.

Hiſtor. eccl. lib. XIV. c. 12.

Clinici equidem inde a ſæculo ſecundo male in eccleſia audierunt ob procraſtinationem baptiſmi & alias cauſas, quæ nunc ad nos non attinent. Vid. Exercit. hiſt. *de clinicis eccleſiæ veteris præſertim, à Io. Andrea* BOSIO *Ienæ* examinata, ſæpiusque recuſa. Apud BURCHARDUM inter plures antiquos, qui referuntur, canones lib. IV. cap. 30. & ſeqq. ſequens quoque legitur de gravida baptizanda: *Gravidam oportet baptizari quando voluerit. Nihil enim in hoc, quæ parit, naſcenti communicat, propterea,*

quod

Digitized by Google

quod uniuscuiusque propoſitum in confeſſione declaratur. Qui ſimiliter apud REGINONEM extat ex interpretatione DIONYSII *Exigui*, ut *Græco* congruit textui. Sic vero interpretatur MARTINUS *Bracarenſis*: *Nam nihil in hoc participat mater infanti, qui naſcitur, propterea, quod unicuique propria voluntas in confeſſione monſtretur.*

XX. Baptizandi munus epiſcopo ſoli competebat primitus, hinc ſolum in cathedralibus ſedibus ſeu baſilicis fuerunt baptiſteria, nec niſi eius auctoritate deinceps inſtitui potuerunt, ut ſupra notavimus ex concilii *Vernenſis* canone 7. ubi mox ſubditur canon 8. „Ut omnes presbyteri, qui in parochia ſunt, ſub poteſtate epiſcopi eſſe debeant, & de eorum ordine nullus presbyter præſumat in illa parochia baptizare, nec miſſas celebrare ſine iuſſione epiſcopi, in cuius parochia eſt.“ Ad quem canonem, auctoritate apoſtolica factum, provocat LULLUS S. BONIFACII ſucceſſor in epiſtola ad pontificem maximum. Miniſter baptiſmi.

Nota vero ritum iuxta ordinem *Romanum*: „Pontifex baptizat unum, aut duos vel quantos ei placuerit, de ipſis infantibus, cui ipſe iuſſerit, baptizantur.“ Cum, ut obſervavimus, plures tituli ac baptiſteria ſemper *Romæ* fuerint, in cerimoniali BENEDICTI, canonici *S. Petri* legitur modus ablegandi illuc miniſtros ad baptizandum ſtatis temporibus a pontifice his verbis: „*Ite baptizate omnes gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti.* Qua miſſione accepta Cardinales equis incedentes ad ſuos titulos revertebantur ſui quisque tituli parvulos baptizaturi.“ Baptizabant etiam diaconi coram pontifice adiuvantibus ſubdiaconis & acolythis. At id inauditum ac perverſiſſimum, quod alicubi a Proteſtantibus fit, ut uno miniſtro aquam affundente, alius e ſuggeſtu formulam pronuntiet. Quem abuſum miniſtri urbis *San-Gallenſis* perſuadente Cardinali SFONDRATI ſuſtulerunt. *pag.* 83.

Demum nota reſponſionem GREGORII III. ad S. BONIFACIUM: „Eosdem, quos a paganis baptizatos eſſe aſſeruiſti, ſi ita habetur, ut denuo baptizet in nomine Sanctæ Trinitatis, mandamus.“ Altera eſt reſponſio GREGORII II. ad S. BONIFACIUM: „De parvulis vero, qui a parentibus ſubtracti ſunt, & an baptizati ſint, an non, ignorant, quia interrogaſti; hos ut baptizare debeas ſecundum Patrum traditionem, ſi non fuerit, qui teſtificetur, ratio poſcit.“ In ſacramentario *Gelaſiano* ſingularis eſt titulus ad catechumenum ex pagano faciendum poſt officium Sabb. Pentecoſtes ante ritum *ad ſuccurrendum infirmum catechumenum.* *T. I. Conc. Germ.* *Ibid. p.* 34.

XXI. Non tulit tamen ZACHARIAS P. iterum baptizari a S. BONIFACIO, dum in pronuntiatione verborum Chriſti vitio ac ignoratione linguæ latinæ Formula baptiſmi.

Digitized by Google

T. I. Conc. Germ. p. 59. tantum aliquid fuit aberratum: „Retulerunt quippe, quod fuerit in eadem provincia ſacerdos, qui latinam linguam penitus ignorabat, & dum baptizaret neſciens latini eloquii infringens linguam diceret: *Baptizo te in nomine Patria, & Filia, & Spiritua ſancta*, ac per hoc tua reverenda fraternitas conſideravit rebaptizare. Sed ſanctiſſime frater, ſi ille, qui baptizavit, non errorem introducens, aut hæreſim, ſed pro ſola ignorantia *Romanæ* locutionis infringendo linguam, ut ſupra fati ſumus, baptizans dixiſſet, non poſſumus conſentire, ut denuo baptizaretur."

pag. 74. In ſtatutis, quæ S. Bonifacio tribuuntur, primo occurrit mentio de baptiſmo ſub conditione: „Si de aliquibus dubium eſt, utrum ſint baptizati, absque ullo ſcrupulo baptizentur, his tamen verbis præmiſſis: *Non te rebaptizo: ſed ſi nondum es baptizatus, Baptizo te in nomine Patris & Filii, & Spiritus ſancti.*" In ſtatutis ſynodalibus Ioannis, epiſcopi *Leodienſis* an. 1287. ſic exprimitur: Petre, *ſi tu es baptizatus, ego te non baptizo; ſed ſi tu non es baptizatus, ego te &c.* *T. XIV. Conc. ed. Ven. p. 1115.*

Ad eundem S. Bonifacium perſcribit Zacharias neceſſitatem exprimendi Trinitatem: „Ut quicunque ſine invocatione Trinitatis merſus fuerit, Sacramentum regenerationis non haberet." Obſerva in miſſali *Gothico* hanc formam: *Baptizo te ill. in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti in remiſſionem peccatorum, ut habeas vitam æternam amen.* Et in ſacramentario *Gallicano*: „Baptizas eum & dicis *in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti unam habentem ſubſtantiam, ut habeas vitam æternam, partem cum Sanctis.*" *Lit. Gall. p. 247.* *Muſ. Ital. T. I. p. 324.*

Per immerſionem vel aſſuſionem. XXII. In antiquiſſimo noſtro ſacramentario luxatus eſt verborum ordo, qui habetur ita in *Gelaſiano*: „Benedicto fonte baptiſas unumquemque in ordine ſuo, ſub his interrogationibus: „*Credis in Deum Patrem omnipotentem?* Reſp. *Credo. Credis & in IESUM Chriſtum Filium eius unicum Dominum noſtrum natum & paſſum?* Reſp. *Credo. Credis & in Spiritum Sanctum; ſanctam eccleſiam; remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem?* Reſp. *Credo.* Deinde per ſingulas vices mergis eum tertio in aqua." Interrogationes hæ in noſtro notantur ante benedictionem fontis, cum expreſſa hac rubrica: „Et antequam perfundas eum aqua, interrogas eum verba ſymboli. Ipſa baptiſmi formula cum verbis Chriſti, etſi non notentur, ſolebat eſſe iſta: „*Ill. ego te baptizo in nomine Patris.* Mergat ſemel, *Et Filii*, & mergat iterum. *Et Spiritus ſancti.* Et mergat tertio." In laudato mox Capitul. ord. eccleſ. ſic præſcribitur, ut alibi paſſim: „Baptizant eos ter mergentes in aqua *In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti*, tantum ſemel invocantes." Alcuinus hic notat duplicem *Epiſt. 6.*

errorem

Digitized by Google

errorem, alterum ſub invocatione ſanctæ Trinitatis unam aſſerentibus merſionem fieri debere, alterum eorum, qui trinam contendebant facere merſionem, & in unaquaque facere invocationem ſanctæ Trinitatis. Vindicat alibi trinam merſionem contra unicam *Hiſpanorum*, quæ tamen illuc pia ratione contra *Arianum* errorem inducta fuerat, quam etiam probavit GREGORIUS M. & ex eo Patres *Wormat.* conc. an. 868. Communem vero eccleſiæ conſuetudinem breviter explicat de Inſtit. Cler. lib. I. c. 28. *Rhabanus* MAURUS: „Oportet ergo (inquit) cum invocatione ſanctæ Trinitatis ſub trina merſione baptiſmum confici, ut ſecundum perſonarum differentiam myſterium baptiſmi celebretur, & ſecundum unitatem ſubſtantiæ unum baptiſma fiat."

Walafridus STRABO tamen ex actis S. LAURENTII etiam baptiſmum per ſuperfuſionem probat. „Notandum autem (inquit) non ſolum mergendo, verum etiam deſuper fundendo multos baptizatos fuiſſe, & adhuc poſſe ita baptizari, ſi neceſſitas ſit, ſicut in paſſione B. LAURENTII quemdam urceo allato legimus baptizatum. Hoc etiam ſolet evenire, cum provectiorum granditas corporum in minoribus vaſis hominem tingi non patitur." Illuſtrant hæc, quæ leguntur, viſunturque apud *Io.* CIAMPINI Vet. monum. P. II. c. 4. & referuntur a MABILLONIO de imagine, baptiſmum *Romani* militis a S. LAURENTIO collatum exprimente, *Romæ* a ſe viſa in *itinere Italico.* MARTENIUS quoque in *itinere litter.* mentionem facit de ſimili imagine *Divione* apud S. BENIGNUM, baptiſmum S. SYMPHORIANI a S. BENIGNO collatum repræſentante per ſuperfuſionem, ut tamen baptizandus nudus in vaſe conſiſtat: quod ſuperfuſioni & immerſioni commodum eſt. Quam rem illuſtrat cap. ex ſtatutis ſynod. IOAN. ep. *Leodienſis* an. 1287. „Ille, qui baptizat, quando immergit in aqua baptizandum, dicat hæc verba, nihil addendo, ſubtrahendo, vel mutando, puerum nominando PETRE, vel IOANNES: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii, & Spiritus ſancti.* Et ut caveatur periculum baptizandi, non mergatur caput pueri in aqua, ſed ſacerdos ſuper verticem pueri ter infundat aquam cum pelvi, vel alio mundo vaſe & honeſto, tenens nihilominus puerum una manu diſcrete."

De rebus eccleſ. c. 26.

pag. 143.

In Mſc. rituali *Argentoratenſi* ſæc. XIV. vel XV. adhuc reperi: *Et immergatur infans in modum crucis in fontem ſacrum.* Per immerſionem hodieque baptizatur *Græco* & *Ambroſiano* ritu. De ſuperfuſione ſeu aſperſione antiquis temporibus uſitata vid. MABILLONIUM P. II. in ſæc. IV. ord. S. BENED. Eodem pertinet vox aſperſionis per ſe vero latius patens. Pro eius uſu inde ab apoſtolis ceu pro aris & focis decertavit *Io.* LIGHTFOOT, ut videre eſt in eius vita tomo primo operum præmiſſa; alii vero in caſu

Digitized by Google

ſu neceſſitatis id ſaltem exiſtimant contingere potuiſſe in multitudine baptizandorum, qualis act. II. 41. legitur a *Car. Andr.* Belio notata in *hiſtoria pædobaptiſmi quatuor priorum ſæculorum.* Eoque referri poteſt Tertulliani locus de pœnitentia c. 6. *Quis enim tibi tam infidæ pœnitentiæ viro adſperginem unam cuiuslibet aquæ commodabit?* Omnis autem generis ſchemata in antiquis monumentis exhibet laudatus Ciampinius, explicatque utrumque ritum per affuſionem ſeu aſperſionem ac immerſionem tum P. II. c. XXV. p. 235. Tab. LXX. cum potiſſimum iam citata P. II. c. 4. & Tab IV. cum proxime ſequentibus, quibus vaſa fontesque baptiſmales exhibentur.

Unctio. XXIII. Unctio ritu *Græco* per totum corpus qualis fuerit, non aſſignatur in antiquiſſimo noſtro ſacramentario, niſi per formulam *Ego te linco de oleo ſalutis &c.* poſt abrenunciationem: de qua Leidardus de ſacramento baptiſmi ad Carolum M. *Unguntur etiamnum catechumeni in pectore & inter ſcapulas oleo exorcizato, cum abrenunciant ſatanæ & operibus ac pompis eius.* Et Amalarius quoad hoc ſacramentarium citat, ut præſcribitur in *Gelaſ.* & *Gregoriano* ſacramentario. *Poſtea tangit de oleo ſancto ſcapulas & pectus.* Inter capitula ſub Carolo M. ſingulare eſt 20. *Ut presbyter non ſine chriſmate & oleo ſacrato ad baptizandum alicubi proficiſcatur, neque ſine ſacrificio, ut ubicunque contigerit, ſuum miniſterium circa infirmos implere poſſit.* Quod de extrema unctione intelligi non poteſt, cum ad hanc peculiare ſit ſacratum oleum: ac mox anteceſſerit de ea capitulum, adeoque hoc pertinet *ad ſuccurrendum catechumenum*, nimirum infirmum. Itaque omnia perficiebantur, uti in ſolemni baptiſmo in tali articulo neceſſitatis: utraque ſc. unctio una ante baptiſmum, ut diximus, cum oleo benedicto, & poſt baptiſmum altera cum chriſmate in vertice, ut mos eſt, quando a presbytero confertur baptiſmus. Eſt hic vexatiſſimus canon *Arauſicanus*: „Nullum miniſtrorum, qui baptizandi recepit officium, ſine chriſmate usquam debere progredi, quia inter nos placuit ſemel chriſmari. De eo autem, qui in baptiſmate, quacumque neceſſitate faciente, non chriſmatus fuerit, in confirmatione ſacerdos commonebitur. Nam inter quaslibet chriſmatis ipſius non niſi una benedictio eſt; non ut præiudicans quidquam, ſed ut non neceſſaria habeatur repetita chriſmatio.“ Ita in editione Conciliorum *Galliæ* Sirmondus lectionem reſtituit, cum in Merlini, Crabbei & Binii editione, demta negationis particula, legeretur: *ut neceſſaria habeatur repetita chriſmatio.* Quam lectionem *Petrus* Aurelius acerrime contra Sirmondum tuitus eſt, ſuam vero Sirmondus duobus

De eccleſ. off. lib. I. c. 23.

T. I. Conc. Germ. p. 423.

Digitized by Google

bus antirrheticis eruditis vindicavit, quæ illuſtratur his AMALARII verbis de unctione chriſmatis a presbytero fieri ſolita in vertice cum hac formula: „*Ipſe te liniat chriſmate ſalutis &c. Epiſcopus vero* (inquit) *tranſilit verba.* Ipſe te linit chriſmate ſalutis, quaſi ditior non ſolum ut ſalvare poſſit, ſed etiam ditare, & dicit: *Emitte in eum ſeptiformem ſpiritum &c.*“ Retulerat iam antea de presbytero, *& poſtea iterum tangit*, quod SYLVESTRO tribuitur in geſtis pontific. *Qui* (inquit) *ob remedium difficultatis epiſcopum conſequendi ante exitum animæ iuſſit, ut lineretur neophytus a presbytero chriſmate ſalutis &c.*

XXIV. At iuxta *Romanum* ritum etiam poſt unctionem presbyteri in vertice, altera epiſcopi in fronte continenter præſcribitur: „Poſtea cum aſcenderit a fonte, ſignatur a presbytero in cerebro de chriſmate his verbis: *Deus omnipotens &c.* Deinde ab epiſcopo datur ei Spiritus ſeptiformis. Ad conſignandum imponit eis manum in his verbis, *Omnipotens ſempiterne Deus &c.* Poſtea ſignat eos in fronte de chriſmate dicens, *ſignum Chriſti in vitam æternam amen.*“ Quæ formula eſt ſacramentarii *Gelaſiani*, oratio autem impoſitionis manus eadem fere ad verbum in pontificali *Romano* reperitur. Conveniunt porro in hoc quoad rem ipſam omnes ordines a MABILLONIO, & a nobis editi.

Confirmatio.

p. 76. & 96.

Prodiit *Helmſtadii* an. 1733. auctore *Io. Andr.* KILIANI *Diſſertatio theologica, in qua oſtenditur, Pontificios in ritu Confirmationis a praxi eccleſiæ apoſtolicæ plane aberraſſe.* Uti quidem titulus habet, argumentumque eſt diſſertationis de diverſitate ritus eccleſiæ Orientalis & Occidentalis, theologiæ item Patriſticæ & ſcholaſticæ a medio ævo: cum tamen omnis ætas, omnisque conditio eccleſiaſticorum doctorum quoad ſubſtantiam, effectum nimirum ſacrum ritu ſacro præſtandum, conſenſerit, quod ſingulari opuſculo oſtendi *de eo, quod eſt iuris divini & eccleſiaſtici circa ſacramenta, confirmationis præſertim.* Facit ad intentum etiam præter intentionem programma *de ſignaculo doni Spiritus ſancti* in feſto Pentecoſtes anni 1749. in eadem academia *Iulia Helmſtadii* editum: in quo auctori animus non fuit ea perſequi, quæ dogmatice hac de re diſputantur, ſummatim tantum hiſtoriam proponere voluit, ea nimirum teſtimonia, quæ exemplo Apoſtolorum deinceps in eccleſia *ſignaculum doni Spiritus ſancti*, ut in ſynodo *Conſtantinop.* I. c. 7. nominatur, ſigno nimirum viſibili effectum inviſibilem ſeu ſacrum, id eſt, ſacramentum exhibitum demonſtrant: „quod nunc quoque (ut verbis S. CYPRIANI utar) apud nos geritur, ut qui in eccleſia baptizantur, præpoſitis eccleſiæ offerantur, & per noſtram orationem ac manus impoſitionem Spiritum ſanctum conſequantur,

Epiſt. 73.

Digitized by Google

quantur, & ſignaculo dominico conſummentur.“ Ubi utrumque habes: & clarius adhuc apud TERTULLIANUM de baptiſmo c. 7. & 8. impoſitionem manus & ſignaculum per unctionem, de qua alibi S. CYPRIANUS *ungi quoque* (ait) *neceſſe eſt eum, qui baptizatus ſit, ut accepto chriſmate, id eſt unctione, eſſe unctus Dei, & habere in ſe gratiam Chriſti poſſit.*

Epiſt. 70.

Diſtinctum vero ſacramentum a baptiſmo aperte ad S. STEPHANUM *Rom.* Pont. ſcribens declarat: „Tunc demum plene ſanctificari, & eſſe Filii Dei poſſunt, ſi ſacramento utroque naſcantur, cum ſcriptum ſit: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei.*“ Nempe alterum a baptiſmo ſacramentum illud ipſum eſt, quod exemplo apoſtolorum epiſcopi ſemper in eccleſia dabant poſt baptiſmum ad accipiendum Spiritum: ſeu ut CORNELIUS P. ad S. CYPRIANUM ſcribit de NOVATIANO, qui in lecto ſine hoc ſacramento fuerat baptizatus: *Hoc autem ſignaculo minime percepto, quo tandem modo Spiritum ſanctum potuit percipere?*

Epiſt. 72. — *Apud Euſeb. lib. VI. hiſt. eccl. c.* 4.

Quæ teſtimonia in dicto programmate, aliaque paſſim a theologis allata de ſacramento Confirmationis in eccleſia catholica, toto cœlo abeunt a Confirmatione *Proteſtantium* per Catecheſin, de qua plura videlis in ſingulari opere inſcripto: *Chriſtliche Confirmation derer Catechumenen von der Apoſtel Zeit an bisher aus der heiligen Schrifft und Antiquität der Kirchen beleuchtiget von M. Trogillo* ARNKIEL, *Schleſswig an.* 1693. *ed.* Quæ autem omnia exploduntur articulatim per hactenus dicta de catechumenatu baptiſmum præeunte, & Spiritu ſancto exemplo Apoſtolorum per epiſcopos poſt baptiſmum conſtanter in eccleſia catholica dari ſolito, uti etiam in *Alemannia* noſtra auctores & monum. liturg. produnt. „Noviſſime (inquit *Rhabanus* MAURUS) a ſummo ſacerdote per impoſitionem manus Paracletus traditur baptizato, ut roboretur per Spiritum ſanctum ad prædicandum aliis idem donum, quod ipſe in baptiſmate conſecutus eſt, per gratiam vitæ donatus æternæ. Signatur enim baptizatus cum chriſmate per ſacerdotem in capitis ſummitate: per pontificem vero in fronte, ut in priore unctione ſignificetur Spiritus ſancti ſuper ipſum deſcenſio ad inhabitationem Deo conſecrandam: in ſecunda quoque, ut eiusdem Spiritus ſancti ſeptiformis gratia cum omni plenitudine ſanctitatis & ſcientiæ & virtutis venire in homine declaretur.“

De inſtit. Cler. lib. I. c. 30.

Hæc igitur conſignatio ſacramento Confirmationis ad conferendum Spiritum ſanctum epiſcopis cum impoſitione manuum ſemper propria ac ſingularis fuit, unde in conc. *Wormatienſi* an. 868. de presbyteris ſtatuitur: *Similiter non licet eis eccleſias conſecrare, nec per impoſitionem manus*

manus

Digitized by Google

manus paracletum Spiritum tradere, nec chriſma conficere, nec chriſmate baptizatorum frontem ſignare. Totum breviſſimis verbis complexus eſt Gregorius III. in epiſt. ad S. Bonifacium de baptizatis iam in nomine Trinitatis. „Oportet eos per manus impoſitionem, & ſacri chriſmatis unctionem confirmari.“ Idem in vita S. Pirminii exprimitur his verbis, dum plebis concurrentis deſiderium explicatur, „quæ non ſolum exhortationis eius virtutem deſiderabat, verum etiam ſalutiferæ impoſitionis confirmatione ungi flagitabat.“ Ubi etiam refertur divinitus chriſmate repletarum ampullarum miraculum, „cum ſanctæ Confirmationis opus ob nimiam multitudinem prolixius exerceret.“ Inter decreta, quæ in *Germanico* concilio facta S. Bonifacius ad Cudbertum perſcripſit, eſt, „ut ſingulis annis unusquiſque epiſcopus parochiam ſuam circumeat populum confirmare, & plebem docere & inveſtigare, & prohibere paganas obſervationes, vel omnes ſpurcitias gentilium.“

T. I. Conc. Germ. p. 41. — *Acta O.S.B. ſæc. III. P. II. p. 147.* — *Epiſt. 105.*

Fuit S. Bonifacio acriter pugnandum contra Sampsonem quemdam *Scotum* „dicentem & affirmantem ſine myſtica invocatione, aut lavacro regenerationis poſſe fieri catholicum Chriſtianum per epiſcopalis manus impoſitionem“, ut refert Zacharias P. in epiſtola ad eundem, ſubditque: „Hoc autem, qui dicit, vacuus eſt a Spiritu ſancto, & alienus a gratia Chriſti, atque a conſortio ſacerdotali abiiciendus. Quis enim, niſi baptizetur iuxta præceptum Domini: *in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti*, etſi per manus impoſitionem conſecretur, poteſt eſſe catholicus?“ Econtra de Chriſtianis hoc Sacramentum poſthabentibus timet Amalarius: „De illis, qui per negligentiam amittunt epiſcopi præſentiam, & non ſuſcipiunt manus impoſitionem, penſandum eſt, ne forte in iuſtitia illa damnentur, in qua negligenter exercent iuſtitiam, quia debuerunt feſtinare ad manus impoſitionem.“ *Epiſt. 140.*

XXV. Neophytorum communio ſæpe graviſſimis verbis præcipitur in veteribus libris liturgicis, uti habes in edito libello ex antiquiſſimo codice per *Gualterum* Ruys a *Gravia*: „Tunc veſtiatur infans; & ſi epiſcopus adeſt, ſtatim confirmari oportet, poſtea communicari. Omnino etiam præcavendum eſt, ut Confirmatio non negligatur, quia tunc legitimum baptiſma Chriſtianitatis nomine confirmatur. Epiſcopus autem, ſi præſens non fuerit, antequam lactetur, aut aliquid accipiat, communicet eum ſacerdos ita dicens: *Corpus & Sanguis Domini noſtri IESU Chriſti cuſtodiat te in vitam æternam.*“ Quæ iisdem verbis paſſim in codicibus antiquis *Alemannicis* reperi. Aliquando etiam ante communionem præſcriptum inveni, ut nomen baptizati communioni præmittatur: *Ille vel illa, Corpus &*

Communio Neophytorum.

Sanguis &c. uti in *Rhen.* ordine ſæculi X. Hinc illa cautio de infantibus: „Illud autem de parvulis providendum eſt, ne poſtquam baptizati fuerint, ullum cibum accipiant, neque lactentur ſine ſumma neceſſitate, antequam communicent Sacramento Corporis Chriſti.“ ut habet antiquus codex apud MORINUM.

De Ordin. P. II. p. 313. Confirmandi hic etiam nomine utitur *Rhabanus* MAURUS: „Deinde Corpore & Sanguine dominico omne præcedens Sacramentum in eo confirmatur.“ Aliter nonnihil LEIDARDUS in libro de Sacramento baptiſmi ad CAROLUM M. „Oportet renovatos per baptiſmum menſæ dominicæ applicari, ut ſumentes panem, qui cor hominis confirmat, & vinum, quod lætificat, dicere poſſint cum pſalmiſta: *Super aquam refectionis educavit me &c.*“ *Analecta Mabill. pag. 83.*

Fit hoc etiamnum apud *Græcos*, ut perhibet DE MOLEON. Factumque olim apud nos fuit per integros dies, quamdiu in albis erant, uti conſtat ex antiquiſſimo Capitulari ord eccleſ. „Baptizati autem infantes, ſi ad præſens poſſunt habere epiſcopum, confirmari cum chriſmate debent. Quodſi ipſa die minime epiſcopum invenire potuerint, in quantum celerius poſſunt, hoc ſine dilatione faciant, & in ipſis diebus octo Paſchæ, quamdiu in albis, cottidie debent offerre oblationes ipſi infantes, & miſſas tenere & communicare.“ Sic apud *Ioſ.* CARI ſeu. Ven. THOMASIUM in antiquis libris miſſal. *Rom.* eccl. „Illud autem de parvulis providendum eſt, ut poſtquam baptizati fuerint, nullum cibum accipiant; nec ablactentur, antequam communicent ſacramenta Corporis Chriſti: & omnibus diebus ſeptimanæ Paſchæ ad miſſas procedant: & offerant pro ipſis, & communicent omnes.“ Eadem in ordine *Romano* habentur. Ex quibus intelligis, quæ in ſacramentario obſcurius leguntur: „Poſtea ſi fuerit oblata, agendæ ſunt miſſæ, & communicat: ſin autem, dabis ei tantum ſacramenta Corporis & Sanguinis Chriſti dicens: *Corpus Domini noſtri IESU Chriſti ſit tibi in vitam æternam. Amen.*“ In citato paullo ante ord. *Rhenaug.* ſæc. X. *Si in Paſcha baptizentur, omnibus VII. diebus ad eccleſiam veniant, & cottidie communicentur Corpori & Sanguini Domini.* Trium autem ſacramentorum Baptiſmi, Confirmationis, & Euchariſtiæ adminiſtratio olim erat coniuncta, quod ex libris liturgicis medii etiam ævi conſtat. Indeque factum eſt, ut communio infantum diutius cum baptiſmo retineretur, & antiquioribus temporibus, præſertim in *Africa*, modernis autem adhucdum in eccleſia Orientali, frequentaretur, ipſis SS. Patribus, & Theologis nonnunquam verba Chriſti *Io.* VI. ad conſuetudinem hanc comprobandam adlegantibus, ne quid de *Ioanne* Huss, & *Wolfgango* MUSCULO *Calviniſta* dicam: quæ omnia pluribus exponit *Io. Frid.*

Voyage liturg. p. 460.

P. I. p. 98.

Digitized by Google

Frid. Maveri *commentarius hiſtorico-theologicus de Euchariſtia infantibus olim data.* Eodem pertinet *Corn. Diet.* Kochii *reſponſum Theologicum de ſacra Cœna infantum in Io.* Henichii *Compendium Theologiæ nominatim in locum de ſacramentis N. T.* Communionem infantum adhucdum in eccleſia Orientali obtinere ſupra p. 228. n. 15. notavimus.

Lac & mel infantibus datum. Lib. IV. Decreti c. 18.

XXVI. Apud Burchardum legitur ſequens canon *Africanus*: „Primitiæ vero ſeu mel & lac, quod uno die ſolemniſſimo in infantum ſolet myſterio offerri, quamvis in altari offerantur, ſuam tamen habeant benedictionem, ut a ſacramento dominici Corporis & Sanguinis diſtinguantur.“ Inter minuta catechumenorum ſacramenta illud lactis & mellis ab antiquiſſimis temporibus dari ſolitum fuiſſe, ex Tertulliano palam fit in lib. de Corona militis c. 3. *Inde ſuſcepti* (inquit) *lactis & mellis concordiam prægustamus.* Et lib. I. adverſus Marcionem c. 14. eo etiam ad hominem utitur argumento: *ille quidem usque nunc nec reprobavit. . . Mellis & lactis ſocietatem, qua ſuos infantat.* Nec obſcure rem S. Clemens *Alexandr.* lib. I. Pædagogi c. 6. attingit, explicatque ſimul myſterium: „Lacte ergo, dominico ſcilicet nutrimento alimur: ſimul ac autem regenerati fuimus, honore affecti ſumus, ſtatim quidem poſtquam editi ſumus, dum ſpes quietis annunciatur, ſuperna *Hierusalem*, in qua & mel & lac pluere ſcriptum eſt, dum per materiale ſanctum nobis alimentum deſpondetur.“ In concilio *Carthaginenſi*, quod *Græce* extat, eadem etiam *ad myſterium infantium* adhibita recenſentur his verbis: *Primitiæ autem ſive mel, ſive lac offerantur uno die conſueto ad infantium myſterium. Etſi enim maxime ad altare offerantur, propriam tamen habent ſuam benedictionem, ut a dominici Corporis ſacramento ſeiungantur.*

Immiſceri lac & mel conſueviſſe in calicem ſacratiſſimi Sanguinis in eccleſia *Romana* medio ævo, ex Ioannis diaconi diſcimus epiſtola, quam Mabillonius T. I. Muſæi *Italici* edidit, ubi ita reſpondet ad quæſtionem Senarii, ad quem ſcripſit hanc epiſtolam de variis ritibus baptiſmi: „Cur in ſacratiſſimum calicem lac mittatur, & mel, & Paſchæ ſabbatho cum ſacrificiis offeratur? ℟. Baptizatis hoc ſacrificii genus offerri, ut intelligant, quia non alii, ſed ipſi, qui participes ſunt Corporis & Sanguinis Domini, terram repromiſſionis accipient; cuius iter inchoantes tanquam parvuli lacte nutriuntur & melle.“ Porro notantur in monumentis vetuſtis calices baptiſmales.

Panis benedictus. Lib. IV. Decr. c. 17.

XXVII. Notandus hic præterea alius concilii *Carthaginenſis* III. canon 5. quem refert Burchardus noſter: „Item placuit, ut per ſolemniſſimos Paſchales dies, ſacramentum catechumenis non detur niſi ſolitum ſal: quia ſi fideles per illos dies ſacramenta non mutant, nec catechumenis opor-

tet mutare.“ Quem canonem illuſtrans ALBASPINÆUS obſervat. 35. lib. II. (qua probat panem benedictum nunquam datum fuiſſe catechumenis) iungit S. AUGUSTINI lo[illegible]m lib. II. c.26. de peccatorum meritis & remiſſione ſequentem: *Et quod accipiunt, quamvis non ſit Corpus Chriſti, ſanctum eſt tamen, & ſanctius quam cibi, quibus alimur, quoniam ſacramentum eſt.* Neque vero hinc benedicti panis ſeu eulogiarum uſum catechumenis fuiſſe, comprobari exiſtimat, etſi obſervatione ſequenti ac ultima probandum ſibi ſumat, minuta catechumenorum ſacramenta ex fidelium oblationibus fuiſſe deſumta, diſtincta ſcilicet a ſacramento ſalis, lactis item ac mellis: atque adeo ex oblationibus populi panis quidem, non vero ille, qui pro ipſo ſacrificio erat deſtinatus, offerebatur. Hæc iterum idem pluribus tractat ALBASPINÆUS libro *Gall. de l' Euchariſtie* c. 6. & ſequentibus, quibus aliquid addere ſupervacaneum ducimus, cum vix *Africam* exceſſiſſe videatur hic ritus.

Cerei ſeu lampades neophytis datæ in manus. *T. I. liturg. p.* 97.

XXVIII. Lumina neophytis antiquiſſimis temporibus in manus eſſe data, ſeu ardentes cereos vel lampades, diſcimus ex S. CYRILLO *Hieroſol.* & S. GREGORIO *Nazianzeno.* Ex ritu antiquo baptiſmi apud MURATORIUM conſtat, factum id eſſe ſolemni formula: *Accipe lampadem &c.* uti etiam habetur in antiquiſſima liturgia, de qua *Gualterus* RUYS *a Gravia* in opuſculo, quod inſcripſit: *Ritus & obſervationes antiquiſſimæ olim circa baptizatos obſervatæ.* De immiſſione cereorum in aquam peculiariter agit AMALARIUS: „Solemus (inter alia ait) differre officium illuminandorum cereorum uſque ad miſſæ officium, ſive propter cauſam, ut prius accipiant neophyti impoſitionem manus epiſcopi, & ſic eos credamus illuminari in Spiritu ſancto: ſeu propter noctem, in qua celebramus miſſam .... dictum eſt, ut æſtimo, quare cerei deponantur in aquam ad invocationem Spiritus ſancti, quoniam ipſi Spiritus ſancti perſonam aliquo modo demonſtrant.“ Hos cereos neophytorum ante expreſſe nominarat.

Lib. I. de offic. eccl. c. 26.

Veſtes albæ.

XXIX. Veſtis candida neophytorum notiſſima eſt in antiquitate eccleſiaſtica, quam per octavam Paſchæ deferebant, ſabbato deponendam, unde dicebatur *in albis depoſitis*, dominica vero ſequens, *poſt albas*, ut in noſtris antiquiſſimis ſacramentariis vocatur, quæ computabatur nona a ſabbato dies. „Uſque ad octavum namque diem (ut habet concilium *Triburienſe* c. 12.) ipſa regeneratio ſacra ab omni populo celebrabitur, quia reſurrectio Domini octo diebus colitur.“ In ordine tamen *Romano* vocatur dominica *in albis*, ſeu, *ad albas deponendas*, atque ad eam diem in codice *Vallicellano* affertur ad albas deponendas *oratio*, *quam debet ſacerdos dicere*

T. II. Conc. Germ. p. 395.

Digitized by Google

cere ſuper infantes, quando eis ſuccuſare vult, id eſt albas exſuere, ut adnotat MABILLONIUS in ſacramentario *Gallicano*. In libello S. PIRMINII huius rei myſterium exponitur: *Induit corpus tuum veſte candida, & Chriſtus animam tuam induit gratiam cœleſtem, & aſſignatus eſt tibi ſanctus angelus ad cuſtodiendum te, &* (per) *acceptum nomen chriſtianum in eccleſia catholica annumeratus, factus es membrum Chriſti.* LEIDARDUS de Cerimoniis bapt. c. 8. „Baptizati albis induuntur veſtibus, ut ipſo etiam habitu exterioris hominis demonſtrent innovationem, & emundationem interioris.“ *Muſ. Ital. T. I. P. II. p. 331. Analecta Mabill. p. 67.*

In epiſtolis S. BONIFACII aliquoties *Sabani* nomen, & *donarium* occurrit, genus veſtis ac lintei, cuius ad rem præſentem mentio fit apud VICTOREM *Uticenſem* de ELPIDOFORO apoſtata, dum ab eo torquendus eſſet MURITTA diaconus, qui „illa, quibus ELPIDOFORUM ſuſcipiens de fonte dudum texerat, *Sabana* baiulabat. Quibus ventilatis, ſimulque in oſtenſione cunctorum extentis, in his verbis totam ad fletum & lacrymas commoviſſe dicitur civitatem: *Hæc ſunt linteamina*, ELPIDOFORE, *miniſter erroris, quæ te accuſabunt, dum maieſtas venerit iudicantis.*“ Anonymus de geſtis CAROLI M. perhibet, *Normannum iam vicies ſe lotum, candidisque veſtibus indutum*, hoc eſt, toties rebaptizatum eſſe, nihilominus palam profeſſum, amictum, & chriſtum imperatori ſe relicturum, niſi nuditatem erubeſceret. *Lib. III. de perſecut. Vandal.*

Hodie velum ſaltem poſt baptiſmum ſolet neophyto imponi cum hac oratione: *Accipe veſtem candidam &c.* In codice apud WICEL. qui S. BONIFACII dicitur, habetur: *Accipe cappam veſtem candidam &c.* Legi meretur diſputatio theologica hiſtorico-eccleſiaſtica de alba veſte baptizatorum, *Germanis* dicta *Weſter-hembd*, quam in academia *Regiomontana* præſide *Godofredo* WEGNERO publicæ luci ſubmiſit *Ioan.* LINCKERUS an. 1700.

Sunt etiam huius loci faſciæ, poſt ſacram unctionem chriſmatis capiti circumligari ſolitæ, de quibus in ſtatutis *Leodienſibus*: „Adducant ſeptennes pueros, vel minoris ætatis, quibus abſcindantur capilli contra frontem dependentes, & frontes diligenter laventur, & habeant faſciolas ſive bandella de ſpiſſa tela, non tenui peplo, quæ ſint ſine ſutura, & ſine nodo intermedio, quæ habeant latitudinem trium digitorum, & longitudinem duorum pedum, & dimidii, & ſint munda & alba.“ Sunt, qui faſciolas haſce chriſmalia vocari putant apud COLUMBANUM & BEDAM in Pœnitentiali. MABILLONIUS interpretatur de candido illo amictu, ſeu caputiolo albo, quod baptizatorum capitibus poſt factam verticis e chriſmate unctionem imponebatur. *Præfat. in ſac. I. Ord. S. Bened. n. 109.* *T. XIV. Conc. ed. Ven. pag. 1114.*

Digitized by Google

CAPUT II.

De ſacramenti Pœnitentiæ adminiſtratione.

I.

Libri pœnitentiales. Iam ſemel notavimus, ſingulare eſſe antiquiſſimo noſtro ſacramentario cum *Gallicano*, quod ex codice *Bobienſi* edidit Mabillonius, ut etiam annexum habeat canonem ſeu libellum pœnitentialem. T. I. Conc. Germ. pag. 384. In *admonitione imperatoris* Caroli M. nimirum ad presbyteros articulus IV. eſt, *ut de canonibus doctus ſit, & ſuum pœnitentiale bene ſciat.* In inquiſitione de his, quæ epiſcopus vel eius miniſtri in ſuo diſtrictu inquirere debeant, ſimiliter quæſtio eſt „ſi habeat T. II. p. 441. pœnitentiale *Romanum*, vel a Theodoro epiſcopo, aut a venerabili presbytero Beda editum; ut ſecundum quod ibi ſcriptum eſt, interroget confitentem, aut confeſſo modum pœnitentiæ imponat?“ Certi libri & auctores denominantur, quod multi medio ævo, ac pene innumeri circumferrentur eiusmodi libelli, quorum incerti auctores, certi errores haud immerito dicebantur. Contra quos notantur canon 38. ſynodi *Cabillon.* 20. *Turonenſis* 32. *Pariſ.* apud Pithoeum in Gloſs. ad libr. Capitul. „Et hoc eſt, quod in hac re me valde ſolicitat, quod ita confuſa ſunt iudicia pœnitentium in presbyterorum opuſculis, atque ita diverſa & inter ſe diſcrepantia, & nullius auctoritate ſuffulta, ut vix propter diſſonantiam poſſint diſcerni. Unde fit, ut concurrentes ad remedium pœnitentiæ tam pro librorum confuſſione, quam etiam pro ingenii tarditate nullatenus valeant ſubvenire.“ Ut Ebo archiepiſcopus *Remenſis* ſcribit ad Halitgarium *Cameracenſem & Atrebatenſem* epiſcopum, eum ad novum edendum impellens, qui id etiam tranſegit ſex libris, ut Flodoardus in hiſt. *Rem.* lib. II. c. 19. teſtatur: *Huius præſulis hortatu* Halitgarius *Cameracenſis epiſcopus ſex libellos de remediis peccatorum, & ordine & iudiciis pœnitentiæ conſcripſit.* Sed in omnibus codicibus deerat liber ſextus teſte *Jacobo* Basnagio T. II. P. II. p. 88. ſeq. obſerv. in pœnitentiale hoc, a ſe inter lectiones Canisii iterum editum, adiecto ſexto ex Stevartio & Morino, qui, ac etiam Menardus ediderunt

derunt ſextum illum librum, pœnitentiale *Romanum* continentem, nosque etiam ſeparatum in antiquo codice reperimus, una cum pœnitentiali Rhabani, de quo in vita eiusdem a Rudolpho ſcholaſtico ſcripta: „ſcripſit quoque libellum unum ad Otgarium archiepiſcopum, in quo primum de pœnitentia legitima, & ſpe indulgentiæ; deinde diverſa capitula de canonibus diverſorum conciliorum ſubiunxit.“ Inſcribitur tamen Haribaldo ſeu Heribaldo epiſcopo *Antiſiodorenſi* epiſtola, a Stevartio primum edita ex Mſc. *Weingartenſi*, cum reſponſis iuxta veterum canonum inſtituta: qui pœnitentialis liber T. II. Conc. *Germ.* inſertus, propius ad liturgiam noſtram *Alemannicam* ſpectat, uti etiam pœnitentiale S. Columbani, quod in antiquo codice *ſan-Blaſiano* extabat ſub titulo: *Regula cœnobialis fratrum de Hibernia*, prout Mabillonius teſtatur in quibusdam vetuſtis codicibus vocari, veluti in recentiori *Auguſtano* codice monaſt. S. Udalrici, ex antiquo *Augienſi* transſcripto, cui veterrimus *ſan-Gallenſis* omnino erat ſimilis. Morino omnium antiquiſſimus habetur Theodori *Cantuarienſis* archiepiſcopi pœnitentialis. Hunc proxime ſequitur Bedæ pœnitentialis, qui inſcribitur de remediis peccatorum. Tertius eſt *Romanus*. Celebres ſunt etiam canones pœnitentialis *Aſtenſis*, quem cum aliis edidit *Antonius* Augustinus, & notis illuſtravit. Quoad eum vero libellum, qui in antiquiſſimo noſtro ſacramentario habetur poſt generales duos titulos, quos ex codice *Einſidlenſi* ſupplevimus, ſequitur: *Incipit Excarpſus de aliis pluribus pœnitentiis & canonibus.* Id eſt, excerptum, ut *Steph.* Baluzius in notis ad capitularia aliis exemplis docet, a quo etiam in append. editus eſt *Excerptus diverſarum modus pœnitentiarum a* Benedicto *abbate* (*Anianenſi*) *diſtinctus de regula ſancti Benedicti abbatis.* Sic Ecberti *Eboracenſis* libellus inſcribitur: *Excerptum de canonibus catholicorum patrum vel pœnitentiæ &c.* Qui titulus convenit libris omnibus pœnitentialibus, ex veteribus canonum & SS. Patrum inſtitutis collectis. Pertinent etiam huc excerpta Reginonis ex pœnitent. *Roman.* & Theodori. Item Burchardi XIX. libri de diſc. eccleſ. a Baluzio editi, uti etiam Isaaci *Lingonenſis* canones, quæ ſunt abſolutiora in hoc genere opera.

Lib. VIII. n. 14. pag. 191.

Append. de Pœnit. p. 4.

T. II. p. 1067. p. 1386.

Sacramenti pœnitentiæ œconomia a prima eccleſiæ ætate.

II. Noſtrum hic non eſt inter varios huiusmodi libros pœnitentiales diſcernere, quo ſingula ſint compilata ſelectu, reſpectuque ad diverſitatem diſciplinæ, quam eccleſia in conceſſa ſibi ligandi ſolvendique poteſtate legitime exercuit, enormiora primum ſcelera ſeveriſſimis perſtringendo cenſuris: veluti D. Paulus inceſtuoſum, qui in eccleſia *Corinthiorum* erat, tradi ſatanæ in interitum carnis iuſſit I. *Cor. V.* 5. eodemque

fulmine

fulmine (ne quid de ELYMA mago cæcitate percuſſo a PAULO, a PETRO vero ANANIA & SAPHIRA ſubitæ morti traditis, dicam) ALEXANDRUM & HYMENÆUM circa fidem naufragantes perculſos a ſe I. ad *Timotheum* I. 20. ſcribit. Mœchiæ deinceps & idololatriæ homicidium eſt coniunctum inter *capitalia* & *canonica*, ut vocabantur, crimina, quæ nimirum ſevera pœnitentia in eccleſia vindicabantur, TERTULLIANO dicta immundabilia, irreconciliabilia, & irremiſſibilia, poſtquam ſe MONTANI errore in transverſum agi eſt paſſus.

NOVATUS deinde *Carthaginenſis* presbyter, etſi in *Africa* illis ſe iungeret, qui lapſis ſtatim veniam dandam contendebant, ſtatim ac interceſſionis libellum a confeſſoribus accepiſſent, poſtea *Romam* concedens contrariam prorſus propugnare cœpit ſententiam cum NOVATIANO, S. CORNELII P. æmulo: uterque poſtea *Romæ* in concilio damnatus teſte EUSEBIO cum iis, quos in ſuum errorem abſtraxerant, ſtatutumque in *Romano* concilio: NOVATUM *eiusque fautores tanta ſuperbia inflatos, & quotquot illius inhumaniſſimæ & a fraterna charitate alieniſſimæ opinioni aſſentirentur, in eorum numero, qui erant ab eccleſia excluſi, haberi; fratres autem, qui caſu infelici prolapſi fuiſſent, pœnitentiæ medicamentis curari, & ad ſanitatem reſtitui.*

lib. VI. hiſt. eccl. c. 35.

A nonnullis antiquioribus conciliorum canonibus communio etiam in fine vitæ eſt negata. a) Concilium vero *Nicænum* pie in hanc rem ſequenti canone 13. cavit: „De his vero, qui recedunt ex corpore, antiqua legis regula obſervabitur etiam nunc; ita ut ſi quis forte recedat ex corpore, neceſſario vitæ ſuæ viatico non defraudetur. Quodſi deſperatus aliquis, recepta communione ſupervixerit, ſit inter eos, qui ſola oratione communicant. De omnibus tamen his, qui a corpore recedunt, in tradendo eis communionem & cura & probatio ſit epiſcopi.“ Taceo IOVINIANI errorem, quem ſacramentum pœnitentiæ ſubvertentem S. HIERONYMUS notat his verbis: *Nititur approbare eos, qui plena fide in baptiſmate renati ſunt, a diabolo non poſſe ſubverti.* Sed, teſte S. AUGUSTINO hær. 82. cito IOVINIANI hæreſis oppreſſa & extincta eſt, nec uſque ad deceptionem aliquorum ſacerdotum potuit pervenire. Facit huc hæreſis *Prædeſtinatianorum*, quam SIGEBERTUS *Gemblac.* ad an. 415. notat: *qui ideo Prædeſtinati vocantur, quia de prædeſtinatione & divina gratia diſputantes, aſſerebant, quod nec pie viventibus proſit bonorum operum labor, ſi a Deo ad mortem prædeſtinati fuerint; nec impiis obſit, quod*

lib. I. c. 2. contra Iovinianum.

a) De hac ſeveriore eccleſiæ diſciplina legi poteſt *Io.* MORINUS in grandi *de pœnitentia* opere. Brevius, articulatim tamen ALBASPINÆUS Obſervat. 9. ſeqq. lib. II. eandem rem diſcutit quoad capitalia illa crimina apoſtaſiam, monſtra libidinum, mœchiam, & homicidium.

Digitized by Google

quod improbe vivant, ſi a Deo prædeſtinati fuerint ad vitam. Eam GODESCALCUM ſæc. IX. revocaſſe idem perhibet SIGEBERTUS: alii vero auctores iudicant ab hac labe immunem. De omni hac hæreſi an unquam extiterit, acriter nuper eſt diſceptatum, quod nunc noſtra nihil intereſt.

Erat quidem ea ſumma ſeveritas antiqui pœnitentiæ ſtadii in eccleſia, ut eius actio non concederetur in gravioribus criminibus iterari (ſæpius ſaltem iuxta ORIGENEM) *In gravioribus* (inquit) *criminibus ſemel tantum vel raro pœnitentiæ conceditur locus: iſta vero communia, quæ frequenter incurrimus, ſemper pœnitentiam recipiunt, & ſine intermiſſione redimuntur.* Illud autem S. AMBROSIUS de publica pœnitentiæ actione interpretatur: „Merito (inquit) reprehenduntur, qui ſæpius agendam pœnitentiam putant, quia luxuriantur in Chriſto. Nam ſi vere agerent pœnitentiam, iterandam poſtea non putarent: quia ſicut unum baptiſma, ita una pœnitentia, quæ tamen publice agitur. Nam quotidiani nos debet pœnitere peccati. Sed hæc delictorum leviorum: illa graviorum.“ Atque ita quidem alii etiam teſtantur de una tantum conceſſa in eccleſia luctuoſa illa pœnitentiæ ſtatione. Perplexum hoc tenuit MACEDONIUM, *ut ne pœnitendi quidem copia poſt primam pœnitentiam tribuatur.* Id quod in reſponſione ad MACEDONII epiſtolam non negat S. AUGUSTINUS, explicat autem, qua œconomia uſa hic fuerit eccleſia in poteſtate ligandi ſolvendique ſibi conceſſa, quod alibi explicavi *de eo, quod eſt iuris divini & eccleſiaſtici circa ſacramenta*, penitius autem aliquando enucleare propoſueram in Principiis theologiæ caſuiſticæ, a theologia morali probe diſtinguendæ, quæ mores dirigit, dum illa in caſibus conſcientiæ verſatur, eſtque veluti inſtar quoddam librorum ſeu canonum pœnitentialium, pro diſciplina ſcilicet eccleſiæ in ſacramento pœnitentiæ poſteriori ævo in concilio demum *Lateranenſi* can. *utriusque* conſtabilita ex plenitudine poteſtatis ligandi a Chriſto acceptæ, quoad privatum pœnitentiæ tribunal a publico illo veteri diſtinctum.

Hom. XV. in Levit. c. 25.

Lib. II. de Pœnit. c. 10.

Epiſt. CLII, CLIII.

III. Quatuor vero omnino erant in veteri eccleſia laborioſæ illius pœnitentiæ ordines, ſeu ſtationes, flentium ſcilicet, audientium, ſubſtratorum, & conſiſtentium: quæ omnes fuerant decurrendæ, antequam communioni ſacræ reſtituerentur. Qui plenius de his pœnitentiæ gradibus inſtrui cupit, laudatum *Io.* MORINI de pœnitentia opus legat. Succinctius eos explicat *Gabr.* ALBASPINÆUS obſervat. 22. & ſeqq. lib. II. Antiquiſſimum eius rei extat teſtimonium in epiſtola canonica GREGORII *Taumaturgi, Neo-Cæſarienſis Ponti* epiſcopi circa annum 233. eiuſcemo-

Quatuor apud veteres ſtationes Pœnitentium.

Digitized by Google

di: „*Fletus* ſeu ploratio eſt extra portam oratorii, τῦ ἐυχτηρίυ: ubi peccatorem ſtantem oportet fideles ingredientes orare, ut pro ſe precentur. *Auditio* eſt intra portam in porticu (in loco quem νάρθηκα vocant) ubi oportet eum, qui peccavit, ſtare usque ad catechumenos, & illinc egredi. Audiens enim, inquit, ſcripturas & doctrinam eiiciatur, & precatione indignus cenſeatur. *Proſtratio* autem eſt, ut intra templi portam ſtans cum Catechumenis egrediatur. *Congregatio* ſeu *conſiſtentia* eſt, ut cum fidelibus conſiſtat, cum catechumenis non egrediatur. Poſtremo eſt participatio ſacramentorum.“ Unum, ut etiam aliquid de ſtatis ſingulorum graduum temporibus conſtet, addam S. Basilii locum, qui ad actionem pœnitentiæ pro crimine homicidii ſpectat: „Qui ſua ſponte interfecit, & poſtea pœnitentia ductus eſt, viginti annis ſacramento non communicabit. Viginti autem anni ſic in eo diſponentur. Debet quatuor annis flere, ſtans circa fores oratorii, & fideles ingredientes rogans, ut pro ſe precentur, ſuam iniquitatem pronuncians. Poſt quatuor autem annos inter auditores recipietur, & quinque annis cum ipſis egredietur. Septem autem annis cum iis, qui in ſubſtratione orant, egredietur. In quatuor annis ſolum ſtabit cum fidelibus, ſed non erit oblationis particeps. Iis autem expletis, erit ſacramentorum particeps.“ Communionis nempe Euchariſticæ, quæ erat veluti complementum: eo in ſacramentario *Gelaſiano* pertinet *oratio poſt reconciliationem, vel poſtquam communicaverit*. De ſtationibus pœnitentiæ publicæ nihil uſpiam in ſacramentariis noſtris occurrit, tempore iam ex conſuetudine ſæc. V. in eccleſia *Romana* ad Quadrageſimam reſtricto, ut ex epiſtola Innocentii I. ad epiſc. Eugubinum palam fit: „De pœnitentibus autem, qui ſive ex gravioribus commiſſis, ſive ex levioribus pœnitentiam gerunt, ſi nulla interveniat ægritudo, feria quinta ante Paſcha eis remittendum *Romanæ* eccleſiæ conſuetudo demonſtrat.“ Atque ſecundum hanc formam iam noſtram proſequemur rem liturgiæ *Alem.*

pag. 56.

Ordo agentium pœnitentiam Fer. IV. Cinerum.

IV. Burchardus *Wormatienſis* in *Alemanniæ* noſtræ confinibus epiſcopus incipit ab ipſo modo ſeu ordine agendi pœnitentiam, qualis etiam habetur in Chrodegangi regula canonicorum pro Feria IV. cinerum. Atque hunc Regino & Burchardus referunt canonem: „Presbyteri debent admonere plebem ſibi ſubiectam, ut omnis, qui ſe ſentit mortifero peccati vulnere ſauciatum, feria quarta ante Quadrageſimam cum omni feſtinatione recurrat ad vivificantem matrem eccleſiam.“ In præmiſſo libello inquiſitionis de his, quæ epiſcopus vel eius miniſtri inquirere debent, quæſtio eſt 57. *ſi in feria quarta ante Quadrageſimam plebem ſibi*

C. 10. & ſeqq.
C. 288.
Lib. XIX. c. 2.
T. II. Conc. Germ. pag. 440.

bi commiſſam ad confeſſionem invitet, & ei iuxta qualitatem delicti pœnitentiam iniungat non ex corde ſuo, ſed ſicut in pœnitentiali ſcriptum eſt? Quæ iisdem verbis in ſynodali ſermone, S. Udalrico adſcripto, leguntur: Et quæſt. 88. *ordinem quoque reconciliandi iuxta modum ſibi canonice reſervatum, atque ungendi infirmos, orationes quoque eidem neceſſitati convenientes, ſi bene ſcit legere, aut memoriter enuntiare?* In capitulari incerti auctoris, ac anni, in edit. Conc. ad ſæc. X. hæc præcipiuntur: „Hebdomada prima ante initium Quadrageſimæ confeſſiones ſacerdotibus dandæ ſunt, pœnitentia accipienda, diſcordantes reconciliandi, & omnia iurgia ſedanda, & dimittere debent debita invicem de cordibus ſuis, ut liberius dicant *Dimitte nobis &c.*" Ad eum diem in ordine *Romano*, vetuſtiſſimisque ſacramentariis habetur *Ordo pro agentibus publicam pœnitentiam*, prout in noſtro habetur congruenter cum *Gelaſiano*, ubi mox ſubditur: *ſuſcipis eum IIII. feria mane in capite Quadrageſimæ, & cooperis eum cilicio, oras pro eo, & includis uſque ad cœnam Domini.* In *Gregoriano* autem adduntur *Orationes & preces ſuper pœnitentem confitentem peccata ſua more ſolito Feria quarta infra Quadrageſimam.* Habetur etiam nonnunquam tit. *Expulſio publice pœnitentium feria quarta in capite ieiunii*, prout varii eiusmodi ordines in append. *I.* Morini de Pœniten. & apud Menardum T. II. de rit. eccleſ. extant, ſingularis vero, qui ad noſtram *Alemanniam* pertinet, antiquus ordo publice pœnitentium ex Mſc. *Augiæ* maioris editus eſt a *Bern.* P[illegible] T. II. P. II.

T. XI. Conc. pag. 1075.

T. XI. Conc. edit. Ven. pag. 1386.

Primus forte canon ad immutationem veteris diſciplinæ fuerit, in ſtatutis ſynod. eccleſ. *Leodienſis* an. 1287. huiusmodi. „Item presbyteri ſuos parochianos moneant frequenter, ut a feſto Purificationis ab XIV. annis, & ſupra veniant ad confeſſionem ante dominicam in Ramis palmarum, & qui in hoc negligentes fuerint, per octavam Paſchæ a carnibus abſtineant, & ieiunabunt ſicut in Quadrageſima, niſi neceſſitate fuerint excuſati, nec propter hoc ipſis confeſſio denegetur." In conc. Provinciali *Moguntino* an. 1311. refertur canon ceu ex concilio *Frizlarienſi*, quem etiam reperio in conc. *Mogunt.* 1261. eiusmodi: *Sacerdotes frequenter moneant plebem ſuam, ut initio Quadrageſimæ ad confeſſionem veniant, & ſaltem in reſurrectione Chriſti accipiant Corpus Domini, ſi velint inter catholicos reputari.* In eadem ſynodo inter alios articulos adverſus *Quæſtuarios*, ab epiſc. *Argentin.* Walthero exhibitos, hic eſt: *Quod nullus tenetur plebano ſuo, etiam quocunque tempore anni confiteri.* In conc. *Monaſterienſi* iuxta hodiernam praxim ſtatutum eſt an. 1279. *Quod ſacerdotes parochialium eccleſiarum ſubditos frequenter admoneant,*

T. III. Conc. Germ. p. 603.

Pag. 615.

p. 648.

neant, *& pœnitentiam iniungant eis, ut ſæpe veniant ad confeſſionem &c.* ſupereſt hodie veſtigium veteris obſervantiæ in impoſitione cinerum, olim pœnitentibus tantum facta ad eccleſiæ portam. Alia eſt, quæ in antiquiſſimo noſtro ſacramentario ut in *Gelaſiano*, & aliis etiam reperitur, *Reconciliatio pœnitentis ad mortem.* Seu in altero, *Oratio ſuper pœnitentem* inter orationes communes pro privata pœnitentia, aut in neceſſitatis articulo. Vid. Halitgarii Pœnit. *Rom.* lib. VI.

Reconciliatio pœnitentium in Cœna Domini.

V. In antiquiſſimo noſtro ſacramentario, prout ex codice *San-Gallenſi* ſupplevimus, ſic habes: „Feria V. Cœnæ Domini egreditur pœnitens de loco, ubi pœnitentiam egit, & in gremio præſentatus eccleſiæ proſtrato omni corpore in terra.“ Ubi deficit oratio, ſuppletur autem in *Gelaſiano*: & poſtulat his verbis diaconus: *Adeſt o venerabilis pontifex &c.* uti etiam in noſtro habetur, ſed præcedunt orationes ad miſſam, tum ſequitur hæc rubrica: „Et antequam offerat, poſtulat diaconus his verbis: *Adeſt &c.*“ Poſt totum ritum reconciliationis ponitur oratio ſuper oblata, uti in *Gelaſiano* cum hac rubrica: „Poſt hæc offert plebs, & conficiuntur ſacramenta.“ Adiungitur porro poſt *Poſtcommunion.* in noſtro antiquiſſimo ſacramentario peculiaris oratio ſuper pœnitentem, poſtquam communicaverit. In *Gregoriano* ſeparatim ponuntur *Orationes ad reconciliandum pœnitentem Feria V. in Cœna Domini.* Habeturque etiam in ordine *Rom.* apud Halitg[illegible]um vero ex edit. Basnagii de Reconciliatione Pœnitentium III. & V. f[illegible]ſchæ. Ritum huius reconciliationis pluribus deſcribit Sozomenus lib. VII. hiſt. c. 17. Exemplum S. Hieronymus memorat de illuſtri matrona Fabiola epiſt. ad Oceanum, quod ante diem Paſchæ in baſilica quondam *Laterani* ſtaret in ordine pœnitentium. Diem deſignat Innocentius I. ad Decentium „De pœnitentibus, qui ſive ex gravioribus commiſſis, ſive ex levioribus pœnitentiam gerunt, ſi nulla interveniat ægritudo, quinta feria ante Paſcha eis dimittendum.“ Quæ citat Amalarius lib. I. de off. eccleſ. c. 12. & *Rhabanus* Maurus de inſtitutione Cler. lib. I. c. 30. ſed ſingularis locus eſt Gisseberti *Lunicenſis* epiſcopi in epiſtola quadam de ſtatu eccleſiæ apud Mabillonium: „Abſolvit præſul populum de venialibus in capite ieiunii, de criminalibus in Cœna Domini.“ Generalis tamen abſolutio indiſcriminatim apud Ioannem *Abrincenſem* in Cœna Domini notatur, quando epiſcopus defuerit: „Si epiſcopus fuerit, convocatio pœnitentium, & abſolutio, chriſmatis & olei conſecratio iuxta epiſcopalem ritum ordinetur: ubi vero defuerit, inprimis tam clerus quam populus proſtrati in terram cum lacrymis & gemitu abſolutionem criminum a maiori ſacerdote accipiant, & poſt cum proceſſione in

Præfat. I. in ſæc. III. O. S. B. pag. 53.

porticum

porticum *Miſerere mei Deus* dicendo, ad novum ignem de petra excuſſum pergant.“ Ubi adnotat *Io.* PREVOT duplicem hac die abſolutionem ex ordinario mſc. haberi: primam cleri & populi poſt laudes, alteram publice pœnitentium poſt Nonam. Refertur ritus prioris eo loco, & poſtea *Reconciliatio pœnitentium Feria V. in Cœna Domini. Finita Nona &c.* Plures eiusmodi vide apud MORINUM & MARTENIUM iam citatos. pag. 131. pag. 195.

VI. Ad noſtram liturgiam *Alemannicam* propius ſpectat, quod in vita S. UDALRICI ep. *Auguſtani* narratur in actis ord. S. BENED. „Eo vero die (in Cœna Domini) hora tertia omnes clerici ſolemniſſimis paraturis induti venerunt in eccleſiam: & ipſe ſuo more glorioſiſſime ad Dei ſervitium paratus cum eis ſacrum myſterium agere devotiſſime cœpit: perlectoque evangelio, & admonitione facta ad populum, & confeſſione populi accepta, indulgentiam humillime eis fecit, & tota ſynodo oblationem offerente, ſecundum ordinem cautiſſime implevit uſque ad benedictionem chriſmatis & olei.“ Palam non eſt, an de publica pœnitentium, an de generali fidelium indulgentia hoc intelligendum ſit. De illa inſignis eſt epiſtola civis *Spirenſis* ad HERIBERTUM archiepiſcopum *Colonienſem* apud MARTENIUM T. I. Collect. Ampl. p. 357. ſeq. ob nimiam tunc in danda abſolutione indulgentiam ineunte ſæculo XI. „Qui (inquit) quotiens in eccleſiis ſuis populo Dei triticum ſpirituale diſtribuunt, expletis omnibus, quæ ad fructum ſanctæ ædificationis pertinere intelligunt, manus ſurſum levare, & peccata confiteri iubent, quo facto, confeſtim abſolutionem & remiſſionem eorum omnium illis tribuunt tanta facilitate, quanta forſitan de pecunia propria obolos tres nollent cuique relaxare. Hoc itaque audientes, nonnulli fratrum, qui ex divino munere aliquantam ſacræ ſcripturæ facultatem habent, & tamen propter reverentiam obloqui nihil audent, vehementer ſcandalizantur, ſcientes rem prorſus illicitam fieri, quæ nulla ſanctorum Patrum auctoritate poſſit defendi, & ad internecionem imperitæ multitudinis laqueus diabolicus ſit, exiſtimantis ſe nec confeſſione poſtea indigere, ſed omnia crimina ſua tanquam denuo baptizatis dimiſſa ſibi eſſe, acceptaque hac mortifera ſecuritate, nec pericula animarum ſuarum incurrere, & iterare flagitia ſua, vel graviora addere pro nihilo ducunt: quippe, quæ iterum, atque iterum tam [illegible]ile ignoſcenda ſibi eſſe confidunt.“ Du[illegible] deinde tangit ſpeciatim, abſolutionis primum formulam, quam niſi deprecativam non videtur velle admittere, ad vetuſtam provocando normam: „Quem (inquit) unquam Sanctorum inveniunt, cuique peccatori dixiſſe: *Ego tibi dimitto peccata tua*, ac non potius communicatis ieiuniis & orationibus, id eis, quibus ſubvenire volebant, a Domino impetraſſe? &c.“ Generalis abſolutio, & confeſſio. P. V. pag. 428.

Digitized by Google

&c." Alterum gravius eſt: „Et audent filii hominum aliena peccata ignota, atque indiſcuſſa dimittere, quorum neque ipſi conſcii ſunt, neque pœnitentiæ teſtes exiſtunt." Ex toto epiſtolæ contextu colligitur, non hoc de impoſtoribus eiusmodi intelligendum, qualis fuit tempore S. Bonifacii Adalbertus, fingens ſibi alias iam nota eſſe omnium peccata, quin opus ſit in confeſſione pandere, ſed qui indiſcriminatim confitentes abſolvebant incerti de vera pœnitentia, idque inſueto tunc abſolutionis ritu, ac tempore. „Conſiderandum itaque eſt (inquit) iuxta regulam ſanctorum Patrum, quæ culpa præceſſerit, quæ ſatisfactio ſit ſecuta, habitaque ſagaci diſcretione, tum demum timide, atque humiliter poteſtas officii eſt adhibenda, nec ita dicendum: *Dimittat tibi Dominus peccata tua, & ego tibi dimitto &c.*" Exponit poſtea modum obſervatum in danda pœnitentia & abſolutione, atque etiam tempus, diemque fixum, de quo egimus, ac ſic concludit: „Has vero, neſcio quas novas abſolutiones, quas verius dicimus publicas deceptiones, nec in litteris eorum reperimus, nec feciſſe eos credimus, niſi uno illo die, quo communionem eccleſiaſticam more antiquitus inſtituto pœnitentibus reddebant."

Reconciliatio hæreticorum.

VII. Alio loco in antiquiſſimis ſacramentariis, *Gelaſiano* aliisque, nempe poſt officium octavæ Pentecoſtes reperitur ſingularis *benedictio ſuper eos, qui de Ariana ad catholicam redeunt unitatem. Item pro eis, qui de diverſis hæreſibus veniunt. Reconciliatio rebaptizati ab hæreticis.* Priores orationes, ut iam Vezzosius ad ſacramentarium *Gelaſianum* adnotavit, maximam ſimilitudinem habent cum oratione ad confirmandum uſurpata, ad vocandum nimirum ſeptiformem Spiritum ſanctum. Quæ res ſuſpicionem auxit, ac ſi hæretici cum ſacramento Confirmationis fuerint recepti, præſertim quod id factum fuerit alicubi etiam cum unctione chriſmatis, ut in princip. theol. ſacrament. §. 31. oſtendi. Ultima autem oratio, ſeu *reconciliatio rebaptizati ab hæreticis*, pœnitentiæ ritum apertiſſime declarat: „Ideo cum ad veram matrem eccleſiam catholicam tui muneris aſpiratione reſipiſcentes apoſtatæ redeunt; non, quod amiſerunt, baptiſmum recipiunt, ſed quod in ſe permanenti fecerint contumeliam, veracis pœnitentiæ ſatisfactione reparantur &c."

T. VI. Opp. Ven. Thomaſii p. 105.

Miniſter pœnitentiæ.

VIII. Pluribus antiquis conciliorum canonibus epiſcopo reſervata fuit reconciliatio pœnitentium in Conc. II. *Carthag.* & III. c. 2. *Agathenſi* c. 44. ubi ſtatuitur: *Benedictionem ſuper plebem in eccleſia fundere, aut pœnitentem in eccleſia benedicere, presbytero penitus non licebit.* Perinde etiam cum aliis in concilio *Wormatienſi* an. 868. eis interdicitur *publi-*

ce

Digitized by Google

ce quidem in miſſa quemquam pœnitentium reconciliare. Ubi tamen gravis oritur quæſtio de eo, quod in præfatione lib. VI. pœnitentialis *Romani* ſeu Halitgarii legitur: atque id quidem epiſcopis vel presbyteris proprium vindicatur; additur tamen, *ſi autem neceſſitas evenerit, & presbyter non fuerit præſens, diaconus ſuſcipiat pœnitentem ad ſacram communionem.* Quod in ſacramentario *Gemetic.* ad S. Greg. notant editores *ſan-Mauriani* T. III. p. 629. habeturque in collectione Reginonis, & apud Burchardum lib. XIX. c. 154. iisdem verbis, & adhuc ſignificantius in vulgato ordine *Romano* apud Hittorpium: *ſi autem neceſſitas evenerit, & presbyter non fuerit præſens, diaconus ſuſcipiat pœnitentes, & det eis communionem.* Nota vero S. Cypriani verba: *ſi presbyter non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud diaconum quoque exomologeſim facere delicti ſui poſſint, ut manu eis in pœnitentia impoſita veniant ad dominum cum pace, quam dari martyres litteris ad nos factis deſiderarunt.* Quæ verba excludere videntur interpretationem *Hugonis* Menardi in nota ad Halithgarium: *quod urgente neceſſitate præſertim periculo mortis debeat diaconus pœnitenti, quem ex profuſione lacrymarum, vel ſimilibus ſignis non ficte pœnitere novit, porrigere ſanctam Euchariſtiam, quamvis defectu ſacerdotis non fuerit abſolutus.* Interim certum debet eſſe, de abſolutione ſacramentali intelligi hæc non poſſe; priores vero locos vel de communione Euchariſtica, vel eccleſiaſtica ſumi debere, quam in rem etiam habetur *Eliberitanus* canon. Egimus de hac re in libro *de eo, quod eſt iuris divini & eccleſiaſtici circa ſacramenta* Delibavimus etiam in principiis theol. ſacrament. §. 65. ubi alia adduximus exempla confeſſionis, etiam a laicis ſuſceptæ, non utique ad abſolutionem ſacramentalem in pœnitentia privata, ſicuti hic in publica, ubi communio eccleſiaſtica, vel etiam Euchariſtica potuit dari in neceſſitate ſine abſolutione ſacramentali, cum extra hunc articulum, & ubi copia erat epiſcopi, ut vidimus, hoc neque presbyteris fuerit permiſſum. *De occultis peccatis*, ut Ratherius *Veron.* habet in ſerm. ſynodali: *pœnitentiam vos dare poſſe ſcitote, de publicis ad nos referendum agnoſcite.* In conc. *Salegunſtad.* an. 1022. c. 19. ſtatuitur: *ut nullus presbyter pœnitentem in eccleſiam introducat.* Quod nempe publice pœnitentes ab eccleſia pulſos ſpectat. In eodem quoque concilio decretum eſt, *ut nullus presbyterorum quemquam niſi iuſſu epiſcopi eccleſiam introducere præſumat, cui pro aliquo delicto illam ingredi non licet.*

[Margin: C. 296. — pag. 25. — Epiſt. 18. — T. III. Conc. Germ. p. 9 — Ibid. p. 57.]

Poſtea mos invaluit, dum diſciplina tribunalis pœnitentiæ privatæ ſolum obtinere cœpit, ut pontifices *Rom.* & epiſcopi quædam ſibi reſervarent peccata. Cuiusmodi recenſentur in concil. *Moguntino*, & *Trevirenſi*

[Margin: Caſus reſervati. T. XIV. Conc. edit. Ven. pag.]

Digitized by Google

1453. & p. 1524. Ib. p. 1115. T. III. *renſi* an. 1310. Et iam antea in ſtatutis eccl. *Leodienſis* an. 1287. Ioannis epiſc. *Leodienſis*, ubi etiam licentiam conceſſam a ſe, aut ſua auctoritate quibuſcunque ſive religioſis, ſive aliis abſolvendi a prædictis peccatis revocat. Conc. Germ. p. 572. Imo iam in conc. *Frizlarienſi* an. 1246. etiam caſus reſervati Pontifici R. deſignantur: „Sunt autem tria peccata, quæ in ſatiſfactionibus iniungendis ſunt Domino apoſtolico reſervanda: ſcilicet in clericos vel quoſcunque religioſos iniectio manuum violenta, eccleſiarum vel locorum religioſorum incendia, & ſimonia in Ordine perpetrata. Inſuper, quia in pœnitentiis iniungendis quidam caſus frequenter emergunt, qui etiam diſpenſationem epiſcopalem requirunt; in illis caſibus ad epiſcopum, vel ſuos pœnitentiarios habeatur recurſus, ſive occulti fuerint, ſive etiam manifeſti. Statuitur itaque, quod ſacerdotes in ſatisfactionibus iniungendis maiora pœnitentiariis epiſcopi reſervent, utpote homicidia, ſacrilegia &c in huiusmodi peccatis vel ſimilibus detentos mittant ſacerdotes ad epiſcopos, vel eorum pœnitentiarios abſolvendos, nec abſolvant, præterquam in mortis articulo &c.“ In conc. *Mogunt.* an. 1261. c. 33. *de caſibus reſervatis* ſic ſciſcitur: „Quia frequenter in pœnitentiis iniungendis quidam caſus emergunt, qui propter ſacerdotum ignorantiam expediri non poſſunt, & quod etiam diſpenſationem epiſcopalem requirant; ideo ſalubriter duximus ſtatuendum, quod epiſcopus, eoquod propter occupationes multiplices eius copia quandoque haberi non poteſt, unum pœnitentionarium penes ſe habeat honeſtum, providum & diſcretum: & nihilominus alium inſtituat in eccleſia ſua cathedrali; ut ſaltem ad ipſorum alterutrum recurſus in his caſibus habeatur, qui etiam in illis caſibus, in quibus epiſcopi diſpenſandi obtinent facultatem, ipſorum auctoritate diſpenſent. Archidiaconi quoque, & archipresbyteri, & plebani ſuis ſubditis presbyteris in provinciali iudicio diſtricte iniungant, ut in caſibus memoratis, ſive occulti ſive manifeſti exiſtant, recurſum habeant ad pœnitentiarios ſupradictos opportunum ab eis conſilium requirentes.“ T. I. p. 1141. Lib. I. c. 46. In capitulis apud Baluzium, *quæ ſunt generaliter per parochias populis denuntianda* cap. 19. habetur aliquid de confeſſione ſanctimonialium, a ſacerdotibus monachis in eccleſia excipienda ex conc. *Pariſ.* VI. ubi etiam contra eos excipitur, „qui epiſcoporum & presbyterorum canonicorum iudicia declinantes, monaſteria monachorum expetunt, ut ibi monachis ſacerdotibus confeſſionem peccatorum ſuorum faciant: præſertim cum eisdem ſacerdotibus monachis id facere fas non ſit, exceptis his dumtaxat; qui ſub monaſtico ordine ſecum in monaſterio degunt.“ Talis confeſſarius laudatur in viſione Wetini monachi *Augienſis* Theganmar:

Act. O. S. B. ſæc. IV. P. I. pag. 290.

Gran-

Grandis honor capitis maior ſapientia mentis
Confeſſor fratrum gnarus conferre medelam,
Moribus antiquis ſequitur ſine crimine Patres.

Vide illic notam Mabillonii, & quæ idem multis exemplis præfat. I. in ſæculum III. ord. S. Bened. de confeſſariis eiusmodi privatis, ac confeſſione etiam privata habet. De confeſſoribus autem monachis ſacerdotibus vide Baluz. in notis ad capitularia T. II. p. 1243.

IX. Exemplo monachorum frequentia illa ſacramenti pœnitentiæ apud fideles ingenti ſane profectu inplevit. Illis in regula Chrodegangi præſcribitur: *Monachi in unoquoque ſabbato confeſſionem faciant cum bona voluntate epiſcopo, vel Priori ſuo.* In capitulari ſuo Ahiro epiſcopus *Baſileenſis* iubet omnibus fidelibus denuntiandum, *ut, qui cauſa orationis ad limina beatorum apoſtolorum pergere cupiunt, domi confiteantur peccata ſua, & ſic proficiſcantur, quia a proprio epiſcopo ſuo aut ſacerdote ligandi aut exſolvendi ſunt, non ab extraneo.* In ſynodo *Liptinenſi* in *Germania* ſtatuitur: „Ut in caſtris princeps habeat unum vel duos epiſcopos cum capellanis vel presbyteris eorum, & unusquisque præfectus unum presbyterum, qui hominibus peccata confitentibus iudicare, & indicare pœnitentiam poſſit.“ Præſentaneum mortis periculum cautionem hanc exquirebat, cuius cauſa etiam in veteribus liturgiis, ac pœnitentiæ ordinibus, antequam diſciplina poſterioris ævi invaluit, habetur *reconciliatio pœnitentis ad mortem: ad infirmo pœnitentiam tradendam; pro defuncto deſiderante pœnitentiam & minime conſequente.* De infirmorum pœnitentia ſancit concilium *Moguntinum* anno 847. „Ab infirmis in mortis periculo poſitis per presbyteros pura inquirenda eſt confeſſio, non tamen illis imponenda quantitas pœnitentiæ, ſed innoteſcenda: & cum amicorum orationibus, & eleemoſynarum ſtudiis, pondus pœnitentiæ ſublevandum: ut ſi forte migraverint, ne obligati excommunicatione, alieni ex conſortio bene fiant: a quo periculo ſi divinitus erepti convaluerint, pœnitentiæ modum a ſuo confeſſore impoſitum diligenter obſervent. Et ideo ſecundum canonicam auctoritatem, ne illis ianua pietatis clauſa videatur, orationibus & conſolationibus eccleſiaſticis ſacra cum unctione Dei animati, ſecundum ſtatuta ſanctorum Patrum communione viatici reficiantur.“

[Margin: Privata pœnitentiæ adminiſtratio. C. 21. C. 18. C. 2. T. II. Conc. Germ. pag. 159.]

X. Non ſine animi voluptate leguntur *in itinere liturgico* De-Moleon veſtigia illa antiquæ pœnitentiæ publicæ, hodieque reſidua alicubi inſignia præſertim in eccleſia cathedrali *Rothomagenſi*, de qua prolixam affert relationem maioris Pœnitentiarii eius eccleſiæ, factam anno 1673.

[Margin: Publicæ & ſecretæ pœnitentiæ diſciplina.]

Digitized by Google

T. XIX. Conc. ed. Ven pag. 1266. Extat etiam eam in rem adhuc canon concilii *Colonienſis* an. 1536. „In publicis vero criminibus, quemadmodum neceſſe eſt, ita iubemus ad canones antiquos publicæ pœnitentiæ regredi, atque adeo ad Chriſti & ſui diſcipuli PAULI inſtitutum reverti, qui ad *Corinthios* exemplo oſtendit, quomodo oporteat eccleſiam in publice peccantem animadvertere, donec ipſi publice peracta pœnitentia ſatisfecerit.“ Agitata ea res eſt tempore concilii *Baſileenſis*, ſed adverſæ contentiones tum obſtiterunt, quemadmodum antea nimius medii ævi rigor intolerabilem reddens eam diſciplinam dici poteſt eccleſiæ eripuiſſe. Onera pœnitentiæ aggravabantur, & quæcunque pro locorum, & temporum circumſtantiis varia reperiebantur ſine diſcrimine collecta, obtrudebantur. Laborat non modica obſcuritate ipſa vetus illa pœnitentiæ diſciplina, & poſt tanta antiquitatis eccleſiaſticæ ſtudia adhuc in diverſas eruditi abſtrahuntur ſententias. SIRMONDUS in pœnitentiæ publicæ hiſtoria eidem obnoxia quidem fuiſſe docuit graviora peccata, ſed tamen ea duntaxat, quæ publica eſſent & manifeſta. Prodiit eodem tempore *Io.* MORINI vaſtum de diſciplina in adminiſtratione ſacramenti pœnitentiæ opus, in quo pœnitentiam publicam criminibus etiam occultis impoſitam fuiſſe, prolixe probare contendit, vultque, THEODORUM *Cantuarienſem* publicam occultorum criminum confeſſionem ſuſtuliſſe primum; contra quam incuſationem THEODORUM erudite defendit *Iacobus* PETITUS. PETAVIUS in opere de pœnitentia publica non omni peccato lethali, ſed iis tantum, quæ graviora eſſent & publica, pœnitentiam publicam impoſitam eſſe pro certo affirmat, ut tamen ſæpenumero propter occulta ſolum, & ab ipſo, qui commiſerat, ſponte prodita publica etiam indicta fuerit diſciplina, & ſuſcepta nonnunquam ſponte etiam ab iis, qui nullius quidem gravioris noxæ rei, eximio quodam pœnitentiæ ſtudio incenſi, inter publice pœnitentes nomen darent.

Huc ſane rediit tota illa vetuſtior pœnitentiæ diſciplina, ſuccreſcente paullatim canonum pœnitentialium numero, ac inducto publicæ & privatæ pœnitentiæ tribunali, hoc pro occultis, illo pro manifeſtis peccatis, ut ad utrumvis pro peccati qualitate convenire neceſſum eſſet. *De inſtitut. Cler. lib. II. c. 30.* „Quorum autem peccata (ſunt verba *Rhabani* MAURI) in publico ſunt, in publico debet eſſe pœnitentia per tempora, quæ epiſcopi arbitrio pœnitentibus ſecundum differentiam peccatorum decernuntur: eorumque reconciliatio in publico eſſe debet ab epiſcopo ſive presbyteris; iuſſu tamen epiſcoporum, ſicut canones *Africani* concilii teſtantur, ubi ita ſcriptum eſt: *Cuiuſcunque autem pœnitentis publicum & vulgatiſſimum crimen eſt, quod univerſam eccleſiam commoverit, ante abſidam manus*

ei

ei imponatur. Quorum ergo peccata occulta ſunt, & ſpontanea confeſſione ſoli tantummodo presbytero ſive epiſcopo ab eis fuerint revelata, horum occulta debet eſſe pœnitentia, ſecundum iudicium presbyteri, ſive epiſcopi, cui confeſſi ſunt." Hæc ad rationem veteris diſciplinæ expreſſa ſunt, quemadmodum etiam, quæ apud Halitgarium de hoc diſcrimine publicæ & ſecretæ pœnitentiæ ſeu ſatisfactionis ex ore fere S. Augustini habentur; atque inter alia hæc etiam eius verba ex homilia, ſeu, ut Possidio dicitur, libello *de utilitate agendæ pœnitentiæ* referuntur: „Nos enim quemquam a communione prohibere non poſſumus, quamvis hæc prohibitio nondum ſit mortalis, ſed medicinalis, niſi aut ſponte confeſſum, aut in aliquo ſive ſæculari, ſive eccleſiaſtico iudicio accuſatum atque convictum." Atque in libro VI. *Qui*, ut ait Halitgarius, *non eſt de labore noſtræ excerptionis, ſed aſſumtus de ſcrinio Romanæ eccleſiæ*, apertius declaratur diſcrimen publicæ ac privatæ pœnitentiæ, prout ſucceſſu temporis diſtinctum tribunal eſt conſtitutum in eccleſia: „Si quis inceſtum occulte commiſerit, & ſacerdoti occulte confeſſionem egerit, indicet ei remedium canonicum, quod ſubire debuiſſet, ſi eius facinus publicum fuiſſet. Verum quia latet commiſſum, detur ei a ſacerdote conſilium, ut ſaluti animæ ſuæ pro occulta pœnitentia proficiat: Hoc eſt, ut veraciter ex corde ſe graviter deliquiſſe confiteatur, & per ieiunia & per eleemoſynas, vigiliasque, atque ſacras orationes cum lacrymis ſe purgare contenderet, ſic ſe ad ſpem veniæ per miſericordiam Dei pervenire confidat." *T. XIV. Bibl. PP. p. 909.*

Hic tamen etiam ratio fuit habita veterum canonum. „Capitalia & mortalia (ut habet Capitulare Theodulphi *Aurelianenſis*) publice deflenda ſunt ſecundum canonum & ſanctorum Patrum inſtitutionem, ſed & ſecreta ſatisfactione ſolvi mortalia crimina non negamus, mutata tamen prius animi intentione, & ſæculari iactantia ſimul depoſita, piæ religionis confeſſo ſtudio, per vitæ correctionem, & iugi, imo perpetuo luctu ſe ſubmittente . . . Pœnitentiæ quippe modus in ſacerdotis pendet arbitrio. Qui ſacerdos diligentiſſime ſanctorum Patrum inſtituta diſcutiens & intelligens, ſecundum eorum auctoritatem confitentibus pœnitentiam indicere debet. Eſt quippe auctoritas canonum & ſanctorum Patrum firmiſſima inſtitutio." Et poſtea: „Quod autem ſupra diximus, de his agatur, qui publice ad confeſſionem venerint, & publice pœnitentiam egerint. Quodſi occulte actum eſt, & occulte ad ſacerdotem venerint, & puram confeſſionem fecerint, occulte pœnitere (debent) ſecundum ætatis modum, quod ſuperius continetur, ita videlicet, ut ſi ante vigeſi- *Miſcell. Baluzii T. VII. p. 26. pag. 32.*

mum annum, aut per ignorantiam hoc egit, aut forte ignorabat, non tale eſſe crimen, levius erga illum agendum; & hoc in ſacerdotis pendebit arbitrio.“ Apertiſſime diſcrimen hoc declaratur in concilio *Moguntino*

T. II. Conc. Germ. p. 141. an. 841. dum de prælio inter LUDOVICUM *Germanicum* & CAROLUM *Calvum* agebatur. „Quicunque conſcius ſibi, aut ira, aut odio, aut vana gloria, aut certe quolibet vitio quiddam in hac expeditione ſuaſit, vel geſſit, eſſet vere confeſſus ſecrete ſecreti delicti, & ſecundum modum culpæ diiudicaretur.“ In concilio provinc. *Frizlarienſi* an. 1246. de ſecreto

T. III. Conc Germ. p. 572 Ibid. p. 597. præſertim confeſſionis caute præcipitur, quod iisdem poſtea verbis in concilio *Moguntino* 1261. repetitur: „In confeſſionibus audiendis maximam adhibeant diligentiam ſacerdotes, ita ut a pœnitente uſitata peccata & communia ſigillatim; inuſitata vero tantum per quasdam circumlocutiones caute perquirant, ne inexpertis detur materia, quod ante neſcirent, perpetrandi. Caveat autem omnino ſacerdos, ne verbo aut ſigno, aut alio modo prodat aliquatenus peccatorem, ſed ſi prudentum conſilio indiguerit, illud absque omni expreſſione perſonæ caute perquirat, quoniam, qui peccatum in pœnitentiali iudicio ſibi detectum præſumpſerit revelare, non ſolum a ſacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendum pœnitentiam in arctum monaſterium detrudendum. Verum, quia quidam confeſſores, etſi perſonam confitentis non exprimant, circumlocutionibus tamen confitentium, & peccati circumſtantiis ſub quadam generalitate indiſcrete publicant confitentem; ſtatuimus igitur, ut nullus ſacerdos expreſſa religione, conditione, ſeu ſtatu alicuius, peccatum recitet confitentis; imo nec peccati qualitas, locus, ſeu vicinia perpetrati facinoris ſpecificetur ullo modo, cum ex huiusmodi circumlocutionum indiciis auditoris induſtria perſonam interdum eliciat peccatoris, & ex ſpecificatione peccati humana fragilitas ad perpetrandum ſimilia forſitan provocetur. Prohibemus etiam, ne quis ſacerdos ab uno ſibi confitente de aliorum peccatis, nominibus expreſſis inquirat.“ Leg. can. *Omnis utriusque ſexus*, concilii *Lateranenſis* an. 1215.

Confeſſio peccatorum. XI. Frequens eſt apud *Latinos* etiam S. CYPRIANUM & alios vox exomologeſis, quam plerique confeſſionem peccatorum arcanam & auricularem ſunt interpretati, quos notat *Gabr.* ALBASPINÆUS obſervat. 26. lib. II. ubi in alia omnia it, exiſtimatque: „Ut, quemadmodum Patres ſemper exiſtimarunt, pœnitentiam eſſe dolorem & aculeum, quibus peccatores ex conſcientia offenſarum in Deum lancinantur; ita ſemper hanc vocem *Exomologeſis* adhibuiſſe, cum ſignificare vellent ritus exteriores, utpote flendi, ingemiſcendi, ſeipſum incuſandi, & id genus alia pœnitentibus uſitata.“ Qua

de

Digitized by Google

de re ad nos nihil nunc attinet diſquirere, cum vox illa in monumentis noſtris liturgicis eo ſenſu non occurrat. Paſſim vero vox *apologia* accipitur pro confeſſione: de qua pauca ad inſtitutum noſtrum explicabimus. S. Bonifacius in homiliis, quas Martenius edidit T. IX. Coll. ampl. *Pag.* 195. ſedulo hortatur ad confeſſionem: „Si autem (inquit hom. 4.) abſconderimus, Deus illa manifeſtabit, velimus, nolimus. Et melius eſt uni homini confiteri peccata, quam in illo tremendo iudicio coram tribus familiis cœli terræque & inferorum publicari, & confundi pro peccatis." Contra Adelbertum hæreticum hic nova molientem ſic ſcribit ad Zachariam Papam: *Ep.* 124. „Tum demum, quod maximum ſcelus & blaſphemia contra Deum eſſe videbatur, fecit. Venienti enim populo & proſtrato ante pedes eius, & cupienti confiteri peccata ſua dixit: *Scio omnia peccata veſtra, quia mihi cognita ſunt occulta veſtra. Non eſt opus confiteri: ſed dimiſſa ſunt peccata veſtra præterita: ſecuri & abſoluti revertimini ad domos veſtras cum pace.*" Quæ leguntur, ac damnantur in ſynodo *Romana*, actione prima. *Ep.* 19. Apud eundem in epiſtola ad Ethelbaldum Ceolredus rex memoratur ſine pœnitentia & confeſſione de hac luce ad tormenta inferi migraſſe. Habentur duæ Alcuini epiſtolæ altera ad pueros S. Martini, altera inſcripta dilectiſſimis fratribus & patribus in provincia *Gothorum*, ubi laici detrectabant facere confeſſionem peccatorum; inter alia vero pro neceſſitate confeſſionis argumenta etiam ad liturgiam provocat: *Si peccata ſacerdotibus non ſunt prodenda, quare in ſacramentario orationes ſcriptæ ſunt?* In regula Chrodegangi eſt ſingulare cap. 31. de Confeſſionibus, ubi poſt varia ſcripturæ loca ſequitur: „Neceſſe eſt, ut dummodo, quæ ſuadente diabolo contra voluntatem & præceptum Dei commiſimus, per veram humilitatem & confeſſionem emendemus pœnitentes, ſicut ſancti Patres conſtituerunt; & deinceps, cum aliqua cogitatio mala in cor, ſuadente diabolo, venerit, cito epiſcopo vel Priori confiteatur; ut per veram confeſſionem & pœnitentiam regnum Dei habere mereamur. Nimis enim improbus eſt, qui ante Dei oculos peccat, & homini confiteri erubeſcit." Mox capite ſequenti 32. habetur *Ordo ad pœnitentiam accipiendam, & confeſſionem faciendam.* Sic autem præſcribitur: „Hæc eſt oratio pœnitentiæ & confeſſionis noſtræ, quæ coram Deo & ſacerdotibus eius a nobis pariter agendæ ſunt, id eſt, in unoquoque anno tribus vicibus, id eſt, in tribus Quadrageſimis populus fidelis ſuam confeſſionem ſuo ſacerdoti faciat. Monachi in unoquoque ſabbato confeſſionem faciant cum bona voluntate epiſcopo aut Priori ſuo. Quando volueris confeſſionem facere peccatorum tuorum, viriliter age, & noli erubeſcere, quia inde venit indulgentia, & ſine confeſſione non eſt indulgentia. Imprimis proſterne te humiliter

Digitized by Google

in conſpectu Dei in terra ad orationem, & roga beatam Virginem, cum ſanctis apoſtolis & martyribus & confeſſoribus, ut ipſi intercedant pro te ad Dominum &c."

Lib. III. Coſmogr. c. 26. T. II. P. II. Rer. Alem. p. 119. Antiq. Fuldenſ. lib. II. c. 14. T. I. Monum. Catech. p. 87. Bibl. Caſ. L. II. c. 5. pag. 318. De rit. eccl. T. II. c. VI. art. 7. Not. 661. & 662. Muſ. Ital. T. I. pag. 107.

Indigitatur hic confeſſionis generalis formula, quales etiam apologiæ vocari ſolebant, paſſimque in libris liturgicis habentur tum pro ſacerdote ante, & ſub miſſæ celebratione, tum alias etiam pro fidelibus variæ, ac diverſas peccatorum ſpecies nominatim continentes etiam vernacula lingua, quales ſunt apud MUNSTERUM, GASSARUM, GOLDASTUM, BROVERUM, SCHILTERUM ac LAMBECIUM, nosque etiam inter monumenta liturgica *Alemannica* damus. MUNSTERUS confeſſionem ſuam ante ducentos, & quod excedit, annos ex codice 600. annorum ſe deſcripſiſſe dicit, vocatque *offne alt-fränckiſche Beicht*, quo nomine apud nos venit, quidquid obſoletum eſt, atque ætate remotum. Eam cum aliis ex iam citatis auctoribus ſingulari ſyntagmate an. 1767. *Hannoveræ* edidit *C. V.* GRUPENIUS cum verſionibus & notis, adiecta formula confeſſionis *Anglo-Saxonicæ*. Apud MORINUM in appendice in ordine *Qualiter ſuſcipere debeat pœnitentem more ſolito &c.* poſt orationes & interrogationes ſequitur rubrica: *Deinde fiat confeſſio ruſticis verbis.* Ubi habes varias eiusmodi formulas confeſſionis non ſolum Occidentalis, verum etiam Orientalis eccleſiæ *Græcas*, qua lingua vocatur ἀκολουθία τῶν ἐξομολογουμένων. Apud MARTENIUM item, ac MENARDUM in ſacramentarium *Gregorianum*, in quo habentur *Orationes & preces ſuper pœnitentem confitentem peccata ſua more ſolito:* apud MABILLONIUM *ordo ad dandam pœnitentiam:* & in pœnitentiali *Romano*, tum etiam apud REGINONEM & BURCHARDUM variæ adſignantur eiuscemodi formulæ.

Articulatim requiſita.

XII. Ex his vero prolixe imprimis BURCHARDUS proſequitur quæſtiones iis factas, qui peccata ſua confiteri deſiderant, poſt præmiſſas nonnullas interrogationes generales: „His præmiſſis pœnitentem alloqui affectuoſe debet ſacerdos his verbis: *Frater, noli erubeſcere peccata tua confiteri, nam & ego peccator ſum, & fortaſſis peiora, quam tu feceris, habeo facta &c.* Videns autem eum ſacerdos verecundantem, rurſum proſequatur: *Fortaſſis, chariſſime, non omnia quæ geſſiſti, ad memoriam modo veniunt. Ego te interrogabo, tu cave, ne diabolo ſuadente aliquid celare præſumas.* Et tunc eum ita per ordinem interroget &c." Plures eiusmodi formulas invenies apud MORINUM in appendice de pœnitentia, ac quandoque etiam in conciliis, veluti *Herbipolenſi* an. 1298. prolixe & articulatim T. IV. Conc. *Germ.* p. 32. Nota vero, quæ in antiquo ordine publice pœnitentium monaſterii *Augiæ* maioris leguntur: „Deinde

de iubeat eum ſacerdos ſedere contra ſe; & ne forte præ verecundia, aut ignavia ſive oblivione aliquid putridum in corde remaneat, per quod iterum diabolus eum ad vomitum peccatorum reducat, conſideret etiam ſecum ætatem, conditionem, ſtatum, perſonam, & ſecundum hoc, ut ſibi viſum fuerit, ſingula quæque diiudicet."

Examen autem poſtea inſtituit ſecundum octo principalia vitia, ut paſſim connumerabant iuxta CASSIANUM in ſuis inſtitutionibus, & collationibus. Atque etiam in vita S. UDALRICI Ep. *Auguſtani* perhibetur octo illa vitia capitalia, haud dubie in hunc finem, frequenter eum ſolitum exponere: *Quærentibus autem quæ eſſent octo vitia principalia, reſpondit non ſolum illis, ſed & his, qui adhuc in hæſitatione manent, quæ ſint octo vitia*, ut habetur in actis ord. S. BENEDICTI. Ubi etiam ſingulare exemplum extat confeſſionis, ab ARBERTO epiſcopo *Curienſi* factæ S. MAIOLO abbati *Cluniacenſi*, per *Alpes Penninas* ſeu *Rhætias Romam* tranſeunti. „Qui viri Dei adventum populi rumore ut comperit, ut ſe viſitandum pergeret, precibus obtinuit, qui morbo ingraveſcente iam deſperatus de vita ſua, ei ſtuduit confiteri delicta, in multis ſe confitens offendiſſe, maxime in elatione, & quod boni egerat, per inanem gloriam ſe perdidiſſe timebat." Refert plura exempla confeſſionis MABILLONIUS Præfat. I. in ſæc. III. ord. S. BENED. etiam generalis peccatorum omnium per vitam. Atque univerſim confeſſiones ita iam articulatim inſtituebantur, iuxta ac diximus, recapitulatione octo vitiorum principalium: „Confeſſiones dandæ ſunt de omnibus peccatis, quæ ſive in opere, ſive in cogitatione perpetrantur. Octo ſunt principalia vitia, ſine quibus vix ullus inveniri poteſt. Eſt enim *Gaſtrimargia &c.*" ut legitur in capitulari incerti auctoris & loci.

Sæc. V. O. S. Ben. p. 434. Ibid. pag. 798.

Apud REGINONEM & BURCHARDUM, dum de omni mortifero peccato feria IV. ante Quadrageſimam confeſſio præſcribitur, ſubditur: „Non ſolum autem ille, qui mortale aliquod commiſit, ſed etiam omnis homo, quicunque ſe recognoſcit immaculatam Chriſti tunicam, quam in baptiſmo accepit, peccati macula polluiſſe, ad proprium ſacerdotem venire feſtinet, & cum purificatione mentis omnes tranſgreſſiones, omniaque peccata, quibus Dei offenſam ſe incurriſſe meminit, humiliter confiteatur, & quidquid ei a ſacerdote fuerit iniunctum, ac ſi ab ipſo omnipotentis Dei ore eſſet prolatum, ita diligenter intendat, & cautiſſime obſervet." Sicque apud auctorem de offic. ſub nomine ALCUINI præſcribitur: *Peccator confiteatur omnia peccata, quæ recordari poteſt.* Idque in concilio *Lateranenſi* an. 1215. ſynodi generalis decreto ſingulis annis ſaltem ſemel faciendum omnibus fidelibus eſt præceptum celebri

T. XI. Conc. ed. Venet. pag. 1384.

cano-

Digitized by Google

canone, hactenus univerſali eccleſiæ praxi conſecrato: Omnis utriusque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus peccata confiteatur ſaltem ſemel in anno proprio ſacerdoti, & iniunctam ſibi pœnitentiam ſtudeat pro viribus adimplere, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ ſacramentum, niſi forte de conſilio proprii ſacerdotis ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab eius perceptione duxerit abſtinendum, alioquin & vivens ab ingreſſu eccleſiæ arceatur, & moriens chriſtiana careat ſepultura. Unde hoc ſalutare ſtatutum frequenter in eccleſia publicetur, ne quisquam ignorantiæ cæcitate velamen excuſationis aſſumat. Si quis autem alieno ſacerdoti voluerit iuſta de cauſa confiteri peccata, licentiam eius poſtulet, & obtineat a ſacerdote proprio, cum aliter ille ipſe non poſſit abſolvere vel ligare." Integrum volui adducere in gratiam etiam acatholicorum, qui illum canonem tam variis modis inceſſunt, ac cavillantur, non obſtante, quod tam clarus, quam ullus alius, ſit ſcripturæ locus: *Quæcunque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata in cœlis, & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta in cœlis.* Demum nota, quod eodem adhuc

T. XIV. Conc. Ed. Ven. p. 1115. ſæculo an. 1287. in ſtatutis ſynodalibus IOANNIS epiſcopi *Leodienſis* ponitur: „Item ſacerdotes moneant confitentes, ut integre & diſtincte confiteantur omnia peccata mortalia, & circumſtantias, quæ aggravant peccatum, notantur autem in hoc verſu:

Quis, quid, ubi, quotiens, per quos, cur, quomodo, quando.

Venialia autem ſummatim ſufficit confiteri."

Abſolutio cum impoſitione manus & oratione. *Lib. XIX. dec. cap. 7.*

XIII. In pœnitentiali *Romano*, ut a MENARDO eſt editum cum HALITGARIO, inter orationes ad dandam pœnitentiam habetur: „Item oratio manus impoſitionis: *Domine ſancte Pater omnipotens &c.*" quæ inter alias apud BURCHARDUM occurrit, uti etiam canones concilii *Agathenſis* de impoſitione manuum ad dandam pœnitentiam, pariter ac apud REGINONEM. Quæ repetitis vicibus fieri ſolebat, uſque dum communioni reſtituerentur pœnitentes. Sic Patres concilii *Tolet. III.* ſtatuunt: „ut ſecundum formam canonum antiquorum dentur pœnitentiæ: hoc eſt, ut prius eum, quem ſui pœnitet facti, a communione ſuſpenſum, faciant inter reliquos pœnitentes ad manus impoſitionem recurrere: expleto autem ſatisfactionis tempore communioni reſtitui." In vita S. CORBINIANI, ab ARIBONE ſcripta, narratur, GRIMOALDUM ducem *Bavariæ*, eo tandem agente, ab inceſto PILTRUDIS coniugio abductum, ac

n. 5.

eccleſiæ unacum PILTRUDE pœnitentem eſſe reconciliatum: „Qui venientes humo ſe proſtraverunt ambo, & extenſis brachiis ad pedes eius, ſe graviter

viter peccaſſe, ſe nimium reos eſſe, profeſſi ſunt, & ita pura confeſſione ad pœnitentiæ confugerunt remedia. Quorum capitibus vir Dei manus imponens, ſigno æternæ ſalutis munire curavit, ex humo eos erigens, tantum lapſis deſignavit viam ſalutis, oſtendit remediorum ſolatia, eleemoſynarum largitate, ieiuniorum, & orationum frequentia adipiſcenda monſtravit: & ut amplius ſibi peccare caverent, ſollicite præmonuit." Quatuor omnino *Gabr.* ALBASPINÆUS manus impoſitiones in decurſu pœnitentiæ diſtinguit obſerv. 31. & ſeqq. lib. II. quarum primam minimam, ultimam maiorem reconciliationem vocat. Haud raro vero reconciliatoria manus impoſitio generatim pro abſolutione ſumitur. Sic in concilio *Arauſicano* I. memoratur reconciliatoria manus impoſitio: *Qui recedunt de corpore pœnitentia accepta, placuit ſine reconciliatoria manus impoſitione eis communicari.* Et in concilio *Carthag.* IV. *Pœnitentes, qui in infirmitate viaticum Euchariſtiæ acceperint, non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione.* Lib. V. coll. ANSEGISI, & tit. I. ISAACI *Lingonenſis* plures in hanc rem canones referuntur, ex quibus notamus 127mum. „Criminalia peccata multis ieiuniis, & crebris manus impoſitionibus ſacerdotum, eorumque ſupplicationibus iuxta canonum ſtatuta placuit purgari, ita ut nemo ſine manus impoſitione epiſcopi, aut eius iuſſu alicuius presbyteri ſe credat eſſe a ſuis facinoribus abſolutum." De conſueta reconciliatione pœnitentium in Cœna Domini diximus ſupra ſecundum antiquiſſimos noſtros libros liturgicos, uti in pœnitentiali *Romano* mox poſt orationem impoſitionis manus eadem oratio abſolutoria notatur, prout ſolebat forma deprecatoria dari. Aliam tamen habet REGINO cap. 295. quæ cum hodierna magis convenit. Sed caput iſtud non extare in Mſc. notat SCHANNAT, vel *Ioſ.* HARZHEIM S. I. T. II. Conc. *Germ.* p. 485. De reſtitutione LUDOVICI *Pii* in imperium ita narrat auctor eius vitæ, ubi de conventu apud THEODONIS villam an. 835. „Sequenti vero dominica, quæ ſacræ Quadrageſimæ initium præcedebat, in *Metis* civitatem domnus imperator, ſed & epiſcopi & populus univerſalis illius conventus venit; & inter miſſarum celebrationem ſeptem archiepiſcopi ſeptem reconciliationis eccleſiaſticæ orationes ſuper eum cecinerunt, & omnes populi hoc viſo pro plenaria reſtitutione imperatoris multas Deo reddiderunt gratias."

Can. 1. — *C. 78.* — *Apud Baluz. T. II. Capitul. p. 799.*

XIV. Obſerva autem, quod in ſtatutis S. BONIFACII dicitur art. 31. „Et quia varia neceſſitate præpedimur canonum ſtatuta de reconciliandis pœnitentibus pleniter obſervare, propterea omnino non dimittatur. Curet unusquisque presbyter ſtatim poſt acceptam confeſſionem pœnitentium ſingulos data oratione reconciliari. Morientibus vero ſine cunctamine

Pœnitentia quatenus iuxta canones iniuncta.

Digitized by Google

communio & reconciliatio præbeatur.“ Diſtinguitur hic communio Euchariſtica ſcilicet a reconciliatione, quæ veterrima conſuetudine haud raro promiſcue ſumitur pro more peccatores a communione eccleſiæ & Euchariſtiæ pariter removendi. „Quum in minoribus peccatis, (ſcribit S. CYPRIANUS) agant peccatores pœnitentiam iuſto tempore, & ſecundum diſciplinæ ordinem ad exomologeſin veniant, & per manus impoſitionem epiſcopi, & cleri ius communicationis accipiant: nunc crudo tempore, perſecutione adhuc perſeverante, nondum reſtituta eccleſiæ ipſius pace ad communicationem admittuntur, & offertur nomen eorum, & nondum pœnitentia acta, nondum exomologeſi facta, nondum manu eis ab epiſcopo & clero impoſita, Euchariſtia illis datur, quum ſcriptum ſit: *Qui ederit panem, aut biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis & Sanguinis Domini.*“ Vide citatos mox ac collectos canones apud ANSEGISUM lib. V. ISAAC. *Lingonenſem* tit. I. Ex quibus unum ſeligimus 128vum: Ut ſecundum formam canonum pœnitentibus detur pœnitentia, & prius eos a communione ſuſpenſos ad officium eccleſiæ excubare faciant, & inter reliquos pœnitentes ad manus impoſitionem crebro recurrere. Expleto autem ſatisfactionis tempore, & ſacerdotali percepta manus impoſitione, iuxta ordinem ſacramentorum & canonum reconcilient pœnitentes, & ſacra communione confirment.“ Dictum eſt ſupra, quod in epiſtola civis *Spirenſis* ad HERIBERTUM archiepiſcopum *Colonienſem* apud MARTENIUM prima hæc ſit querela, quod presbyteri abſolutionem impendant, quin explorarint, probarintque peccatores, ac pœnitentiam impoſuerint. In ſynodo *Romana* ſub GREGORIO VII. falſæ dicuntur pœnitentiæ, quæ non ſecundum auctoritatem ſanctorum Patrum pro æqualitate criminum imponuntur.

Epiſt. 1. ad Clerum de Lapſis.

T. I. Collect. Ampl. p. 358.

Varia Eccleſiæ diſciplina.

XV. Extat in pœnitentiali *Romano* peculiaris titulus: *Ut diverſitatem culparum ſacerdos non ex ſuo ſenſu, ſed iuxta Patrum ſtatuta curare nitatur.* Eiusmodi canones & ſtatuta in libris pœnitentialibus, aliisque collectionibus, veluti REGINONIS lib. V. ISAACI *Lingonenſis* tit. I. apud BURCHARDUM, pluribus libris habentur diſtinctius ſecundum perſonarum & criminum qualitates, veluti etiam apud *Rhabanum* MAURUM, ſub quo celebratum concilium *Moguntiæ* hunc edidit canonem, relatum item apud REGINONEM & BURCHARDUM: „Modus, tempusque pœnitentiæ peccata ſua confitentibus, aut per antiquorum canonum inſtitutionem, aut per ſanctarum ſcripturarum auctoritatem, aut per eccleſiaſticam conſuetudinem imponi debet a ſacerdotibus. Nam qui pro peccatis gravibus leves quosdam, & inuſitatos imponunt pœnitentiæ modos, conſuunt pulvillos, ſecundum

T. II. Conc. Germ. c. 31. pag. 160.

Digitized by Google

cundum propheticum ſermonem, ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas." Et in concilio *Wormatienſi* an. 868. adhuc eadem diſcretione pœnitentibus ſecundum differentiam peccatorum ſacerdotis arbitrio pœnitentiæ decernuntur: „Debet itaque ſacerdos in pœnitentia danda ſingulorum cauſas ſingulatim conſiderare, originem quoque modumque culparum, & affectus gemitusque delinquentium diligenter examinare, manifeſteque cognoſcere: temporum etiam & perſonarum, locorum quoque & ætatum qualitates inſpicere, ut etiam pro conſideratione locorum, ætatum, temporum, ſeu pro qualitate delictorum, atque gemituum uniuscuiusque delinquentis, a ſacris regulis oculos non reflectat." Sequitur paullo poſt canon, qui rigorem pœnitentiæ, qualis a ſæculo VII. potiſſimum inolevit, reſtringit: „Illi ſcilicet, qui pro diverſis erratibus, vel quibuscumque piaculis pœnitentiæ iugo fuerint ſubmiſſi, legitimo nullatenus matrimonio ſeparentur, ne in fornicationis voragine demergantur: & dum ad alta ſublevari ſperantur, corruant in cœno."

T. II. Conc. Germ. pag. 314. c. 25.

Ib. c. 37. p. 315.

Agit de aliis eiusmodi pœnitentiæ oneribus Morinus lib. VII. c. 14. ſeq. in habitu & inceſſu, ieiuniis, caſtigatione corporis, exilio etiam, peregrinatione, ſtatusque ſæcularis, & totius vitæ conditionis mutatione. In admonitione ſynodali hoc legitur: „Nullus pœnitentem invitet carnem manducare, & bibere, niſi pro eo ad præſens eleemoſynam faciat." Quod etiam in Capitularibus & alibi notatur: „Ut, quod erat ſuetum in aliquibus gravioribus criminibus ferreis catenis conſtrictum uſque ad umbilicum, exulem patria nudis pedibus peregrinari."

Lib. I. cap. 157.

Commune vero erat includi pœnitentes in Quadrageſima, uti conſpicuum eſt ex ordinibus antiquis agendæ pœnitentiæ. Et apud Ansegisum, ac Isaacum *Lingonenſem* legitur: „Qui a communione ſeparantur in locis, quibus ſecluſi fuerant, per manus impoſitionem recipiantur ad communionem." Durior pro clericis perſoniſque ſtatui monaſtico adſtrictis erat carceris pœna. „Quisquis ſervorum Dei (ut habet concilium *Germanicum*) an. 742. c. 6. vel ancillarum Chriſti in crimen fornicationis lapſus fuerit, in carcere pœnitentiam faciat in pane & aqua. Et ſi ordinatus presbyter ſit, duos annos in carcere permaneat, & antea flagellatus & ſcorticatus videatur, & poſt epiſcopus adaugeat. Si autem clericus vel monachus in hoc peccatum inciderit, poſt tertiam verberationem in carcerem miſſus, vertente anno ibi pœnitentiam agat. Similiter & Nonnæ velatæ eadem pœnitentia contineantur, & radantur omnes capilli capitis eius."

Lib. V. cap. 129.

T. I. Conc. Germ. pag. 49.

Fuit deinde ſpontanea ſeu propria flagellatio genus quoddam redemtionis pœnitentiarum, de quibus habes exempla varia apud Mabill. Præfat. I. in ſæc. VI. ord. S. Bened. Quod ſerius inolevit, antea vero plagæ ab aliis infligebantur, uti habetur etiam in pœnitentiali *Romano*, frequentiſſime autem in S. Columbani regula e. g. „Ut qui ſolus cum ſola femina ſine perſonis certis locutus ſit familiariter, maneat ſine cibo duobus diebus & aqua, vel ducentis plagis afficiatur.“ Dicebatur hæc ſuperpoſitio abſtinentia ſcilicet a cibo die ſolido & integro *Græcis* ὑπερθέσεις

Catech. 18. p. 293. uti apud S. Cyrillum legitur de ieiunio Paraſceves & vigiliæ. Occurrit etiam in pœnitentiali *Romano*.

Nullum priori eccleſiæ ætate extat exemplum impoſitæ clericis pœnitentiæ, ſeu impoſitionis manuum ad pœnitentiam, præter gradus amiſſionem; quin ſtatutum etiam expreſſe, ne qui uno genere fuit punitus, aliud ſentiat. Pœnitentiæ vero publicæ antea ſubiecti, deinceps a clericatu arcebantur. Diſciplina tamen poſteriore licuit etiam ad gradus honorem iterum poſt peractam pœnitentiam aſpirare. Qua de re inter

Epiſt. 72. epiſtolas S. Bonifacii una Isidori epiſcopi extat ad Masonem epiſc. ſcripta in hunc modum: „Nulla eſt in huiusmodi ſententiis decretorum diverſitas intelligenda, quod alibi legitur in lapſu corporali reſtaurandum honoris gradum poſt pœnitentiam, alibi poſt huiusmodi delictum nequaquam reparandum antiqui ordinis meritum. Illos enim ad priſtinos officii gradus redire canon præcipit, quorum pœnitentiam præceſſerit ſatisfactio, vel digna peccatorum confeſſio.“ Veteris diſciplinæ reſtaurandæ ſtudioſiſſimum inter alios in *Gallia* ſe oſtendit *Ant.* Arnaldus in libro *Gallice* conſcripto, atque etiam in *Latinum* translato *de frequenti communione*, cui gemina eſt inſcriptio libri P. *Hernandi* Salazaris S. I. diſcrimen tamen utriusque operis oſtendit Dionisius *Petavius* Theol. dogm. de pœnitentia publica, & præparatione ad communionem lib. V. quo Arnaldum impugnat.

Recentius immutata.

XVI. Defendit cauſam ſuam Arnaldus contra exceptiones Petavii in præfatione operis, quod inſcripſit: *La Tradition de l' Egliſe ſur le ſujet de la penitence, & de la communion: repreſentée dans les plus excellens ouvrages des SS. Peres Grecs & Latins; & des auteurs celebres de ces derniers ſiecles.* Qua in re dum quidem dici poteſt, veteres ſanctos Patres loqui de ratione pœnitentiæ publicæ, quæ tunc temporis vigebat; idem tamen de recentioribus piis & gravibus auctoribus teneri nequit; quos inter præcipui ſunt S. Carolus *Borromæus*, & S. Franciscus *Saleſius*, qui etſi paſſim fideles ad frequentem SS. Euchariſtiæ communionem excitet, ad

Digitized by Google

tantum tamen myſterium congruam flagitat præparationem; ſanctus autem Carolus mentem ſuam pluribus declaravit tum in ſermonibus ſynodalibus, ex quibus Arnaldus excerpta dat, cum in inſtructione confeſſariorum, quæ peculiariter edita eſt pro *Alemannia* noſtra in *S. Eremo*, curante Card. Passioneo, cum eſſet in noſtris partibus Nuncius apoſtolicus. Adduntur canones etiam pœnitentiales, quorum cognitionem a confeſſariis comparandam aliæ etiam recentiores ſynodi volunt, quatenus in hodierna pœnitentiæ arcanæ diſciplina locum habere poſſunt. Quam in rem in ſynodo noſtra diœceſana an. 1667. ſub *Marco* Sitico Card. & epiſcopo *Conſtantienſi* ſequens legitur cap. 5. tit. XII. „Confeſſarii canones pœnitentiales bene noverint, & de pœnitentia, quam cuique peccato præſcripſerunt, confitentes admoneant: ut tanto diligentius a peccatis cavere ſtudeant, quanto in pœnitentiis canonum mitigandis, benigniorem in ſe eccleſiam experiuntur.“ Notantur capite ſequenti libri quidam, ex quibus potiſſimum presbyteri officium confeſſarii diſcere valeant B. Antonini, Caymi *Mediolanenſis*, aut Thomæ, Cardinalis Caietani: methodus potiſſimum confeſſionis *Dilingæ* ante paucos tunc annos impreſſa in diœceſi *Auguſtana*, in qua an. 1567. celebrata fuit ſynodus, dataque egregia *de pœnitentiæ Sacramento* præcepta, hæc inter alia de pœnitentiis, quæ vocantur ſc. *fructus pœnitentiæ digni, qui poſt confeſſionem impinguntur, ac ſacerdotis arbitrio relinquuntur quidem; ſed tamen opus eſt non vulgari cautione, ut ab aliis, velut avaris præter orationem eleemoſynæ magis, quam ieiunia: ab aliis vero, ſeu incontinentibus ieiunia potius, aut alia pietatis & iuſtitiæ opera exigantur.* *T. VII. Conc. Germ. p. 490.* *P. II. c. 7. pag. 175.*

Quæ quidem aliena ſunt ab illa perverſa praxi, qua ſatisfactio Sacramenti pœnitentiæ fere in quibusdam precibus ponitur, & abſolutio ceu confeſſioni debita ſtatim indiſcriminatim conceditur: *Blanda pernicies*, ut S. Cypriano vocatur in libro de Lapſis, *irrita & falſa pax, periculoſa dantibus, & nihil accipientibus profutura. Non quærunt ſanitatis patientiam, nec veram de ſatisfactione medicinam. Operiuntur morientium vulnera, & plaga lethalis altis & profundis viſceribus infixa diſſimulato dolore contegitur . . . Cæterum ſi quis præpropera feſtinatione temerarius remiſſionem peccatorum dare ſe cuiquam putat poſſe, aut audet Domini præcepta reſcindere, non tantum nihil prodeſt, ſed & obeſt lapſis.* Lethalis hæc eſt diſciplinæ hodiernæ in ſacramento pœnitentiæ clades, unde tot ſacrilegia in ſacramento Euchariſtiæ & pœnitentiæ, tanta peccandi licentia, tamque præſens eſt in peccatis callum obducendi periculum in perpetua quadam confitendi, & iterum in eadem peccata labendi viciſſitudine: iudice S. Carolo *Borromæo* in laudata Inſtructione Confeſſar. *ex abſolutionis feſtinatione, quæ per incogitan-*

Digitized by Google

tiam, vel negligentiam, vel alia ex cauſa plerumque contingit fieri, ut quamplurimi in iisdem peccatis cum ingenti animarum ſuarum exitio longo tempore perſeverent. In hanc rem legi merentur complurium illuſtriſſimorum Eccleſiæ præſulum, atque Cardinalium diſſertationes, ac inſignium doctorum approbationes, ARNALDI libro de frequenti uſu communionis præmiſſæ; quæ certe iuſta cauſa eſt, ne promiſcue frequens S. Euchariſtiæ detur venia, etſi eam aliquando quotidie etiam alicubi ſumpſiſſe conſtet fideles: quæ nunc paſſim apud ſacerdotes ſaltem obtinet conſuetudo quotidianum Deo offerendi ſacrificium, non equidem improbanda, dummodo non deſit ad dignam præparationem, immunitatemque a labe peccatorum haud ſegnis contentio, ita ut etiam quotidianorum lapſuum frequens fiat ſacramentalis confeſſio, quæ apud fideles cæteros laudabili uſu toties, quoties ſacra Euchariſtiæ communio fit, præmittitur, atque in exercitationem quoque ceſſit pietatis, quæ fuerat olim ſolummodo remedium neceſſitatis.

Doctrina de adminiſt. ſacr. pœnit. Pariſ. 1706. 8.

Relaxato antiquæ pœnitentiæ rigore.

XVII. Varia autem fuit diſciplina publicæ illius pœnitentiæ, quæ cum ſæculo ſecundo adolevit, variis primum canonibus eccleſiaſticis conſtituta, atque ampliata ſucceſſu temporis, poſtea vero libris pœnitentialibus definita, indiſcrete haud raro, tantoque rigore, cui haud immerito tribui queat relaxatio lapſu temporis actioni pœnitentiæ inducta, obſoletis paullatim quatuor illis pœnitentium ſtationibus, commutatis etiam temporum momentis, ac operibus ſatisfactoriis, quæ vocantur fructus pœnitentiæ.

In Pœnitentiali *Romano* præſcribitur ſingillatim, quo ordine ſit peragenda pœnitentia illius anni, quo in pane & aqua ieiunandum eſt. Quid item primo anno obſervare debeat, quid ſecundo & tertio, & reliquis IIII. annis, qui homicidium perpetravit. Prius ſingulariter præſcriptus erat modus pœnitentiæ XL. dierum pariter, ac in concilio *Triburienſi* an. 895. quæ vocabatur, *carena*, *carrina*, formata voce ad inſtar *Quadragenæ*, vel *Quarentenæ*, ut DUCANGIUS obſervat. In ſynodo *Salegunſtadienſi* an. 1022. „Illud ſub anathemate decretum eſt, ut nullus presbyterorum cuiquam pœnitenti carinam dividere præſumat, ſi infirmitas non intervenerit.“ Et mox c. 18. „Decretum eſt in eodem concilio, ut omnis pœnitens, dum carinam ieiunat, de loco ad locum non migret, ſed ibi perficiat, ubi incipit; quatinus ſacerdos ſuus ſit ſibi teſtis.“ In concilio Provinciali *Moguntino* an. 1310. *de indulgentiis moderandis* cavetur inter alia: „In dedicationibus autem talium (baſilicarum) ac ordinum temporibus relaxari carenas, ac pœnitentes introduci omnino vetamus. Sed hoc fiet tantummodo in feſto Cœnæ Domini, ad hoc ordinato.“ Erat hoc conſuetum maxime

T. II. Conc. Germ. pag. 407.

Cap. 16. T. III. Conc. p. 57. 60.

T. IV. Conc. p. 221.

Digitized by Google

maxime pœnitentiæ tempus tum quadrageſimali tempore, ut ex antiquis libris liturgicis ſuperius oſtendimus a Fer. IV. Cinerum uſque ad Fer. V. Cœnæ Domini; tum etiam aliis anni temporibus impoſitum.

De ſchiſmaticis *Britannis Quartodecimanis* ALTHELMUS ad GERUNTIUM regem ſcribit, habeturque inter *Bonifacianas* ep. 44. „At vero, ſi quilibet de noſtris, id eſt, Catholicis ad eos habitandi gratia perrexerit, non prius ad conſortium ſodalitatis ſuæ adſciſcere dignantur, quam quadraginta dierum ſpacia in pœnitendo peragere compellantur.“ Damnatus eſt ab eccleſia in *Montaniſtis* ſuperſtitioſa trium Quadrageſimarum obſervatio, quæ tamen, uti etiam tres feriæ legitimæ, a *Græcis* ad nos delatæ, in pœnitentia imponenda ab ineunte ſæc. VIII. frequenter memorantur in ieiunio tranſigendæ. „Decretum eſt (ut in quadam ſynodo *Remenſi* habetur) ut tribus Quadrageſimis per tres annos agant pœnitentiam; ita ut prima Quadrageſima ſint extra eccleſiam, & Cœna Domini reconcilientur. Omnibus vero his tribus Quadrageſimis ſecunda, quarta, & ſexta feria in pane, ſale & aqua abſtineant, aut redimant.“ Deſiderantur, ut iam monuimus, in noſtris monumentis varii illi pœnitentium ordines, per quos in veteriori diſciplina ſecundum tempora & annos pœnitentia diſtribuebatur, moderarique poterant pro arbitrio epiſcopi conditiones pœnitentis. Lib. VII. capit. tit. 5. affertur eam in rem canon quintus concilii *Ancyrani* iſthic: „Epiſcopi poteſtatem habeant modum converſionis eorum examinare, aut humanius agere, vel plus temporis adiicere. Ante omnia autem & præcedens vita, & quæ conſecuta eſt, examinetur, & ſic eis clementia impertiatur.“ Sequens eandem in rem in ANSEGISI collectione canon ita habet: „Tempora pœnitudinis, habita moderatione, epiſcopi arbitrio ſunt conſtituenda, prout inſpectorum animos viderit eſſe devotos. Pariter etiam habentes ætatis ſenilis intuitum, & periculorum quorumque aut ægritudinum reſpicientes neceſſitates.“ Qui catenis conſtringebantur ſeu ferro, expectare ſolebant, donec ſuapte, Deo providente, rumperentur. Singulare eſt exemplum in vita S. WIBORADÆ incluſæ apud S. GALLI monaſterium de pœnitentia mœchæ, fœtum ex adulterio conceptum in vivarium demergentis, quam fideles decreverant ad ſtipitem ligatam cute privare. Sed mancus eſt textus iſtiusmodi: „Ad hoc etiam decretum eſt, ut circulum anni clauderet, omnibus feſtivis diebus paſſis crinibus, pedibusque nudis in atrio ſancti MAGNI ſtando, ut qui eius ſceleris conſcii contriſtabantur, illius pœnitentiam videntes conſolarentur. Poſtquam autem circulum anni in tali pœnitentia fideliter perſiſtendo clauſit, recogitans immanitatem reatus ſui, eadem pœnitentia ſponte ſua

L. VII. c. 21.

Sæc. V. O. S. Ben. p. 65.

ſua tandiu ſe adhuc obligavit, donec beata Wiborada eam ad ſe vocavit, frenaque afflictionis iam laxanda eſſe indicavit, puerum in refrigerio eſſe Poſtquam Wiborada meretricem pœnis afflictionis abſolvit, catenam cautelæ innexuit, admonens eam, ut impoſterum de tam nefandis ſceleribus ſe cuſtodiret."

Redemtiones pœnitentiarum.

XVIII. In noſtro Mſc. pœnitentiali copioſius & diverſius habetur, quam in vulgatis ad pœnitentiale Halitgarii, „Quid illis ſit agendum, qui ſtatutum ieiunium adimplere nequeunt. Item: De remedio unius hebdomadæ ex pœnitentiali *Romano*. De remedio unius menſis ex Pœnit. *Rom.*" Præſcribuntur autem pſalmi, genuflexiones, eleemoſynæ, ieiunia remiſſiora. „Qui vero pſalmos non novit, & ieiunare non poteſt, primo anno, quem in pane & aqua ieiunare debet, in eleemoſynam pauperibus XXII. ſolidos, & omnem VI. in pane & aqua ieiunet. Et IIII. Quadrageſimis illius anni, quidquid ſibi præparatur in cibo, vel in potu, illud æſtimet, quanti pretii eſſe poſſit, & medietatem illius pretii diſtribuat pauperibus, & aſſidue oret Deum." Aliter hæc apud Halitgarium, Reginonem & Burchardum ex pœnitentiali Theodori ponuntur. Regino autem & Burchardus citant pœnitentiale *Romanum* quoad redemtionem per pſalmos & genuflexiones, ſed aliter non nihil.

Ad Halitgarium notat Menardus, ſolidum *Francicum* olim quadraginta denariorum numero computatum, ex Hincmaro lib. de vita S. Remigii & ſyn. *Remen.* II. c. 41. tandem ad duodecim denariorum valorem redactum. *Rem.* Ceillier ſolidum argenti valere ſolidos 25. monetæ modernæ *Gallicanæ* annotat ad can. 4. Concilii *Liptinenſ.* ubi ſtatuitur: *Ut qui paganas obſervationes in aliqua re fecerit, multetur & damnetur XV. ſolidis.* In capitulari Caroli M. habetur: *Qui ſubdiaconum occiderit, CCC. ſolidos componat. Qui diaconum CCCC. qui presbyterum ſexingentos, ſi epiſcopum CCC. CCC. CCC. qui autem monachum CCCC. ſi quis immunitati aliquod dammum fecerit CCC. CCC. ſolidos componat.* Vid. in Capitul. *Recapitulatio ſolidorum.* In antiquiſſimo noſtro ſacramentario ad oram paginæ poſt miſſam, quam ſacerdos pro ſemetipſo debet canere, hæc adſcripta reperi: *Pro I. ſolido C. pſalmus aut tres miſ. Pro I. unctia CI. pſalmus aut tres miſſ. pro VI. unctias VI. pſalterios & miſ. I. pro I. libra XII. pſalter. & XII. miſ.* Occurrunt unciæ auri in multis pecuniariis paſſim in veteribus diplomatibus & in legibus, tum etiam in decretali pretio quorundam epiſc. an. 779. apud Ducangium. *Et qui redimere ipſas biduanas voluerit, fortiores comites uncias tres, mediocres unciam & dimidiam, minores ſolidum unum &c.* Singula-

Bibl. eccl. T. XX. pag. 772.

T. I. Conc. Germ. pag. 429. c. 33. 34.

T. I. pag. 323.

Digitized by Google

gulare eſt autem in noſtro ſacramentario antiquiſſimo exemplum de redemtionibus per preces & miſſas pro pecuniis ſeu eleemoſynis, quam concilium *Cloveshoviense* an. 747. vocat novam adinventionem, periculoſam conſuetudinem.

Sæc. XII. & XIII. invaluit novum redemtionum genus, promulgatis expeditionibus ſacris cruce ſignatorum ad recuperandam terram ſanctam, aut contra graſſantes hæreticos Dei & eccleſiæ Chriſti, eiusque antiſtitum violatores, homicidas, vaſtatores.

Indulgentiæ.

XIX. Redemtiones eiusmodi præludia fuerunt indulgentiarum, quales poſtea invaluerunt, diverſæ ab illis, quæ penes epiſcopos erant in relaxando pœnitentiæ iuxta canones rigore, quasve olim martyres ſeu confeſſores dabant lapſis per libellos, quorum paſſim apud S. CypriANUM fit mentio, nec indiſcriminatim ab epiſcopis acceptabantur, probabanturque: de quibus quid agat, anceps hæret DIONYSIUS *Alexandrinus* in epiſtola ad FABIUM *Antiochen.* ut apud EUSEBIUM legitur: „Quid ergo nobis fratres de his ſuadetis? Quid nos agere debemus? Utrum ſententiæ martyrum accedemus, & rem ab illis iudicatam, ſeu potius gratiam conceſſam tuebimur: & cum iis, quos illi miſeratione perſecuti ſunt, benigne agemus? An contra iudicium illorum irritum faciemus, nosque ipſi ſententiæ illorum diſcuſſores ac iudices conſtituemus, clementiam dolore afficiemus, ordinem conſtitutum evertemus, Dei ipſius indignationem provocabimus?“ Ubi obſervat poſt VALESIUM RUINARTUS, duplicem fuiſſe in eccleſia communionem, quæ lapſis indulgeri poterat, unam privatam & orationum; alteram publicam & ſacramentorum. Privatam ſcilicet, quæ a privatis, non ab epiſcopo concedebatur: ut, cum martyres ſeu confeſſores benigne excepiſſent lapſos ad ſe recurrentes, & eorum interceſſionem efflagitantes, vel ſi cum eis ipſis Deum orare permiſiſſent. Hæc autem communio ius nullum ad eccleſiæ ſacramenta percipienda, aut ad publicas eccleſiæ orationes accedendum præſtabat, licet epiſcopos ad mitius erga eiusmodi lapſos agendum excitaret. Altera vero communio ea erat, qua pœnitentibus ius reſtituebatur eccleſiæ Sacramentis, & publicis precibus participandi. Atque hinc fons & origo indulgentiarum petitur, dum penes epiſcopos ſemper fuit, prout iuxta conditionem pœnitentium viſum fuerit, de pœnitentiæ curſu relaxare, quam per ſtata tempora & ordines decurrere debuerant.

Vid. Gabr. Albaſpin. obſerv. 20. lib. I. & obſerv. 19. ſeq. lib. II.

Lib. VI. c. 42.

Act. ſinc. p. 179.

Cum autem ſucceſſu temporum nec ipſi epiſcopi immunes ab hac pœnitentiæ actione eſſent, exempla habemus in noſtra *Alemannia* de petita eiusmodi indulgentia a pontifice, qualem SALOMON *Conſtantienſis* acce-

Digitized by Google

pit, ob procuratam trium adverſariorum ſuorum mortem: *Romæ enim benigne ſuſceptus, cum ibi ſuplicans aliquamdiu moraretur, indulgentiam ſibi ab eo plorans petiit, tandem ab apoſtolico indulgentiam adeptus*, ut EKKEHARDUS narrat. In vita S. UDALRICI tradit GERARDUS, eundem *Romam* profectum *votorum antea ſibi diſpoſitorum promiſſionibus devotiſſime expletis, & graviſſimorum emolumentorum & indulgentiarum donis acceptis, reverſum eſſe*. BERTHOLDUS vero *Conſtantienſis* ad annum 1095. memorat de PRAXEDE uxore HENRICI, in ſynodo *Placentina* contra maritum conquerente: „Cuius querimoniam dominus papa cum ſancta ſynodo ſatis miſericorditer ſuſcepit, eoquod ipſam tantas ſpurcitias non tam commiſiſſe, quam invitam pertuliſſe pro certo cognoverit. Unde & de pœnitentia pro huiusmodi flagitiis iniungenda illam clementer abſolvit, quæ & peccatum ſuum ſponte & publice confiteri non erubuit.“ In concilio *Salegunſtadienſi* an. 1022. canon 17. eſt: *De illis, qui pænitentiam a ſuis ſacerdotibus accipere nolunt*, ſed indulgentiæ cauſa *Romam* petunt, qui abuſus damnatur, & indulgentiam nihil eſſe profuturam decernitur hisce verbis: „Quia multi tanta mentis ſuæ falluntur aſtutia, ut in aliquo capitali crimine inculpati, pœnitentiam a ſuis ſacerdotibus accipere nolint; in hoc maxime confiſi, ut *Romam* petentibus Apoſtolicus omnia dimittat peccata; ſancto concilio viſum eſt, ut talis indulgentia illis non proſit: ſed prius iuxta modum delicti pœnitentiam a ſuis ſacerdotibus iniunctam adimpleant, & tunc *Romam* ire, ſi velint, ab epiſcopo proprio licentiam, & epiſtolam ad Apoſtolicum ex iisdem rebus referendam.“ Iam canone 15. decretum erat, ut nullus *Romam* eat, niſi cum licentia epiſcopi ſui, vel eius vicarii. In concilio *Mogunt.* an. 1261. bis agitur graviſſime can. 17. & 48. „Contra Quæſtuarios maledicos, quibus ob monſtruoſum turpis quæſtus abuſum ſic incanduit orbis odium, cui, utpote homines peſtilentes, ſuaque nequitia merito odioſi, ita ſe reddiderunt exoſos, quod adverſum eos conſtrepit omnis linguæ conqueſtio queruloſa &c.“ Et ut eorum quæſtus ſciantur, proſequuntur Patres, poſtquam eorum nequitiam depinxerant, malas recenſere artes: „Hi profaniſſimi pro reliquiis ſæpe exponunt oſſa profana hominum ſeu brutorum, & miracula mentiuntur, cauſasque petitionum ſuarum mendoſe confictas, effuſis lacrimarum profluviis, ad quas habent oculos eruditos, & extenuatis faciebus cum clamoribus validis, & geſtibus miſerandis ſic motive proponunt, tantamque indulgentiarum numeroſitatem, contra ſtatutum generalis concilii, & relaxationem peccaminum pollicentur, quod vix eſt aliquis, etiam ipſorum agnoſcens nequitias, qui ſe a ſubventione eorum valeat continere, ex quo vileſcunt claves eccleſiæ, & diſſolvitur nervus eccleſiaſticæ diſciplinæ, cum pauci ſint.

Apud Goldaſt. T. I. p. 45. num. 61.

T. III. Concil. Germ. p. 57.

Ibid. pag. 600. & 612.

Digitized by Google

ſint, qui ſubire velint aliquam pœnitentiam, etiam impoſitam a proprio ſacerdote, credentes, vel ſaltem aſſerentes, ſe a peccatis per huiusmodi indulgentias abſolutos." Vocantur etiam *ſtationarii* in concilio *Mogunt.* an. 1318. ubi ſimiliter eorum artes pravæ damnantur, ut alibi paſſim, & utinam conſtans ea ſententia, ac decretum repetitum ſedis præſertim *Moguntinæ* fuiſſet. *T. IV. Conc. Germ. p. 266. & 598.*

CAPUT III.

De extrema Unctione & Viatico.

I.

De Oleo infirmorum.

Reconciliationi morientium ac infirmorum per ſacramentum pœnitentiæ iunctum fuit viaticum cum unctione olei; ad quæ tria ſacramenta promtius adminiſtranda miniſtri iubentur eſſe expediti. In ſtatutis S. Bonifacii tertium eſt: „ut presbyteri ſine ſacro chriſmate & oleo benedicto, & ſalubri Euchariſtia non proficiſcantur. Sed ubicunque vel fortuitu requiſiti fuerint, ad officium ſuum ſtatim inveniantur parati." *In reddendo debito*: additur in capitularibus; & poſtea cap. 29. „Omnes presbyteri oleum infirmorum ab epiſcopo expetant, ſecumque habeant: & admoneant fideles infirmos illud exquirere: ut eodem oleo peruncti a presbyteris ſanentur, quia oratio infirmi ſalvabit infirmos." Secundum hoc ergo intelligendus eſt canon concilii *Aquisgranenſis* an. 836. „Statutum etiam eſt, ut vel ſemel in anno, id eſt, in quinta feria, quæ eſt in Cœna Domini, unctio ſancti olei, in quo ſalvatio infirmorum creditur, per omnes civitates ab epiſcopis non negligatur, ſicut nunc uſque neglecta eſt, ſed omni devotione iuxta traditionem apoſtolicam, ac ſtatuta decretalium, in quo de eadem re præcipitur, peragatur." Haud ſcio, uſu frequentatum eſſe in eccleſia, ut ſolemnis ab epiſcopo unctio infirmorum in Cœna Domini fieret, ſemper tamen ea die benedicebatur oleum infirmorum, uti etiam chriſma, ac oleum catechumenorum. Hinc tum alias ſæpe, cum in Capitularibus ſtatutum legitur: „Ut presbyter in Cœna Domini ampullas duas ſecum deferat, unam *T. II. Conc. Germ. p. 79.*

Digitized by Google

ad chriſma, alteram ad oleum ad catechumenos inungendum, vel infirmos iuxta ſententiam apoſtolicam, ut quando quis infirmatur, inducat presbyteros eccleſiæ, qui pro ipſo orent, eumque inungant." Ut
C. 75. apud REGINONEM habetur: tres vero ampullæ notantur in capitularibus, & apud BURCHARDUM, tum etiam alibi, quod BALUZIUS adnotavit, ac ex ſacramentariis conſtat.

In noſtro antiquiſſimo hæc primum rubrica ponitur in miſſa *Chriſmali*, ut inſcribitur: „Item in ultimo, antequam dicatur: *Per quem hæc omnia Domine*, benedicis oleum pro infirmis ſive pro populo his verbis: *Emitte &c.* Poſtea oblato a diacono alio oleo ad benedicendum, & ſic dicis: *Dominus vobiſcum &c. Deus incrementorum &c.* Poſtea miſces balſamum cum alio oleo, & benedicis chriſma." Sequitur poſt miſſam *chriſmalem*: *Item olei exorcizati confectio.* Vide de his AMALARIUM lib. I. c. 12. Idem oleum infirmorum eſt etiam energumenorum, unde in benedictione *vexaticorum* fit mentio iuxta ordinem *Rom.* Benedictio olei *Ambroſiana* hanc habet inſcriptionem: *Ad inungendum tam infirmos quam energumenos. Energumenos etiam* (inquit THEODULPH. *Aurelian.* in Capitul. apud BALUZ. T. VII. Miſcell. p. 44.) *legimus oleo ſancto perunctos & ſanatos. Secundum beati* IACOBI *apoſtoli documentum*,"
Apud Baluz. T. I. p. 1170. ut legitur in addit. III. Capitul. ex conc. *Cabilon.* II. c. 48. cui etiam decreta Patrum conſonant, „infirmi oleo, quod ab epiſcopis benedicitur, a presbyteris ungi debent. Sic enim ait: *Infirmatur aliquis in vobis &c.* Non eſt itaque parvi pendenda huiusmodi medicina, quæ animæ corporisque medetur languoribus."

Unctionis infirmorum varii ritus.

II. Multi habentur apud REGINONEM & BURCHARDUM canones de viſitandis a presbytero infirmis, ac reconciliandis. Canon 116tus apud REGINONEM *de ungendis infirmis*, ex concilio *Turonenſi* deſumtus hæc decernit: „Poſtquam infirmus ab onere peccatorum per confeſſionem relevatus fuerit, & a ſacerdote reconciliatus, oleo ſanctificato in Dei nomine inungendus eſt primum in pectore, deinde inter ſcapulas cum precibus, ad hanc ſanctam unctionem pertinentibus, ut iuxta apoſtolum oratio fidei ſalvet infirmum." Ubi vides notari earum tantum corporis partium unctionem, quæ ante baptiſmum in catechumenis ungi ſolent. Sed in antiquis libris noſtris obſequialibus, aliisque liturgicis variæ deſignantur corporis partes. In ord. *Romano*, ubi habetur *ordo ad viſitandum infirmum*, ſequitur: *Ordo*
Muſ. Ital. T. II. p. 113. *compendioſus & conſequens ad ungendum infirmum*, qui ſic incipit: „Intincto namque pollice in oleo infirmorum ſacerdos in ægri corpore ſi-
pag. 42. ſeq. gnum crucis faciat in ſeptem, vel in aliquantis locis." In mox laudato Capi-

Digitized by Google

Capitulari Theodulphi articulatim habetur ordo de unctione infirmorum & pœnitentia, & viatico, atque inter alia illud etiam ſingulare: *Fundat ſacerdos de oleo ſacrato in aquam benedictam, & ſpargat eam dicens: Benedic &c.* De variis unctionibus ungendique modis varia item notantur. In Pontificali *Salisburg.* ann. 600. apud Martenium hoc habes: „Et ſic perungant ſinguli ſacerdotes infirmum de oleo ſanctificato, cruces faciendo in collo, & gutture, & pectore, & inter ſcapulas, ſeu in loco, ubi dolor plus imminet, & in quinque ſenſibus corporis &c.“ Eandem rubricam leges apud Martenium in *Itinere litterar.* an. 1724. ex antiquo ſacramentario *Oignacenſi*, exceptis illis verbis, *ſeu in loco, ubi dolor plus imminet;* quæ tamen alias paſſim occurrunt apud eundem de rit. eccleſ. In ſacramentario autem illo notá non ſolum varias formulas precum inter ungendum, quod alias frequens eſt, ſed etiam rubricam additam: *Item alia ab alio dicenda.* Frequenter ſeptem aſſignantur ſacerdotes. Quorundam errore accidit, ut ungente uno alter formulam proferret, quod ſynod. *Argentinenſ.* an. 1435. damnavit. In ſacramentario S. Eligii quinque ſenſus, ut fit hodie, & quidem una formula inungendi præſcribuntur: „Multi enim ſacerdotum infirmos perungent inſuper in quinque ſenſus corporis, id eſt in ſuperciliis oculorum, & in naribus deintus, & in narium ſummitate, ſive exterius, & in labiis exterius, & in manibus exterius id eſt, deforis. In omnibus ergo his membris crucem faciant de oleo ſacrato dicentes. *In nomine Pa✠tris & Fi✠lii & Spiri✠tus ſancti.* Hoc enim faciant, ut ſi in quinque ſenſus mentis & corporis aliqua macula inhæſit, hæc medicina Dei ſanetur.“

De ritibus eccleſ. T. II. c. 7. a. 4. p. 167.

pag. 121.

pag. 237.

Præcedunt tamen aliæ etiam ad ungendum orationes in antiquiſſimo obſequiali cod. *San-Blaſ.* 800. circ. ann. ſolum autem pedum unctio adiicitur, & ad manus ſequens ponitur rubrica. *Item faciat ſuper utramque manum, & ſacerdoti extrinſecus*, ut hodie fit. Eſt etiam una ſemper forma ſeu oratio eadem cum hodierna: *Per iſtam unctionem &c.* ante omnem vero unctionem: „Tunc ſacerdos illiniat polſici de oleo & dicat: *In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti ungo te oleo ſacrato, ut per hanc unctionem accipias plenam peccatorum remiſſionem.* Statimque cum pollice intincto de oleo faciat ſignum ſuper utrumque oculum.“ In antiquo ſacramentario *Cabilonenſi*, quod vidi, notatque Martenius in *Itin liter.* una hæc pro omnibus unctionibus pronuncianda præſcribitur formula: *In nomine Patris, & Filii & Spiritus ſancti, ſit tibi hæc perunctio olei ſanctificati ad purificationem mentis & corporis.* In obſequiali *Weſſofontano* variant quidem verba ad ſingulas, eaſque va-

P. II. p. 89.

riarum corporis partium unctiones, imprimis vero prolixa eſt ad aurem dextram: *In nomine Patris & Filii & Spiritus S. accipe ſanitatem. Benedicat te Deus Pater &c.* ut hodie poſt peractam iam unctionem adiici ſolet. Paſſim per ſeptem dies ſic tum unctio, cum etiam communio repetenda præſcribitur, *ſi neceſſitas contigerit.* Ubi nota ſententiam *Scholiaſtis* in DIONYSII eccleſiaſticam Hierarchiam, quem CASSANDER ALBERTUM *magnum* eſſe putat: „Cum pro ſalute infirmantium ſuffragia presbyterorum & inunctio petebantur, non præſtolabatur ſumma rerum deſperatio, imo ut in libris myſteriorum adhuc legitur, eccleſiæ longiſſimus mos fuit, presbyteros orationes & inunctiones per ſeptem dies, ſi oportere videbatur, continuare pro ſalute infirmantium, & ad Deum votis, & invocationibus ſupplices.“ In eccleſiam quoque, quod fit apud *Græcos*, infirmum deportari mos erat, ibique genibus flexis, aut in cilicio, ſuperiecto cinere, iacenti adminiſtrabatur.

Liturg. p. 288.

Sacra Unctio.

Multa exempla proſtant recuperatæ ſanitatis tum per ſacramentum extremæ unctionis, tum etiam alias per oleum benedictum, a viris ſanctis ſubminiſtratum, de quo obſcurus eſt locus in epiſtola INNOCENTII I. *Quia ſancto oleo chriſmatis perungi poſſunt, quod ab epiſcopo confectum, non ſolum ſacerdotibus, ſed omnibus uti chriſtianis licet in ſua aut ſuorum neceſſitate ungendum.* Patet ex ſubſequentibus, fuiſſe, qui dubitarent, an epiſcopo liceat hoc ſacramentum adminiſtrare? Quod merito *ſuperfluum adiectum* dicit, *ut de epiſcopo ambigatur, quod presbytero licere dubium non eſt.* In vita S. UDALRICI narratur c. 16. „ſanctificatum vero oleum in die Cœnæ Domini ab eo tam ſalubre effectum eſt, ut multi in infirmitate poſiti, ab eo uncti celeriter ſanitati reſtituerentur, & multi caliginem oculorum habentes, & præſentis luminis ſe in hoc ſæculo munere carentes putavere, a tactu huius olei ſerenitate oculorum iterum uti meruerunt. Quod ſe vidiſſe auctor teſtatur, & de ipſo Sancto idem mox perhibet, cum oleum ei præſentaretur. Peracto ſacro myſterio monachi ad eum introducti ſunt præſentibus clericis, qui cum eo illuc devenerunt, & cantatis pro eius infirmitate ſeptem pſalmis, letaniaque devote expleta, quemdam ſanctum monachum, HILTINE nominatum, ad clauſtrum revertentes fratres ad ungendum eum oleo ſancto cum ſuis duobus presbyteris dimiſerunt.“ Narrat deinde, quomodo inde convaluerit.

Act. SS. O. S. Ben. ſec. V. p. 444.

Extrema Unctio ante Viaticum.

III. Extremam unctionem ante viaticum conſtanter in antiquis monumentis liturgicis præſcriptam reperi, uti apud REGINONEM etiam expreſſe notatur: *Poſt quam infirmus ſacra unctione fuerit delibutus, ſtatim*

Lib. I. cap. 119.

Corpore

Digitized by Google

Corpore & Sanguine Domini recreandus eſt. Mutationem quidem iam ſæc. XIII. in hoc ordine ex *Britanniæ* conciliis conieciſſe ſibi viſus eſt Mabillonius: „Quippe (inquit) falſa hæc vulgi animos eo tempore invaſit perſuaſio, non amplius poſt ſuſceptam ſemel infirmorum unctionem licere uxoratis, ſi convaluiſſent, reverti ad opus coniugale. Quæ ſuperſtitio ad alia erroris capita ſenſim prolapſa effecit, ut unctioni viaticum præmitterent." Refert eiusmodi nonnulla ex conc. *Wigornienſi* & *Oxonienſi*, veluti præter uſum coniugii vetitum etiam eſſe carnes comedere, aut nudis pedibus ambulare; quibus alia vulgi deliramenta addere nil iuvat. Mirum vero eſt, potuiſſe conſtantem adeo uſum ubique fere, præterquam apud monachos *Ciſtercienſes*, perverti. In noſtro ordine operis Dei ſæc. XIV. recentiori manu ſæc. XV. vel XVI. in ora adnotatur: *Et ſi utrumque ſacramentum miniſtrabitur infirmo ſimul. . . extrema unctio prius conferatur, & poſtea Corpus Chriſti.* Idem præſcribitur in Mſſ. conſtitutionibus *Wilhelmitarum* in codice Mſc. bibliothecæ noſtræ eiusdem ætatis. In *Ambroſiano* ordine tamen miniſtrandi ſacramenta ægris, & orandi pro iis, ante ſeptingentos annos ſcripto apud Muratorium, prius communio præſcribitur T. IV. antiq. *Ital.* p. 845.

Præfat. in ſæc. I. O. S. Ben. n. 100.

IV. Nota vero in eodem *Ambroſiano* ordine: „Et cum poſuerit in ore ipſius Euchariſtiam, dicat ſacerdos: *Corpus Domini noſtri IESU Chriſti Sanguine ſuo inlitum, intinctum, mundet te ab omni peccato.*" Et ita in antiquiſſimo miſſali bibliothecæ *Ambroſianæ* reperiſſe ſe etiam teſtatur Muratorius l. c. ubi habetur olei ſancti unctio, ſubinde additur: „Communica eum & dic: *Corpus Domini noſtri IESU Chriſti Sanguine ſuo tinctum, conſervet animam tuam &c.* Oratio: *Domine ſancte Pater te fideliter deprecamur, ut accipiente fratre noſtro ſacroſanctam hanc Euchariſtiam ✠ Corporis & Sanguinis Domini noſtri IESU Chriſti &c.*" Apud Reginonem & Burchardum refertur canon ex concilio *Turonenſi*: „Ut omnis presbyter habeat pyxidem, aut vas tanto ſacramento dignum, ubi Corpus dominicum diligenter recondatur ad viaticum recedentibus a ſeculo. Quæ ſacra oblatio intincta debet eſſe in Sanguine Chriſti, ut veraciter presbyter poſſit dicere infirmo: *Corpus & Sanguis Domini proficiat tibi &c.*" In ordine *Rhenaug.* ſæc. circ. XII. ita ritus deſcribitur: „Peruncto infirmo lavet ſacerdos manus ſuas, & educat Corpus Domini, dum canuntur pſalmi. Poſtea dicit ſacerdos *Pater noſter &c.* cum duabus orationibus. His finitis communicet infirmum ſtantibus fratribus. Et antequam communicet, dicat ſacerdos: *Corpus Domini noſtri IESU Chriſti intinctum Sanguine ſuo mundet ab omni peccato, & conſervet animam tuam in vitam æternam.*

Viaticum particula intincta.

pag. 844.

Lib. I. c. 70.
Lib. V. c. 9.

Digitized by Google

Voyage lit. p. 466. *Diſſert. de liturg. præſanctificatorum.* *Diſſ. I. de libris eccl. Græc.* *Ep. 32. ad Pont.*

ternam. Poſt hæc communicet &c." Conſuetudo hodieque apud *Græcos* eſt, teſte De-Moleon, conſecrandi grandem panem unacum Sanguine, quo panis tingitur, & ſic ſervatur per integrum annum particulis ad viaticum decerpendis: quod fit ex præſcripto euchologii, uſuque fere totius eccleſiæ Orientalis. Qua de re vide Arcudium, & *Leonem* Allatium. Vetitum eſt can. I. Concilii *Bracarenſis* III. an. 675. laicis ſanis hoſtiam ſacro ſanguine intinctam præbere, quod pariter apud eccleſiam Orientalem obtinet. Idem Paschalis II. prohibuit, præterquam in parvulis ac omnino infirmis, qui panem abſorbere non poſſunt. Qua de re ſupra diximus.

Sub una vel duabus ſpeciebus.

V. Cum viaticum pro infirmis ſervari ſemper conſueverit, non id ita ſub ſpecie vini, quam panis fieri potuit; hinc paſſim viaticum ſub una ſpecie fuit datum, ut ex antiquiſſimis exemplis conſtat. Quale eſt apud Eusebium lib. VI. hiſt. eccleſ. c. 36. & Nicephorum lib. VI. c. 6. de Serapione, ad quem Dionysius *Alexand.* Euchariſtiam per acolythum deferri fecit. Apud Paulinum in vita S. Ambrosii c. 24. legitur, eadem hora, qua ſanctus pontifex e vita erat migraturus, Honoratum ſacerdotem eccleſiæ *Vercellenſis*, cum in ſuperiori domus ſe ad quieſcendum compoſuiſſet, tertio vocem vocantis ſe audiviſſe, dicentiſque ſibi: ſurge feſtina, quia modo eſt receſſurus. Qui diſcedens obtulit ſancto Domini Corpus. Quod ubi accepit emiſit ſpiritum, bonum viaticum ſecum ferens. S. Gregorius *Nazianz.* orat. in funere Parentis refert, Patrem ſuum ſacerdotem aliquando febri graviter decubuiſſe, & Euchariſtiam paucis abinde conſecratam diebus non præſentibus tantum, ſed & ſibi ipſi in ſpem immortalitatis dediſſe. Succeſſu temporis nonnunquam etiam laicis permiſſum, quod apud Reginonem, Burchardum & Gratianum relato can. *Remenſi* damnatur: „Ut laico aut feminæ ſacrum corpus Domini tradant ad deferendum infirmis, & quibus prohibetur, ne ſacrarium ingrediantur, nec ad altare appropinquent, illis ſancta ſanctorum committantur." In ſermone ſynod. qui S. Udalrico tribuitur, presbyteris præcipitur: „Infirmos viſitate, & eos reconciliate, & iuxta apoſtolum oleo ſancto inungite, & propria manu communicate. Et nullus præſumat tradere communionem laico, aut feminæ ad deferendum infirmo." In ſtatutis ſynod. eccleſ. *Leodienſis* præſcribitur: *calix ad communicandum infirmos mundus & integer habeatur, & coopertus cuſtodiatur, & ſi facultas ſuppetat, fiat argenteus.* Et mox: *Pyxis, in qua corpus Domini reſervatur, vel ad infirmos defertur, eburnea vel argentea ſit.* Solius vero deinceps corporis Domini ad infirmos

T. II. Conc. Germ. pag. 460. *T. XI. Conc. pag. 1076.*

defe-

deferendi ſit mentio repetitis vicibus. Sunt autem ſtatuta hæc promulgata anno 1287. ad quem referuntur in edit. Concil. In noſtro obſequiali ann. 800. ſic habetur: „Tunc communicet eum, & dicat: *Corpus Domini noſtri IESU Chriſti proficiat tibi in vitam æternam. Amen.*“ Haud raro tamen in antiquis monumentis liturgicis legitur: *Deinde communicet eum Corpore & Sanguine Domini. Et ſic faciant per ſeptem dies, ſi neceſſitas fuerit, tam de communione, quam & de alio officio.* Ut in *Saliſburgenſi* ann. 600. & aliis videre licet apud Martenium, ac paſſim etiam in Mſſ. Idem Martenius *in Itin. litter.* ex antiquo rituali refert ambas formulas ad viaticum: *Corpus Domini noſtri IESU Chriſti ſit tibi remedium ſempiternum ad vitam æternam. Amen. Sanguis Domini noſtri IESU Chriſti cuſtodiat te in vitam æternam. Amen.* Exemplum laici refertur præfat. in ſæc. VI. ord. S. Bened. *Mane adveniente pro bona iterum devotione dominici Corporis & Sanguinis ſacramenta percepit, ubi poſt ſanguinem vinum ebibiſſet &c.* In vita Odonis *Cluniac.* narrat Ioannes: *Cum veniſſet ad S.* Paulum, *mox abiit, & pro fratre* Benedicto *miſſam celebravit, eique Corpus & Sanguinem Domini viaticum tribuit.* Ubi adnotat Mabillonius: *Moris erat quondam, ſaltem ſæpiſſime, ut miſſa ad viaticum infirmo præbendum celebraretur, quod in extremo fere agone tribui ſolebat.* Quod ex Odone ipſo probat in lib. III. de vita S. Geraldi cap. 7. „Cæteris pro exitu pſallentibus, quidam de ſacerdotibus miſſam concitus celebravit, atque ſacroſanctum myſterium attulit. Cum vero quidam dicerent, quod iam deceſſiſſet; ille ſenſum adhuc retinens oculos aperuit, & hoc indicio nondum ſe deceſſiſſe monſtravit.“ Etſi autem miſſa celebrata fuerit, ſolum tamen de ſumto Corpore Domini ſit mentio. Nota, quod in ſacerdotali *Romano* P. Castellani, *Venetiis* ſæpe recuſo ſæc. XVI. præſcribitur: „ſi epiſcopo ægrotanti ſit præbendum viaticum, ſacerdos in portatili celebret, & partem Sanguinis ſervet, quam epiſcopo ſumendam præbeat, poſt datam conſecratam particulam ſacerdos parochialis, ſi alios non habeat, debet ſtare ieiunus uſque ad horam congruam celebrandi, & ſi celebrat, non debet ſumere purificationem propter neceſſitatem.“

T. II. de Rit. p. 169.
P. I. pag. 185.
Act. O.S.B. ſæc. V. pag. 175.

VI. Diſcimus ex antiquo rituali monaſterii S. Martini *Tornacenſis* ann. 600. circiter, ut refertur apud Martenium, ablutionem ſaltem ex calice dari ſolitam, etſi ſub panis ſolum ſpecie viaticum daretur: „Interim dum affertur corpus Domini, lavatur bucca infirmi, & antequam communicetur, *Confiteor Deo &c.* dicit, & fratribus in commune reſpondentibus *Miſereatur veſtri*, ſolus ſacerdos proſequitur: *Indulgentiam*,

Cum ablutione, ſeu vino non conſecrato.
In Itiner. 1724. pag. 104.

& abſolutionem, & remiſſionem omnium peccatorum tuorum &c. Ipſum autem Corpus Domini in vino & aqua mixto intingitur. Quo epotato, bibit quoque ablutionem calicis, &, ſi poſſit, ablutionem digitorum ſacerdotis, & adhuc calicis. Si non poſſit, alius bibit." In pontificali *Romano* bibliothecæ S. Crucis *Minorum* conventualium *Florentiæ*, & quidem ante unctionem infirmi præſcripta legitur talis communio his verbis apud MABILLONIUM in *Itinere Ital. Tradit ei ſacerdos Euchariſtiam dominici Corporis, intincto vino, tali intinctione ſanctificato.* Ita intelligi poteſt, quod inter ſtatuta S. BONIFACII habetur: *Si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori eius Euchariſtia.*

T. I. Muſ. Ital. P. I. p. 162.

Cura, ne quis ſine viatico decedat, ſeu communione ſaltem reconciliatoria.

VII. Agitur de eo, qui pœnitentiam in infirmitate petit, vel caſu, dum ad eum ſacerdos invitatus venit, oppreſſus in infirmitate obmutuerit, vel in phreneſin verſus fuerit. Eiusmodi canones de viatico nemini denegando collecti apud REGINONEM & BURCHARDUM leguntur. In Capitulari I. CAROLI M. præſcribitur: „Ut de inceſtis & criminoſis magnam curam habeant ſacerdotes, ne in ſuis pereant ſceleribus, & animæ eorum a diſtricto iudice Chriſto ab eis requirantur. Similiter de infirmis & pœnitentibus, ut morientes ſine ſacrati olei unctione, & reconciliatione, & viatico non deficiant."

T. I. p. 192.

Viaticum in antiquis canonibus, quando de pœnitentibus agitur, pro communione reconciliatoria etiam citra Euchariſtiam accipitur. Sic *Gabr.* ALBASPINÆUS primis illis ſæculis obſervatum fuiſſe dicit, & ſatis præclare & liberaliter cum pœnitentibus agi creditum, ſi illis abſolutio ſine Euchariſtia concederetur; dumque præſcriptum eſt, ut communio pœnitenti detur, hæc communio eo pertinet, ut non de Euchariſtia, ſed de communione & ſocietate, quæ illi eſſe poteſt cum fidelium corpore & eccleſiæ communitate, accepta abſolutione intelligatur. Exempli loco ſit canon 6. concilii *Ancyrani*: „Quodſi alicui quodlibet mortis periculum aut ex ægritudine, aut ex aliqua alia cauſa acciderit, his communio propter viaticum ſuum non negabitur." ALBASPINÆO igitur tot ſunt gradus, aut genera viatici, quot & communionis in corpore fidelium, ſeu modi, viæque eccleſiæ communioni reſtituendi moribundos. Affert is inter alia concilii *Arauſicani* I. can. 39. huius ſententiæ: „Qui recedunt de corpore pœnitentia accepta, placuit ſine reconciliatoria manus impoſitione eos communicare, quod morientis ſufficit conſolationi, ſecundum definitiones Patrum, qui huiusmodi communionem congruenter viaticum nominaverunt." Severior fuit antiquiſſima diſciplina concilii *Eliberitani* imprimis, ac *Arelatenſis* I. non paucis criminibus etiam in morte negandi communionem.

Lib. I. obſerv. 11.

Canon 1. 2. 3. 6. 7. 8. 10. 12. 13. 18. 47. 49. 63.

VIII.

Digitized by Google

VIII. In concilio *Moguntino* an. 847. c. 27. ſic legitur: „Quæſitum eſt ab aliquibus fratribus de his, qui in patibulis ſuſpenduntur pro ſuis ſceleribus poſt confeſſionem Deo peractam, utrum cadavera illorum ad eccleſias deferenda ſint, & oblationes pro eis offerendæ, & miſſæ celebrandæ, an non? Quibus reſpondimus: Si omnibus de peccatis ſuis puram confeſſionem agentibus, & digne pœnitentibus communio in fine ſecundum canonicum iuſſum danda eſt, cur non eis, qui pro peccatis ſuis pœnam extremam perſolvunt?“ Multis a ſæculis in *Gallia* viguit ſeverior diſciplina, ut ad mortem damnatis communio negaretur. Qua de re dubium aliquod habetur in epiſtola Gilberti epiſcopi *Pictavienſis* ad Matthæum abbatem *S. Florentii.* Theſ. Anecd. Martenii T. I. p. 429. „Quæritur, ſi aliquis latro ducatur ad ſuſpendendum, & cauſa evadendi poſtulet Corpus Chriſti, ſi debeat ei dari? Ad quod dicimus, quod propter reverentiam Corporis & Sanguinis Chriſti non debet ei tradi: quia turpe eſſet, ſi poſt communionem ſuſpenderetur, ſed iniuncta ſibi pœnitentia, ſi ex toto corde pœniteat, & confiteatur peccata ſua, debemus confidere de ipſius ſalute.“ De *Hiſpania Didacus* Nugno teſtatur, aliquando uſum fuiſſe, non conferendi ſacramentum Euchariſtiæ damnatis ad mortem: „Illa (addit) conſuetudo non fuit univerſalis in eccleſia; ſed potius male audivere *Hiſpani* apud alias nationes propter illum.“

Damnatis ad mortem negata alicubi Eucharistiæ communio. *T. II. conc. germ. p. 159.*

T. I. in 3. S. Thomæ q. 80. a. 11. diſſ. 1.

IX. Quod ſupra Diſq. IV. c. 3. n. 5. *de oblatis euchariſticis ſtudio confectis* ex Isone *San-Gallenſi* de miraculis S. Othmari lib. I. c. 3. narravimus, eaſdem circa pectus ſancti viri illæſas in ſepulchro poſt annos 35. eſſe repertas, repetere hic expedit, & aliquid de Euchariſtia mortuis olim aliquando data addere: ſed neſcitur, an conſecratæ illæ fuerint, vel in ſignum tantum conſepultæ, veluti etiamnum mos alicubi eſt, calicem ex cera ſaltem confectum ſacerdotibus in ſepulcrum dandi. Eiuſmodi exemplum apud Surium de S. Birinio refert, inventum *corpus epiſcopi integrum cum duplici ſtola & inſula rubra e panno ſerico, atque cum cruce e metallo confecta pectori eius impoſita. Denique cum calice ad umbilicum eius poſito.* Amalarius vero ex Beda de exequiis S. Cuthberti epiſcopi *Lindiſfarnenſis* uſum illum veſtiendi ſacerdotes defunctos firmans, inter alia oblatam ſupra pectus ſanctum poſitam memorat, uti etiam apud Anonymum in vita S. Cuthberti lib. IV. cap. 13. legitur. Aliter ſe habent, quæ alibi iam ex vita S. Basilii attulimus, moribundum Euchariſtiam in tres partes diviſiſſe, & earum unam ſecum conſepeliendam reſervaſſe, ut habet Amphilochius, quisquis ille fuerit: rem autem dubiam reddit ſilentium eius rei apud Gregorium *Nyſſenum*, *Nazianzenum*, Socratem,

Mortuis Euchariſtia quomodo data:

T. VI. ad d. 3. Decemb.

De offic. lib. IV. c. 41.

Digitized by Google

Sozomenum, Theodoretum, qui geſta S. Basilii conſcripſere. Neque hoc convenit cum eo, quod apud S. Gregorium lib. II. dial. c. 25. legitur de parvulo monacho e monaſterio ad ſuos ſine benedictione redeunte, eodemque die defuncto: „Cumque (pergit S. Gregorius) eſſet ſepultus, die altero proiectum foras corpus eius inventum eſt, quod rurſus tradere ſepulturæ curaverunt. Sed ſequenti die iterum proiectum exterius atque inhumatum ſicut prius invenerunt. Tunc concite ad Benedicti Patris veſtigia currentes cum magno fletu petierunt, ut ei ſuam gratiam largiri dignaretur. Quibus vir Dei manu ſua protinus communionem dominici Corporis dedit, dicens: *Ite, atque hoc dominicum Corpus ſuper pectus eius ponite, & ſic eum ſepulturæ tradite.* Quod cum factum fuiſſet, ſuſceptum corpus eius terra tenuit, nec ultra proiecit.“

Extraordinaria hæc ſunt, nec eorum opinationi favent, qui hoc factum cenſent ſecundum illam quorumdam de abſoluta ad ſalutem Euchariſtiæ ſumendæ neceſſitate ſententiam, aut ex præcepto ſaltem Eccleſiæ, ut nullus unquam pœnitentium ſine viatico e vita diſcederet. De pœnitentibus huiusmodi *Gabr.* Albaspinæus canones illos conciliorum interpretatur, quibus vetatur, Euchariſtiam mortuis dare. Concilii *Carthaginenſis* III. non uno id interdicitur canone tam de Euchariſtia, quam de baptiſmo. Sic ſynodus *Altiſiodorenſis* in *Galliis* ſancit: „Non licet mortuis nec Euchariſtiam, nec oſculum tradere, nec velo, nec pallis corpora eorum involvi.“ Et ſynodus *Trullana*: „Nemo cadaveribus mortuorum Euchariſtiam impartiatur: ſcriptum eſt enim: *Accipite, & comedite*: cadavera nec accipere valent, nec comedere.“ Ante hanc ergo ſynodum (addit Balsamon, apud quem etiam *Carthaginenſis* concilii canones in eam rem leguntur) mos erat nonnullis divina ſacramenta (ea enim Patres Euchariſtiam nominavere) corporibus mortuis impertiendi. Et poſtea: „Exiſtimo hoc fieri ad avertendos dæmones, & ut per ipſum tanquam viaticum deducatur ad cœlum, qui magna & apoſtolica profeſſione dignus eſt habitus.“ Add. Zonaras in eundem *Trullanum* canonem. At locum hic habent dicta S. Chrysostomi, alia licet de cauſa contra *Manichæos* ſc. prolata: „Quibusnam dixit: *Niſi manducaveritis carnem meam, & biberitis ſanguinem meum, non habebitis vitam in vobis?* Vivisne an mortuis? dic quæſo.“

Lib. I. obſervat. 9.

Can. 6. 18. 20.

Can. 12.

Can. 83.

Hom. XL. in epiſt. I. ad Corinth.

Regularis vero erat pro mortuis oblatio, quam fecerat S. Benedictus pro ſanctimonialibus, quibus ob incontinentiam linguæ excommunicationem minatus fuerat, illæ autem defunctæ ab eccleſia exire viſæ ſunt; at poſt immolatam illam oblationem ad vocem diaconi, ut non communicantes ab eccleſia exirent, illæ exire ab eccleſia ulterius viſæ non ſunt. „Qua

„Qua ex re indubitanter patuit, quia dum inter eos, qui communione privati ſunt, minime recederent, communionem a Domino per ſervum Domini recepiſſent.“ Ut S. Gregorius narrationem concludit lib. II. dialog. c. 23. Laudatus Albaspinæus, qui obſervat. IX. probaverat, mortuis non ſolum Euchariſtiam, ſed etiam baptiſmum datum fuiſſe, obſervatione mox ſequenti oſtendit, rectius mortuis ius communionis redditum, oblationes, quæ eorum cauſa a cognatis aut affinibus proponebantur, admittendo.

CAPUT IV.

De ſacris Ordinationibus.

I.

De ritibus ad ordinationum ſubſtantiam pertinentibus.

Longe aliter de iis, quæ pertinent ad ſubſtantiam ſacrorum ordinum, ſcitum fuiſſet, ſi ſuperiori ætate maius ſtudium antiquitatis rerum liturgicarum viguiſſet in ſcholis, de materia inquam & forma ſingulorum præſertim ſuperiorum illorum, diaconorum, presbyterorum, & epiſcoporum, qui manus impoſitionem hodieque, uti ſemper, in univerſali eccleſia Orientali, & Occidentali accipiebant. Illa quidem ad ſingulos ordines accurate deſignatur in antiquo ordine noſtro, uti in *Gelaſiano*, ac *Gregoriano* ſacramentario, veluti etiam in veteri miſſali *Francorum*, ubi ordinatio ſecundum veterem ritum eccleſiæ *Gallicanæ* habetur. At deſiderantur ea, quæ theologi ſcholaſtici hic maxime ſpectanda duxerunt; deſiderantur vero etiam in ritualibus *Græcorum* tum antiquorum, cum etiam recentiorum. Unde ſequi videretur alterutram partem valida iam ordinationum forma deſtitui, præiudiciumque potius, iuxta antiquos canones & SS. Patrum ſententias, foret contra *latinos* ordinationum ritus, ubi demum ſucceſſu temporum illa adiecta ſunt, quæ maxime ac unice ad ſubſtantiam ſpectare paſſim ſcholaſtici ſtatuerunt. Atque hinc illi quidem non ſolum ordinationes *Græcas* impugnarunt, verum etiam imprudenter antiquas *latinas* ordinationes ipſas in diſcrimen pariter adduxerunt, ac omnia ſuſque deque verterunt. „Eoquod (ut inquit

 Morinus)

Præfat. P. II. de ſacris ordinat. p. 258. MORINUS) pontifices *Romani* poſteriores, atque etiam *Græci* nonnullas cerimonias antiquis ritibus addiderunt, ut ordinationis ritum magnificentiorem, auguſtiorem & commendatiorem redderent, quas poſtmodum ſcholaſtici nonnulli in vulgatis pontificalibus deprehendentes, & more ſuo materias & formas odinationum indagantes, ſuperadditas illas cerimonias apoſtolis coævas iudicarunt, & vere apoſtolicis, in ſcriptura a Spiritu ſancto laudatis, prætulerunt. Hæc animadverſio non coniecturis, ſed certiſſimis argumentis & experientia demonſtratur. Tota enim a ſcholaſtice petita argumentatio non veritate, ſed imaginario fundamento nititur: unde nonnunquam factum eſt, ut in eiusmodi rebus neque cœlum neque terram attigerint. Si codices antiquos cum *Græcis* antiquis, & utrosque cum recentioribus *Latinis* & *Græcis*, ſi hos omnes iterum cum *Latinorum* & *Græcorum* Patrum & canonum dictis comparemus, evidentiſſime deprehendemus, antiquos latinos eodem modo ordines contuliſſe, quam antiqui *Græci*; utrosque præterea eodem modo nunc, quo maiores ſui: ritualesque recentiores *Latinos* & *Græcos* non tantum cum antiquis conſentire, verum etiam cum Patrum & canonum dictis & ſententiis.“ Obſervabit id, qui inter ſe contulerit ordinationum antiquos ritus, prout a MORINO *Græca* ac *Latina*; hæque a MENARDO, THOMASIO, MARTENIO, MABILLONIO, & MURATORIO proſtant editæ, atque etiam a nobis ex monumentis *Alemannicis* edentur.

Ordinationum tempora. II. Ordo, quem invenimus in codd. *Tigurino* & *Einſidlenſi*, convenit cum MABILLONII IX. edito ex cod. *San-Gallenſi*, ubi præmittitur *de gradibus eccleſiæ Romanæ*, in noſtris ſequitur ritus de ſacris ordinibus, atque in ipſo ordine de ordinatione IIII. Tempor. agitur. „Expleta autem lectione, quæ eſt DANIEL prophetæ, canit benedictionem, & dum benedictio canitur, qui ordinandi ſunt, ſtent in pogo (*San-Gall.* & *Einſid.* poio) ſub gradibus, & tunc deſcendit ad eos, archidiaconus reveſtit eos. Si enim diaconi ordinandi ſunt, orarios & dalmaticas; ſi vero presbyteri, orarios & planetas. Porro orarii, qui dandi ſunt, primum per totam noctem ſuper altare ſint repoſiti, & de altari ab archidiacono tolluntur, & ipſe ſuper eorum colla ponat. Benedictione completa, incipit clerus letaniam, & dum ipſa canitur, qui ordinandi ſunt, ante altare proſtrati iaceant, adſtante ſuper eos pontifice inclinato capite ad altare. Letania vero finita, ſurgit pontifex, aſcendit ad ſedem ſtans verſus ad orientem conſecrans illos.“ In ſacramentario noſtro ſecundo 900. ann. ut ex codice *Rhenaug.* ſupplevimus, pariter ac *Gelaſiano* huc ſpectat *Lib. I. n. 20.* „Ordo, qualiter in *Romana* eccleſia presbyteri, diaconi vel ſubdiaconi ordinandi

Digitized by Google

ordinandi ſunt. Menſis primi IV. VII. & X. ſabbatorum die in duodecim lectiones ad ſanctum PETRUM, ubi miſſæ celebrantur.“ Primus eſt GELASIUS, qui ſtata tempora ordinationum in epiſtola ad epiſcopos per *Lucaniam* & *Brutios* deſignet. „Ordinationes presbyterorum & diaconorum, niſi certis temporibus & diebus exerceri non debent, id eſt, quarti menſis ieiunio, ſeptimi, & decimi, ſed etiam Quadrageſimalis initii, ac medianæ hebdomadæ, & ſabbati ieiunio circa veſperam noverit celebrandas.“ Ordo *Romanus* IX. permittit, *quando & ubi libitum fuerit*, acolythos in ſubdiaconatus officium ordinari; ſecus de diaconis & presbyteris ſtatuit, qui ordinari non poterant, *niſi publica ordinatione*, de qua modo diximus. Frequenter autem in geſtis pontificum, unde *Micrologus* teſtimonium huius rei ſumit, menſis *December* tantummodo deſignatur, quoad ordinationes etiam epiſcoporum, qui alias quovis die dominico conſecrantur, teſte AMALARIO. Ex PAULINI Nat. S. FELICIS presbyteri *Nolani* colligitur, id factum de QUINTO & FELICE presbyteris ordinatis ſpacio ſeptem dierum, unius nimirum hebdomadæ. *Lib. II. de off. eccl. c. 2.*

Quod prior ille gradum ſocii meruiſſet honoris
Presbyter : hæc ſeptem diſtabat ſumma diebus.

Diutius *Romæ* vetus illa conſuetudo perſeveravit, ſi AMALARIO fides, cuius teſtimonium BERNO *Augienſis* citat in dialogo de ieiunio IV. Temporum cap. 5. lib. II. de Off. eccl. c. 1. „Primi apoſtoli ſemper in *Decembrio* menſe, in quo Nativitas Domini noſtri IESU Chriſti celebratur, conſecrationes miniſtrabant uſque ad SIMPLICIUM, qui fuit a B. PETRO quadrageſimus nonus. Ipſe primum ſacravit in *Februario*.“ Poſt SIMPLICIUM frequenter de pontificibus memoratur, vel in prima vel in mediana hebdomada Quadrageſimæ eoſdem feciſſe ordinationes: unam a GREGORIO M. in menſe *Septembri*, & a LEONE II. in menſe *Maio* factam adnotavit MABILLONIUS Commentar. in ordinem *Romanum*. Dicit AMALARIUS, quod, quamvis ordinatio in memoratis temporibus non celebretur, ſicut nec a primis epiſcopis celebrata fuit: neceſſario tamen oporteat, noſtram religionem quatuor ieiunia annuatim celebrare. Qua in re puto, quia præceſſerunt ieiunia & vigiliæ in ſabbato duodecim lectionum, decretas eſſe ordinationes, ut idcirco non ieiunium propter ipſas, ſed ipſæ propter ieiunium & vigilias præcedentes fierent. Conveniunt cum hoc LEONIS M. ad DIOSCORUM epiſcopum *Alexandrinum* ita ſcribentis verba: „Quod ergo a Patribus noſtris propenſiore cura novimus eſſe ſervatum, a vobis hoc volumus cuſtodiri, ut non paſſim diebus omnibus ſacerdotalis vel levitica ordinatio celebretur: ſed poſt diem ſabbati eius noctis, quæ in prima ſabbati luceſcit, exordia deligantur, in quibus his, qui conſecrandi ſunt, ieiunis

Apud Pez. T. IV. p. 63.

Lib. II. de off. c. 2.

Ep. 12.

ieiunis

iunis & a ieiunantibus ſacra benedictio conferatur. Quod eiusdem obſervantiæ erit, ſi mane ipſo dominico die, continuato ieiunio, celebretur: a quo tempore præcedentis noctis initia non recedunt, quam ad diem reſurrectionis, ſicut etiam in Paſcha Domini declaratur, pertinere dubium non eſt. Nam propter auctoritatem conſuetudinis, quam ex apoſtolica novimus venire doctrina, etiam ſacra ſcriptura manifeſtat, quod, cum apoſtoli Paulum & Barnabam ex præcepto ſancti Spiritus ad evangelizandum gentibus mitterent, ieiunantes & orantes impoſuerunt eis manus." Et infra: „Et ideo pie & laudabiliter apoſtolicis morem geſſeris inſtitutis, ſi hanc ordinandorum ſacerdotum formam per eccleſias, quibus Dominus præeſſe te voluit, etiam ipſe ſervaveris, ut his, qui conſecrandi ſunt, numquam benedictiones, niſi in die reſurrectionis dominicæ, tribuantur, cui a veſpera ſabbati initium conſtat adſcribi." Quæ poſtrema verba adeo dilucida ſunt viſa Muratorio T. II. Anecd. p. 256. diſquiſit. de IV. temporum ieiuniis c. 4. ut miretur, quibusdam canonum interpretibus in mentem venire opinionem illam, qua ſingulis anni ſabbatis ſacros ordines antiquitus conferri potuiſſe contendunt. Quod poſterius etſi concedatur, conſequens tamen non eſt, ſanctum pontificem per diem reſurrectionis dominicæ diem Paſchæ indigitaſſe, ſed diem quemcumque demum dominicum, ad quem ordinationes ſint peragendæ. Adnotat Quesnellus, dominicæ reſurrectionis nomine non ipſum diem Paſchæ denotari, ſed quemlibet dominicum diem, ad quem nimirum referebatur, protracto ieiunio & vigilia, ordinationis ritus: uti hunc locum etiam Rupertus *Tuitienſis* intellexit lib. III. de div. Offic. c. 9. quod ſic inſcribitur: „Sententia Leonis papæ, quod ordinationes, cum ſabbati veſpere ſiant, ad diem dominicam pertineant." Idem locus S. Leonis refertur in concilio *Rothomagenſi* an. 1072. can. 8. „Ut ordines ſacri poſt diem ſabbati, vel die dominica mane ieiunis a ieiunantibus conferantur" inſcripto. Et concilium *Claromont.* an. 1095. ſic ſancit: „Ne ſiant ordines, niſi quatuor certis temporibus & ſabbato mediante Quadrageſima, & tunc protrahatur ieiunium uſque ad veſperas, & ſi fieri poteſt, uſque ad craſtinum, ut magis appareat, in die Domini ordines fieri." In antiquiſſimo noſtro breviario ordinis eccleſiaſtici de hebdomada ante Natale Domini, ac univerſim de IV. temporibus ſic præſcribitur: „In ipſo vero ſabbato ſacerdotes & ceteri miniſtri eccleſiæ, ſi neceſſe fuerit, ordinentur, ſi autem vigiliæ venerint Natalis Domini ſabbato, præcedente ebdomada omnem celebrationem vel ordinationem, quam diximus, uſque in ſabbatum conſummentur. In ipſa autem ordinatione ſacerdotum præter quatuor tempora anni nullatenus ordinatur: id eſt primum ver, quod eſt ebdomada prima menſis *Martii*, ita tamen ſi ipſa ebdomada

T. XII. Conc. ed. Ven. p. 210.

Ib. p. 831. c. 24.

Digitized by Google

domada infra Quadrageſimam contigerit.“ In Capitulari GREGORII II. quod datum eſt MARTINIANO epiſcopo & GEORGIO presbytero &c. in *Boiariam* ablegatis, ita præſcribitur: „Ordinationes vero presbyterorum ſeu diaconorum nonniſi quarti, ſeptimi & decimi menſium ieiuniis, ſed & in ingreſſu quadrageſimali atque veſpere ſabbati celebrantur.“ Eadem integrius leguntur in epiſtola eiusdem GREGORII II. ſcripta an. 9. LEONIS Auguſti, qui convenit an 724. uno poſt ordinationem S. BONIFACII, de qua fit mentio ea in epiſtola. Sic vero in rem præſentem habet: „Ordinationes vero presbyterorum, ſeu diaconorum, nonniſi quarti, ſeptimi, & decimi menſium ieiuniis: ſed & ingreſſo quadrageſimali atque mediano veſpere ſabbati noverit celebrandas.“ Anxium hoc tenuit S. BONIFACIUM, dum aliquando neceſſitas aliud extorſit, reſpondet autem ZACHARIAS: „De ordinatione etiam presbyterorum, & diaconorum, qui cogente neceſſitate & paupertate rogantium non legitimis temporibus & diebus ad te venerunt, ſi aliquam haberes ex hoc offenſionem, inſinuaſti. Dicimus autem tibi frater. Bene noſti, quod ſacri canones docent aptis temporibus ſacerdotes ordinandos. Attamen in eo, quod a te propter zelum fidei actum eſt, a Domino Deo noſtro indulgentiam poſtulamus.“ S. CONRADUM legimus etiam dominica Palmarum SS. ordines contuliſſe in monaſterio *S. Galli.* „Tempore vero prænotato, id eſt, ſabbato ante dominicam indulgentiæ, idem eximius præſul eumdem ſanctum locum ingrediens honorifice ſuſceptus, ut dignum erat, craſtinum diem crucem cum ramis palmarum tollendo, Dominum ſequendo miſſas ſpiritualiter celebrando, quamplures de monachis, & de clero diverſis gradibus ſalubriter ordinando . . . in divinis laudibus lætus exegit.“

T. I. Conc. Germ. p. 36.

Epiſt. 124.

T. I. Conc. Germ. p. 89.

Apud Goldaſt. T. II. rer. Alem. p. 183.

III. Ordines vero iidem habentur in antiquis noſtris monumentis, eodemque ordine, quo apud *Rhabanum* MAURUM recenſentur: „Sunt autem gradus eccleſiaſtici octo, quorum nomina hæc ſunt: *Oſtiarius*, *pſalmiſta* ſive lector, *exorciſta*, *acolythus*, *ſubdiaconus*, *diaconus*, *presbyter*, *atque epiſcopus.*“ S. BONIFACIUS diſtinguit canonicos gradus & plebeios: „Nam labor noſtri miniſterii unius & eiusdem cauſæ eſſe dignoſcitur: & æqualis ſpeculatio in curis eccleſiarum, ſive populorum nobis credita eſt, ſive in docendo, ſive in ortando & monendo, ſive in defendendo canonicos gradus & plebeios.“ Videtur potius ſæcularem ab eccleſiaſtico ſtatu diſcernere, quam gradus ordinum Superiorum ab inferioribus, qui tamen plebei vocari potuiſſent, quod ſtatum non mutent penitus, integrumque relinquant matrimonium inire. Poſt ordinum quatuor, quos minores vocamus, ritum, ſeu orationes in noſtro

De Ordinibus & Ordinandis.

Lib. I. de inſtit. Cler. c. 4. de Grad. eccl.

Ep. 105.

ſtro ſacramentario ſequitur: „Ordo, qualiter in *Romana* eccleſia presbyteri, diaconi, ſubdiaconi ordinandi ſunt.“ *Gelaſianum* autem habet, *eligendi ſunt.* Recenſitis temporibus ordinationum ſequitur: *Auxiliante Domino Deo & ſalvatore noſtro IESU Chriſto.* „Iterum dicit: *Auxiliante Domino Deo & ſalvatore noſtro IESU Chriſto.* Iterum tertio dicendum (quod rec. manu additur) eligimus in ordinem diaconii, ſive presbyterii, illum ſubdiaconum, ſive diaconum de titulo illo, illum presbyterum de titulo illo. Si quis autem habet aliquid contra hos viros, pro Deo, & propter Deum cum fiducia exeat, & dicat; verumtamen memor ſit communionis ſuæ. Et poſt modicum intervallum mox incipiunt omnes: *Kyrie eleiſon* cum letania &c.“ Quæ pariter occurrunt in ord. *Rom.* XI. auctore BENEDICTO; paullo aliter autem in Mſſ. pontificalibus *Salisburgenſibus* apud MARTENIUM, ac in aliis. Sequitur in noſtro ſacramentario Capitulum S. GREGORII, uti in *Gelaſiano*: *ſicut qui invitatus renuit, quæſitus refugit, ſacris eſt altaribus admovendus &c.* Ne quis per ambitum, aut indignus ſacris ordinibus ſe ingerat, quæ maxima epiſcoporum debuerat eſſe cura. „Nec unquam ordinationes præſumat (epiſcopus) illicitas (ut habet Capitulare GREGORII II.) nec bigamum, aut qui virginem non eſt ſortitus uxorem, neque illiteratum, vel in qualibet parte corporis vitiatum, aut expœnitentem, vel cuilibet conditioni obnoxium, atque notatum, ad ſacros ordines permittat accedere; ſed ſi quos eiusmodi forte repererit, non audeat promovere.“

De Rit. eccl. T. II. p. 398. 407.

T. I. Conc. Germ. p. 36.

Tonſura.

IV. Uti in *Gregoriano* ſacramentario, ita etiam in noſtris ſeorſim habentur ad tonſuram ſpectantes orationes, & quidem in antiquiſſimo ſacramentario ſub tit. *ad clericum faciendum* eædem, quæ in *Gregoriano.* Singularis alibi habetur oratio *ad capitullaturam*, quæ in altero noſtro ſacramentario eodem loco occurrit, ſed mox ſubditur altera oratio ad clericum faciendum diverſa a prius notata in antiquiſſimo ſacramentario, ubi adduntur preces ad ipſam tonſionem, & poſt tonſionem, uti etiam alio loco poſtea in ſecundo ſacramentario. In priori autem loco poſt unicam orationem ad clericum faciendum, ſequitur alia oratio *ad barbas tondendas.* Hoc ideo noto, quod diſtinguenda ſit tonſura ad clericum faciendum ab altera, dum pueris prima coma, & adoleſcentibus prima barba præcidebatur, ut obſervavit iam MABILLONIUS præfat. I. in ſæc. III. ord. S. BENED. cuius diſcrimen fuit corona illa clericalis, quam ibi triplicem diſtinguit, *Romanam*, *Gracanicam*, & *Scoticam.* „*Romanorum* vero tonſuram (inquit) eo tempore uſitatam deſcribit canon qua-

N. 17. & 18.

dra-

dragesimus concilii *Toletani*, ut ſcilicet omnes clerici, vel lectores, ſicut Levitæ & ſacerdotes detonſo ſuperius capite toto, inferius ſolam circuli coronam relinquant: Qualem certe ſodales noſtri retinuerunt.“ Talem etiam in iconibus antiquis paſſim reperi in monumentis liturgicis *Alemanniæ* noſtræ, vocarique ſolet tonſura PETRI. De hac agit AMALARIUS: „Interrogatur ab aliquibus, quis primus tonſus ſit in noſtro more? Legi in epiſtola cuiusdam viri, PETRUS: ſed quia non tantæ auctoritatis eſt, ut ex illa firmare valeamus noſtram ſententiam, malumus eam ſilentio præterire. Non tamen ab re eſt, ſi dixerimus illum, aut aliquem ſucceſſorem eius primo fuiſſe tonſum noſtro more, quoniam ab illa eccleſia ſumtus eſt talis uſus, in qua illi ſederunt.“ At ante ſæc. VI. & VII. nihil in monumentis eccleſiaſticis occurrit, ac primum quidem in conciliis *Gallicanis*, *Agathenſi*, *Matiſconenſi* & *Narbonenſi* an. 589. & aliis. AMALARIUS alibi nihilominus a S. PETRO incunctantius tonſuræ repetit originem, dicta retractans ex hiſtoria *Anglorum* Ven. BEDÆ, & in vita S. CUTHBERTI epiſc. ubi eam etiam deſcribit his verbis: *Poſtquam ſervitutis Chriſti iugum, tonſuræque* PETRI *formam in modum coronæ ſpineæ caput Chriſti cingentis, Domino adiuvante, ſuſceperat &c.* „Fertur (inquit auctor de div. off. ſub nomine ALCUINI h. t. de tonſura clericorum) beatus PETRUS primus huiusmodi tonſuram ſibi feciſſe ad ſimilitudinem ſpineæ coronæ.“ Dixerat antea: *Clericorum autem tonſura a Nazareis fertur ſumpſiſſe exordium.* Et ISIDORUS de off. eccl. lib. II. c. 4. quod ex eo habetur lib. I. Conc. *Aquiſgranenſis* an. 816. qui eſt de inſtitutione canonicorum cap. 1. *Tonſuræ* (ait) *eccleſiaſticæ uſus a Nazareis exortus eſt.* Formam autem poſtea deſcribit: *Quod vero detonſo capite ſuperius, inferius circuli corona relinquitur, ſacerdotium regnumque eccleſiæ in eis exiſtimo deſignari.* Io. *Abrincenſis* hic ad concilium *Carthaginenſe* provocat: *ſcilicet, ut clerici coronas non abſconſas, ſed patentes habeant.* Ubi tamen hoc ſolum habetur, Conc. IV. nimirum can. 44. *Clericus ne comam nutriat*, ut SIRMONDUS lectionem reſtituit iuxta fidem antiquiſſimorum codicum. Quod nunc ad nos nihil attinet; ſuperius enim de hac re locuti ſumus.

Lib. II. c. 5.

Lib. IV. c. 39.

Tantum hic referendum ducimus, quod in Capitulari habetur incerti anni, quod eſt datum in ſynodo, cui interfuit S. BONIFACIUS M. conformiter ad canonem *Carthaginenſem*: „Sancitum eſt, ut clerici, qui comam nutriunt, ab archidiacono, etſi noluerint, invite tondeantur.“ Id in concilio *Triburienſi* an. 895. iis etiam, qui ſtatum clericalem dimittunt, nihilominus imponitur: „Clericus, ſi tonſura dimiſſa uxorem acceperit, qui quidem ſit ſine gradu, nec ad monaſterium a parentibus traditus, ſi

T. I. Conc. Germ. p. 55.

T. II. Conc. Germ. pag. 411.

uxorem duxerit, vel habere permittitur, iterum tonderi cogatur, nec in vita ſua tonſuram negligere audeat:" In concilio *Trevirenſi* an. 1310. canon 8. inſcribitur: *Contra non recte tonſurantes*, & ſic habet: „Item cum ante ſacramentale ſignum, quod per manus impoſitionem imprimitur, & confertur, nullus ſecundum B. Isidorum dici debet de ſorte Domini, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ firmiter præcipiendo ſtatuimus, ut nullus de civitate, diœceſi & provincia *Trevirenſi* ſignum clericale, ſeu clericalem tonſuram, per quam ſecundum veriorem ſententiam ordo clericalis confertur, deferat, ſeu ſibi radi faciat, *acolythatus* etiam ordinem non recipiat, antequam per eum, qui poſſit & debeat, ſibi in collatione primæ clericalis tonſuræ manus impoſitio & benedictio ſacramentaliter imponatur." De modo degradandi epiſcopos etiam per decalvationem, vide Mabillonium ſæc. II. Ord. S. Benedicti, de collatione autem tonſuræ per abbates præfat. I. ſæc. III. & præf. II. ſæc. IV.

Ordines minores.

V. Ordo noſter *de ſacris Ordinibus* ſic incipit: „ Pſalmiſta, id eſt cantor, poſteaquam ab archidiacono inſtructus fuerit, poteſt absque ſcientia epiſcopi ſola iuſſione presbyteri officium ſuſcipere: *Vide, ut quod ore cantas, corde credas, & quod corde credis, operibus probes.*" Nihil de hoc in ſacramentario noſtro, prout ex codice *Rhenaugienſi* ſupplevimus, in quo tamen ſequuntur, quæ ad ordines minores pertinent. In ordine *Rom.* VIII. ſoli acolythi comparent, ſicque orditur: „ Quomodo in ſancta *Romana* eccleſia acolythi ordinentur. Dum miſſa celebrata fuerit, induunt clericum illum planetam & orarium. Dumque venerit epiſcopus, aut ipſe dominus apoſtolicus ad communicandum, faciunt eum venire ad ſe, porrigit in ulnas eius ſacculum ſuper planetam, & proſternit ſe in terram cum ipſo ſacculo, & dat ei orationem ſic: *Intercedente beata &c.*" Sacculus, ut ex prioribus ordinibus conſtat, eſt ad Euchariſtiæ oblatas; planetam vero ordinibus promiſcue etiam cantoribus communem fuiſſe, alibi docuimus. De orario id minus conſtat. Nota autem de tempore ordinationis, quod in ſacramentario *Gregoriano* habetur: „ Maiores gradus ante evangelium, minores vero poſt communionem dantur: & minores quidem dominicis diebus, ſi neceſſe eſt; maiores vero in ſabbatis duodecim lectionum per quatuor tempora tantummodo." Poſtremum hoc iam ex ordine IX. qui ex codice *San-Gallenſi* deſcriptus eſt, notavimus, ubi etiam nulli nominatim deſignantur ordines minores uſque ad ſubdiaconatum, qui ſimul comprehenditur: „ Primum in qualicunqne ſchola reperti fuerint pueri bene pſallentes, tolluntur inde, & nutriuntur in ſchola cantorum, & poſtea fiunt cubicularii. Si autem nobilium filii fuerint,

T. III. Opp. S. Greg. p. 219.

fuerint, ſtatim in cubiculo nutriuntur. Ex hac accipient primam benedictionem ab archidiacono, ut liceat eis ſuper linteum velloſum ſedere, quod mos eſt ponere ſuper ſellam equi. Dein, ſicut ſacramentorum codex continet, quando & ubi libitum fuerit, uſque ad ſubdiaconatus officium ordinantur." In epiſtola prima SIRICII P. hæc diſciplina iam exprimitur: „Quicumque itaque ſe eccleſiæ vovit obſequiis, a ſua infantia ante pubertatis annos baptizari, & lectorum debet miniſterio ſociari, qui ab acceſſu adoleſcentiæ uſque ad viceſimum ætatis annum, ſi probabiliter vixerit, una tantum uxore contentus, acolythus & ſubdiaconus eſſe debebit." Et adhuc diſtinctius gradus omnes per ætates deſignantur in epiſtola GELASII ad epiſcopos per *Lucaniam*, & *Brutios* conſtitutos: „Hæc autem in ſingulis gradibus obſervanda ſunt tempora: ſi ab infantia eccleſiaſticis miniſtris nomen dederit inter lectores, uſque in vigeſimum ætatis annum continuata obſervatione perduret. Si maiori ætate iam acceſſerit, ita tamen, ut poſt baptiſmum ſe divinæ militiæ deſideret mancipari, ſive inter lectores ſive inter exorciſtas quinquennio teneatur, & deinde acolythus vel ſubdiaconus 4. annis ſtet &c." Ad inſtar huius ſcholæ *Romanæ* etiam in capitularibus regum *Francorum* præcipitur miniſtris altaris Dei, *ut non ſolum ſervilis conditionis infantes, ſed etiam ingenuorum filios adgregent, ſibique ſocient. Et ut ſcholæ legentium puerorum fiant &c.* & mox de libris emendatis: *& pueros veſtros non ſinite eos legendo vel ſcribendo corrumpere.* Pueros, ut notat BALUZIUS, id eſt, clericos in ætate tenera conſtitutos, cum presbyterorum ſumtibus alerentur, nutritos presbyterorum vocabant, ut colligitur ex capitulari quinto anni 814. c. 5. & ex capitulis HINCMARI tit. 4. c. 5.

An. 789. c. 70.

T. I. p. 714.

T. II. pag. 1135.

VI. In oratione, quæ dicitur in Paraſceve Domini, etiamnum inſtituto antiquiſſimo iuxta noſtra ſacramentaria conformiter *Gelaſiano* & *Gregoriano* minoribus quatuor ordinibus, Acolythis, Exorciſtis, Lectoribus, Oſtiariis immediate ſociantur Confeſſores, Virgines, Viduæ. Confeſſor, *græce martyr*, in eccleſia latina a vetuſtiſſimis temporibus gradu tolerantiæ in confeſſione fidei coram infidelibus diſtinguebatur. Plures apud S. CYPRIANUM epiſtolæ martyribus & confeſſoribus inſcribuntur, unde præciſe dici nequit, mortem antiquiſſimis temporibus diſtinxiſſe martyres a confeſſoribus. Lib. VIII. Conſtitut. apoſt. poſtquam c. 22. de lectoribus actum fuit, proxime per diſtincta capita de confeſſoribus, de virginibus, de viduis, de exorciſtis tractatur; veluti etiam in S. HIPPOLYTI Ep. & M. tradit. apoſtol. Dum vero S. HIPPOLYTUS dicit: „Lector conſtituitur per biblia ei ab epiſcopo tradita: neque enim ordinatur per impoſitionem

De Confeſſoribus.

T. II. Bibl. PP. ed. Ven. p. 506.

 ma-

manuum;“ econtra in Conſtitut. apoſt. ita, veluti MATTHÆI apoſtoli auctoritate, præſcribitur: „Lectorem crea imponens ei manum, & Deum orans dicito: *Deus æterne &c.*“ Quoad confeſſores vero uterque convenit ad verbum fere in hanc ſub nomine IACOBI *Alphæi* ſententiam, prout apud S. HIPPOLYTHUM leguntur: „Confeſſor non fit ordinatione: res enim eſt voluntatis ac tolerantiæ: magno autem honore dignus eſt, ut qui coram gentibus & regibus confeſſus ſit nomen Dei, & Chriſti eius. Quodſi opus eo fuerit, in epiſcopum, aut presbyterum, aut diaconum ordinatur. Si vero aliquis confeſſor non ordinatus aliquam huiusmodi dignitatem ſibi prætextu confeſſionis vindicaverit & arripuerit; is deponatur & eiiciatur. Non enim eſt confeſſor; quandoquidem negavit Chriſti conſtitutionem, ac eſt infideli deterior.“ Exemplum huiusmodi ambitus in VALENTINO hæretico COTELERIUS ex TERTULLIANO adnotavit. Apud EUSEBIUM tamen *de martyribus Palæſtinis*, PROCOPIUS primus ex illis tria hæc in *Scythopolitana* eccleſia miniſteria obiiſſe legitur: *Unum in legendi officio, alterum in Syri interpretatione ſermonis, & tertium adverſus dæmones manus impoſitione conſummans.* Laudat poſtea IOANNEM quemdam *Ægyptium* in *Palæſtina* confeſſorem, quem utroque licet orbatus in confeſſione oculo in cœtu eccleſiæ frequentiſſimo medium ſtantem, & quosdam divinæ ſcripturæ locos recitantem ſe vidiſſe teſtatur EUSEBIUS; adeo, ut quoties vellet legis *Moſaicæ*, prophetarum, & ſacræ hiſtoriæ libros, evangelica item & apoſtolorum ſcripta memoriter proferret: munere ſcilicet lectoris functus, quo S. CYPRIANUS confeſſores plerumque ornabat aut hypodiaconatu. Sic *presbyteris & diaconibus* ex ſuo ſeceſſu ſcribens: „Feciſſe me autem ſciatis lectorem SATURUM, & hypodiaconum OPTATUM confeſſorem: quos iam pridem communi conſilio clero proximos feceramus; quando aut SATURO die Paſchæ ſemel atque iterum lectionem dedimus; aut modo cum presbyteris doctoribus lectores diligenter probaremus, OPTATUM inter lectores doctorem audientium (ſcilicet catechumenorum) conſtituimus.“ Et epiſtola 38. poſtquam prolixe AURELIUM adoleſcentem confeſſorem illuſtrem imprimis laudaſſet: „Merebatur talis (addit) clericæ ordinationis ulteriores gradus & incrementa maiora, non de annis ſuis, ſed de meritis æſtimandus, ſed interim placuit, ut ab officio lectionis incipiat, quia & nihil magis congruit voci, quæ Dominum glorioſa prædicatione confeſſa eſt, quam celebrandis divinis lectionibus perſonare &c.“ Et epiſtola mox ſequenti de CELERINO itidem confeſſore in lectorem aſſumto: „Nihil eſt (inquit) in quo magis confeſſor fratribus proſit, quam ut dum evangelica lectio de ore eius auditur, lectoris fidem quisquis audierit, imitetur. Iungendus in lectione AURELIO fuerat, cum quo & divini honoris ſocietate coniunctus eſt &c.“

Cap. 1.

C. 12.

Epiſt: 29.

Poſt

Digitized by Google

Poſt perſecutionum tempora confeſſoris nomen illis impoſitum, hodieque uſu liturgico obtinet, qui præ aliis ſanctitate vitæ coruſcarint, ut Florentinius in admonit. IX. prævia ad vetus Occidentale martyrologium oſtendit. Quam in rem congruenter Petrus *Bleſenſis* in epiſtola ad Ioannem *Vargonienſem* epiſcopum: *Vita* (ait) *confeſſorem, cauſa martyrem facit.*

At iudicio Martenii, quem Ducangius in gloſſario h. v. & Vezzosius in notis ad ſacramentarium *Gelaſianum* ad dictam in paraſceve orationem citant, confeſſores ſunt illic cantores & pſalmiſtæ in inferiori clericorum gradu conſtituti, non obſtante, quod iuxta idem ſacramentarium, atque etiam ordinem noſtrum (aliosque plerosque) paullo ante citatum, ex mente *Carthaginenſis* conc. IV. abſque ſcientia epiſcopi ſola iuſſione presbyteri poſſint officium ſuſcipere. Qua de re pluribus egimus in opere *de cantu & muſica ſacra*, non auſi confeſſoris nomen eo interpretari, quo Menardus, & qui eum ſequuntur, accipiunt canonem 9 conc. *Toletani I.* iſtiuscemodi: *Nulla profeſſa vel vidua, abſente epiſcopo, vel presbytero in domo ſua antiphonas cum confeſſore, vel ſervo ſuo faciat.* & can. 6. eiusdem conc. *Itemque puella Dei nec familiaritatem habeat cum Confeſſore.* At nihil hic eſt ad determinandam confeſſoris notionem niſi interdictus cantus *antiphonæ cum confeſſore, vel ſervo ſuo*, quis autem ideo ſervum cantorem dicat? Nec inficiatur Vezzosius tempore eo, quo compoſiti fuerunt, vel deſcripti noſtri ſacramentorum libri, vocem *Confeſſor* diverſa ſignificatione uſurpari conſueviſſe. Ipſe Ducangius probat ſæculo octavo & nono confeſſoris vocabulum in *Hiſpania*, ubi canon *Toletanus* editus eſt, monachum ſignificaſſe, ut Mabillonius in Annal. *Bened.* notat ad chartam donationis *de Toanza* datam an. 820. qua Munia abbatiſſa ſola ex monialibus quidem *confeſſa* appellatur. Facit huc apud Egbertum archiep. *Eboracenſ.* Excerpt. c. 28. *ſancti patres, quos confeſſores nuncupavimus, id eſt, epiſcopi, presbyteri, qui in caſtitate ſervierunt Deo &c.* Quod affert Vezzosius in teſtimonium confeſſores vocatos fuiſſe, quemadmodum & hodie contingit in libris liturgicis, quicunque ſanctam & laudabilem vitam exegiſſent. Iuxta Carpentier in ſupplemento Ducangii V. Confeſſor apud *Victorienſes* eſt idem, qui apud *Benedictinos* ſenior & ſempecta, monachus ætate, ſcientia, & vitæ probitate inſignis iuxta chartam ſæc. XV. Dubitat ſed immerito, an non loco Confeſſor Conſeſſor ſit legendus. Certe prior notio recte congruit illi etiam, qui hodierno uſu confeſſionarius dicitur ſeu iuxta *Walafrid.* Strabonem in viſione Vettini

Confeſſor fratrum, gnarus conferre medelam.

T. VI. opp. V. Thomaſii p. 64.

T. II. pag. 264.

De

De conſecratione virginum & viduarum dicemus cap. ſeq. quas perinde ac confeſſores dicit non ordinari auctor Conſtitutionum Apoſtol. qui diſciplinam ſæc. II. aut III. ſaltem repræſentat.

Subdiaconi, diaconi.

VII. Poſt ordines minores in noſtro ſacramentario ſequitur Ordo, qualiter in *Romana* eccleſia presbyteri, diaconi, ſubdiaconi ordinandi ſint pariter ac in *Gelaſiano*, & in noſtro Ordine: ubi etiam, quod præcipuum eſt diſcrimen de ſuperioribus gradibus, ac convenientia cum inferioribus, notatur. *Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impoſitionem non accipit, patenam de manu epiſcopi accipit vacuam, & calicem vacuum &c.* Ex ordine IX. apud Mabillonium iam notavimus, acolythos, quando & ubi libitum fuerit, in ſubdiaconatus officium ordinari potuiſſe, diaconos & presbyteros non niſi in publica ordinatione. In ſacramentario *Gelaſiano* miſſa peculiaris habetur in natale conſecrationis diaconi; in antiquiſſimo calendario vero, quod Martenius edidit, & in Lectionario *Gallicano* lectiones in ordinatione diaconorum pariter, ac in ordinatione presbyteri vel epiſcopi aſſignantur, nullæ autem de ſubdiaconis vel minoribus ordinibus. In pœnitentiali Rhabani ſic legitur: *In ordinatione epiſcopi ipſe debet miſſam cantare. In ordinatione presbyteri vel diaconi oportet epiſcopum miſſam cantare.* Amalarius lib. II. de eccleſ. off. c. 6. De ordinibus ſacris, quos noſtri epiſcopi conſueto more frequentant, ſic infit: „Primo notandum eſt, eos ordines, qui potiſſimum neceſſarii ſunt in eccleſia, apoſtolum Paulum denominaſſe, & eorum mores depinxiſſe, ſine quibus non poteſt rite immolatio altaris celebrari, ſcilicet ſine ſacerdote & diacono.“ Capite ſequenti, quod eſt *de diaconis*, improbat ea verba, quæ in noſtro etiam ordine habentur: „Eſt libellus quidam apud nos de ſacris ordinibus, neſcio cuius auctoris, qui dicit, ſolum epiſcopum debere manus imponere ſuper diaconum: quia non ad ſacerdotium conſecratur, ſed miniſterium. Nunquid ſcriptor libelli doctior atque ſanctior apoſtolis? qui poſuerunt plures manus ſuper diaconos, quando conſecrabantur.“ Pugnat deinde pro eo, ut etiam presbyteri manus imponant, uti fit, dum presbyter ordinatur. Quin imo Martenius in pontificali veteri, quod S. Thomæ *Cantuarienſis* eſſe creditur, in ordinatione diaconorum præſcriptam invenit unctionem etiam ſacri olei ac chriſmatis cum iſta oratione: „Conſecrentur manus iſtæ, quæſumus Domine & ſanctificentur per iſtam ſanctam unctionem noſtramque benedictionem, ut quæcunque benedixerint, benedicta ſint, quæcumque ſanctificaverint, ſanctificata ſint. Per &c.“

T. V. Anecd. p. 83. *Lit. Gall. p.* 170. 171.

Voyage lit. 1724. *p.* 92.

VIII.

Diaconiſſæ; Presbyteræ, Epiſcopæ.

VIII. Id etiam hic obiter notandum, quod in concilio *Wormatienſi* an. 868. de diaconiſſa legitur c. 73. iuxta conc. *Calchedon.* c. 15. „Diaconiſſam non ordinandam ante annum quadrageſimum, & hoc cum ſummo libramine, ſi vero ſuſcipiens manus impoſitionem, & aliquantum temporis in miniſterio permanens ſemetipſam tradat nuptiis, gratiæ Dei contumeliam faciens, anathematizatur huiusmodi cum eo, qui eidem copulatur.“ *T. II. Conc. Germ. pag. 319.* Ubi eſt vox χειροθεσία ex conc. *Nicæni* c. 19. interpretanda, quo dicitur: *Quoniam omnino nec ullam habent manus impoſitionem.* Licet forte ob impoſitionem manus concilium *Epaonenſe* an. 515. c. 21. hanc conſecrationem abrogarit, *ſola eis pœnitentiæ benedictione, ſi converti ambiunt, imponenda.* Pœnitentibus ſcilicet etiam fuit manus impoſita. In textu *Græco* can. *Calchedon.* vox χειροθεσία, ac χειροτονεῖσθαι occurrit, quæ poſterior uſitata eſt etiam pro populi in electione ſuffragiis, veluti inter *Arundelliana*, a SELDENO publicata, atque a REINESIO relata inſcriptio notat τὴν τοῦ δήμου χειροτονίαν. *pag. 112.* Quoad rem præſentem nuſpiam manus impoſitionem reperio: quam presbyteriſſis ſimul ac diaconiſſis in ipſis eccleſiæ primordiis fuiſſe impertitam, ex ordinationis ritu ſeptem diaconorum *Ad. apoſt. VI. 6.* colligere ſibi viſus eſt *Io. Chriſt.* DEPENBROCK ſtatuens χειροθεσίαν *Wittenbergæ* ipſo anno 1686, quo ſub præſidio *Conr. Samuelis* SCHURZFLEISCHII χειροτονίαν ediſſeruit. In Conſtitutionibus apoſt. iisdem, ac apud S. HIPPOLYTUM verbis diaconiſſæ ordinatio præſcribitur impoſitione manus epiſcopi, *aſtantibus presbyteris & diaconis & diaconiſſis.* *L. VIII. c. 25. T. II. B. PP. p. 505.* Sequitur oratio in ordinatione diaconiſſæ: *Sempiterne Deus &c.* In ſacramentario noſtro ſecundo, quod ex codice *Rhenaugienſi* ſupplevimus, habetur oratio *ad diaconam faciendam. Exaudi Domine preces noſtras, & ſuper hanc famulam tuam ill. Spiritum tuæ benedictionis emitte, ut cœleſti munere ditata, & tuæ gratiam poſſit maieſtatis acquirere, & bene vivendi aliis exemplum præbere. Per.*

Officium ex inſtitutione S. PAULI originem duxiſſe videtur, qui 1. *Tim.* V. 9. *Vidua,* inquit, *eligatur non minus ſexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor.* Quem locum verſans S. CHRYSOSTOMUS, presbyteriſſarum in matriculam relatarum, atque eccleſiaſticis proventibus ſuſtentatarum conditionem explicat. Omnia vero copulat S. EPIPHANIUS in *Panario,* a *Chriſt.* LUPO relatus in Schol. ad TERTULLIANUM de *Præſcriptionibus*, ubi rem fuſe proſequitur de mulierum in eccleſia muniis non quidem ad eccleſiæ functionem, aut ullam illius adminiſtrationem, ſed ut ſuo proſpicerent ſexui, atque in rebus potiſſimum ſacris, & religionis ritibus operam ſuam præſtarent, ad hoc imprimis inſtitutæ, ut catechumenas primis fidei rudimentis domi imbuerent, atque muliebris ſexus hone-

Digitized by Google

ſtati conſulerent, cum eſſent inungendæ uſu quidem *Græco* toto corpore, ut ex S. Cyrillo *Hieroſol.* conſtat, & baptizandæ veteri per immerſionem ritu. Quæ functiones poſt presbyterarum abrogationem, in ſynodo *Laodicæna* an. 320. vel 321. *Syriæ* factam, ad diaconiſſas pervenerunt: „Illud vero diligenter obſervandum eſt (ſunt Epiphanii verba, qui poſt conc. *Laodicenum* floruit) ſolum diaconiſſarum officium ad eccleſiaſticum ordinem fuiſſe neceſſarium, ac viduas quidem nominatim expreſſas, & inter illas, quæ anus eſſent, presbytidas vocatas, nunquam presbytidas aut ſacerdotiſſas πρεσβύτιδας eſſe conſtitutas." Cum vero ſynodus *Laodicena* particularis fuerit, mirum non eſt, presbyterarum officium S. Chrysostomum *Cpoli* in *Thracia* adhuc vigere teſtari, quod idem affirmat canon *Carthaginenſis* 12. eiusdem temporis a *Chriſt.* Lupo relatus: ordo autem antiquus *Romanus*, in quo de presbyteri conſecratione diaconiſſæ presbyteriſſæ laudantur, ambas veluti in unum redigit gradum ſeu ordinem. Prætereo Gregorii I. & II. eiusque ſucceſſoris Zachariæ P. teſtimonium. Sæculo X. quid in canonibus presbytera, quid diaconiſſa eſſent, quæſtionem movit presbyter quidam Ambrosius Attoni epiſc. *Vercellenſi*, cuius reſponſionem affert, & diſcutit laudatus Lupus in Tertulliani de *Præſcriptionibus* librum, a quo certum eſt, presbyteras viduas nominari perinde, ac a S. Chrysostomo in Oriente (ubi presbyteri coniugati erant, quin ideo eorum uxores presbyteræ dicerentur) a muniis in eccleſia, quæ Lupus ex Tertulliano & aliis monumentis antiquis deſcribit, quæ easdem potius ab uſu coniugali arcebant exemplo viduarum primævarum, quarum, ut diximus, officium diaconiſſæ & presbyteriſſæ habuerunt, quas inter nullum diſcrimen agnoſcit Holstenius diſſert. I. In concilio *Nic.* occurrit etiam, ut hoc obiter notem, epiſcopæ nomen. Fratres Macri in hierol. h. v. exiſtimant forte epiſcopi uxorem, antequam ille ea in dignitate conſtitueretur, fuiſſe, afferuntque inſcriptionem in eccleſia S. Praxedis *Romæ* ſequentem, ubi de reliquiis a S. Paschale P. I. ibi translatis fit mentio: „Quocirca & in ipſo ingreſſu baſilicæ manu dextra, ubi utique benigniſſimæ genitricis, ſcilicet dominæ Theodoræ epiſcopæ corpus quieſcit." At ſcriptores vit. Pont. patrem Paschalis I. non epiſcopum, ſed *Maximum* Bonosum laicum fuiſſe perhibent. Tales tamen erant, quas S. Gregorius *Nazianz.* cognominis filius memorat Nonnam matrem ſuam, & Theosebiam Gregorii *Niſſæni* uxorem. Cum vero in Oriente etiam, ubi remiſſior ſemper extitit cælibatus clericorum, epiſcopi ſemper continentia conſtricti fuerint, ſequitur, *ut epiſcopus coniugem ſuam ut ſororem* habuerit, quæ ſunt concilii *Turonenſis* II. an. 567. verba c. 12. ubi mox canone ſeq. eo ſenſu occurit epiſcopæ nomen, neutiquam vero, quales apud hæreticos nonnullos SS. Epiphanius & Augustinus notarunt.

IX.

IX. „Presbyter cum ordinatur, (ut habet ordo noſter) epiſcopo eum benedicente, & manum ſuper caput eius tenente, etiam omnes presbyteri, qui præſentes ſunt, manus ſuas iuxta manus epiſcopi ſuper caput illius teneant.“ In epiſtola ad S. BONIFACIUM GREGORIUS III. breviter totum officium exprimit huius conſecrationis, quatenus a ſolo epiſcopo principaliter perficitur, de dubiis ac incognitis quibusdam presbyteris interrogatus. „Si bonæ (inquit) actionis, & catholici viri ſunt ipſi presbyteri, & in miniſterio Chriſti, omnemque legem ſanctam edocti atque apti; ab epiſcopo ſuo benedictionem presbyteratus ſuſcipiant, & conſecrentur; & ſic miniſterio ſacro fungantur.“ In cod. *Einſidlenſi*, licet recentior ſit *Tigurino*, nihil tamen de conſecratione manuum per unctionem chriſmatis occurrit, ſecus in *Tigurino*, ac in ſacramentario, ubi etiam ſingularis benedictio habetur, dum veſtitur caſula, uti in ſacrament. *Gregor.* S. ELIGII. In pontificali *Marchionenſi* S. THOMÆ *Cantuarienſis*, ut obſervat MARTENIUS in *itin. liter.* an. 1724. (ex quo unctionem manuum diaconi paullo ante notavimus, iisdem verbis conceptam, ut in noſtro ſacramentario legitur ad conſecrandum presbyterum) hic unctio capitis cum hac oratione præſcribitur: „Ungatur & conſecretur caput tuum cœleſti benedictione in ordinem ſacerdotalem *in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti.*“ Forte rubricæ loco motæ ſunt. Nomen ſacerdotale, ut quidem utrique ordini commune eſt, aliquando tamen peculiariter ſupremo ſacerdoti tribuitur: veluti in miſſali *Gallicano* veteri in Præfatione ad veſperum natalis Domini: *Ædificet ſacerdotes, exaltet ſeniores, inluſtret levitas.* „Sacerdotes (ut MABILLONIUS adnotat) id eſt, epiſcopos; ſeniores, id eſt, presbyteros. Supra in miſſali *Francorum* n. VIII. ubi de ordinatione presbyteri, *probet ſe eſſe ſeniorem &c.*“ In veteri pontificali CHRISTIANI epiſcopi *Moguntini* ſæc. XII. vel XIII. (utroque enim eius nominis fuit *Moguntiæ* epiſcopus) iam habetur cerimonia ac ritus, quem ſcholaſtici poſthabita manus impoſitione maxime ſuſpexerunt. „Poſthæc epiſcopus offert calicem cum patena præparata cum hoſtia & vino, duobus vel pluribus ad tangendum dicens: *Accipite poteſtatem offerre ſacrificium Deo.*“ Et poſtea: „Debent autem presbyteri ſtantes iuxta epiſcopum ad altare attendere diligenter, quando epiſcopus ſignat hoſtiam, ut & ipſi ita faciant, quia omnes communicabunt.“ Signa quidem hodie non faciunt concelebrantes cum epiſcopo, omnia tamen, etiam conſecrationis verba, ſimul pronunciant. In antiquiſſimo utroque noſtro ſacramentario extat miſſa in conſecratione ſeu ordinatione presbyteri: atque orationes, Præfatio, & *Infra actionem* ita compoſita ſunt, ut ſuo nomine ordinati omnia proferant,

Presbyteri.

T. I. Conc. Germ. p. 41.

pag. 97.

Lit. Gall. p. 337.

Apud Morin. de ſacris ordin. P. II. p. 336.

Digitized by Google

ferant, quemadmodum in ſacramentario *Gregoriano.* In antiquiſſimo calendario apud Martenium, & in lectionario *Gallicano* etiam lectiones peculiares notantur, *Quando presbyteri benedicuntur*, ac quidem in calendario una *In ordinatione epiſcopi vel presbyteri.* Et dum in lectionario nulla peculiaris reperitur pro epiſcopo, pro eodem etiam valere poteſt; differunt tamen inter ſe lectiones in calendario & lectionario. In ſacramentario *Gelaſiano* miſſa inſcribitur: „In natale conſecrationis presbyteri, qualiter ſibi miſſam debeat celebrare."

Epiſcopi. X. In eodem ſacramentario *Gelaſiano* inter orationes de epiſcopis ordinandis ſecreta & Poſtcommunio leguntur, quæ ad miſſam pertinent, uti etiam in noſtro ſacramentario eædem orationes iisdem titulis, quibus in ordine noſtro, ad miſſam notantur. Sequitur in ſacramentario *Gelaſiano*: *Item miſſa, quam pro ſe epiſcopus die ordinationis ſuæ cantat*, quæ extat item in ſacramentario *Gregoriano*, & in antiphonario *in ordinatione unius & plurimorum epiſcoporum.* Iterum in *Gelaſiano*: *Item in natalicio epiſcopi, ſi infirmus, aut abſens fuerit, qualiter presbyter debeat celebrare miſſam*, quo titulo etiam eſt in celebri *Gelonenſi* ſacramentario ſæc. VIII. & in antiquiſſimo lectionario *Gallicano legenda in* pag. 92. *natale epiſcopi*, qui eſt anniverſarius conſecrationis eius, notanturque plura evangelia veluti in natali Papæ in capitulari evangeliorum apud *Ioſephum* Cari, ſeu Thomasium: eoque ſpectant ſermones S. Leonis in anniverſario die aſſumtionis ſuæ ad ſummi pontificii munus, quorum ſecundo provocatur ad lectionem evangelicam, cum interrogaſſet Dominus diſcipulos, quem ipſum (multis diverſa opinantibus) crederent. In ordine *Romano* IX. qui deſcriptus eſt ex codice *San-Gallenſi*, continetque ritum conſecrationis ſummi pontificis, nihil occurrit de unctione, cum tamen expreſſe de eligendo ex Cardinalibus requiratur: *ut a prædeceſſore ſit pontifice ordinatus, aut presbyter, aut diaconus, nam epiſcopus eſſe non poterit.* Ubi tamen obſervari meretur conſecrationis ritus poſt Introitum: *Elegit te Dominus.* „Surgens vero aſcendit ad altare, & proſternit ſe in orationem & omnis clerus cum eo. Poſtea erigitur ab epiſcopis, & ſtatuitur inter ſedem & altare; & tenent evangelium ſuper caput vel cervicem ipſius. Et accedit unus epiſcopus, & dat orationem ſuper eum, & recedit; & alter ſimiliter. Accedit tertius, & conſecrat illum." In ordine vero noſtro: „Epiſcopus cum ordinatur, duo epiſcopi teneant, & ponant evangeliorum librum ſuper cervicem eius, & unus fundat benedictionem, reliqui omnes epiſcopi, qui adſunt, manibus ſuis caput eius tangant." Amalarius ritum imponendi librum

evangelii

evangelii ſugillat lib. II. c. 14. de eccl. off. „Dicit libellus, ſecundum cuius ordinem celebratur ordinatio apud quosdam, ut duo epiſcopi teneant evangelium ſuper caput eius, quod neque vetus auctoritas intimat: neque apoſtolica traditio, neque canonica auctoritas.“ GREGORIUS III. in epiſtola canonica S. BONIFACIUM iuxta canones eccleſiaſticos circa hanc functionem inſtruit: „Quoties epiſcopum conſecraveris, duo vel tres conveniant tecum epiſcopi, ut Deo ſit gratum, quod geritur, & eis convenientibus, ipſisque præſentibus conſecres.“ Principalior eſt, qui benedictionem ſeu conſecrationem fundit, aliis evangelium tenentibus ſuper caput eius. Quod explicatur in laudato ordine *Romano*: „Pontifex vero ponet manum ſuper caput eius, & dicit unam orationem in modum collectæ, alteram eo modulamine, quo ſolet Conteſtata cantari.“ Id deſignatur in noſtro ſacramentario, dum in margine ad duas orationes notatur, *Oremus*; ad tertiam *Dns vobiſcum. Surſum.* Quod ad Præfationem pertinet. *T. I. Conc. Germ. p. 39.*

De tempore iam ſupra meminimus, ſic vero in laudato ord. *Rom.* exprimitur: „Epiſcopi autem omni tempore benedicuntur: nunc vero mos eſt, ut nocturno tempore benedicantur.“ Forte hic ieiunium, ut in aliis maiorum ordinum conſecrationibus, non præmititur, quod iam ante electionem præierit triduanum, ut in vita S. CONRADI perhibetur: „Cum (S. UDALRICUS) erga viduatam eccleſiam in eligendo epiſcopo pro cœleſti duceretur oraculo, triduanum ieiunium toti clero indixit & populo, dignum aſſerens maiora quæque divinarum rerum conſilia maiori devotione, a ſpiritu conſilii fore petenda.“ *pag. 91.* *Apud Piſtor. Rer. Germ. T. III. p. 712.*

Obſervanda demum eſt communio per 40. aut 30. dies ex una oblata in die ordinationis conſecrata. De hac ita ſtatuitur in pontificali *Salisburgenſi* ann. circiter 600. apud MARTENIUM: „Cum autem venerit ad communicandum domnus pontifex, porriget ei formatam, atque ſacratam oblationem integram: ſuſcipiensque eam epiſcopus, ipſe ex ea communicat ſuper altare: quod vero reſiduum fuerit, ſibi reſervat denuo ad communicandum unoquoque die, uſque quadraginta diebus expletis.“ Et in pontificali CHRISTIANI archiepiſc. *Moguntini*: „Cum ventum fuerit ad communicandum, electus communicabit de manu epiſcopi accipiens hoſtiam integram. Si quid reſiduum fuerit, ſervabit ſibi ad communicandum quotidie per triginta dies. *T. II. de Rit. eccl. p. 406.*

XI. Sequitur in eodem pontificali CHRISTIANI archiepiſcopi *Moguntini* memorabilis locus: „In conſecratione abbatis. Cum epiſcopus Præfationem incipit, tum manum ponit ſuper caput eius, & in fine Præfa- *Abbates, Epiſcopi, Chorepiſcopi.*

ſacris ordinat. P. II. p. 336. tionis dat ei regulam, *Accipe regulam &c. Accipe baculum &c.* Sed in eius benedictione hoc non fit." Memorantur a MABILLONIO abbates Præf. I. in ſæc. III. O. S. B. n. 36. *Hohenoviæ* infra *Strateburgum* ſeu *Argentoratum* (quæ diœceſis *Moguntinæ* eſt provinciæ,) qui etiam epiſcopi fuerunt. Hos putat MABILLONIUS nonniſi vicarios ſeu chorepiſcopos fuiſſe epiſcoporum *Argentoratenſium*, ſeu epiſcopos regionarios, nullis certis addictos ſedibus. Cuiusmodi aliud genus fuit, de quo in capitulis ſynodalibus ſub PIPINO rege T. I. Capitul. p. 164. an. 752. „Ut ab epiſcopis, ambulantibus per patrias, ordinatio presbyterorum non fiat. Si autem boni ſunt illi presbyteri, iterum conſecrentur." Idem diſcrimen ſub monarchia *Francica* ſubierunt chorepiſcopi, ARNONE *Iuvavienſi* ſeu *Salisburgenſi* ea de cauſa *Romam* ablegato ad finem ſæculi octavi, vel initium noni ex conc. *Ratisbonenſi*, ubi querelæ presbyterorum, ac laicorum imprimis ſunt motæ: „Se talium miniſtrorum vel ſacerdotum, qui a chorepiſcopis erant quaſi ordinati, officia audire nolle, nec ſuos infantes maiores vel minores, aut familiam ſuam per manus impoſitionem conſignari vel confirmari uſquam velle, ne magis vulnus, quam benedictionem acciperent." In reſponſis tulit ARNO a LEONE III. dudum definita eſſe, omnia, quæ chorepiſcopi de pontificibus ſibi arrogarent, nec rite, nec valide facere, eos omnes damnandos, & in exilium detrudendos eſſe. Edita ſunt poſtea capitula de Baluz. T. I. Capitul. p. 327. ſeq. chorepiſcopis, ne deinceps fiant: „Ut hominum confirmatio, eccleſiarum, altarium, virginum, chriſmatum, diaconorum & ſubdiaconorum conſecrationes a chorepiſcopis factæ, ab epiſcopis, qui canonice ordinati ſunt, reformandæ, canoniceque ſint peragendæ, quia chorepiſcopi hæc contingere non debuerunt, nec agere potuerunt &c." Egit tamen poſtea eorum cauſam *Rhabanus* MAURUS ſingulari libro, ac eorum epiſcopalem characterem defendit, ſi per manus impoſitionem a veris epiſcopis ordinati ſint, etſi fixam ſedem ac eccleſiam non habeant: eoquod veri nominis epiſcopi ſint, & epiſcopi propria munera obire valeant, ab epiſcopis cum charitate & modeſtia tolerandi.

CAP. V.

Digitized by Google

CAPUT V.

De celebratione Matrimonii.

I.

BURCHARDUS Lib. IX. cap. 3. & ſequentibus decreta pontificum, & canones conciliorum variorum collegit de nuptiis, benedictione ſacerdotali conſecrandis. Sparſim etiam alibi tum ipſe, cum alii collectores eiusmodi canonum ac capitularium id egerunt ANSEGISUS & ISAAC *Lingonenſis*. Imprimis vero notatu dignum, quod addit. IV. apud BALUZIUM legitur: „Illud tamen modis omnibus obſervandum præcipimus, ut ſi quis Chriſtianus, vel Chriſtiana, aut *Iudæus* vel *Iudæa* noviter nuptiale feſtum celebrare voluerint, non aliter, quam cum præmiſſo dotis titulo, quo in Chriſtianis ſalubri inſtitutione præceptum eſt, vel ſacerdotali benedictione intra ſinum ſanctæ Dei eccleſiæ percepta coniugium cuiquam ex his adire permittimus. Quodſi absque benedictione ſacerdotis quisquam Chriſtianorum vel *Hebræorum* noviter coniugium duxerit, vel ſolemnitatem legis pro dotali titulo in quocunque tranſſcenderit, aut centum principi ſolidos coactus exſolvat, aut centum publice verberatus flagella ſuſcipiat.“ Si de *Iudæis* Chriſtum profeſſis hoc intelligendum eſt, quid opus fuit diſtinctione chriſtianos inter & *Iudæos?* Habent etiam *Iudæi* ſacram hic ſuo more ſolemnitatem, etſi non ſacramenti ratione, niſi latiore ſignificatu, prout iam in paradiſo prima coniunctio a Deo benedictionem accepit: unde rationem etiam repetit pro uſu & ritu eccleſiæ chriſtianæ ISIDORUS de eccleſiaſt. off. „Nam (inquit) quod in ipſa coniunctione connubii a ſacerdote benedicuntur, hoc eſt a Deo in ipſa prima coniunctione hominis factum. Sic enim ſcriptum: *Fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit eum, maſculum & fœminam fecit eos, & benedixit eos dicens: Creſcite & multiplicamini.* Hac ergo ſimilitudine fit nunc in eccleſia, qua tunc factum eſt in paradiſo.“ Ratio vero illa, quam etiam Chriſtus attigit, atque chriſtiana matrimonia in eccleſia conſecrata ſacrata reddit, in capitul. an. 789. ex decretali SIRICII affertur: „De coniugali violatione requiſiſti, ſi deſponſatam alii puellam alter in ma-

Benedictio ſacerdotalis Nuptiarum.

T. I. Capitul. p. 1189.

Lib. II. c. 19.

T. I. conc. germ. p. 278. c. 51.

matrimonio poſſit accipere? Hoc ne fiat, modis omnibus inhibemus: quia illa benedictio, quam nuptæ ſacerdos imponit apud fideles, cuiusdam ſacrilegii inſtar eſt, ſi ulla transgreſſione violetur." Ex collectione vero capitularium ANSEGISI & ISAACI *Lingonenſis* ad nos cumprimis attinet, quod ille lib. VII. c. 389. hic tit. XI. c. 29. in medium adducit: „Sciendum eſt omnibus, & firmiter retinendum, quod hi, qui uxores ducere voluerint, ſicut eas caſtas & incorruptas cupiunt invenire, ſic ad eas caſti & incorrupti debent accedere, easque cum benedictione ſacerdotis, ſicut in ſacramentario continetur, accipere." Vid. etiam apud ANSEGISUM lib. VI. cap. 130. 327. & 408.

T. I. Capitul. p. 1109. 1282.

Intra miſſam. *Lib. II. ad Uxor. c.* 9. *Lib. VII. c.* 463.

II. Ut vero iam TERTULLIANUS connubium chriſtianum commendat: *Quod eccleſia conciliat, & confirmat oblatio*, nempe ut explicatius habetur in regula CHRODEGANGI, apud ANSEGISUM, BURCHARDUM & alibi, ut ſponſus & ſponſa ſacerdotaliter, ut mos eſt, cum precibus & oblationibus a ſacerdote benedicantur, id in ſacratiſſima miſſæ actione perfectum in monumentis noſtris liturgicis invenimus, veluti in ſacramentario *Gelaſiano* iam annotatur: *Percompleis canonem plenariam*: & *dicis orationem dominicam*, & *ſic eam benedicis* &c. Sic etiam apud MENARDUM in append. Sacrament. *Greg.* p. 265. utrobique ad actionem nuptialem peculiaris notatur miſſa integerrima, uti etiam in ſacramentario *Gregoriano* apud PAMELIUM eadem miſſa reperitur, ac in noſtro ſacramentario altero, qualiter ex codice *Rhenaugienſi* ſupplemus, cum rubrica ad ipſam benedictionem: „Antequam dicatur *Pax Domini*, dicatur oratio *Propitiare* &c. Benedictio: „*Deus, qui poteſtate virtutis tua* &c." Quæ paſſim in mſſ. *Alemannicis* etiam poſterioris ætatis, ac impreſſis, perinde ac in ſacerdotali *Romano Venetiis*, ſæc. XVI. iam vergente ad finem, repetitis vicibus recuſo leguntur. In miſſali *Romano* ex decreto concilii *Tridentini* reſtituto, & PII V. pontificis maximi iuſſu edito, ita habes in miſſa pro ſponſo & ſponſa: „Dicto *Pater noſter* ſacerdos antequam dicat: *Libera nos quæſumus Domine*, ſtans in cornu epiſtolæ verſus ad ſponſum & ſponſam, ante altare genuflexos, dicit ſuper eos ſequentem orationem: *Propitiare Domine* &c. Item oremus: *Deus qui poteſtate virtutis tuæ* &c. Tunc converſus ad medium altaris frangat hoſtiam more ſolito, & proſequatur miſſam. Poſt *Ite miſſa eſt*, antequam det benedictionem, converſus ad ſponſum & ſponſam dicit: *Deus Abraham, Deus Iſaac* & *Deus Iacob ſit vobiſcum* &c Moneat ſacerdos oratione gravi, ut ſibimetipſis ſervent fidem, orationis tempore & præſertim ieiuniorum ac ſolemnitatum caſti maneant, & vir uxorem, atque uxor virum diligat, & in timore Dei permaneant. Poſtea eos

Digitized by Google

eos aſpergat, & det benedictionem, & dicat, ut ſolitum eſt, evangelium S. IOANNIS: *In principio erat Verbum &c.*" Ita paullatim accidit, ut omnis hæc actio demum poſt miſſam tota abſolveretur: prout in miſſali *Conſtantienſi* an. 1579. notatum reperi, ſervata ſaltem adhuc miſſa pro ſponſo & ſponſa. Sic autem poſt evangelium S. IOANNIS habet rubrica: „Finita miſſa pro ſponſo & ſponſa ſequitur benedictio ſuper ſponſum & ſponſam, ut in obſequiali." Convenit tamen adhuc benedictio, ut in noſtro ſacramentario antiquo exſtitit.

III. In ſacramentario *Gelaſiano*, & in appendice ſacram. *Greg.* apud MENARDUM ex cod. *Remenſi* nota ſingulariter: „Infra actionem ad triceſimum vel annualem nuptiarum. *Hanc igitur oblationem Domine famulorum tuorum illi & illas, quam tibi offerunt ob diem trigeſimum coniunctionis ſuæ, vel annualem, quo die eos iugali vinculo ſociare dignatus es &c.*" Præceſſit autem peculiaris pro ipſo nuptiali die. In trigeſimo, & annuali nuptiarum, ſecundis item nuptiis.

Legitur in ſacramentario *Gallicano Oratio ſuper eos, qui ſecundo nubunt.* Antiphona. *Benedictio Domini ſuper vos. Beati omnes. Deus qui multimoda &c.* Refertur apud BURCHARDUM & IVONEM canon conc. *Mediolan. In primo coniugio debet presbyter miſſam agere & benedicere ambos, & poſtea ſe abſtineant ab eccleſia XXX. diebus.* Iſthinc ratio patet, cur in die trigeſimo iterum in ſacrificio nubentium commemoratio ſit facta, ac ipſa miſſa, dum, poſteaquam ſe triginta diebus ab eccleſia abſtinuerunt, iterum redierunt ad oblationem, quam obtulerunt ob diem trigeſimum coniunctionis ſuæ, ut habetur in miſſa *infra actionem.* Dum vero in ſecundis nuptiis vix, uti nec hodie fit, benedictio fuerit adhibita, (licet hic nulla diſtinctio in noſtris monumentis liturgicis appareat) quæritur, qua ratione tunc iſta coniunctio celebrata in eccleſia fuerit, cum nec uſpiam illa forma matrimonii aſſerta legatur, quam ſcholaſtici plurimi faciunt, & in ea rationem ſacramenti conſtituunt? quod ſaltem quoad contractum ipſum matrimonii ita eſt, ut nubentes fidem mutuo dent, ac ſeſe in ſocietatem matrimonii ſigno externo & verbis mutuis accipiant; prout primum mihi occurrit in conſtitutionibus RICHARDI epiſcopi *Sarum* circa an. 1217. „Item præcipimus, quod ſacerdotes doceant perſonas contrahentes hanc formam verborum in *Gallico*, vel *Anglico: Ego N. accipio te N. in meam.* Similiter & mulier dicat: *Ego accipio te in meum.* In his enim verbis conſiſtit vis magna, & matrimonium contrahitur." Quod ſpectato contractu veriſſimum eſt.

p. 189. Lib. IX. c. 8.

IV. Multa nobis veteris ritus eccleſiaſtici circa hanc rem pandit ISIDORUS De annulo, velamine,

corona nubentium, ac thalami benedictione. DORUS de eccleſiaſt. offic. „Quod vero eædem fœminæ (inquit) dum maritantur, velantur, ſcilicet ut noverint per hæc ſe viris ſuis eſſe ſubiectas & humiles, unde & ipſum velamen vulgo *Mavortem* vocant, id eſt *Martem*, quia ſignum maritalis dignitatis ac poteſtatis eſt in eo.... Quod autem nubentes poſt benedictionem vittæ uno invicem vinculo copulantur, videlicet ne compagem coniugalis unitatis diſrumpant. At vero, quod eadem vitta candido purpureoque colore permiſcetur &c. Illud vero, quod imprimis annulus a ſponſo ſponſæ datur, fit hoc nimirum vel propter mutuæ fidei ſignum, vel propter id magis, ut eodem pignore eorum corda iungantur." Annuli etiam TERTULLIANUS meminit in libro de idololatria: *Neque annulus, aut coniunctio maritalis de alicuius idoli bonore deſcendit.* Annulus eodem teſte, pro ſorte fidelium ferreus vel aureus eſſe poterat. Hæc ex uſu profano rite quoque ſervari potuerunt, perinde ac velamen, unde nomen venit nubendi. „Hinc etiam (ut laudatus ait ISIDORUS) & nuptæ dictæ, eoquod vultus ſuos velent: obnubere enim operire dicitur. Unde & nubes dictæ, eoquod æthera tegant." Nec abludit S. AMBROSIUS in exhortatione ad virgines: *Nubes itaque ſunt, & graves nubes, quæ nupſerint. Nam a nubibus verbum nubentium tractum arbitror. Denique operiuntur ut nubes, cum acceperint nupturæ velamina.* Apertius de uſu eccleſiaſtico velaminis in epiſtola ad *Vercellenſes* dicit, *ipſum coniugium velamine ſacerdotali & benedictione ſanctificari oportere.* Et NICOLAUS I. ad conſulta *Bulgarorum*: *Primum quidem* (ait) *in eccleſia Domini cum oblationibus, quas offerre debent Deo, per ſacerdotis manum ſtatuuntur, ſicque demum benedictionem & velamen ſuſcipiunt.* Eius rei documenta poſteriore ætate apud DE-VERT invenies, loco velaminis etiam ſtolam adhibitam ad obnubendum, vel circumcingendum nubentes; cuiusmodi exempla DE-MOLEON in *itinere liturgico* affert. Apud eundem PHILIPPUS presbyter *Syrus* de benedictione matrimonii quæſitus reſpondet: *Presbyter ſeu parochus non extendit ſuper nubentes duas ſtolæ extremitates, aut velamen, ſed coronam, quæ in eccleſia ſervatur, eorum capitibus imponit.* Id etiam palam eſt ex NICOLAO I. ad conſulta *Bulgarorum* & ex Novella BASILII imp. apud. LEUNCLAVIUM. „Nullus ſecreto coronatur, ſed in præſentia plurium. Coronari porro eſt nuptialem benedictionem accipere; eoquod iuxta priſcorum morem ſponſi ſacerdotali benedictione percepta, coronas in capitibus geſtare conſueviſſent egreſſi de eccleſia." In Euchologio nempe *Græc.* idem eſt acoluthia nuptiarum & coronationis τῦ ςεφανώματος, ritu quidem gentilium in chriſtianiſmum illato, quem CLEMENS *Alex.* in pædagogo improbat, item TERTULLIA-

Loc. cit.

Explic. T. II. p. 191.

pag. 177.

pag. 473.

Ius Græco-Rom. p. 87.

NUS

us & Minucius *Felix:* nihilominus de mitræ ſeu coronæ uſu in nuptiis *Lib. VI.*
etiam chriſtianis ex Optato *Milevit.* Gregorio *Nazianzeno* conſtat. Re- *contra*
centiora teſtimonia apud Menardum extant in not. & obſerv. ad S. *Parm.*
Greg. ſacrament. Vid. *Ioach.* Maderi de coronis nuptiarum præſertim,
ſacris & profanis libellus.

In ſacramentario *Gallicano* inter alias benedictiones exiſtit *Benedictio* *Muſ. Ital.*
thalami ſuper nubentes. Quod Mabillonius in nota eo refert, quod *T. I. pag. 388.*
S. Ambrosius dicit, ipſum coniugium velamine ſacerdotali & benedictione ſanctificari oportere: ad velamen nimirum imponi ſolitum. Fuit tamen moris, thalamum etiam ſeu thorum, ac lectum nuptialem benedicere, qualem thori, uti & panis ac vini neonymphis ad edendum & bibendum præſentati, benedictionem affert De-Moleon in *Itinere liturgico* ex *pag. 223.*
rituali *Cenomanenſi* an. 1490. Idem ex miſſali *Pariſienſi* an. 1557. no- *pag. 255.*
tat panem & vinum pro agape poſt miſſam, ſub qua pro more ante *pax Domini* benedictio fuerat facta, benedici, & ſero thalamum ſponſo & ſponſa deſuper accumbentibus ſeu ſedentibus. Etiamnum paſſim apud nos in more eſt thalami benedictio.

V. Apud Burchardum refertur ex concilio apud *Valentias*, quod *De paranymphis & nuptiis publicis non niſi ſuis temporibus celebrandis.*
iam in conc. IV. *Carthag.* ſtatuitur: „Sponſus & ſponſa, cum benedicendi ſunt a ſacerdote, a parentibus vel a paranymphis in eccleſia ſacerdoti offerantur, & cum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia ipſius benedictionis in virginitate permaneant.“ Pronubas vocat Isidorus. Qui ſponſam in templum ducebant, Νυμφαγώγους eſſe dictos, Valesius ad lib. I. c. 20. hiſt. eccl. Sozomeni adnotavit. De parany- *Lib. IX.*
phis agit etiam regula *Chrodegangi:* „Sponſus & ſponſa cum precibus *c. 5.*
& oblationibus a ſacerdote benedicentur, & legibus ſponſa dotetur, & *Lib. II. de eccl. off. c.*
a paranymphis cuſtodiatur, & publice ſolemniterque accipiant. Biduo *19.*
etiam ac triduo abſtineatur, & doceatur eis, ut caſtitatem inter eos cu- *Cap. 73.*
ſtodiant, certisque temporibus nubant &c.“ Qua ratione publicæ debeant eſſe nuptiæ ex decretali Hormisdæ docet Burchardus: „Ut nullus *Lib. IX. c. 3.*
fidelis cuiusque conditionis ſit, occulte nuptias faciat; ſed benedictione a ſacerdote accepta publice nubat in Domino.“ Apud Ansegisum & *Lib. VII.*
Isaacum *Lingon.* ex conc. *Trosleiano*, uti etiam in capitularibus alibi, *c. 179.*
nuptiæ clam factæ prohibentur: „Sed prius conveniendus eſt ſacerdos, in cuius parochia nuptiæ fieri debent in eccleſia coram populo. Et ibi inquirere unacum populo ipſe ſacerdos debet, ſi eius propinqua ſit, an non, aut alterius coniux, vel adultera. Et ſi licita, & honeſta omnia pariter invenerit, tunc per conſilium & benedictionem ſacerdotis, &

 con-

Digitized by Google

conſultu aliorum bonorum hominum eam ſponſare & legitime dotare debet.“ In concilio tamen *Triburienſi* excipitur dies dominica. „Si quis nupſerit die dominico, petat a Deo indulgentiam, & quatuor annos pœniteat.“ Quoad tempora autem, quibus nuptiæ celebrandæ ſint, apud BURCHARDUM canon *Illerdenſis* concilii præſtituitur: „Quod non oporteat a Septuageſima uſque in octavas Paſchæ, & tribus hebdomadibus ante feſtivitatem ſancti IOANNIS Baptiſtæ, & ab Adventu Domini uſque poſt Epiphaniam nuptias celebrare. Quod ſi factum fuerit, ſeparentur.“ Hæc tempora (quæ alicubi adhuc ampliora fuerunt conſtituta veluti in concilio *Salegunſtad.* an. 1022. licet 14. tantum dies ante feſtum S. IOANNIS *Bapt.* deſignentur, adduntur tamen dies ieiuniorum & *in omnium ſolemnium dierum præcedentibus noctibus*) a concilio *Tridentino* ſunt reſtituta. Seſſ. XXIV. *de reformat. matrim.* c. 10.

T. II. Conc. Germ. p. 411.

Lib. IX. c. 5.

T. III. conc. Germ. p. 56.

DIS-

Digitized by Google

DISQUISITIO VI.

DE CONSECRATIONIBUS, BENEDICTIONIBUS, EXECRATIONIBUS &c.

CAPUT I.

De variarum rerum & perſonarum Conſecrationibus, Benedictionibus.

I.

Non in libris liturgicis ſacramentariis ſolum, ſed miſſalibus etiam & aliis, diverſæ conſecrationes, benedictiones, ac exorciſmi variarum rerum continentur. Conſecrationes, benedictiones. Quasdam etiam in altari factas eiusmodi conſecrationes & benedictiones rerum, quas offerre illic licitum erat, quod in aliis vetitum fuerat, ex canonibus apoſtolorum, & aliis antiquis documentis iam oſtendimus. *Dum ergo quædam probibentur offerri, oſtenditur ea a quibusdam (licet extraordinarie) oblationibus adhibita*, ut recte arguit *Walafridus* Strabo, ac ſubdit: „Alias autem diverſarum ſpecies rerum *De reb. eccleſ. c. 17.* ſtatutum eſt ubi libet benedici a ſacerdotibus; vel ſi ad altare benedicenda quælibet deferantur, ſpeciali benedictione a conſecratione dominicorum ſacramentorum omnimodis diſcernenda.“ Nec pro novitatis ar-

Digitized by Google

gumento habendum eſt, ſi diverſarum rerum benedictiones eiusmodi reperiantur, dum etiam in antiquiſſimis ſacramentariis *Leonino*, licet maiorem partem mutilo, *Gelaſiano*, *Gregoriano*, (in *Eligiano* codice pleræque deſiderantur) in *Gallicanis* item vetuſtiſſimis extant conſecrationes, benedictiones, & exorciſmi, quorum hoc diſcrimen obſervavit *Micrologus* ab
c. 7. aliis cuiusque generis orationibus. „Secundum *Romanam* auctoritatem nullam orationem *Per eum qui venturus eſt*, concludimus, niſi ſit exorciſmus, in quo diabolus per divinum iudicium, ut a creatura Dei diſcedat, exorcizatur, ſive adiuratur. Nam in aliis orationibus, quas *Per Dominum noſtrum* concludimus, Patrem, ut nobis per amorem Filii ſui ſubveniat, imploramus. In exorciſmo autem diabolum per Dei iudicium, ut aufugiat, increpamus.“ Sæc. XII. *Eudo* De Stella vulgo *Eon* natione *Brito* illiteratus & idiota, pro Chriſto nihilominus haberi geſtiens, ſolemnem hanc exorciſmorum clauſulam *Per eum qui venturus eſt &c.* ad ſe pertinere contendit, magis adhuc delirans, quam veteres illi *Gnoſtici* varia de *Eonibus* ex *Græca* orationum clauſula fingentes. Fuit autem Eudo in conc. *Remenſi* an. 1148. exhibitus Sugerio abbati, & regni adminiſtro, traditus iuſſu Papæ, atque ab eo arctæ cuſtodiæ mancipatus, ut legitur in actis concil. & in præfat. T. II. Collect. ampliſſ. P. Martene, & Durand. p. XXIX.

Dedicatio ecclesiæ. II. Nos iam de ſacrarum ædium conſecratione ordiamur, quæ a reſtituta eccleſiæ pace celebris imprimis ſemper fuit, inſigni peracta pompa.
Lib. X. c. 3. „Poſt hæc (inquit Eusebius) votivum nobis ac deſideratum ſpectaculum præbebatur, dedicationum ſcilicet feſtivitas per ſingulas urbes, & oratoriorum recens ſtructorum conſecrationes.“ Extat eiusdem Eusebii oratio ab ipſo habita in dedicatione templi *Tyri* in *Phœnicia* in frequenti
Lib. IV. c. 43. epiſcoporum conſeſſu. Quod idem in vita Constantini narrat de magno epiſcoporum numero, ab imperatore convocatorum ad celebrandam conſecrationem auguſti templi *Hieroſolymis*, ingenti ſumtu ac or-
T. II. conc. germ. p. 355. &c. natu extructi. Ea occaſione ſolebant haberi concilia. In noſtra *Germania* celebratum *Coloniæ* concilium, quod ad an. 869. collocatur in actis conciliorum; Hermannus vero *Contractus* ad an. 870. refert, unaque dedicationem eccleſiæ, quam Sigebertus *Gemblacenſis* ad annum ſequentem revocat. Fuit autem templum ſub invocatione S. Petri dedicatum, ut ſolent templa ſub Sanctorum patrociniis dedicari, ut tamen
Ep. 18. in nomine SS. Trinitatis ipſa conſecratio fiat. Hoc Zacharias P. a S. Bonifacio inquiri volebat, ut rata eſſet conſecratio, pariter ac baptiſmus collatus ab adulterato epiſcopo, ac ſimilibus ſacerdotibus, quos is con-

Digitized by Google

conſecravit. „De baptizatis vero ab illis, ſeu eccleſiis conſecratis requirat tua fraternitas, ſi aut eccleſias in nomine Trinitatis conſecravit, aut parvulos ſimiliter baptizavit, dum ſacerdotio fungebatur. Et ſic conſecratio eccleſiarum & parvulorum baptiſma ſit confirmatum.“

Celebrata fuit iam ſæculo quarto circa hunc ſolemnem conſecrationis ritum *Romanæ* eccleſiæ induſtria, quam alii imitandam ardenter flagitabant, uti ex S. AMBROSIO diſcimus, ita ad MARCELLINAM ſcribente: „Cum ego baſilicam dedicare vellem, multi tanquam uno ore interpellare cœperunt dicentes: Sicut in *Romano*, ſic baſilicam dedices. Reſpondi: faciam, ſi martyrum reliquias invenero.“ In vulgato ordine *Romano*, uti & in codice *Vaticano* apud MURATORIUM variante ſolum *T. II. lit.*
ritu, extat ordo ab benedicendam ſeu ad dedicandam eccleſiam, ut in *Rom. p. 467.*
codice *Eligiano*, & alibi habetur, ubi adnotant PP. *Maurenſes* in *Geme-* *T. III. opp.*
ticenſi codice & alibi fuſiſſime deſcribi totum officium nocturnum de de- *S. Gregorii*
dicatione. In edit. PAMEL. contractius eſt officium in dedicatione, om- *p. 145.*
ninoque diverſum. Pauciora adhuc habet codex Reg. *Suec.* at uterque *Theod.* longe plura & longiora. Hæc illi. *Allemannicus* noſter ordo dedicandi templum ex cod. *Tigurino* & *Einſidlenſi* convenit cum *Gregoriano*, in quo poſt ritum dedicationis ſequuntur *Orationes ad miſſas in dedicatione eccleſiæ*, & deinde: *In anniverſario dedicationis baſilicæ*: veluti etiam in lectionario diſtinguitur. *legenda in dedicatione*, &, *legenda* *Lit. Gall. p.*
in natale eccleſiæ, hoc eſt in anniverſario dedicationis. Conveniunt au- *167. 168.*
tem prioris miſſæ lectiones cum illis, quæ *in dedicatione eccleſiæ* extant in ſacramentario *Gallicano*. Sequitur *miſſa in dedicatione*, ubi Collecta *Muſ. Ital. p.*
ad pacem eadem eſt cum hodierna Collecta in anniverſario dedicationis, *352. 354.*
qualis etiam in utroque noſtro ſacramentario habetur. In ſacramentario autem *Leonino* apud MURATORIUM Collectæ ſeu orationes ſunt de S. PE- *T. I. liturg.*
TRO, *cui hæc eſt baſilica conſecrata*, uti in ſecunda oratione legitur, & *Rom. p. 308.*
in Conteſtatione ſeu Præfatione, *ubi venerabiles eius reliquiæ conquieſcunt.* Sequuntur orationes miſſales diverſæ ſub titulo: *Item alia miſſa*, ſcilicet de SS. MM. Sed nuſpiam colligi poteſt ad dedicationem eiusmodi eccleſiarum *Romæ* pertinere, prout nonnunquam inſcribuntur in noſtris etiam antiquiſſimis ſacramentariis: *Dedicatio eccleſiæ B.* MARIÆ *ad Mart. Dedicatio baſilicæ S.* NICOMEDIS.

Controverſia eſt inter noſtros, an cœnobia, an vero eccleſiæ dedicatæ intelligantur, quando haud raro in antiquis monumentis monaſteria dedicata perhibentur; cum tamen vernacula noſtra *Münſter*, *monaſterium* etiam eccleſiam deſignet. In *Suevia ſacra* PREGIZER monaſterium *Hirſaugienſe* dedicatum memorat. Sic notavi in veteri Mſc. *Rhenaugienſi*:

„Anno

Digitized by Google

„Anno dominicæ Incarnat. M. C. XIIII. Indict. XVII. K. *Decemb.* dedicatum eſt hoc monaſterium a domino RUDOLFO venerabili *Baſilecnſi* epiſcopo in honore ſanctiſſimæ Dei genitricis MARIÆ perpetuæ virginis, & ſancti PETRI principis apoſtolorum, ALEXANDRI pp. & Mr. BLASII epi. & Mart. IANUARII epi. & Mart. MAURICII Mart. FINDANI Conf.“ In Calendario ſeu Necrologio monaſterii S. PETRI, quod *Petrus* GREMELSPACH abbas eius monaſterii an. 1497. *Librum vitæ* inſcribit ſub titulo *de conſecratione huius cœnobii*, ſequentia ex rotulo fundationis deſcribuntur: „Anno autem Chriſti M. C. XIII. indict. VII. (l. VI.) anno VII. HEINRICI quinti 11. Kalend. *Octobr.* feria tertia dedicatum eſt monaſterium noſtri cœnobii a venerabili WITTONE *Curienſi* epiſcopo in honore ſanctæ & individuæ Trinitatis ac victorioſiſſimæ crucis, B. PETRI apoſtoli & omnium apoſtolorum &c.“ Ubi vero vides, monaſterium a cœnobio expreſſe diſtingui: dicitur *monaſterium*, id eſt eccleſia *noſtri cœnobii.* Demum obſerva in ſecundo noſtro ſacramentario, ut ex cod. *Rhenaugienſi* ſupplevimus: „Orationes in dedicatione fontis, *Omnipotens ſempiterne Deus, hoc baptiſterium cœleſti viſitatione dedicatum &c.*“

T. VI. Conc. germ. p. 294. Non abs re erit, hic ſtatutum conc. *Colonienſis* an. 1536. P. IX. cap. 11. referre: „Et cum in diebus feſtis, qui dedicationi eccleſiarum peculiariter dedicati ſunt, plerumque indigna committantur, adeo, ut videatur populus potiſſimum commeſſationis cauſa convenire: viſum nobis eſt, ut per diœceſes noſtras, uno certo die anni, quo eiusmodi feſtum dedicationis in metropolitana noſtra colitur, in reliquis quoque eccleſiis omnibus extra civitatem noſtram *Coloniam Agrippinam* conſtitutis obſervetur.“ Servatur id in diœceſi *Baſileenſi*, & paſſim in diœceſi *Conſtantienſi Alemanniæ* noſtræ nuper ad unum diem dedicationis anniverſariæ memoria eſt revocata.

Cum Sanctorum reliquiis in conſecratione altaris. III. Audivimus mox, S. AMBROSIUM populo dedicationem baſilicæ *ſicut in Romano* flagitanti reſpondiſſe, *faciam, ſi martyrum reliquias invenero.* Secundavit Deus vota ſancti præſulis, qui non ſolum SS. NAZARII & CELSI martyrum corpora, in quodam horto extra civitatem ſepulta, levavit, ſed & SS. GERVASII & PROTASII detexit reliquias, baſilicæque a ſe exſtructæ intulit. Quin etiam extra diœceſin ſuam *Florentiæ baſilicam conſtituit*, ut PAULINUS in eius vita narrat, (n. 14.) in qua depoſuit reliquias SS. martyrum VITALIS & AGRICOLÆ, quorum corpora in *Bononienſi* civitate levaverat. Horum martyrum encomium proſequens in lib. de exhortatione virginitatis (n. 1. & 2.) IULIANAM dilaudat, *quæ* (inquit) *hoc Domino templum paravit, atque obtulit, quod hodie dedicamus.* Ipſe vero quid contule-

rit

rit ad illud dedicandum, mox antea declaraverat: „Detuli ergo vobis munera, quæ meis legi manibus, id eſt: crucis trophæa, cuius gratiam in operibus agnoſcitis. Certe & ipſi dæmones confitentur. Condant alii aurum atque argentum, ac de latentibus eruant venis, legant pretioſa monilium ſerta, temporalis ille theſaurus eſt, & ſæpe habentibus pernicioſus: nos legimus martyrum clavos, & multos quidem, ut plura fuerint vulnera, quam membra. Clamare martyrem diceres ad populum *Iudæorum*, cum clavos eius colligeremus: *Mitte manus tuas in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis.* Colligimus ſanguinem triumphalem, & crucis lignum. Hæc ſanctæ viduæ negare non potuimus poſtulanti. Munera itaque ſalutis accipite, quæ nunc ſub ſacris altaribus reconduntur." Eadem ſacra lipſana in eundem finem ſe mittere S. Paulinus Severo ſcribit: „Frater Victor inter alias operum tuorum & votorum narrationes retulit nobis deſiderare te ad baſilicam, quam modo apud Primuliacum noſtrum maiorem priore condideris, de ſacris ſanctorum reliquiis benedictionem, qua adornetur domeſtica tua eccleſia, ut fide & gratia tua dignum eſt." Adiiciendam voluit autem ſacris cineribus *de ſanctis glorioſorum apoſtolorum aut martyrum reliquiis* ad dedicationem celeberrimam, S. Crucis particulam, „ut hoc etiam (inquit) quod de cruce miſimus pariter depoſitum ſacratumque veneremini. Quodſi ita placuerit placitum veſtrum, hi (ſi videbitur) verſiculi nuntiabunt."

Epiſt. 12.

Epiſt. 11. *Biblioth. max. PP. ed. Colon. T. V. p.* 167.

Ibid. Epiſt. 12. *p.* 170.

Divinum veneranda tegunt altaria fœdus,
Compoſitisque ſacra cum cruce martyribus &c.

Et poſtea: „Si vero magis placeat hanc de cruce benedictionem ad quotidianam tutelam, atque medicinam in promtu habere, ne ſemel condita in altario non ſemper ad manum, ut uſus exigit, præſto ſit, ſufficit & illa ad baſilicæ conſecrationem gratia, ſcilicet Dominus cum apoſtolis & martyribus, quorum venerandus cinis ſi ſine crucis conſortio ſubiiciatur altaribus hic opertos titulus indicabit:

Pignora Sanctorum, divinæ gloria menſæ
Velat apoſtolicis edita corporibus."

In concilio *Afric.* an. 424. cautum eſt c. 50. „Ut altaria, quæ paſſim per agros & per villas tanquam memoriæ martyrum conſtruuntur, in quibus nullum corpus aut reliquiæ martyrum conditæ probantur, ab epiſcopis, qui locis eiſdem præſunt, evertantur." Eſt inter *Alemannica* noſtra monumenta liturgica, ſicuti in ſacramentario *Gelaſiano, Denunciatio, cum reliquiæ ſanctorum martyrum ponendæ ſunt.* Sequitur *Ordo, quomodo eccleſia debet dedicari.* Item, *Quomodo in ſancta Romana eccleſia reliquiæ condiuntur:* Nimirum in conſecratione altaris, quæ eo in Ordine de-

pag. 131. deſcribitur, quomodo etiam in Ordine *Rom.* vulgato ab HITTORPIO extat, ita tamen, ut reliquiæ unacum tribus portionibus Corporis Domini intus in confeſſionem reponi iubeantur: poſtquam in quatuor angulis chriſmate inuncta eſſet confeſſio ſeu menſa altaris, in qua reliquiæ recondebantur, prout altaria dedicari mos eſt: id quod in concilio *Aquisgranenſi* an. 836. memoratur fieri exemplo IACOB patriarchæ. „Unde hodie quoque chriſtiana religio exemplum ſumens ex antiqua Patrum traditione, domos in honorem Dei ædificat ac dedicat, & altaria erigit, eisque oleum ſuperfundit, ac ſacroſancto chriſmate perungit ea, & de factis, dictisque IACOB melodiam Chriſto canit.“ In concilio *Epaonenſi* autem ſtatutum fuerat an. 517. *altaria ſi non fuerint lapidea, chriſmatis unctione non conſecrentur.* Singulare eſt, quod WALAFRIDUS in vita S. COLUMBANI narrat: „Beatus autem COLUMBANUS iuſſit aquam afferri, & benedicens illam, aſperſit ea templum, & cum circuirent pſallentes, dedicavit eccleſiam: deinde invocato nomine Domini unxit altare, & beatæ AURELIÆ reliquias in ea collocavit, veſtitoque alt[illegible] miſſas legitime compleverunt.“ Altaris itinerarii ſeu portatilis benedictionem in obſequiali *Weſſofontano* reperi mox citando.

T. II. Conc. Germ. c. 24. p. 98.

c. 27.

Benedictio vaſorum & donariorum eccleſiæ.

IV. In ſecundo noſtro ſacramentario duæ orationes, prima *benedictio*, altera *conſecratio altaris* titulum habet, quæ poſterior in codice *Tigurino*, non autem in *Einſidlenſi* habetur. Sequitur rubrica hæc: „Deinde tenentes ſubdiaconi vel accolythi linteamina, vel omnia ornamenta eccleſiæ, ſeu vaſa ſacrata, quæcunque ad cultum Dei ad eccleſiam pertinere debentur. Benedicit pontifex his verbis: Præfatio linteaminum: *Domine Deus omnipotens &c.* Benedictio ad omnia vaſa baſilicæ: *Dignare Deus omnipotens &c.*“ In cod. *Einſid. ad Patenam conſecrandam. Ad calicem benedicendum* fere eædem, ac in ſecundo noſtro ſacramentario leguntur orationes. Additur tamen Præfatio chriſmatis, uti etiam in ſacramentario *Gelaſiano.* In ſacramentario *Gallicano* autem *Ad benedictionem calicis & patenæ turris ſimul,* nimirum qua Euchariſtia deferri ſolet. *In qua* (turre) ut ait GREGOR. *Turon. myſterium dominici Corporis habebatur.* Idem autem vaſculum chriſmale fuit *miniſterium Corporis Filii ſui Domini noſtri IESU Chriſti gerulum*, ut in benedictione legitur. Præmittitur in ſacramentario *Gallicano Benedictio omni, quod in eccleſia offertur:* ſeu ut in ſacramentario *Eligiano* notatur: *Benedictio ſuper munus, quod quis eccleſiæ offert.* De donariis eccleſiæ *Hieroſolymitanæ* ſub CONSTANTINO M. ſequentia refert SOZOMENUS: „Igitur epiſcopi *Hieroſolymam* delati, eccleſiam conſecrarunt, ſimulque ornamenta, & donaria ab imperatore transmiſſa,

pag. 389.

De Gloria Mart. c. 86.

Lib. II. c. 26. pag. 154.

Digitized by Google

miſſa, quæ quidem in eadem baſilica hactenus manent, & a cunctis non ſine ingenti ſtupore ſpectantur ob magnificentiam atque amplitudinem." Ad alium uſum pertinet *Oratio ſuper vaſa in loco antiquo reperta*, ut in ſecundo noſtro ſacramentario inter alias benedictiones diverſas ex codice *Rhenaug*. ſupplevimus.

V. Inter alia ad dedicationem eccleſiæ, notant editores *Maurenſes* S. Gregorii ex antiquis codicibus *Theod.* benedictionem *ad ſignum eccleſiæ*, quod appellatur *vaſculum ad invitandos filios eccleſiæ præparatum*; & ut *ubicunque ſonuerit eius tinnibulum, longe recedat virtus inimicorum.* Infra ſignum, quod benedicitur, appellatur *tinnibulum.* Similia non habentur in benedictione ſigni, quam ex codice *Gemet.* noſter *Edmundus* Martene ſuis eccleſiæ ritibus inſeruit T. III. lib. II. p. 269. Hæc illi. Ad ſignum eccleſiæ benedicendum orat. reperi in rituali *Weſſofontano* ſæc. XI. vel XII. poſt *ad patenam conſecrandam, ad calicem benedicendum. Conſecratio minoris itinerarii*, ſcilicet, quod ſolet vocari altare portatile. In codice *San-Gallenſi* ſæc. circiter XVI. *benedictio campanarum* multo ſuccinctior eſt, quam nunc in pontificali. Nam præter benedictionem aquæ ad aſpergendum campanas, & tres orationes cum decem pſalmis, & duabus autiphonis, aliud nihil ibi legitur. Benedictio Campanarum. *T. III. p. 146.*

VI. S. Columbanum aqua luſtrali oratorium S. Aureliæ *Brigantii* recônciliaſſe, in eius vita legitur. Solet autem peculiari ritu hodieque benedici aqua ad luſtrationem eccleſiæ, quando dedicatur. Alias vero varius aquæ luſtralis in monumentis liturgicis occurrit uſus. De ſolemni aquæ, & in Epiphania ad uſum baptiſmi benedictione diximus ſupra. In Oriente, teſte *Leone* Allatio, quibus communio in Paſchate interdicitur, ii cochleari ex aqua benedicta magna benedictione feſto Epiphaniæ ſubacta modicum hauriunt. In veteri obſequiali noſtro extat præterea *Benedictio maior ſalis & aquæ*, maxime pro peſte hominum & animalium. *Benedictio minor ſalis & aquæ ad curationem pecorum.* In antiquiſſimo noſtro ſacramentario *Benedictio aquæ & ſalis ad ſpargendum* diverſa habetur ab illa, quæ ſingulis diebus dominicis fit, eſtque eadem in ſecundo noſtro ſacramentario, & in antiquo obſequiali tit. *Exorciſmus ſalis dominicis diebus, & exorciſmus aquæ cum orationibus in capitulo, in refectorio, in choro, in coquina, ad introitum eccleſiæ*, nimirum ad proceſſionem per huiusmodi loca, ut præſcribitur in mſſ. *Germaniæ* conſuetudinibus apud Martenium: *Die dominico poſt miſſam matutinalem non Tertia, ſed aqua efficiatur benedicta; deinde proceſſio.* Varia apud monachos præſertim uſitata

Aquæ luſtralis benedictio & ſalis. *Act. O.S.B. Sæc. I. pag. 233. Lib. III. de conſenſu utriusque eccl. c. 17. n. 7. T. IV. de rit. eccl. lib. II. c. 3. n. 1. ed. in fol. p. 132.*

tata circa hanc luſtrationem aquæ dabit laudatus MARTENIUS: eoque refertur, quod in libello ſupplici monachorum *Fuldenſium* c. 19. poſtulatur: „Ut crucis gloriatio in ſingulis diebus dominicis fiat ante miſſam, fratribus omnibus circa vicina quæque loca monaſterii crucem ſequentibus, hymnos & antiphonas cantantibus, ſicut apud maiores noſtros uſus erat, in diebus dominicis, & reſurrectionis Domini gloriam celebrari.“ Huc ſpectat antiphona *Aſperges me*, & tempore paſchali *Vidi aquam* cum pſalmo *Miſerere*, quæ etiam in antiquioribus libris liturgicis notantur. Talem De-MOLEÓN notat in eccleſia S. MAURICII *Viennæ*, extatque antiquus canon concilii *Nannetenſis* apud BURCHARDUM: „Omnibus diebus dominicis quisque presbyter in ſua eccleſia ante miſſarum ſolemnia aquam benedictam faciat in vaſe nitido, & tanto myſterio convenienti; de qua populus intrans eccleſiam aſpergatur, & atrium eiusdem eccleſiæ cum crucibus circumeundo ſimiliter aſpergat, & pro animabus ibidem quieſcentibus oret; & qui voluerit in vaſculis ſuis accipiat ex ipſa aqua, & per manſiones, & agros, & vineas, & ſuper pecora quoque ſua, atque ſuper pabula eorum, nec non ſuper cibos & potum ſuum aſpergat.“ In ordine divini officii ſecundum conſuetudinem chori *Turicenſis* ſcripto an. 1260. ita præſcribitur aſperſio aquæ benedictæ die dominica: „Primo altaria chori. Inde per ordinem incipiens a præpoſito canonicos & ſcholares; Deinde populum, & medio tempore *Aſperges me Domine* in choro canitur. Ad proceſſionem quæ debet fieri per ambitum clauſtri . . . ſepulchra fidelium aſpergendo &c.“ In concilio *Friſing.* an. 1440. c. 15. præcipitur „Singulis diebus dominicis aquam & ſal benedicere, ac eosdem unacum toto clero ad ipſas eccleſias ſpectante horis conſuetis ante miſſarum ſolemnia proceſſionaliter circumire.“ Indulgentiæ etiam conceduntur iis, qui proceſſioni interfuerint, *ut populus magis ad eiusmodi proceſſiones invitetur.* In libello inquiſitionis apud REGINONEM quæſtio 35. eſt expreſſa verbis conc. *Nannetenſis* laudati: „Si aquam benedictam omni die dominico ante miſſarum ſolemnia faciat in vaſe nitido, & tanto miniſterio convenienti, de qua populus intrans eccleſiam, & ſtans in eccleſia aſpergatur?“ In ſermone ſynodali, qui S. UDALRICO adſcribitur, hæc occurrunt: *Omni die dominica ante miſſam aquam benedictam facite, unde populus aſpergatur: & ad hoc ſolum vas habete.* Erant olim fontes ac canthari in eccleſiarum atriis ad lavandas manus, de quibus S. PAULINUS in epiſt. ad SULPITIUM:

Voyage liturg. p. 12.

Lib. II. cap. 52.

T. V. Conc. Germ. p. 274.

T. II. Conc. Germ. p. 439.

T. XI. Conc. p. 1074.

Epiſt. 12.

> *Sancta nitens famulis interluit atria lymphis*
> *Cantharus, intrantumque manus lavat amne miniſtro.*

Ex eiusdem carmine in Natali IX. S. FELICIS diſcimus, ubi fontes ac

putei

putei haberi non poterant, fodi ciſternas ſolitas. Meminit etiam aquæ luſtralis in veſtibulo templi Sinesius epiſt. 121. ut inter alia Card. Bona obſervavit. Aquæ luſtralis uſus, quod etiam apud gentiles fuerit (Theodoretus narrat, Iulianum cuncta cibaria luſtrali aqua aſpergi feciſſe, ne chriſtiani ederent: & paullo poſt ſubdit, in templo utrimque adſtitiſſe ad ianuas, qui luſtralis aquæ aſperſione ingreſſuros purgarent) cavillandi inde occaſionem acceperunt novatores, quos notat concilium *Moguntinum* an. 1549. „Veterem morem in eccleſia ſequimur, dum ſalem, aquam, & cæteras quaſdam res in uſum fidelium per orationem in verbo Dei præparamus. Quem morem nemo reprehendet, qui ſecum reputaverit, eccleſiam inter cætera ſalutis & utilitatis ſuæ cum augendæ tum conſervandæ etiam exorcizandi poteſtatem contra inſidias dæmonum, aliaſque noxias peſtes avertendas accepiſſe.“ De-Vert præterquam, quod hic quoque nimium principiis ſuis inſtiterit circa origines cerimoniarum naturales, verba hæc *commixtio ſalis & aquæ pariter fiat* pro rubrica habet quæ ad precem ipſam detracta ſit; quam in antiquiſſimis monumentis liturgicis invenimus nonnunquam peculiari adiecta rubrica poſteriore etiam ætate, veluti in miſſali *San-Blaſ.* ſæc. XIV. „Hic mittatur ſal in aquam dicaturque:“ *Commixto ſalis & aquæ &c.* Haud raro etiam adiectum verbum conſecrationis invenimus: „Hic mittat ſacerdos ſal in aquam dicens: *Fiat hæc commixtio & conſecratio &c.*“ quomodo paſſim reperi, & adhuc extat in rituali *Conſtantienſi* ſæc. XVII. Id tamen recte obſervavit De-Vert, atque etiam De-Moleon, quod conſtanter inveni in codicibus antiquis, quando nunc legitur *pietatis tuæ rore*, in monumentis antiquis ſcriptum eſſe, *pietatis tuæ more.* De ſolemni aquæ benedictione in feſto Epiphaniæ diximus ſupra, agentes de baptiſmo, quæ hodieque in vigilia Epi[illegible] apud nos celebratur, extabatque in rituali Ro[illegible] impreſſo, additis etiam indulgentiis pro aſſiſtentibus. Ex decreto autem ſacræ congregationis rituum ſublata eſt benedictio cum coniurationibus P. Leonardelli, quod quædam contineret, quæ non erant ad mentem S. R. eccleſiæ.

Lib. I. Rer. liturg. c. 20.

Lib. III. c. 15.

T. VI. Conc. Germ. pag. 573. c. 39.

Explic. T. II. p. 108.

Voyage lit. p. 51. 197.

VII. Poſt benedictionem aquæ & ſalis ad ſpargendum in domum in antiquiſſimo noſtro ſacramentario diverſam ab illa, quæ extat in ſecundo ſacramentario (ubi eadem eſt, quæ hodie in diebus dominicis adhibetur) ſequitur *oratio ad miſſam in domo nova*, ſuntque eædem duæ priores orationes, *Collecta*, & *Super oblata*, quæ in ſacramentario *Gallicano* leguntur in *miſſa in domo nova*, quæ eſt in ordine *Romano*, ſed manca; poſt *conteſtatio-*

Benedictio aquæ & ſalis ad ſpargendum in domum, cum miſſa in domo nova.

teſtationem enim cætera deſunt. Ea vero & in noſtro, & *Gelaſiano* ſacramentario deſiderantur, in quibus tamen alia omnia congruunt.

T. I. Muſ. Ital. p. 364.

Moris aliquando fuiſſe, ut in domibus privatis ſive pro infirmis, ſive pro aliis cauſis ſacra celebrarentur, teſtem adducit MABILLONIUS in nota ad ſacramentarium *Gallicanum*, PAULINUM in libro de vita S. AMBROSII, qui *Romæ* trans *Tiberim* apud quamdam clariſſimam matronam invitatus ſacrificium in domo obtulit. Suppetunt alia eius rei antiqua documenta, quorum nonnulla adduximus in *Principiis Theologiæ liturgicæ*. Id autem deinceps canonibus conciliorum eſt vetitum, quo pertinet concilii *Tribürienſis* ſeu *Moguntini* an. 888. *Miſſarum ſolemnia non ubique, ſed in locis ab epiſcopo conſecratis, vel ubi ipſe permiſerit, celebranda eſſe cenſemus.* In antiquo noſtro obſequiali, ut paſſim, legitur etiam *Benedictio domus. Novi putei. Fontis, ubi aliqua negligentia accidit &c.*

Benedictio Cinerum.

VIII. Benedictio cinerum in capite ieiunii relicta nobis eſt ex diſciplina veteri pœnitentiæ, olimque ad ſolos publice pœnitentes pertinuit, ut ex REGINONE, qui collectionem ſuam ſæc. IX. fecit, patet. Paullatim pietate inſignes primum cum publice pœnitentibus ſacrum etiam cinerem imponi ſibi fecerunt. Quod poſtea tam multi ſunt imitati, ut ſæc. XII. & XIII. in communem uſum abierit, ut tradunt MARTENIUS & GRANCOLAS. In obſequiali noſtro annorum circiter 800. habetur: *Feria IV. in capite ieiunii benedictio ſuper cineres.* Nihil vero de ea in antiquis noſtris ſacramentariis.

Benedictio Palmarum. *Ital. p. Muſ.* 390.

IX. Benedictio palmarum deſideratur in antiquiſſimis aliis liturgiis *Gallicanis*, præterquam in ſacramentario *Gallicano*, ubi quidem extra ordinem collocatur inter alias benedictiones ad calcem fere, principium tamen benedictionis [illegible] in dominica Palmarum factam eſſe: *Ecce dies, Domine, feſta recolitur, in qua infantum præſ[illegible]æ turbæ frondes arboreas aſſumentes &c.* Deſideratur etiam in ſacramentario *Gelaſiano*, & *Gregoriano*; habetur tamen in noſtro antiquiſſimo ſacramentario mille annorum unica oratione, quæ etiam in ordine *Romano* apud HITTORPIUM reperitur, citatque MARTENIUS plura ſacramentaria & ritualia, in quibus pariter una ſolum aut duabus orationibus abſolvitur. Nullam is huius benedictionis mentionem ante ſæc. VIII. vel IX. apud auctores reperiri dicit; occurrit tamen hæc appellatio in ſacramentario *Gelaſiano*, & *Gregoriano*, ubi etiam in benedictione epiſcopi, quæ in *Eligiano* ſacramentario habetur, hæc eo pertinent verba: *Concedatque vobis, ut ſicut ei cum ramis palmarum ceterarumque frondium præſentari ſtuduiſtis &c.* Ad quem locum MENARDUS,

De ant. eccl. diſc.

T. III. opp. S. Greg. p. 61.

ut

Digitized by Google

ut antiquitatem ſolemnitatis palmarum demonſtret, adducit teſtimonium Cyrilli *Hieroſolymitani* Catech. X. qua lectione & ego deceptus ſum *Princip. Theol. liturg.* §. 86. cum congruentior in nova editione P. Toutée habeatur: *Teſtatur palma in valle ſita, quæ ramos pueris Chriſtum olim encomio celebrantibus miniſtravit* παισὶ τοῖς τότε εὐφημοῦσι. Παισὶ, *pueris*, non πᾶσι, *omnibus*, quæ vox ſiniſtræ interpretationi, unum nempe iota prætereundo, locum dedit, quam ego quoque tum ſum ſecutus. Magis ad antiquitatem palmarum hac die in proceſſione circumferri ſolitarum facit teſtimonium Aldhelmi epiſcopi *Angli* ſæc. VII. & VIII. Et in calendario, quod ipſe Martenius edidit, quodque labente quarto vel ineunte quinto ſæculo ſcriptum exiſtimat, iam annotatur: *Dominica in palmas ad S. Ioannem in Lateranis*, ut iam etiam P. Merati annotavit in obſervat. ad comment. in rubricas miſſalis & breviarii *Romani* P. Gavanti T. I. P. IV. tit. 7. n. 7. *T. V. Theſaur. Anec. p. 72.*

X. Benedictio illa ignis novi hodie ſabbato ſancto ſolum fit: ut autem in epiſtola Zachariæ P. ad Bonifacium legitur de igne paſchali (quomodo ibi vocatur) conſuetudo fuit, ut Feria quinta tres lampades magnæ capacitatis ex diverſis candelis eccleſiæ oleo collecto, accenderentur, quæ arderent uſque ad ſabbatum ſanctum, atque in ſecretiori eccleſiæ loco ponerentur, *de quibus candelis ſabbato ſancto pro ſacri fontis baptiſmate ſumtus ignis per ſacerdotem renovabitur.* Subdit: *De igne vero, qui ex Cryſtallis ſumitur, ut aſſeruiſti, nullam habemus traditionem.* Præſcribitur tamen in ordine *Romano* ab Hittorpio edito, & quidem cum rubrica, quæ De-Vertio favet, qui neceſſe hoc fuiſſe ob noctem ingruentem dicit: „Eadem vero die Cœnæ Domini hora nona, quando dies longiores ſunt, ſed hora quinta, quando breviores, faciunt excuti ignem de lapide in loco foris baſilicam. Si ibidem oratorium habuerint in porta, ibi excutiunt. Sin vero, in loco, quo conſideraverit Prior, ita ut ex eo poſſit candela accendi. Et benedicitur ignis. Benedictio ignis: *Deus qui per Filium tuum &c.*" Idem præſcriptum habes in libro ordinis &c. an. 600. inter monumenta noſtra. In breviario *Rhenaugienſi* ſæc. XII. ad eandem feriam V. ſic habet rubrica: „Per armarium novus ignis de chriſtallo vel ſilice excuſſus materia lignorum in loco competenti iuxta eccleſiam nutritur, iuxta quam & pertica cum aliquot candelis in ſummitate eius præfixis ponitur. Benedictio ignis: *Domine Deus pater omnipotens exaudi nos lumen deficiens &c.*" Quem *Ioh.* Prevotius ad Ioannem *Abrincenſem* edidit ordinem, ad Fer. VI. in Paraſceve ſic incipit: „Finita nona ad ignem benedicendum pergant verſificando

Benedictio Ignis novi. — *pag. 50.* — *Explic. T. II. p. 384.*

Digitized by Google

ſificando ſub ſilentio *Miſerere mei Deus*, ſicut in quinta feria, quo benedicto, redeant ad chorum verſificando pſal. *Dominus illuminatio.*“ In obſequiali noſtro an. circ. 800. pro ſingulis tribus diebus ea benedictio notatur cum peculiari oratione, & in ſabb. S. etiam cum peculiaribus pſalmis. In ordine Mſc. operis Dei ſæc. XIV. qui uſque ad ſæc. XVI. in uſu apud nos fuit, ſic ad fer. V. præſcribitur: „Poſt Nonam eant in dormitorium, poſtea lavent manus ſuas, eantque in chorum. Sacerdos reveſtiat ſe alba & ſtola, & ſubdiaconus & unus officium faciens reveſtiant ſe albis tantum. Poſtquam reveſtiti fuerint, ſacerdos ſtans in medio choro incipit pſal. *Miſerere mei Deus. Iudica me Deus*, eantque in clauſtrum ad benedicendum novum ignem. Benedicto igne levita accendat candelam, quam fert in laterna. Quo facto incipiat ſacerdos Pſ. *Dominus illuminatio*, revertanturque per portam monaſterii ad chorum, deinde ſonentur omnia ſigna.“ Et ad Fer. VI. & ſabb. S. poſt nonam & lotionem manuum: *Deinde agatur proceſſio ad benedicendum ignem ſicut præterito die. Poſt benedictionem ignis ſonentur omnes tabulæ pariter.* *Lib. II. c. 14.* Patet hinc, quod THOMASINUS de dierum feſtorum celebratione dicit, non univerſim intelligendum, conſuetudinem hanc ineunte ſæc. XI. ad ſolum ſabbatum contractam fuiſſe. Licet ex homilia LEONIS XI. de cura paſtorali colligamus iam medio ſæc. IX. eum uſum *Romæ* fuiſſe: *In ſabbato Paſchæ extincto veteri novus ignis benedicatur & per populum dividatur.*

Benedictio ſacri olei & Chriſmatis.

XI. Ordo benedicendi oleum catechumenorum, & infirmorum, & conficiendi chriſma, qui habetur feria V. in Cœna Domini, a nobis ſupra eſt memoratus; legi vero meretur AMALARIUS lib. I. de eccleſiaſt. off. c. 12. De ſexta varietate in Cœna Domini, præſertim de chriſmate, de quo OPTATUS *Milevitanus*: *Lib. VII. adv. Parmen.* *Oleum nominat illum liquorem, qui in nomine Chriſti conditur, quod chriſma, poſtquam conditum eſt, nominatur. Græci* qui eodem die chriſma conſecrant, condiunt variis aromatibus: apud nos balſamum oleo miſcetur. Nimirum ut in noſtro antiquiſſimo ſacramentario præſcribitur: *Poſt hæc miſces balſamum cum alio oleo & benedicis chriſma in his verbis* Dominus &c.

Poſt miſſam chriſmalem ſequitur olei exorcizati confectio. In ſacramentario *Gallicano* poſt alias omnes benedictiones ſequitur *Exorciſmus olei*, & mox *Benedictio olei*, ſed diverſa. *Muſ. Ital.* Adnotatque MABILLONIUS, adhuc aliam fuiſſe olei benedictionem ſecunda manu adiectam: cum frequens olim uſus olei fuerit ad morbos pellendos. Quod etiam oblata quavis occaſione benedici ſolebat a viris ſanctis etſi nullo clericali cha-

racter

ractere inſignitis. Chriſmati ab epiſcopo conſecrando iuxta can. 20. Conc. I. *Toletani* nulla dies affixa erat ſæc. V. Ita vero ibi: *Epiſcopo ſane certum eſt, omni tempore licere chriſma conficere.* Quod autem ſuperſtitioſus ac illicitus haud raro eius uſus fieret, cautum eſt paſſim, ut ſollicite cuſtodiretur. Sic in ſermone ſynodali, qui S. UDALRICO tribuitur, ſtatutum legimus: *Chriſma ſemper ſub cera ſit ſigillo, propter quoſdam infideles.* *T. XI. Conc. pag. 1077.*

XII. Imprimis celebris eſt cerei paſchalis benedictio, quæ in miſſali *Gothico*, veteri *Gallicano*, & ſacramentario *Gallicano* cum hoc titulo habetur: *Benedictio ceræ beati* AUGUSTINI *epiſcopi, quam adhuc diaconus cum eſſet edidit, & cecinit*, teſtaturque MABILLONIUS ita ſe in aliis etiam Mſſ. reperiſſe. S. AUGUSTINUS verſus duos refert lib. XV. de civit. Dei c. 22. *In laude quadam cerei breviter verſibus dixi.* Benedictio Cerei paſchalis. *De liturg. Gallic. pag. 142.*

Hæc tua ſunt, bona ſunt, quia tu bonus iſta creaſti.
Nil noſtrum eſt in eis, niſi quod peccamus amantes.

Hinc colligimus, carmine ceciniſſe S. AUGUSTINUM, cum benedictio illa cerei, quæ hodieque obtinet, proſa conſtet: quam alii benedictionem S. LEONI, alii ZOSIMÆ P. tribuunt: cui AMALARIUS de offic. eccleſ. auctor operis eodem titulo ſub nomine ALCUINI, & *Micrologus* inſtitutionem huius benedictionis tribuunt. Sed notanda ſunt AMALARII verba, quibus *Romæ* ſaltem antiquiorem uſum fuiſſe innuit: *Romanis ita agentibus, nobis, quoque præceptum eſt a papa* ZOSIMO, *benedicere cereum.* GRANCOLAS ZOSIMO tribuit, ut etiam ſingulæ parochiæ cereum paſchalem benedicere poſſent, quod alias in cathedralibus ſolum liceret. S. GREGORIUS in epiſt. ad MARIANUM epiſcopum meminit precum, quæ ſuper cereum in *Ravennatenſi* civitate dici ſolent. Notabilis vero eſt canon concilii *Tolet. IV.* „Lucerna & cereus in pervigiliis Paſchæ apud quaſdam eccleſias non celebratur, & cur a[illegible] benedicantur, inquiunt. Propter glorioſum enim noctis ipſius [illegible]mentum hæc benedicimus. Et quia hæc obſervatio per multarum loca terrarum, regioneſque *Hiſpaniæ* in eccleſiis commendatur, dignum eſt, ut propter unitatem pacis in *Gallicanis* eccleſiis conſervetur.“ Ritu *Mozarabico* benedictionem lucernæ poſt aliquas orationes ſequitur benedictio cerei a noſtra diverſa. In *Ambroſiana* liturgia idem ſaltem eſt initium cum noſtra. In operibus S. ENNODII epiſc. *Papienſis* ineunte ſæc. VI. duæ extant a noſtra diverſæ, cui etiam in ſacramentario *Gelaſiano* alia benedictio cerei: *Deus mundi conditor &c.* ſubiicitur. In priori vero, uti in *Gallicanis*, ac in noſtro antiquiſſimo ſacramentario inſeruntur quædam de apum induſtria in cera conficienda. In omnibus quoque hiſce liturgiis habentur verba *Lib. I. de eccl. offic. c. 18.* *C. 9.* *T. I. edit. Sirm. pag. 1721.1723.*

illa; *O certe neceſſarium ADÆ peccatum, quod Chriſti morte deletum eſt! O felix culpa quæ talem ac tantum meruit habere redemtorem*: præterquam in ſacramentario *Gallicano*, & in vulgato ordine *Romano*, uti & *De antiq. eccl. diſc. c. 24.* in multis Mſſ., quæ MARTENIUS citat. Quod idem in *itinere litter.* P. II. p. 114. de antiquo miſſali S. SYMPHORIANI monaſt. *Metenſis* teſtatur. Ex iisque probatur, S. HUGONEM *Cluniacenſem* primum non fuiſſe, qui hæc verba eraſerit, de quo ita UDALRICUS in antiquis conſuetudinibus *Lib. I. c. 14.* *Cluniac.* monaſterii ſcribit: „In cuius (benedictionis) quodam loco, cum aliquando non bene haberetur *O felix culpa*, & quod peccatum ADÆ neceſſarium eſſet, ante hos annos domnus abbas optime fecit, quod fecit abradi, & ne amplius legeretur, interdixit.“ Ex interdicto hoc adhuc omittunt *Cluniacenſes*, ut conſtat ex epiſt. *Henr. Oſwaldi* a TURRE *Arverniæ* abbat. gener. *Cluniacenſis* præmiſſa miſſali monaſt. ad uſum ord. *Cluniac.* an. 1733. imp. Deſunt ea etiam in ſacramentario, quod *T. II. Rer. Alem. pag. 138.* ſub nomine GRIMOLDI edidit PAMELIUS: item apud GOLDASTUM inter veteres eccleſiæ benedictiones, paſſimque idem in aliis codicibus antiquis deprehendi, etiam in miſſalibus recentioris ætatis: veluti in *Rhenaugienſi* ſæc. XIV. ubi pariter in antiquo, ſæc. X. deſiderantur, in *Argentinenſi* ſæc. XIV. vel XV. in *Baſileenſi* an. 1490. in *Spirenſi* an. 1501. quæ impreſſa ſunt. In *San-Gallenſi* Mſc. ſæc. XVI. inter varias benedictiones, in ſimili codice eiusdem monaſterii ſcripto an. 1522. verba illa tantum in margine adhuc recentiori manu adſcripta ſunt. Deſiderantur autem in omnibus aliis antiquis eiusdem monaſterii miſſalibus (quæ multa ſunt) uno excepto antiquiſſimo, quod nos contulimus cum al- *pag. 53.* tero eidem ſimillimo *Rhenaugienſi.* Edidit MARTENIUS de antiq. eccl. diſc. c. 28. benedictionem cerei in vigilia Pentecoſtes, cuius idem eſt initium cum Paſchali uſque ad Præfationem. Teſtaturque BENEDICTUS XIV. in lib. de feſtis c. XI. nu[illegible] temporibus, a quibus haud longe diſtat noſtra ætas, in aliquibus eccleſiis fieri conſueviſſe.

Benedictio Agnorum cereorum &c. XIII. Memorat ENNODIUS paullo ante laudatus, ex cereo benedicto decerptas a fidelibus fuiſſe particulas *contra procellas.* Inde agnorum Dei cereorum origo iuxta DURANDUM eſt: „Hac die acolythi *Romanæ* eccle- *Ration. lib. VI. c. 79.* ſiæ faciunt agnos de cera nova benedicta, vel de cera cerei paſchalis anni præcedentis, admixto chriſmate, qui in Sabbato in albis in eccleſiis per *T. I. Muſ. Ital. p. 390* dominum Papam populis diſtribuuntur.“ In ſacramentario *Gallicano* ſingularis eſt benedictio ad agnum benedicendum in Paſcha. Benedictionis agnorum etiam meminit ordo *Romanus*, ac caput peculiare habet AMALARIUS 17. lib. I. *de eccl. offic. De Agnis de cera factis benedicendis.* Ubi ait: „*Ro-*

Digitized by Google

„*Romanus* libellus narrat, eodem die benedici ceram oleo mixtam, indeque fieri agnos, eosque reſervari uſque in octavas Paſchæ. In octavis vero poſt communionem dari populo ex his incenſum ad adolendum, & ad fumigandum domibus ſuis: & narrat ſimiliter nos facere debere.“ In vulgato ordine *Romano* hæc, aliaque etiam reperiuntur. In bibliotheca monaſterii S. Mathiæ *Treviris* Martenius reperit codicem, ad cuius finem legitur: „Urbanus IV. miſit imperatori agnum conſecratum cum his verſibus: *Voyage litt.* 1724. *pag.* 294.

Balſamus & unda cera cum chriſmate munda
Conficiunt agnum, quod do tibi munere magnum &c.“

Apud Gretserum leguntur etiam illi verſus. Res autem refertur ad Urbanum V. *De benedict. c.* 34. In ordine XIV. auctore *Iac.* Gaietano cap. 97. inſcribitur: *Quomodo fiunt Agnus Dei cerei.* Scripſit etiam Benedictus XIV. ea de re lib. IV. P. I. c. 5. de Canoniz. Sanct. & P. II. c. 20. n. 12. Quod vero Amalarius iuxta libellum *Romanum* dicit, ſimiliter nos facere debere, nihil uſpiam in noſtris monumentis reperimus.

Walafridus vero Strabo ſuperſtitionem quandam, de agni carnibus in Paſchate benedici ſolitis, alicubi damnat: „Et ſicubi adhuc pernicioſum huius peſtis germen revireſcere fuerit comprobatum, mucrone ſpiritali radicitus eſt amputandum. Illum dico errorem, quo quidam agni carnes in Paſcha, iuxta ſub altari eas ponentes, benedictione propria conſecrabant, & in ipſa reſurrectionis die, ante ceteros corporales cibos de ipſis carnibus percipiebant. Cuius benedictionis ſeries adhuc a multis habetur.“ In obſequiali noſtro Straboni ſuppari extabat eiusmodi Benedictio agni, item ovorum, lardi, panis. In ordine miſſæ 700. circiter ann. Benedictio agni in Paſcha. Benedictio aliarum carnium. Benedictio lactis & mellis. Benedictio caſei. In vita S. Udalrici legitur de eodem die Paſchæ: „Sanctificato itaque cibo carnes agni, & particulas lardi inter miſſarum ſolemnia benedicti omnibus diſpenſavit, & tunc demum cum eis omni gaudio ſumpſit. *De rebus eccl. c.* 18.

XIV. Cerei benedici ſolent in feſto Purificationis B. M. V. ac in noſtro obſequiali antiquo extat *In Purificatione ſanctæ MARIÆ benedictio ſuper candelas.* Nihil vero occurrit in antiquioribus ſacramentariis, ut etiam Martenius annotavit, neque apud Amalarium, Strabonem; auctor ſub Alcuini nomine tantum dicit, cereos dari a pontifice. Quod iam S. Ildephonsus, & Eligius apud Menardum contra gentilium conſuetudinem luſtrandi menſe *Februario* fieri dicunt, *ut non ſolum clerus, ſed omnis plebs eccleſiarum loca cum cereis & diverſis hymnis luſtrantes circumeant.* Benedictio candelarum in feſto Purificat. B. Mariæ V.

 Paſſim

Paſſim etiam ſequenti die S. Blasii cereis accenſis benedictio quædam confertur, de quo tamen nihil in citato mox obſequiali, ubi benedictio ſuper candelas in die præcedenti annotatur.

Benedictiones imaginum, crucis &c.

XV. Opportune hic uno ſaltem verbo mentio aliqua iniicienda eſt de imaginibus diverſarum ſpecierum, ac variæ materiæ metallique, quæ ſolent benedictæ a fidelibus circumferri, aut ſuſpendi in parietibus, terræque infigi, Sanctorum, imprimis myſteriorum dominicorum, frequentiſſime autem paſſionis ac crucis Salvatoris noſtri figuras repræſentantes, quales celebrantur S. Benedicti cruces, cenſetque *Bern.* Pezius in diſſertatione *Iſagog.* in Tom. I. Theſaur. Anecd. codicem antiquum monaſterii *Mettenſis*, *maximi*, ut ait, *propterea momenti*, *quod crucibus*, *ſeu conſecratis S. Benedicti numiſmatibus fortiſſimo adverſus dæmonum & ſagarum præſtigias ac veneficia amuleto vel originem*, *vel incrementum lumenve præbuerit.* Refert paullo poſt cœnobitas *Mettenſes* indicium ſecutos fuiſſe illius, de quo agimus, codicis, quem in abſtruſo monaſterii loco repererunt, in eoque S. Benedicti crucem & imaginem cum integris ſacris verbis, quæ initiales characteres, crucibus duntaxat impreſſos, explicant.

p. XLVIII.

Mos fuit antiquiſſimus in eccleſiis præſertim monachorum, ubi ſacer aliquis locus, ac monaſterium conſtituendum fuit, crucem erectam ſtatuere. Quod pium inſtitutum maleſanus ille Adalbertus hæreticus perverſe ac ambitioſe eſt æmulatus, atque ut S. Bonifacius ad Zachariam P. perſcribit: „In proprio honore ſuo dedicavit oratoria, vel, ut verius dicam, ſordidavit: fecit cruciculas & oratoriola in campis, & ad fontes, vel ubicunque ſibi viſum fuit.“ Damnata ea perverſitas ac ſuperſtitio eſt in concilio *Romano*, atque etiam in Capitulari *Sueſſionenſi* an. Chriſti 744. in plena ſynodo Adalberti cruciculæ igni tradi iuſſæ: *Similiter conſtituimus*, *ut illas cruciculas*, *quas* Adalbertus *per parochiam plantaverat*, *omnes igne conſumantur.* In *Principiis Theologiæ liturgicæ* aliud exemplum, quod nunc nihil huc pertinet, alterius hæretici retulimus, rectum vero uſum in eccleſia ſemper vigentem contra iconoclaſtas demonſtravimus, ac virtutem ſalutiferæ crucis ſigni, quo veluti clypeo pii Chriſtiani contra dæmonis infeſtationes & magicas artes uti ſolebant, veterrima paſſim documenta perhibent, ac conſtans eccleſiæ conſecravit uſus.

T. I. Capit. p. 158.

De Idolothytis &c.

XVI. Antiquitatum eccleſiaſticarum periti norunt, quam fuerit varia nonnunquam ſententia, & uſus fidelium circa immolatorum idolis commeſtionem: quod ad hæreſin *Nicolaitarum* refert Victorinus *Petabionenſis* antiquiſſimus ſcriptor: *Ut delibatum exorcizaretur*, *& manducari poſſit.*

T. III. Bibl. PP. Lugd. p. 415.

Sub

Sub Iuliano imperatore præprimis perplexos hoc habuit Chriſtianos, qui cibos omnes ita contaminari curavit, ut ex Theodoreto & aliis diſcimus. Etiam S. Bonifacium id anxium tenuit, ut conſulendum ea de re duceret Gregorium II. Qui reſcripſit in hæc verba: „De immolatitiis autem eſcis conſuluiſti, ſi a fidelibus ſuperductum fuerit vivificæ crucis ſignum, edi liceret, an non? Illud ſufficit reſpondere, quod beatus Paulus apoſtolus dicit: *Si quis dixerit, quia hoc immolatitium eſt, nolite edere propter eum, qui indicavit, & propter conſcientiam.*" In eiusdem pontificis Capitulari dato in *Bavariam* ablegatis, idem reperitur: „Ut nihil in perceptione ciborum iudicetur immundum, niſi quod fuerit idolis immolatum: quia iuxta quod magiſterio apoſtolico docetur: *Omnis creatura Dei bona: & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur.*" Nihilominus poſtea Zacharias P. ad quæſtiones a S. Bonifacio ſibi per Lullum propoſitas cenſuit graculos, corniculas ac ciconias (adiungunt alii fibros, & lepores) maxime autem equos ſilvaticos in cibum a Chriſtianis non adhibendos. De lardo etiam facta eſt exceptio. In libello S. Pirminii apud Mabillonium monentur fideles, non manducare *morticinium*, *neque ſanguinem*, *neque animalia vel apes* (aves) *quas beſtiæ vel canes vel accipiter conſummaverunt, ſi mortua inveniuntur.* Quæ hac occaſione hic referenda duxi, quod multa de eiusmodi rebus occurrant inter pœnitentiæ canones in pœnitentiali Cumeani, & *Romano* apud Burchardum & Reginonem, apud quem expreſſe canones habentur de ſanguine & ſuffocato, ac inter alios ſequens: „Admonendi ſunt fideles, ut nullus præſumat ſanguinem manducare... Quod non ſolum in lege veteri ſæpiſſime inhibetur, verum etiam in novo teſtamento apoſtoli primitivæ eccleſiæ ex gentibus ſub magna deliberatione ſcribunt, ut abſtineant ſe a contaminationibus ſimulacrorum & fornicatione, & ſuffocatis, & ſanguine." Cum poſtea ſub Cerulario *Græci* inter alia *Latinis* obiicerent, quod ſuffocata & polluta comedant; ad id reſpondens Humbertus, negat ad id tempus *Latinos* ſanguine & ſuffocato uſos fuiſſe.

T. I. Conc. Germ. p. 34.

Ib. p. 37.

Lib. XIX. cap. 1. Dec. Lib. I. cap. 374.

XVII. Habes in antiquiſſimis noſtris ſacramentariis, uti in aliis *Romanis*, *Gallicanis &c.* varias variarum rerum benedicendarum orationes ac ritus: *Ad fruges novas benedicendas. Uvæ, pomorum, arboris, panis, vini, ſalis. Ad omnia quæ volueris.* Primitiæ imprimis variarum rerum ſemper offerri, & benedici conſueverunt. „Primitiæ (inquit S. Hieronymus) ciborum noſtrorum ſacerdotibus offeruntur, ut nihil guſtemus novarum frugum, niſi ſacerdos ante guſtaverit. Hoc autem facimus, ut reponat ſacerdos benedictionem, & oblationem noſtram in domo

Benedictiones novarum frugum &c.

In cap. 44. Ezech.

mo ſua; ſive, ut ad imprecationem ſuam Dominus benedicat domibus noſtris." S. Pirminius in libello apud Mabillonium ad hæc & ſimilia fideles adhortatur: *Ad ſanctam eccleſiam oblationes & ceriolos, & oleum, & incenſum, & primitias, & decimas, eleemoſynas, & omnia bona veſtra reddite.* Diximus de oblationibus huiusmodi ſupra, ubi de ſacrificio miſſæ egimus, quoad diſtinctionem eiusmodi oblationum ad altare vel alibi faciendarum iuxta canonem IV. apoſtolorum, ac aliorum ad eundem exactorum. Solent autem fieri nonnunquam adhuc, uti olim peculiaribus quibusdam feſtis: veluti in antiquo noſtro obſequiali notatur: *Benedictio caſei in reſurrectione Domini. Item ovorum, lardi, agni, panis.* In aſcenſione Domini *benedictio panis, novorum fructuum. Benedictio pomorum*, quam apud Martenium habes ad feſtum S. Iacobi apoſtoli VIII. Kal. *Auguſti. Benedictio uvæ vel fabæ*, quæ S. Xisti vocatur, eiusque ſancti pontificis feſto fieri ſolebat adhuc poſteriore ætate, prout in cod. *San-Blaſiano* ſæc. XIV. reperi, ac alias etiam res ſolemne erat benedici adhuc recentiore ætate, ut ſupra notavi, intra ipſum canonem ad ea verba: *Per quem hæc omnia &c.* Nota vero rubricam in veteri ordine *Rhenaugienſi* ſæc. XII. ad feſtum S. Xisti: „Hac die novæ uvæ ſunt benedicendæ, ſi autem maturæ ſunt; ſin autem, quando primum mатureſcunt, cellerarius repræſentat eas ſacriſtæ, ipſeque ſacerdoti ad benedicendum infra canonem ante illum locum *Per quem hæc omnia.* Ubi quoque armarius non deerit ad demonſtrandum, quid ſacerdos dicturus ſit. Poſtea vero in refectorio diſtribuuntur fratribus in loco hoſtiarum, qualiscunque dies ſit. Quodſi eſt privata dies, tunc omittuntur hoſtiæ. Sunt præterea & aliæ tres ſpecies, quæ ſingulæ in ſuo tempore ex more in refectorio benedicuntur. Id eſt novæ fabæ, novellus panis, & muſtum. Et hoc modo: Lectio prius inchoatur, poſt cuius verſum primum ſtans ſacerdos ſine ſtola ante menſam principalem, præmiſſaque ſalutatione ſingula benedictione ſibi proprie adſcripta benedicuntur. Quæ autem ſingula ante initium lectionis ſuper menſam ſunt ponenda." Benedictiones aſſignantur in conſuetudinibus *Hirſaug.* apud P. Herrgott *de diſciplina vet. monaſt.* p. 454. ubi hæc eadem iisdem leguntur verbis. Nihil vero in antiquis noſtris monumentis, nec etiam apud Menardum & Martenium occurrit de benedictione herbarum in Aſſumtione B. M. V. Ex cuius *itinere litterario* hoc notatu dignum eſt, *Verduni* ſibi monſtratum lac B. V. aſſeveraſſe virum doctum, eſſe vaccæ benedictum in honore B. V. ab Eugenio III. P. Facileque tribuimus, quod addit, lac B. V., quod in nonnullis eccleſiis oſtenditur, eiusdem generis eſſe poſſe. Panis & vini benedictio, quæ habetur in antiquo noſtro obſequiali poſt aliarum rerum benedictio-

Analecta p. 69.

De diſc. vet. pag. 547.

P. II. p. 93.

dictiones ad reſurrectionem dominicam pertinet. Vini paſſim benedictio in feſto S. Ioannis Evangeliſtæ fieri ſolet, inſcribiturque in miſſali a. 1452. *Benedictio ſuper amorem B. Ioannis Evangeliſtæ.* Celebratiſſima eſt panis benedictio, quæ ab antiquiſſimis temporibus paſſim pro Eulogiis fieri ſolebat, de quibus peculiariter de miſſæ ſacrificio diximus. Indeque manſit apud nos benedictio panis e. g. in feſto S. Agathæ, Vincentii, Blasii, aliisque apud alios feſtis. Nota inter eiusmodi benedictiones in noſtro obſequiali *Orat. pro antithoto ſumendo. Pro diminutione ſanguinis. Benedict. ſuper capſellas & fuſtes, & ſuper illos, qui cum his limina ac ſuffragia ſanctorum apoſtolorum petituri ſunt. Benedict. enſis, & eius, qui cum eo cingendus eſt.*

XVIII. Solent vero in antiquiſſimis liturgiis variæ miſſæ & preces comprehendi votivæ pro diverſis neceſſitatibus utilitatibusque rerum ac perſonarum. Quæ quidem rarius occurrunt in ſacramentario *Leonino*, quod eſt bona parte mancum, pariter ac miſſale *Gothicum*, *Francorum*, ac vetus *Gallicanum*, ubi nulla exſtant, ac paucæ in ſacramentario & lectionario *Gallicano*, capitulari item antiquiſſimo evangeliorum, quodve ſub nomine *Calendarii* edidit Martenius. Apud *Ioſ.* Cari & Baluzium in libro Comitis, uti etiam apud Pamelium: ordinatius hæc reperiuntur & copioſius in *Gelaſiano* libro III. prout accuratius diſtinguitur, atque ad eum modum antiquiſſimum etiam noſtrum in duos libros. Sine qua tamen diſtinctione in ſecundo noſtro ſacramentario ſuo ordine ponuntur miſſæ votivæ poſt miſſas proprias de feſtis & tempore, nec non communi Sanctorum, uti in hodiernis miſſalibus. Ad extremum etiam prout ex codice *Rhenaugienſi* ſupplevimus *Oratio ante cibum*, *poſt cibum*, *in ſacrario*, *in refectorio*, *in dormitorio*, *in hoſpitali*, *in domo infirmorum*, *in caminata &c.* Uti in ſacramentario Grimoldi, qui eſt liber ſecundus additus ſacramentario *Gregoriano*, ac cum codice *Rhenaugienſi* penitus convenit in poſtrema hac parte, quemadmodum apud Pamelium legitur. Sequitur liber III. ſub nomine Alcuini fere etiam eiusmodi miſſis votivis conſtans. Subnectuntur nonnullæ benedictiones & orationes ad horas canonicas, de ſancta Maria, benedictio canonicorum, Oratio ſuper hebdomadarios, ad mandatum, id eſt, lotionem pedum. Oratio autem ſuper hebdomadarios eſt ſuper lectorem & ſervitores, ut hodie ſunt in uſu. Illaque etiam duobus antiquis ordinibus miſſæ ſubnectitur in codd. *San-Gall.* ſæc. XI. eadem fere, quæ hodieque apud nos in uſu eſt, & paſſim ab ipſo ſacerdote ſtatim poſt miſſam dici ſolet ſuper lectorem, dum adhuc in altari ſubſiſtit.

Variæ votivæ miſſæ & preces.

T. V. Theſ. Anecd. p. 83.

T. II. pag. 388. *ſeq.*

XIX.

Mulierum poſt partum in eccleſiam introductio.

XIX. Rarius in noſtris monumentis liturgicis occurrit de muliere poſt partum ſe, ut hodie fit, ad eccleſiam præſentante ritus. Reperi ſaltem in rituali ſæc. XI. vel XII. *Weſſofontano*, & nonnullis recentioribus. Qua de re in Capitulari, quod eſt datum in ſynodo, cui interfuit S. Bonifacius, ſic legitur c. 3. „Cum enixa fuerit mulier, ſi ſtatim actura gratias intrat eccleſiam, nullo hinc peccati pondere gravatur. Voluptas enim carnis, non dolor in culpa eſt; in prolis vero prolatione gemitus eſt. Si itaque enixam mulierem prohibemus intrare eccleſiam, ipſam ei pœnam ſuam in culpam deputamus.“ Quæ expreſſa ſunt ex reſponſione S. Gregorii ad interrog. S. Augustini *Anglorum* apoſtoli, prout etiam in collectione Ansegisi, & Isaaci *Lingonenſis* referuntur: „Cum enixa fuerit mulier, poſt quot dies debeat eccleſiam intrare, teſtamenti veteris præceptione didicimus, ut pro maſculo diebus XXXIII. pro femina autem LXVI. debeat abſtinere. Quod tamen, ut ait S. Gregorius, ſciendum eſt, quia in myſterio accipitur. Nam ſi hora eadem, qua genuerit, actura gratias, intret eccleſiam nullo peccati pondere gravatur. Voluptas enim carnis non dolor in culpa eſt. In carnis autem commixtione voluptas eſt, in prolis vero prolatione gemitus. Unde & ipſi primo matrimonio dicitur: *In doloribus paries.* Si itaque enixam mulierem prohibemus eccleſiam intrare, ipſam ei pœnam ſuam culpam deputamus.“ Vid. etiam Capitul. Herardi cap. 60.

T. I. Capit. p. 153.

Lib. VI. p. 207.

Conſecratio virginum & viduarum.

XX. Solemnis ſemper fuit præprimis in eccleſia conſecratio virginum ſeu viduarum caſtitatem profeſſarum, ac Deo eccleſiæque conſecratarum, quales erant a primordio eccleſiæ diaconiſſæ, de quibus ſupra mentionem iniecimus. Extat quidem contra earum conſecrationem canon *Epaonenſis* concilii an. 517. „Viduarum conſecrationem, quas diaconas vocitant, ab omni regione noſtra penitus abrogamus: ſola eis pœnitentiæ benedictione, ſi converti ambiunt, imponenda.“ Subſcripſit huic concilio Bubulcus epiſcopus *Vindoniſſæ*, quæ ſedes epiſcopalis *Conſtantiam* poſtea eſt translata, epiſcopatu magnam *Alemanniæ* partem occupante; nihilominus in ſacramentario noſtro ann. 900, prout ex ſuppari codice *Rhenaugienſi* ſupplevimus, oratio ad diaconam faciendam ponitur.

C. 21.

Sequitur poſtea in eodem ſacramentario *Benedictio veſtium virginum vel viduarum. Benedictio virginum ab epiſcopo facienda*, ſicuti in ſacramentario Grimoldi, atque in vulgato ordine *Romano.* In concilio *Wormatienſi* an. 868. ſecundum veteres canones conformiter ſtatuitur: *Conſecratio ergo virginum, & benedictio vel unctio altaris a presbyteris minime fiat.* In collect. Capitularium Ansegisi, & Isaaci *Lingonenſis*, nec

T. II. Lit. p. 423.

Can. 8.

non

non apud Burchardum & Gratianum, quod hic præſumtum eſt ab abbatiſſis quibusdam, abrogatur: „ Auditum eſt aliquas abbatiſſas contra morem ſanctæ Dei eccleſiæ benedictiones & manus impoſitiones, & ſignacula ſanctæ crucis ſuper capita virorum dare, nec non & velare virgines cum benedictione ſacerdotali. Quod omnino a vobis, ſanctiſſimi Patres, in veſtris parochiis illis interdicendum eſſe, ſcitote." Quod in concilio *Pariſienſi* an. 829. ſtatutum eſt. *T. I. Capit. p. 715.* *Lib. I. c. 43.*

In ſacramentario *Gelaſiano* habetur, prout notatur in epiſtola eiusdem pontificis ad epiſcopum *Lucaniæ*, *Conſecratio ſacræ virginis, quæ in Epiphania, vel ſecunda feria Paſchæ, aut in apoſtolorum natalitio celebratur,* uti etiam in codice ſæculi XII. monaſterii *Murenſis* reperi: ubi formula profeſſionis ſanctimonialium iuxta regulam S. Benedicti, ac ipſa regula ad feminas accommodata legitur. In ſacramentario *Leonino*, In natali apoſtolorum Petri & Pauli poſt Præfationem ſequitur: „ Coniunctio oblationis virginum ſacratarum: *Hanc etiam oblationem, Domine, tibi virginum ſacratarum, quarum ante ſanctum altare tuum nomina recitantur &c.*" Aſſignantur autem in antiquiſſimo Calendario, ſeu Capitulari evangeliorum apud Martenium, evangelia ad miſſam peculiarem *pro velatione ancillarum Dei.* Et mox: *Ad velandas maritatas.* In ſacramentario *Gallicano* eſt *Ordo ad conſecrandas monachas. Ad velandam virginem. Benedictio abbatiſſæ. Benedictio ſuper viduam veſte mutandam.* Ponuntur autem inter alias benedictiones ad calcem, ac ſingulæ una oratione perficiuntur. In ſacramentario *Eligiano* S. Gregorii poſt *miſſam in conſecratione virginis* ſequitur oratio unica *ad abbatiſſam faciendam. Ad ancillas Dei velandas. Ad abbatem faciendum.* Poſt præmiſſam ibidem benedictionem veſtium virginis vel viduæ peculiaris ſequitur benedictio veſtis virginis: ſubditur: *Benedictio virginis ab epiſcopo dicenda, quæ ſit in Epiphania, vel feria ſecunda Paſchæ, aut quando apoſtolorum natalitia celebrantur, & veſtimenta nigra forinſecus geſtant.* Quæ ſingula capita vide doctis notis a Menardo illuſtrata. *Lib. I. n. 103.* *Murat. lit. T. I. pag. 331.* *T. V. Theſ. N. p. 8384.* *Muſ. Ital. T. I. p. 387. 388.* *T. III. opp. p. 168.*

Ubi etiam ex Hieronymo de habitu fuſco ac præterea de mitra ſeu capitis ornamento ſplendido plura affert. Addere vero licet locum ex Euſebio de Martyribus *Paleſtinis* apud P. Ruinart de Ennatha martyre, *ipſa quoque virginitatis infulis decorata.* Mitrellas aureas fuiſſe ex Optato adnotat Ruinart, cæterum purpureas. *Act. ſinc. p. 327.* *Lib. VI. contra Parmen.*

Quod vero in veteribus canonibus habetur de virginibus non velandis ante annum quadrageſimum, etiam in concilio *Moguntino* adhuc an. 1310. repetitur: „Ad hoc, quia iuvencularum *Beginarum* lapſus frequens & evidens ſtatum religionis deformat, & ſcandalizat plurimos: ſta- *T. XIV. Conc. ed. Ven. pag. 1505.*

ſtatuimus, ut nulla de cætero in earum numerum admittatur, niſi quadrageſimum ætatis ſuæ annum exceſſerit, & probatæ opinionis exiſtat. Sexagenarium numerum, quem ſcripſit apoſtolus talibus aſſumendis, propter fragilitatem noſtri temporis ad quadragenarium numerum reſtringentes." Nota vero, quæ in addit. IV. Capitularium referuntur *De viduis*, ex epiſtola beati GREGORII papæ BONIFACIO archiepiſcopo miſſa, in qua inter cætera ita legitur decretum: „Viduas a propoſito diſcedentes viduitatis, ſuper quibus nos conſulere voluit dilectio tua, frater chariſſime, credo te noſſe a ſancto apoſtolo PAULO, & a multis ſanctis Patribus, niſi convertantur olim, eſſe damnatas; quas & nos apoſtolica auctoritate damnandas, & a communione fidelium atque a limitibus eccleſiæ arcendas fore cenſemus, uſquequo obediant epiſcopis ſuis, & ad bonum, quod cœperunt, invitæ aut voluntariæ revertantur. De virginibus autem non velatis, ſi deviaverint &c." In obſequiali noſtro ann. 800. extat conſecratio viduæ, quæ fuerit caſtitatem profeſſa.

Baluz. T. I. pag. 1211.

In ſynodo *Conſtantienſi* accidit ineunte ſæculo decimo, quod narrat ECKKEHARDUS iunior de caſibus monaſt. S. GALLI c. 10. Nempe: „WENDELGARTA UDALRICI comitis uxor, cum maritus in bello captus eſſet, nec rediret, ſacrum velamen ab epiſcopo *Conſtantienſi* SALOMONE III. imponi ſibi rogavit, quo facto includi optavit cum aliis apud S. GALLUM piis mulieribus. Marito præter ſpem e captivitate eluctato, uterque ad eccleſiam pergunt, Deo gratias acturi pro captivitate mariti ſoluta. Inter eundum ad eccleſiam, *quæſo*, ait UDALRICUS maritus ad WENDELGARTAM *quis capiti tuo velum illud impoſuit?* Audito, quod in ſynodo epiſcopus, tacitus ſibimet: *nec ego te iam, niſi eius permiſſu, amplecti habeo*, ait. Laudes a clericis tandem, qui plures ad diem convenerant, inchoantur, a plebe perſolvuntur. Miſſas pro vivo, non pro defuncto marito, uti antea celebrabant. In proximo fit ſynodus. Repetit uxorem, quam Deo ille ſubarrhaverat ab epiſcopo UDALRICUS. Velum manu epiſcopi ablatum in ſcriniis eccleſiæ ſynodi decreto ſervandum locatur, ut ſi vir eius prior obierit, vidua illud reinducat. Nuptiæ tandem aguntur."

Conc. Germ. T. II. pag. 591.

Infantium oblatio ac profeſſio monaſtica.

XXI. Exempla vero varia ſuppetunt de virginibus etiam a parentibus Deo conſecratis apud HIERONYMUM in epiſtola ad GAUDENTIUM & alibi, tum etiam apud PAULINUM:

Et ſimul EUNOMIA *æternis iam parta virago*
In cœlo thalamis, quam matris ab ubere raptam
Feſtino placitam ſibi Chriſtus amore dicavit.

Natali 13.

Id

Digitized by Google

Id ſecundum regulam etiam S. Benedicti, præſertim in pueris ſolenne erat: qua de re idem Paulinus l. c. in Asterio exemplum habet:

Quem ſimul unanimes vera pietate parentes
Infantem Chriſto conſtituere ſacrum.
Ut tanquam Samuel *primis ſignatus ab annis*
Creſceret in Sanctis, votus alente Deo.

Quæſtionem S. Bonifacius inter alias hanc propoſuit Gregorio P. de pueris a parentibus oblatis in monaſteriis, utrum liceat eis, poſtquam pubertatis annos impleverint, e monaſterio egredi, & matrimonio copulari? Reſpondet pontifex nefas eſſe, ut oblatis Deo a parentibus filiis voluptatis frena laxentur. In vita *Rhabani* Mauri legitur ad Ludovicum imperatorem eum ſcripſiſſe librum unum contra eos, qui oblationem ſecundum regulam S. Benedicti deſtruere volebant. Quem edendum in lucem Mabillonius promiſerat Præfat. I. in ſæc. VI. ubi etiam provocat ad epiſtolam Nicolai I. nondum editam ad omnes epiſcopos *in regno* Ludovici poſitos de quodam Lamberto clerico, quem eius pater Atto comes, tunc clericus, in tenera ætate, nempe inter octavum & undecimum annum conſtitutum, proprio arbitrio, citra pueri voluntatem, monaſtica cuculla donaverat, eundemque poſt quoddam temporis ſpatium Salomon epiſcopus, ſcilicet *Conſtantienſis*, monaſtico habitu, ut ferebatur, invitum induerat, & ſub hac occaſione fratres ſui eum paterna & materna hæreditate privare volebant, & monachum permanere. Lambertus eius rei cauſa refugit ad pontificem, citatusque pater eius Atto affirmavit, ſuæ quidem voluntatis fuiſſe, ut Lambertus monachus fieret, ſed reſiſtenti cucullam fuiſſe impoſitam, & *ab inſequentibus* monachico habitu violenter indutum; inſuper aſſeruit, eum nunquam regulam promiſiſſe, neque cum palla altaris a ſe fuiſſe oblatum. Quibus auditis, pontifex eum a monaſtica profeſſione liberum & immunem eſſe declaravit.

Acta O. S. B. ſæc. IV. P. II. p. 19.

n. 36.

Mabillonius Præfat. in ſæc. VI. Ord. S. Bened. citat, quæ Petrus *Damiani* ad propugnandum hunc morem opuſc. 36. ad Desiderium abbatem *Caſinenſibus* gratulatur, quod ibi ſcholas puerorum non invenerit. Attamen, ſubdit, in *Caſinenſi* monaſterio ſæc. XIII. pueros educatos fuiſſe probare exemplum S. Thomæ. Ita vero de eo in martyrologio veteri Nonis *Martii* ſecunda quidem manu, ſed ante annos trecentos adſcriptum teſtatur in *Itinere Ital.* p. 121: „Nonis *Martii* apud *Foſſam novam* natale S. Thomæ Confeſſoris, viri eruditiſſimi: qui oriundus de *Aquino* primo *Caſinenſis* monachus factus, poſtmodum in ordine beati Dominici frater prædicator effectus, ſua multiplici & fructuoſa doctrina illuminavit valde eccleſiam ſanctam Dei.“ In concilio *Toletano* X. can. 6. ſtatuitur, ut pueri

uſque ad decimum tantum ætatis annum Deo a parentibus offerantur, relicta eis facultate ſæculum repetendi in adulta ætate, ſiquidem eis libuerit. Alii decimum quartum ætatis annum in eo canone legunt. Apud Canisium de miraculis S. Vitalis occurrit: „ Frater *Stephanus* Pretschleifer profeſſus & cuſtos monaſterii S. Petri *Salzburgenſis* ſupradicti, ætatis quinquaginta ſex annorum a quadraginta quinque annis in eodem monaſterio profeſſus" adeoque poſt decimum ætatis annum. In obſequiali noſtro veteri, uti etiam paſſim in aliis monumentis liturgicis habetur *ordinatio* ſeu profeſſio *monachi. Benedictio cucullæ.* Antiquas formulas profeſſionis monaſticæ unam ex mſſ. *Vindobonenſis* bibliothecæ cæſareæ, alteram ex mſſ. *San-Gallenſibus*, ex necrologio *Augiæ divitis* ſæc. IX. petitionis & profeſſionis monaſticæ veterem formam, P. Herrgott in *vet. diſciplina monaſtica* p. 590. ſeq. edidit.

T. III. P. II. P. II. p. 367.

Ex quibusdam huius ſolemnis ritus formulis, ipſaque renunciatione ſæculo facta, ſanctiorisque ſtatus ſuſceptione factum eſt, ut paſſim profeſſio religioſa *ſecundum quodammodo baptiſmi propoſitum* vocaretur, phraſi S. Hieronymi de obitu filiolæ monialis Blæsillæ ad S. Paulam. Idemque ad Demetriadem virg. „ Nunc (inquit) quia ſæculum reliquiſti, & ſecundo poſt baptiſmum gradu iniſti pactum cum adverſario tuo, dicens ei: *Renuncio tibi diabole, & ſeculo tuo, & pompæ tuæ, & operibus tuis*, ſerva fœdus, quod pepigiſti." Apud *Græcos* perinde ac apud *Latinos* inolevit hæc denominatio, qua de re videri poteſt *Leo* Allatius de perpetuo conſenſu utriusque eccleſiæ. Lib. III. c. 16. quem in ſuas partes trahere conatus eſt *Elias* Veielius diſſertatione *Ulmæ* an. 1670. edita, qua anteſignanos Lutherum & Melanchthonem ſecutus hoc nomen ſugillat dicterio *anabaptiſmi monachalis*, quam merito, res per ſe loquitur.

Abbatum & abbatiſſarum benedictio.

XXII. Mentionem fecimus ſupra de conſecratione abbatis ex Morino, quando epiſcopali charactere fuit inſignitus. Quod ex additis ibi verbis colligitur: *Sed in eius benedictione hoc non fit.* Hæc autem ex eo tempore maiori pompa, ac pontificali quadam cerimonia fieri cœpit, poſtquam uſus pontificalium paſſim abbatibus fuit conceſſus. In altero noſtro ſacramentario, prout ex codice *Rhenaugienſi* ſupplevimus, una eademque ponitur *Oratio ad abbatem faciendum, vel abbatiſſam.* In ſacramentario *Gallicano* nihil de abbate, tantum *Benedictio abbatiſſæ* occurrit. Abbatiſſas ex S. Gregorio M. notavit Mabillonius *ſolemni more ab epiſcopo ordinatas fuiſſe.* Qua voce ordinationis utitur S. Benedictus in ſua regula, ac de ordinatione monachi etiam cuiuscunque leguntur ſequentia alibi: „ In ordinatione presbyteri vel diaconi oportet epiſcopum miſſam cantare. Similiter

De ſacris Ord. P. II. p. 336.

Præfat. in ſæc. II. O. S. Ben. n. 51.

Hittorp. p. 139.

liter *Græci* faciunt, quando abbatem eligunt vel abbatiſſam. In ordinatione monachi abbas debet cantare miſſam &c." Ubi, quod ſequitur, ad rem præſentem *de ordinatione abbatis* refertur iisdem verbis in ordine *Romano*, capitulum ſc. ex canone Theodori *Cantuarienſis*: „In ordinatione abbatis epiſcopus debet miſſam cantare, & eum benedicere inclinato capite cum duobus vel tribus de fratribus ſuis, & dat ei baculum & pedules." Habetur autem in eo ordine pluribus ritibus & precibus, uti etiam poſtea, ordinatio abbatiſſæ canonicam regulam profitentis: & exinde monaſticam regulam profitentis. „In ordinatione abbatiſſæ epiſcopus debet miſſam cantare, & eam benedicere hoc modo: Poſt antiphonam ad Introitum &c." Apud Bedam hæc referuntur *Benedicti* Biscopii verba: *Quemcunque omnes unanimi caritatis inquiſitione cognoſcentes elegerimus, hunc vobis accito epiſcopo rogetis abbatem conſueta benedictione firmare.* Alia citat ex eodem Mabillonius, tum etiam ex S. Gregorio in nota ad vitam V. Eigilis abbatis *Fuldenſis*, ubi ita narratur: „Petita licentia Pater Eigil a pontifice benedictus, profectus eſt *Fuldam*: quo nimirum veniente obviam ei fuerunt monachi ſui, qui eum honore condigno ſuſcipientes, ad orationem duxerunt. Expleta namque oratione in oratorio proſtrati ſolo ſalutaverunt abbatem: quibus clementer & humiliter reſalutatis oſculabatur eos pacifice, cantans pariter cum illis more Patrum canticum David hoc modo: *Ecce quam bonum & iucundum, habitare fratres in unum.* Et facta eſt lætitia magna in eccleſia ibidem in nomine Domini congregata." Urbanus II. Gebhardo epiſcopo *Conſtant.* committens, vice ſua abbatem *Augienſem præſtituere, Nec ſolum in eo*, ſubdit, *ſed & in* S. Galli *cœnobio, & in cæteris, ſi quæ ſint propriis abbatibus deſtituta noſtra fretus auctoritate, cum conſilio, quorum intereſſe noveris, abbates eligere, atque electos conſecrare procura.*

Act. ſæc. IV. P. I. p. 237.

T. III. Concil. Germ. p. 211.

XXIII. In pontificali Mſc. bibliothecæ noſtræ ſæculi circiter XV. adhuc recentiori manu in calce eſt abſolutio cenſurarum, *quam facit reverendiſſimus initio ſacri.* Inter alia exempla ſententiæ excommunicationis ab abbate latæ etiam in extraneos ipſosque principes, apud Mabillonium notatur quoddam S. Columbani abbatis *Luxovienſis.* Is quippe cum Theodoricum regem ab inſanis actis revocare non potuiſſet, literas ad eum acribus verbis plenas direxit, *comminatus excommunicationem, ſi emendare dilatando non vellet.* Fulminabantur olim eiusmodi cenſuræ tragicis cerimoniis publice in eccleſia in præcipuis etiam feſtis, cuiusmodi habes in feſto nativitatis Domini plena in ſynodo *Landavenſi*, in qua regis familia eſt excommunicata. Varias eiusmodi formulas

Cenſurarum abſolutio & irrogatio publica.

Præfat. II. in ſæc. IV. n. 196.

T. XII. Conc. p. 11. 12.

mulas excommunicationum collegit Baluzius in edit. Capitul. regum *Francorum* T. II. p. 663. &c.

Manumiſſionis in eccleſia cerimonia. *T. I. Capit. p. 208. Ibid. p. 62.*

XXIV. Nec hic omitti prorſus debet ſolemnis in eccleſia manumiſſio, imperio præſertim *Francico* florente, uti habetur in Capitulari *Baivariorum* dato, ut coniectura eſt, *Ratisbonæ* anno Chriſti 788. *Similiter de his, qui per chartam in eccleſia iuxta altare dimiſſi ſunt liberi, cum quadraginta ſolidis regi componantur.* In lege *Alemannorum* de liberis,. qui ad eccleſiam dimiſſi ſunt, ſi occidantur, ſic ſtatuitur: „Liberi, qui ad eccleſiam dimiſſi ſunt liberi, vel per chartam libertatem acceperunt, ſi occidantur, octuaginta ſolidi ſolvantur eccleſiæ, vel filiis eius." In lege *Ripuar.* tit. 58. forma ac ritus huius manumiſſionis ſic deſcribitur: „Qui ſervum ſuum pro animæ ſuæ remedio, ſeu pro precio ſecundum legem *Romanam* liberare voluerit, ut in eccleſia coram presbyteris, diaconibus, ſeu cuncto clero & plebe, in manum epiſcopi ſervum cum tabulis tradat, & epiſcopus archidiacono iubeat, ut ei tabulas ſecundum legem *Romanam*, qua eccleſia vivit, ſcribere faciat, & tam ipſe, quam omnis procreatio eius liberi permaneant, & ſub tuitione eccleſiæ conſiſtant." Ex mſc. *San-Blaſiano* circ. 900. ann. inter monumenta liturg. edemus formulam *Conceſſ. ingenuitatis, quando quis procerum ſervum ſui iuris ad ſacros ordines ire permiſerit.*

Regum ac Imperatorum inauguratio.

Sæc. V. p. 119.

XXV. Demum quoad eam, quæ auguſtior in eccleſia celebrari ſolet, cærimoniam ac pompam inaugurandi coronandique reges, ac quidem apud nos imperii *Romano-Germanici* auguſtum imperatorem, cum nihil in monumentis noſtris liturgicis habeatur, iuvat hic deſcribere, prout apud Witichindum,. & in chronico *Magdeburgenſi* Mſc. in actis ord. S. Benedicti refertur pompa, qua anno 936. Hildebertus epiſcopus *Moguntinus* Ottonem mortuo Henrico eius patre inunxit, coronavitque: „Defuncto patre patriæ & regum maximo Heinrico, omnis populus *Francorum* ac *Saxonum* Ottonem a patre deſignatum notantes, univerſalis electionis locum in palatio *Aquisgrani* eſſe iuſſerunt. Duces ac præfectorum principes cum manu principum ac militum congregati in ſiceo (al. xyſto) baſilicæ magni Karoli cohærenti collocarunt novum ducem in ſolio ibi conſtructo, manus ei dantes, ac fidem pollicentes, & operam ſuam contra omnes inimicos. At *Moguntinus* pontifex interim cum univerſo ſacerdotali ordine & omni plebe præſtolabatur infra baſilicam proceſſionem novi regis. Procedenti pontifex obvius læva ſua tangit dextram regis, ſuaque dextera lituum geſtans, linea indutus ſtola, planetaque infulatus; progreſſusque in medium uſque ſani conſtitit: & converſus ad populum, qui circumſtabat (nam erant deambulatoria infra

&

Digitized by Google

& ſupra in illa baſilica in rotundum facta, quo ab omni populo cerni poſſet) *En*, inquit, *adduco vobis a Deo electum*, & *a Domino rerum* Henrico *olim deſignatum*, *nunc vero a cunctis principibus regem factum* Ottonem. *Si vobis iſta electio placeat*, *dextris in cœlum levatis ſignificate.* Ad hæc omnis populus dextras in cœlum levans, cum clamore valido imprecati ſunt proſpera novo regi. Ita more *Francorum* Otto rex creatus regnare cœpit ab Augusto loco lxxvi. anno ab urbe *Roma* condita mdclxxxviii. ab Incarnatione Domini dcccccxxxvi. Proinde procedit pontifex cum rege tunica ſtricta more *Francorum* induto pone altare, ſuper quod inſignia regalia poſita erant, gladius cum baltheo, chlamys cum armillis, baculus cum ſceptro ac diademate. Ipſe autem pontifex *Moguntinus* Hildibertus nomine, *Francus* genere, monachus profeſſione, nutritus & doctus in *Fulda* monaſterio, & ad id honoris merito progrediens, ut pater eiusdem monaſterii, deinde ſummi potificatus *Moguntiacæ* ſedis faſtigium mereretur. Hic erat vir miræ ſanctitatis, & præter naturalem animi ſapientiam literarum ſtudiis clarus: qui etiam inter cetera gratiarum dona ſpiritum prophetiæ accepiſſe prædicatur. Et cum eſſet quæſtio inter pontifices in conſecrando rege *Treverenſem* videlicet & *Colonienſem* (etenim *Trevirenſis* aſſerebat, quod eius ſedes antiquior eſſet, & tamquam a beato Petro apoſtolo fundata: *Colonienſis* vero, quia ad eius diœceſim locus pertinebat) & ob id uterque ſibi convenire arbitrati ſunt huius conſecrationis honorem. Ceſſit tamen uterque cunctis notæ Hildeberti almitati. Ipſe autem accedens ad altare aſſumpſit inde gladium cum baltheo, & converſus ad regem ait: *Accipe hunc gladium*, *quo Chriſti eiicias univerſos adverſarios*, *barbaros quoque* & *malos Chriſtianos auctoritate divina tradita tibi omni poteſtate totius imperii Francorum ad firmiſſimam pacem omnium Chriſtianorum.* Deinde ſumtis armillis & chlamyde induit eum. *His cornibus* (inquiens) *humitenus demiſſis monearis*, *quo Dei zelo ferveas*, & *perdurare in pace tuenda uſque in finem te debere ſcias.* Exinde ſumto ſceptro, baculoque: *His ſignis* (inquit) *monitus paterna caſtigatione ſubiectos tuos corripias. Primum ergo Dei omnipotentis miniſtris* & *viduis*, *ac pupillis miſericordiæ manus porrigas*, *numquam oleum miſerationis deficiat*, *ut Deo tibi propitio in præſenti pariter* & *in futuro ſempiterno præmio coroneris.* Perfuſusque illico oleo ſancto & coronatus diademate aureo ab ipſis pontificibus Hildiberto & Wicfrido, ac omni legitima conſecratione completa, ab eisdem pontificibus ducitur ad ſolium, ad quod per cochleas aſcendebatur, & erat inter duas marmoreas miræ pulchritudinis columnas conſtructum, unde ipſe omnes videre, & ab omnibus videri poſſet.

Divina

Digitized by Google

Divina deinde laude dicta, ſacrificioque ſolemniter celebrato, deſcendebat rex ad palatium, & accedens ad menſam marmoream regio apparatu ornatam reſedit cum pontificibus & omni populo. Duces vero

T. III. Concil. Germ. p. 66. 67. miniſtrabant." Apud WIPPONEM biographum CONRADI *Salici* editum a PISTORIO, enarrata ſolemni eius electione, „Rex (ſubditur) pervenit *Moguntiam*, ibi honore debito receptus, conſecrationem ſuam omnibus deſiderabilem devotus præſtolabatur. Ad quem benedicendum in die nativitatis ſanctæ MARIÆ cum archiepiſcopus *Moguntinenſis*, & omnis clerus ſolenniter ſe præpararent, inter ſacra officia regiæ unctionis archiepiſcopus hoc ad regem uſus eſt ſermone: *Omnis poteſtas fluentis ſæculi de uno fonte puriſſime derivatur &c.*" Refertur conſequenter eiusdem coronatio *Longobardica Mediolani*, *Romæ* deinde imperialis &c.

T. XII. Conc. Ed. Venet. pag. 1121. 1122. In concilio *Moguntino* ann. 1105. refertur, qua ratione HENRICUS IV. filio imperialia inſignia, crucem ſcilicet & lanceam, ſceptrum, globum atque coronam tradidit, hicque ab apoſtolicis legatis per manus impoſitionem confirmatus, acceptis tam ab epiſcopis quam laicis iuxta morem ſacramentis, regnare cœpit 88. loco ab AUGUSTO &c. De corona ferrea, qua *Romanorum* imperatores in *Inſubria* coronari ſolent,

T. II. Anec. p. 267. ſcribens commentarium MURATORIUS, inter varios coronationis ritus ex

pag. 325. Mſc. chronico ſæc. XIII. refert: „Quando rex *Alamanniæ* electus eſt,

pag. 328. & qui eſt rex *Romanorum*, debet venire in *Italiam* ad recipiendam primam coronam imperii, quam debet recipere in civitate *Mediolani* in eccleſia S. AMBROSII." Affert deinde liturgiam ann. ferme 600. in

Lit. Rom. T. II. p. 455. ſeq. coronatione *Mediolanenſi* HENRICI uſurpatam. Ritum coronandi imperatorem *Romæ* habes in liturgia *Gregoriana* apud MURATORIUM.

CAP. II.

Digitized by Google

CAPUT II.

De Canonizatione Sanctorum, primum in Alemannia, & cultu Reliquiarum.

I.

Inter inſigniores eccleſiæ catholicæ ritus, qui cum celebriori pompa ſucceſſu temporum peragi cœperunt, ſingularem locum meretur, qui ad ſolemnem Sanctorum cultum ab eccleſia decerni ſolitum pertinet. Ab eccleſiæ primordiis enituit hic pietas præſulum, ac fidelis populi in martyrum primum, ac ſubinde etiam aliorum Sanctorum adornandis ſacris, inſtituendoque cultu, communibus primum fidelium & paſtorum votis ſuffulto: in eorum honorem extructis eccleſiis, erectisque ſuper eorum tumulos altaribus. Contigit hic honor haud raro Sanctis mox poſt obitum, quale in noſtra *Alemannia* de S. Gallo habemus exemplum; ſiquidem, ut in vulgatis S. Magni eius diſcipuli actis legitur, triennio poſt eius mortem, ſeu, ut in eius vita a Walafrido conſcripta refertur, cum poſt tranſitum eius quadraginta anni fuiſſent evoluti, cella ab Othurno partium earundem poteſtate legitur devaſtata: „Quod audiens *Conſtantienſis* eccleſiæ præſul, nomine Boſo, ſepulchrum beatiſſimi Galli violatum eſſe ab hoſtibus, nullumque remanſiſſe in cellula, præter duos fratres Magnoaldum, & Theodorum, qui ſacri corporis reliquias tumulo reſtituere potuiſſent, venit illuc cum clericis ſuis, & invenit cellulam deſolatam, ſancti Patris corpus de ſepulchro eiectum, altaria nudata, duosque fratres, qui remanſerant ſpoliatos, iacentes in oratorio, & magnitudinem calamitatis gemitibus & lacrymis proteſtantes . . . . ſumens loculum, in quo ſanctum corpus erat, poſuit ſuper terram inter parietem & altare, & deſuper, ut moris eſt, arcum altiorem conſtruxit, foſſam vero terra replevit.“

Sanctorum corpora religioſe e tumulis levata.

Lib. II. c. 2.

Erat tunc ritus ſacrum Sanctis decernendi cultum, elevandique e terra ſacros cineres. Qua in re ab anonymo vitæ S. Burchardi auctore prædicatur huius ſancti præſulis ſtudium: „Ut corpora B. Martyrum Kiliani & ſociorum de loco, in quo ab infidelibus temere poſita fuerunt, le-

varentur. Collecto clero & populo indixit ieiunium, ut digni poſſent reperiri, a quibus ſancti martyres permitterent ſua corpora moveri. Conſtituta autem die elevationis martyrum, maxima vicinorum ruſticorum confluente multitudine, primus ipſe manus admovet. Ilico venerandæ Sanctorum reliquiæ cum maximo cleri plebisque tripudio de terræ pulvere levantur, ac ſericis reverenter involutæ palliis, manibus ſancti præſulis feretro, nuper ad hoc ipſum opus ornatiſſime præparato, membratim componuntur: fitque denuo populi ingens concurſus, & inde conſtipatæ multitudinis tumultu tam epiſcopi quam cleri quodammodo præpeditur proceſſus. Ambiebat nempe multimodis conatibus popularis ille conventus, ſi quis poſſet manu feretrum tangere, vel tranſeunti ſuccumbere, ſive manibus in altum levatis Deo gratias referre, aut econtra flexis poplitibus ſeu cervicibus quidquam devotionis Chriſti martyribus ſupliciter impendere. Vox una reſonabat omnium *Gloria in excelſis Deo &c.*"

Circa idem tempus poſt medium ſcilicet ſæculum VIII. idem honos a S. Wilibaldo fratri ſuo Wunibaldo legitur impenſus in vita huius Sancti apud Mabillonium & Canisium. Effoſſum ſcilicet corpus omnino repertum „eſt integrum, omnibus membris munitum, ita ut nec capillus de capite eius minueretur, conſecrato templo, porticu præpropere poſito, ut illic condiretur in crypta, ſanctoque ſalutato, extollentes levaverunt illud corpus, & poſuerunt eum in tumba nova, & portabant ad monumentum novum. Cumque ſurſum levatus fuerat in excelſo, presbyteri atque diaconi ſeu monachi tumultuantes circa tumbam, & qui non poterat ad eum contingere, conabatur, ut ſaltem una manu ad eum pertingendo perveniret. Cumque illi pſallentes cœleſtia modulantes portabant eum ad ſepulchrum, omnis plebs comitantes kyrieleyzabant.... Tunc omnis plebs cum magno honore ambulantes portabant S. Wunebaldum, & poſuerunt eum in monumento novo, in illo portico, de quo ſupra diximus, & ſtatim poſtea miſſam cantavit ad ſuum caput. Cumque miſſa acta erat, & ſancta ſolemnia celebrantur, omniaque venerabiliter completa finiuntur, gratias agebant Deo, ſanctoque Wunebaldo."

Propius in ipſa noſtra hac nigra ſilva, *Alemanniæ* meditullio, legitur exemplum ſequentis ſæculi IX. in actis S. Trudperti apud P. Herrgott: „Reſtitutis rebus, baſilica cum copioſis auro paratis altaribus nova conſtructa, tunc demum convocato epiſcopo, ad cuius diœceſim ipſe ſacer locus pertinet, innumera populi confluente frequentia, ſacratiſſimum Chriſti martyris corpuſculum, devotiſſimo conveniente clero, iterum prolatum e tumulo, iterumque tam ab epiſcopo præfato, quam etiam a Ramberto, cæterisque quam plurimis viſum, qui tali tantaque viſione digni putabantur,

Genealog. Habsburg. T. I. pag. 197.

tur, novo rurſus pallio involutus, in latiore parte nuper conſtructæ eccleſiæ, digniſſima Chriſti percelebrata laude, depoſitio piiſſimi martyris anno ſecundo LUDOVICO regnante VI. Kal. *Maias* eſt peracta eodem ipſo tempore, quo ſanguine pretioſo coronatus extiterat." Ritum elevationis S. VIRGILII epiſcopi *Salisburgenſis* in concilio provinciali habes T. III. Conc. *Germ.* *pag.* 737.

Solebant autem elevationes eiusmodi decerni in ſynodis, uti videre eſt in præfatione MABILLONII in ſæc. III. & V. Ord. S. BENED. ac inter concilia *Germaniæ* notatur conventus diœceſanus *Trevirenſis* de elevatione corporis S. MAXIMIANI an. 898. ſynodus *Ingelheimenſis* an. 979. in qua elevatio S. CELSI epiſcopi conſenſu epiſcoporum decreta. *T. II. p.* 411. *Ib. p.* 659.

II. S. OTHMARI corpus poſt decem ſepulturæ annos e *Stein* inſula ſolemni pompa in monaſterium ac eccleſiam S. GALLI translatum fuit poſt medium ſæculum VIII. elapſo poſtea ſæculo ſolemni ſynodi decreto, quam SALOMON epiſc. *Conſtantienſis more ſuo prudenti uſus conſilio cauſa eccleſiaſticorum dogmatum annualem ſolemniter* indixit, ut refert Iso monachus S. GALLI, in qua habito de vitæ ipſius ſanctimonia ſermone: „Inito huius ſynodi conſilio, peracto trium dierum ieiunio, venerabilis præſul ad idem monaſterium (*S. Galli*) cum ſuis perveniens, ſeniorem noſtrum GRIMALDUM, rectorem ipſius monaſterii ac HLUDOVICI regis archicapellanum, de hac re tractaturus aggreditur. Poſt amicæ vero ſalutationis officia, cum mutuis inter ſe colloquiis vitæ illius rigorem ac miracula, ob indicium ſanctitatis eius frequenter oſtenſa, commemorarent, monachos eiusdem cœnobii in unum convenire præcipiunt: ſimulque cum eis reſidentes, ſanctum corpus de tumulo, in quo eatenus iacebat, auferendum, atque in *S. Galli* eccleſia collocandum pari voto ac communi conſilio omnes unanimiter decernunt .... Præſul autem præclarus, cum abbatem tam fiducialiter in his rebus gerere conſpiceret, HARTMOTUM decanum unacum ceteris fratribus ſecum aſſumſit; & ad ſepulchrum accedens lapidem ſuperpoſitum removere, ipſumque ſarcophagum, in quo theſaurus pretioſi corporis iacebat, præcepit aperire. Quo facto membra ſanctitate plena inſpiciens, monachos letaniam cantare, precibusque devotis hortatur inſiſtere. Deinde venerandas ſancti Patris exuvias humiliter deoſculans, cum omni reverentia de tumulo ſublevavit, & in lectica, quæ illarum receptui paullo ante compacta fuerat, repoſuit." Refertur deinde, qua pompa delatum in eccleſiam *S. Galli*, ac iuxta illius altare depoſitum fuerit S. OTHMARI corpus, ſermone in eius laudem habito, peractisque miſſarum ſolemniis. Tum altero

Ac fidelium cultui expoſita.

De mirac. S. Othmari lib. I. Act. O. S. B. Lib. III. P. II. p. 164.

Digitized by Google

mane epiſcopus „fratres in unum colligit, atque inter alia ſacræ inſtitutionis documenta de ſancti viri meritis certus exiſtens, confidenter præcipit, ut ſuperveniente depoſitionis eius die vigilias ac miſſarum ſolemnia honorifice perficiant, diemque illum tam ipſi, quam omnis familia intra monaſterium inſtituta in honore B. OTHMARI feriando cum gaudio ſpiritalis lætitiæ feſtivum poſſideant."

De caſibus S. Galli c. 1. Nihil hic memoratur, quod EKKEHARDUS ſcribit, B. OTHMARUM auctoritate *Romana* in ſanctum levatum. Idem aſſertius dicit de S. WIBORADA, quæ ſæculo X. uno poſt necem, hunc honorem obtinuit: *quod in ſanctam eam levari iam bis noſtris temporibus per duos Papas decretum eſt ſub* NORTBERTO *tandem impletum.* Pontificem deſignat BURCHARDUS monachus *S. Galli* in ſimili opere *de caſibus monaſterii S. Galli in Alamannia*, cap. VI. ubi de NOTPERTO hoc abbate agens, „Obtinuit etiam (ait) adminiculante HENRICO imperatore, & coniuge eius AGNETE hoc apud dominum apoſtolicum CLEMENTEM ſecundum, recitata vita B. WIBORADÆ, eiusque miraculis, & de tamdiu neglecta re ab ipſo papa redargutus, quatenus ipſam præſente THEODERICO *Conſtantienſi* epiſcopo canonizaret, & pro ſancta haberi præciperet, & anniverſarium ipſius die ſolemnizandum inſtitueret." Audin' vero, quid iam mox anniverſario die poſt necem S. WIBORADÆ ſuo ac ſuorum monachorum conſilio ac privata auctoritate ENGILBERTUS abbas ob conſpicua ad ſepulchrum S. martyris miracula egerit: „His & tantis ſignorum virtutibus iugiter ad ſepulchrum beatæ virginis oſtenſis, beatus abbas ENGILBERTUS anniverſario depoſitionis illius tempore adveniente, anteriori die vocavit ad ſe HITTONEM monachum, fratrem ipſius venerandæ martyris, & aliis Patribus plurimis de eadem congregatione præſentibus, rationem cum illo de ipſius virtutibus habuit. Qui cum plurima, quæ vel nota omnibus, vel adhuc ignota fuerant veritatis aſſertione in medium proferret: omni dubitatione ſubmota, abbas certiſſimus quanti meriti, quantique honoris glorificatione ante Deum digna haberetur, quæ tantis ſignis & virtutibus inter homines clareſceret, cum conſilio fratrum eidem monacho & presbytero mandat, ut ſuperventuræ noctis vigilias cum pſalmodia & dulci hymnorum modulatione, ſicut antiquorum Patrum ordinatione de virginibus conſcriptum habemus, cum Dei licentia & adiutorio ad tumulum eius devotiſſime adimpleret; deinde etiam ſupervenientem diem ſynaxi & miſſarum celebratione ſolemnem duceret."

C. 5.

Apud Goldaſt. Rer. Alem. T. I. p. 67.

Acta O.S.B. Sect. V. pag. 57.

Auctoritate Rom. Pontificis.

III. Agit MABILLONIUS præfat. in ſæc. V. Ord. S. BENED. de huiusmodi canonizandi modis privatis ac publicis, tum decreto conciliorum, cum aucto-

auctoritate ſummi pontificis fieri ſolitis: ut, qui eſt communis eccleſiæ paſtor, cultus ab eo probatus præſcriptusque ab omnibus ubique impendatur. Primum eiusmodi indubitatæ fidei monumentum de ſolemni per *Romanum* pontificem canonizatione prodit diploma IOANNIS XV. in ſynodo *Romana* datum, quo ad preces LUITOLFI epiſcopi *Auguſtani* S. UDALRICUS eiusdem eccleſiæ epiſcopus in Sanctorum album ſeu canonem eſt relatus an. 995. Frequenti igitur in ſynodo „ ſurgens reverendiſſimus LUIDOLPHUS *Auguſtæ* epiſcopus inquit: *Domine ſanctiſſime præſul, ſi vobis placet, & omnibus epiſcopis, & presbyteris hic reſidentibus libellus, quem præ manibus habeo, coram vobis legatur de vita & miraculis venerabilis* UDALRICI *ſanctæ Auguſtanæ eccleſiæ dudum epiſcopi, & quid libitum vobis fuerit decernatur* . . . Cumque perlecta eſſet vita prædicti ſanctiſſimi epiſcopi, ventum eſt ad miracula, quæ ſive in corpore, ſive extra corpus geſta ſunt, videlicet cæcos illuminaſſe &c.“ Ac ſic demum communi conſilio decretum eſt: „ Memoriam illius, id eſt, S. UDALRICI epiſcopi affectu piiſſimo, devotione fideliſſima venerandam: quoniam ſic adoramus & colimus reliquias martyrum & confeſſorum, ut eum, cuius martyres & confeſſores ſunt, adoremus: honoramus ſervos, ut honor redundet in Dominum, qui dixit: *Qui vos recipit, me recipit.* Ac proinde nos, qui fiduciam noſtræ iuſtitiæ non habemus, illorum precibus ac meritis apud clementiſſimum Deum iugiter adiuvemur &c. Ego IOANNES ſanctæ *Romanæ* catholicæ & apoſtolicæ eccleſiæ epiſcopus, huic decreto a nobis promulgato conſenſi & ſubſcripſi.“ Sequuntur ordine epiſcoporum & presbyterorum Cardinalium ſubſcriptiones in bulla canonizationis. Sequenti dein ſæculo an. 1050. LEO IX. in ſynodo *Rom.* canonizavit S. GERARDUM epiſcopum *Tullenſem*, & eodem anno corpus in ſolemni conventu *Tullenſi* elevavit. Bulla canonizationis extat T. III. Conc. *Germ.* p. 114. Anno 1052. LEO IX. *Ratisbonæ* S. WOLFGANGUM eiusdem urbis epiſcopum de tumulo levavit, ut ex annalibus *Saxonicis* prodidit MABILLONIUS, quod canonizationis loco, ut diximus, tunc temporis erat. Anno deinde 1073. ut modo retulimus, factum eſt, ut CLEMENS II. recitata vita B. WIBORADÆ eiusque miraculis præeunte THEODERICO *Conſtantienſi* epiſcopo eandem canonizaret, & pro Sancta haberi præciperet, & anniverſarium ipſius diei ſolemnizandum inſtitueret. Sequenti ſæculo an. 1129. UDALRICUS *Conſtantienſis* epiſcopus vitam cum miraculis S. CONRADI eiusdem ſedis epiſcopi conſcriptam ad CALIXTUM II. miſit, epiſtola adiecta, qua pontificem interpellaſſe ſe crebris litteris exponit *pro eiusdem* CONRADI *gloria, ut moris eſt eccleſiarum, canonizanda*, ac in reſponſis accepiſſe: *vitam eius in concilio generali recitandam, & comprobandam: teſtes inſuper ſignorum,*

T. II. Conc. Germ. pag. 672.

Sæc. V. pag. 812.

It. T. III. Conc. Germ. p. 118.

Digitized by Google

quæ per eum fiebant, *ſeu facta ſunt*, *adhibendos.* Sic ad canonizationem B. STURMII abbatis *Fuldenſis* proceſſit INNOCENTIUS II. „Audita vita laudabili beati STURMII abbatis *Fuldenſis*, cognitis etiam ex parte miraculis, atteſtatione epiſcoporum, qui de partibus *Teutonicis* advenerant, in plenaria ſynodo apud *Lateranum* congregata, communicato conſilio patriarcharum, archiepiſcoporum, epiſcoporum atque abbatum, eundem beatum virum inter Sanctos & electos Dei honorari, atque diem ſui obitus cum gaudio ſolemniter ob omnipotentis Dei & ſanctæ matris eccleſiæ honorem per ſuam bullam celebrari & feſtivari præcipit." Plures bullas *Rom.* Pontificum pro canonizatione SS. recenſet BENEDICT. XIV. in litteris apoſtolicis præmiſſis in editione nova Martyrologii *Romani* p. 9. &c. EKKEHARDUS in vita S. NOTKERI dicit, INNOCENTIUM III. conqueſtum eſſe, quod dies feſtus in honorem NOTKERI non celebraretur; cuius tamen ſolemnis canonizatio primum ſub IULIO II. facta an. 1514. apud CANISIUM habetur T. IV. p. 796. inſtar proceſſus examinis in vitam & miracula per iuratos teſtes. Ordinem canonizationis ſæc. XV. habes T. XIX. Concil. edit. *Venet.* p. 527. Plura ad eam rem collecta grandi habentur volumine, a *Carolo Felice de* MATTA edito; pluribus vero voluminibus a BENEDICTO XIV. de canonizatione Sanctorum, ac T. V. B. FIDELIS de *Sigmaringa* in noſtra *Alemannia* oriundi poſt B. NICOLAUM *de Flue* in partibus *Helvetiæ*: Nuperque ipſe adfui tum præviæ rigoroſæ diſcuſſioni cum etiam canonizationi B. ELISABETHÆ *Reutenſis* in *Suevia.* Dum hæc ſcribo, inſtituitur eiuſmodi examen in vitam & miracula Ven. CRESCENTIÆ *Kauffbeiræ* in *Alemannia.*

Sæc. III. O. S. B. P. II. p. 285.

Translationes corporum Sanctorum ſolemnes.

IV. Cum eccleſia e ſtatu preſſo ſub perſecutionibus emergere cœpit, magna orbis chriſtiani contentione factum eſt, ut undique ſacra Sanctorum lipſana omni ſtudio comparata ſolemni cultui exponerentur. Quam in rem S. PAULINUS canit:

Nat. XI.

Nam quia non totum pariter diffuſa per orbem
Prima fides ierat, multis regionibus orbis
Martyres abſuerant, & ob hoc puto munere magno
Id placitum Chriſto nunc inſpirante potentes,
Ut CONSTANTINO *primum ſub Cæſare factum eſt,*
Martyres avitos transferrent in nova terræ
Hoſpitia, ut ſancto non olim antiſtite factum
Novimus AMBROSIO *&c.*

De opere monach. c. 18.

Cum in hac re dein fraudes intervenirent hominum perverſorum, quales notat S. AUGUSTINUS fictos monachos, *qui circumeuntes provincias membra martyrum* (*ſi tamen martyrum membra*) *venditabant:* THEODOSIUS lege cavit: *Humatum corpus nemo ad alterum locum transferat, nemo*

Digitized by Google

mo martyrem diſtrahat, nemo mercetur. Nec tamen deinceps eiusmodi defuerunt fraudes. Uti ex S. Greg. *Turon.* lib. IX. hiſt. c. 6. de ſeductore leges. Quod cum aliis teſtimoniis apud Launoium invenies *De cura eccleſiæ pro ſanctis &c.* Idem poſtea in Capitul. an. 805. *De eccleſiis ſeu ſanctis noviter ſine auctoritate inventis, niſi epiſcopo probante, minime venerentur.* Et conc. *Mogunt.* an. 813. *Deinceps vero corpora ſanctorum de loco ad locum nullus præſumat transferre ſine conſilio principis, vel epiſcoporum, & ſanctæ ſynodi licentia.* In conc. *Aquiſgranenſi* an. 825. decretum eſt de transferendo corpore S. Huberti *Leodio Andainum.* Cum S. Gerardus abbas in monaſterium *Bronienſe*, a ſe inſtauratum, S. Eugenii Ep. & Mart. reliquias poſt initium ſæc. X. transtuliſſet ſolemni pompa, eorundem cultum vero Stephanus *Tungrorum* epiſcopus, quem prius approbaverat, abrogare ſtatuiſſet, ventris torminibus cruciatus, S. Eugenium invocavit, & liberatus in ſynodo ſolemniter iterum reſtituit. In *Ratisbonenſi* an. 961. frequenti epiſcoporum conventu translatio S. Mauritii & quorundam ſociorum eius eſt facta *Parthenopolim*, ſeu *Magdeburgum.* Quæ dum non ſemper adhibita fuit ſolemnitas ac cautio, hinc illæ controverſiæ etiamnum de variis Sanctorum corporum translationibus, quandoque furtivis etiam, ut feruntur, S. Dionysii *Ratisbonam*, S. Martini *Iuvavium*, ut apud Canisium videre eſt, ne quid dicam de S. Marco Evangeliſt. in *Augiam divitem*: ubi eius ſaltem reliquiæ arcæ incluſæ, fuit autem recluſa ineunte hoc ſæculo præſente abbate monaſterii *S. Blaſii* Augustino, ut ex eius diario didici.

Leg. ult. de ſepul. viol.

T. I. Capit. p. 427. *c.* 51.

T. II. conc. Germ. p. 34.

Ib. p. 592.

Ib. p. 626.

Antiq. lect. T. II. P. II. p. 423.

V. *Roma* præſertim, ubi abundabant martyres, afferendi Sanctorum reliquias pia fuit contentio. Sic S. Bonifacius *Roma cum remeare decerneret, muneribus & reliquiis Sanctorum, pro quibuscunque petiit, datis, honorifice ditatus eſt a præſule apoſtolico*, ut in eius vita legitur. Non fuit ergo tunc amplius ea cunctatio *Romæ* ac conſuetudo, quæ anterioribus temporibus viguit, teſte S. Gregorio in epiſtola ad Constantiam imp. qui, *Romanis*, inquit, *conſuetudo non eſt, quando Sanctorum reliquias dant, ut quidquam tangere præſumant de corpore, ſed tantum in pyxide brandeum mittitur, atque ad ſacratiſſima corpora Sanctorum ponitur. Quod levatum in eccleſia, quæ eſt dedicanda, debita veneratione reconditur.* Idem S. Gregorius ad Theodelindam *Longobardorum* reginam olea tantum miſit ex lampadibus ardentibus ad ſepulchra ſanctorum martyrum, qui *Romæ* in corpore quieſcunt, quorum catalogum exhibet Ruinart. Hiſtoriam translationis reliquiarum S. Marcellini & Petri Eginardus conſcripſit. In vita *Rhabani* Mauri ſingulis fere paginis fit mentio SS. reliquiarum *Roma* in *Alemanniam* allatarum per diaconum *Rom.* eccl. Deus-

Ac reliquiarum Roma præſertim ad publicum cultum.

Act. ſinc. p. 619.

Act. O S. B. ſæc. IV. P. II. p. 4. *ſeq.*

DO-

Digitized by Google

DONAM, laicum SABBATHINUM, clericum FELICEM, quæ religioſe ſuſcepta ac recondita ſunt maximam partem in monaſterio *Fuldenſi.* Unum hic locum referam de primis reliquiis allatis per diaconum DEUSDONAM & germanum fratrem eius THEODORUM laicum, quas abbati dederunt. „Coxam videlicet ac pedem S. ALEXANDRI Papæ & martyris, & brachium FELICISSIMI diaconi. Caput S. CONCORDIÆ martyris, ac partem de oſſibus ſanctorum apoſtolicorum FABIANI, atque URBANI martyrum Chriſti; pedem beati CASTULI, ac dentem S. SEBASTIANI: de oſſibus SS. PAMPHILI presbyteri & martyris *Papiæ*, MAURI atque VICTORIS: ſanctæ quoque FELICITATIS matris ſeptem filiorum, & ſanctarum virginum & martyrum EMERENTIANÆ atque BASILLÆ partes non parvas in ſingulis ſacculis ſeorſum conditas. Quas cum ille venerabiliter ſuſcepiſſet, & cum honore ac reverentia deoſculatas loculo reconderet: poſt paucos dies remuneratum diaconum ac fratrem eius remiſit in patriam, promittentes ſe cum aliis Sanctorum reliquiis, ſi eis vita comes, ac divinus favor adeſſet, iterum ad eum venturos.“

Act. O.S.B. ſæc. IV. P. II. p. 7.

Religionem recondendi Sanctorum reliquias ac ſacros cineres didicerunt poſteri a *Smirnenſis* eccleſiæ fidelibus, cum proconſul *Iudæis* inſtigantibus corpus S. POLYCARPI cremaret: *Ne forte* (ita *Iudæi* illi) *relicto crucifixo hunc deinceps Chriſtiani colere inciperent.* Quid autem *Smyrnenſes? Atque ita nos demum oſſa illius, gemmis pretioſiſſimis cariora, & quovis auro puriora colligentes, ubi decebat, condidimus. Quo etiam in loco, ſi fieri poterit, concedat Deus natalem eius martyrii diem cum hilaritate & gaudio celebrare, tum in memoriam eorum, qui defuncti ſunt, tum ad poſteros huiusmodi exemplo erudiendos & confirmandos.* Supra expoſui, cum de ſacris locis agerem, ubi recondi ſolerent Sanctorum corpora in eccleſiis in eorum venerationem exſtructis, nec ſine Sanctorum reliquiis dedicatis, ut paullo ante demonſtravi. Curaque ſumma in illis ſervandis fuit requiſita, & religio in peragendis officiis divinis: *Ut unusquisque ſacerdos eccleſiam ſuam cum omni diligentia ædificet, & reliquias Sanctorum cum ſummo ſtudio vigiliarum noctis & diurnis officiis conſervet*, ut habet Capitul. an. 801. Cum vero non niſi in locis ſacratis haberentur, in cryptis & altaribus, aut thecis aureis & argenteis ut plurimum ſolebant recondi, quibus etiam ad ſacram pompam deferri poſſent, atque ceu præcipua patrocinia in caſtris quoque ſumma religione a ſervis Dei deportari, quos in exercitu eſſe alias haud licebat: *niſi illos tantummodo, qui propter divinum myſterium miſſarum ſcilicet ſolemnia adimplenda, & Sanctorum patrocinia portanda ad hoc electi ſunt.* Ut habet ſynodus *German.* anno 742.

Apud Euſeb. lib. IV. hiſt. c. 15.

T. I. p. 358.

CAP. III.

CAPUT III.

De purgationibus vulgaribus, ſeu Iudicio Dei.

I.

Primordia huiusmodi purgationum ad ſepulchra Sanctorum.
T. II. Rer. Alem. P. II. p. 120.

Peculiariter etiam nobis tractandum eſt de benedictionum genere quodam, quæ vocabantur vulgares a canonicis diſtinctæ, quæ legitime, & ex canonum permiſſione fierent, ut annotavit GOLDASTUS. Cuius generis dicuntur benedictiones cerei, cineris, ignis Paſchalis, & conſimiles. Alterius generis erant vulgares, ſeu purgatio vulgaris, iudicium Dei, *Ordalium*, *Urtella* a *Theotiſco Urteil*, ſeu ut etiam dicebatur *lex apparens*, *aperta*, *paribilis*, *ſimplex*. Quæ alia quoque de cauſa a canonica purgatione per iuramentum ſcilicet diſtinguebatur; ut, ſi cui crimina dubia vel occulta obiicerentur, deficientibus probationibus, per extraordinaria quædam experimenta veritas pateſceret. Sic S. AUGUSTINUS BONIFACIUM presbyterum, & quemdam ſuorum diſcipulorum, quorum quiſque in alterum idem crimen reiiciebat, utrumque ad corpus S. FELICIS *Nolam* mittendum deſtinavit, „ut certo placito ſe ambo conſtringerent ad locum ſanctum ſe perrecturos, ubi terribiliora opera Dei non ſanam cuiuscumque conſcientiam multo facilius aperirent, & ad confeſſionem vel pœna vel timore compellerent.“ Subdit poſtea: „Nam & nos novimus *Mediolani* apud memoriam Sanctorum, ubi mirabiliter & terribiliter dæmones confitentur, furem quemdam, qui ad eum locum venerat, ut falſum iurando deciperet, compulſum fuiſſe, confiteri furtum.“ Res tum ad iuramentum redigebatur, periuris divinam vindictam haud raro expertis; ſecus pro innocentia iudicatum. Quædam exempla apud S. GREGORIUM M. occurrunt, velut de LEONE epiſcopo: „Ad beati PETRI ſacratiſſimum corpus diſtricta eum ex abundanti fecimus ſacramenta præbere. Quibus præſtitis magna ſumus exultatione gaviſi, quod huiusmodi experimento innocentia eius evidenter enituit.“ Idem in aliis locis factitatum veluti in *Galliis* ad tumulum SS. DIONISII & ſociorum, S. MARTINI, S. GERMANI &c. *Mutinæ* ad S. GEMINIANUM, ut docet MURATORIUS Diſſert. LVIII. de Chriſtianorum veneratione in Sanctos.

Epiſt. 78.

Lib. II. c. 33.

Fata purgationum vulgarium.

II. Experimenta vero ſumebantur variis modis, quæ proprie iudicia Dei appellabantur, probanturque in Capitulis CAROLI M. anni noni c. 9. *Ut omnes iudicio Dei credant abſque dubitatione.* Ad hanc ergo fidem res redibat. Id quidem aliquo in genere LUDOVICUS *Pius* in ſuo capitulari prohibuerat. Occurrit tamen poſtea in Capitularibus CAROLI *Calvi* haud ſemel veluti tit. XXXVI. c. 13. *Contra quod ſacramentum, ſi quilibet feciſſe reputatus fuerit, iudicio Dei ſe examinet.* Et tit. XLV. c. 3. *Et ſi nullus eum comprobare voluerit ad iudicium Dei prædicto modo ſe examinet, & per illud Dei iudicium aut liberetur aut condemnetur,* ut iterum mox c. 7. repetitur. Etiam auctoritate *Romanorum* pontificum fulciebatur conſuetudo hæc, veluti in codice *San-Gallenſi* reperi. *Hoc autem iudicium creavit omnipotens Deus, & verum eſt, & per domnum apoſtolicum inventum.* Quod aliqui ad LEONEM III. referunt, qui ipſe id ſubierit agente B. EUGENIO *Mediolanenſi*, tempore CAROLI M. ut apud MURATORIUM diſſert. XXXVIII. Antiq. *Ital.* T. III. p. 616. affertur *Iudicium, quod fecit Beatus* EUGENIUS *cum domno papa* LEONE, *& domino* CAROLO *magno imperatore &c.* Quod tamen genus probationis a ſummis pontificibus reprobatum in corpore iuris canonici notatur: veluti apud GRATIANUM a STEPHANO V. c. II. qu. 5. c. *Conſuluiſti* 20. In decretal. INNOC. III. cap. *Sententiam* 9. Ext. *Ne clerici vel monachi.* HONORII III. in cap. *Dilecti.* 3. Ext. de purgat. vulg. lib. V. ac ante hos, qui ſibi mutuo ſucceſſerunt, a COELEST. III. AGOBARDUS peculiari libello idem improbavit. Nihilominus HINCMARUS illud multis argumentis probavit, extatque eius de hac re prolixa epiſtola ad HILDEGARIUM epiſcopum *Meldenſem.*

T. II. Capit. p. 178.

pag. 230.

Ordines liturgici earundem.

III. Poſt GOLDASTUM, IURETUM, LINDENBROGIUM, BIGNONIUM, BALUZIUM, MABILLONIUM, DUCANGIUM, MARTENIUM & MURATORIUM *Bern.* PEZIUS ordinem probandi homines de crimine ſuſpectos ex Mſc. cod. *Weſſofontano* edidit, qui ſic incipit: „Inquiſitus aliquis de furto vel adulterio vel quocunque alio crimine, ſi nolit confiteri: pergat ſacerdos ad eccleſiam, & induat ſe veſtimentis ſacris excepta caſula, portans in leva ſacrum evangelium cum chriſmario & reliquiis Sanctorum calicemque cum patena &c." Noſtro autem in obſequiali an. 800. extat „Ordo ad faciendum iudicium, cum volueris homines iudicio probare, vel aquæ frigidæ vel ferventis, aut igniti ferri, vel vomerum, aut panis & caſei, vel menſuræ, iſta debes facere. Accipe hos homines illos, quibus cauſa obiicitur, vel eorum vicarios & alios boni teſtimonii viros, & duc eos in eccleſiam, & coram omnibus presbyter miſſam cantet hoc modo: *Iuſtus es Domine &c.*" Miſſam, quia nec in PEZIO extat integra, hic apponimus

T. II. Anec. P. II. p. 634.

ex

Digitized by Google

ex cod. *Rhenaug.* ſæc. circ. XII. prout etiam cum notis muſicis habetur: *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum. Fac cum ſervo tuo ſecundum miſericordiam tuam.* Pſal. *Beati.* Coll. *Da quæſumus omnipotens Deus gratiam tuam promereri, ut noſtros corrigamus exceſſus, & ſic confitentibus relaxare delictum, ut coerceamus in ſuis pravitatibus. Per.* Lectio Esaiæ prophetæ: *In diebus illis locutus eſt* Esaias *propheta dicens: Quærite Dominum, dum inveniri poteſt, invocate eum, dum prope eſt. Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & revertetur ad Dominum, & miſerebitur eius, & ad Dominum noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum.* Gr. *Cuſtodi me. Alleluia.* Verſus: *De profundis.* Evang. ſecundum Iohannem: *In illo tempore reſpiciens Ihs diſcipulos ſuos ait illis, habete fidem Deo, amen dico vobis, quicunque dixerit monti huic tollere & mittere in mare, & non hæſitaverit in corde ſuo, ſed crediderit, quia quodcunque dixerit fiat, fiet ei; propterea dico vobis, omnia quæcunque orantes petitis, creditis, quia accipietis, & evenient vobis. Et cum ſtabitis ad orandum, dimittite, ſi quid habetis adverſus aliquem, ut & Pater veſter, qui in cœlis eſt, dimittat vobis peccata veſtra. Quod ſi vos non dimiſeritis, nec Pater veſter, qui in cœlis eſt, dimittet vobis peccata veſtra.* Off. *De profundis.* Secr. *Ab omni reatu Domine nos Sacramenta, quæ tractamus, abſolvant, & eadem nos muniant a tocius pravitatis & diabolicæ illuſionis incurſibus. Per.* Com. *Amen dico vobis quidquid.* Ad complend. *Conſpirantes Domine contra tuæ plenitudinis firmamentum, dextera tua virtute proſterne, ut iuſtitiæ non dominetur iniquitas, ſed ſubdatur ſemper falſitas veritati. Per.* Al. or. *oſtende nobis Domine miſericordiam tuam, ad examinandum rectum iudicium, ut per adventum Spiritus ſancti omnis falſitas diabolicæ artis procul remota exiſtat. Per.* Coniuratio. *Adiuro vos homines per Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, & per ſanctam Trinitatem, & per invocationem unigeniti Filii, & per veſtram chriſtianitatem, quam ſuſcepiſtis, & per ſanctum evangelium, & per iſtas reliquias, quæ in iſta eccleſia ſunt, ut non præſumatis ullo modo communicare, nec accedere ad altare, ſi vos hoc feciſtis, aut conſenſiſtis, aut ſcitis, quis hoc fecerit.*

In alio codice *Rhenaug.* reperi miſſam, *Contra furem, ut ſe ſiſtat.* Alia notatur in codice *San-Gallenſi Miſſa ſuper eum, qui furtum facit.* Ant. *De neceſſitatibus meis.* Or. *Omnipotens ſempiterne Deus, qui omnia occulta prænoſcis, exaudi orationem noſtram, & fac furem reverti cum re, quam fraudavit, ut manifeſtetur nobis, ſicut manifeſtaſti furtum* Achap *in* Iericho, *fiatque illi contrarium verbum Dei, compulſus redeat, nobisque oſtendatur, & ſicut nihil te latere poteſt Domine, ita manifeſta*

nobis hanc rem. Per. Lect. *Si praeoccupatus fuerit homo.* Gr. *Exurge Domine & intende.* ℣. *Effunde frameam.* A. *de profundis clamavi.* Ev. *Petite & dabitur vobis.* Off. *Deus enim firmavit.* Secr. *Proficiat quaeſumus Domine hac oblatio, quam tuae ſuplices offerimus maieſtati, ut ad convertendum famulum tuum, ut prius requiem non habeat, antequam ſe nobis oſtendat, ut qui contemnendo culpam incurrit, confitendo veniam conſequatur. Per Dominum.* Com. *Erubeſcant & convertantur.* Ad com. *Hac nos communio Domine purget a crimine, & famulum tuum fac reverti, ut ſicut* IOSUE ACHAP *abſconditum in terra invenit, ita patefacere digneris omnia, pro quibus petimus divinam clementiam tuam, ut non in aeternum abſcondas iniquitatem ſuam.*

In codice alio *San-Gallenſi*, qui trecentos annos haud ſuperat, adhuc accurate exorciſmi ad iudicium Dei deſcribuntur. MURATORIUS perhibet ſaec. XV. *Florentiae* idem poſitum fuiſſe a viris quidem religioſis, in idque conſenſiſſe *Hieronymum* SAVONAROLAM. Inter alia exempla de probatione reliquiarum per ignem recentius refert MABILLONIUS, in ipſo monaſterio S. GERMANI *Pariſiis* particulam S. Crucis nullam laeſionem ſenſiſſe.

Praefat. in ſac. VI. §. V. n. 45.

Probatio aquae frigidae & ferventis.

IV. In noſtro obſequiali lineae per omnes paginas ſubductae antiquatum ritum declarant. Occurrit autem primo loco Benedictio aquae frigidae ad faciendum iudicium, ut in *Remigianis* membranis ſaec. IX. apud MABILLONIUM, & in Collect. canonum ibidem citatur: „Hoc iudicium atque examinationem miſit domnus apoſtolicus in *Franciam*, ut non violarentur ſacra altaria Sanctorum, ſed per hanc adiurationem & iudicium aquae frigidae poſſit pateſcere veritas.“ Atqui hoc ipſum eſt, quod a LUDOVICO *Pio* fuit reprobatum in Capitulari *Aquisgranenſi*; & nihilominus poſtea ab HINCMARO in epiſtola ad HILDEGARIUM *Meldenſem* defenſum, ut ibidem notat MABILLONIUS. Eadem referunt *Aloyſius* NOVARINUS, MACRI in Hierolexico, & MARTENIUS ex variis codicibus, ubi alicubi haec leguntur: „Deinde vero chorda quadam, quae eum tenere queat, circa lumbos alligetur, atque in chorda fiat nodus, & ſic in aquam ſuaviter, ne aquam commoveat, demittatur. Si vero uſque ad nodum demerſus fuerit, extrahatur ceu ſalvus; ſin autem, quaſi reus a videntibus exiſtimetur.“ Et ita in adiuratione noſtri codicis additur: *Quodſi culpabiles ſint homines iſti, quorum vicarius es, aqua iſta te non recipiat.* Nimirum per alium ſeu vicarium fieri poterat haec probatio, prout in cauſa THIETBERGAE uxoris LOTHARII procurator illaeſam manum ex aqua fervente extraxit an. 859. Apud BALUZIUM habetur *Benedictio ſeu exorciſmus aquae calidae ſeu frigidae, in qua manus ad iudicium mittitur.* Apud PEZIUM: *Exorciſmus*

Analect. 162.

Lib. V. ſacr. elect. V. Miſſa iudicii T. III. de rit. eccl. Lib. II.

Vide Murat. Ant. Ital. T. III. p. 617.

T. II. Capit. p. 639.

aquae

aquæ calidæ, in quam manus ad iudicium mittitur. Sequitur ordo ad conſecrandam frigidam aquam, ac etiam apud Baluzium, & poſt alia *Exorciſmus ad caldaria ſive ad aqua:* quod ad aquam ferventem pertinet, veluti etiam apud Goldastum: *benedictio aquæ ad iudicium faciendum.* Promiſcue autem adhibebatur frigidæ & ferventis aquæ probatio, prout etiam in noſtro obſequiali diſtinguitur, & apud Muratorium, quem conſule, ac Gloſſarium Pithæi ad libros Capitularium, ubi aquæ ferventis examen præſcribitur Capit. an. 819. ſub Ludovico *Pio*, ſub quo, ut diximus, iudicium aquæ frigidæ prohibitum fuit. *Rer. Alem. P. II. pag. 139.* *T. I. Capit. p. 598.*

V. In epiſtola Stephani V. ad Lambertum *Moguntinum* iudicium aquæ ferventis ac ferri candentis alienum a canonibus perhibetur: „Nam ferri candentis, vel aquæ ferventis examinatione confeſſionem extorqueri a quolibet, ſacri non cenſent canones, & quod ſanctorum Patrum documento ſancitum non eſt, ſuperſtitioſa adinventione non eſt præſumendum. Spontanea enim confeſſione vel teſtium approbatione publicata delicta, habito præ oculis Dei timore, commiſſa ſunt regimini noſtro iudicare.“ Quæ tamen in conc. *Triburienſi* an. 895. ſunt auctorata. Habes in obſequiali noſtro ordinem ad ignitum ferrum, ſeu, ut apud Pezium inſcribitur, *Benedictio ferri vel vomerum*, breviſſima autem eſt benedictio ferri ad iudicium faciendum. Iudicium hoc ſubiit S. Chunegundis S. Henrici I. imp. uxor ad probandam pudicitiam, & Petrus monachus ad ſimoniæ labem reprimendam, ob id *Igniti* nomen ſortitus, ut obſervavit Mabillonius. Ad id etiam ſe obtulit iudicium Richardis Caroli craſſi uxor adulterii ſuſpecta, ut in chr. Regino narrat, & Analiſta *ſaxo.* „Imperatrix de virginitatis integritate gloriatur, idque ſe approbare Dei omnipotentis iudicio, aut ſingulari certamine, aut ignitorum vomerum examine fiducialiter affirmat.“ Apud Hermannum *Contractum* probatio facta memoratur in *Urſtiſiana* editione *aquino iudicio*, melius in *Caniſiana divino iudicio.* Koenigshovius in chr. *Alſ.* apud Schoepflinum Richardim cerato induſio amictam per ignem tranſiiſſe illæſam affirmat. Singularis res refertur ex Godefridi *Viterbienſis* chronico de uxore Ottonis III. (quam tamen Leibnizius, Pagius, & alii eum habuiſſe unquam negant) *Mutinæ* comitem deperiente, quam repulerit comes, eius machinationibus autem cum eſſet necatus, uxorem ſuperſtitem mariti innocentiam probatione ferri candentis demonſtraſſe, quod maritus voluerat.

Ferri candentis, ſeu ignitorum vomerum. *Apud Gratian. c. 2. q. 5. c. 20.* *Præfat. in ſæc. VI. n. 43.* *Ad an. 888.* *Ad an. 887.* *Alſat. illuſt. T. I. p. 806.* *Apud Murator. ſcript. rer. Ital. T. VII. p. 438.*

Tu mihi poſt mortem conſcia teſtis eris.
Si dubium videatur eis, quod teſte probabis
Iudicio candentis eos ferri ſuperabis.

Aa aa 3 VI.

Panis & Caſei. VI. Sequitur in obſequiali noſtro ordo iudicii cum pane & caſeo, qualem etiam paſſim in aliis Mſſ. inveni, in codice autem *Rhenaugienſi* hanc rubricam: „Induat ſe ſacerdos veſtimentis ſacerdotalibus, & accedat ad altare more ſolito miſſarum ſolemnia celebraturus cum his orationibus. *Iuſtus es Domine. Sancti nominis tui &c.* Finitis miſſarum ſolemniis apportetur caſeus & panis hordeaceus, & inſcribatur in eo oratio dominica, & præſentetur ante altare in patena argentea, res etiam, quæ ſunt furatæ, inſcribantur in breviculo, ſimul & nomina virorum, quibus furta imputantur, & dicantur exorciſmi iſti ab eodem ſacerdote ſuper caſeum & panem, ſuperſcriptis veſtimentis induto, ipſis hoc audientibus & videntibus." Apud Baluzium inſcribitur *Exorciſmus panis hordeacei vel caſei, quorum appenſio unius unciæ.* Nota vero verba in noſtro obſequiali: *Deinde dabis ei, quem vis probare, panem ordeaceum & caſeum caprinum novem pondus denariorum.* Vid. etiam *Benedictio panis & caſei* apud Muratorium, qui teſtatur, in antiphonario vetuſtiſſimo *Mediolanenſi* legi *benedictionem panis & caſei ad inveniendum, qui furatus eſt.* Iudicium caſei in *German.* cod. proſtans indicarunt etiam Ekardus & Godefridus abbas *Gottwic.* lib. I. c. 2. chr. *Gottwicenſ.* ut iam notavit Muratorius.

Capit. T. II. p. 653.

T. III. Antiq. Ital. p. 619.

Menſuræ. VII. Singularis eſt in noſtro obſequiali *Ordo iudicii in menſura*, cum hac præmiſſa rubrica: *Quidam fideles pro vilibus cauſis iudicii examen faciunt in menſuris.* Exſpectatum autem eſſe, ut divino iudicio ac virtute menſura, qualiscunque fuerit, ſeipſam excederet, ex hac adiuratione colligitur: „Adiuro te genus menſuræ per Patrem, qui ſuo Filio, ſanctoque cooperante Spiritu in principio mundum in menſura & pondere diſpoſuit. Ut ſi homo iſte inculpabilis ſit, tibi ſtatutum terminum non excedas. Si autem culpabilis ſit de ſibi obiecta cauſa, terminum excede, ut & tu verbo creatoris tui, ut dignum eſt, obedias, & nomen eius per generationes benedicatur univerſas."

Examinatio crucis. VIII. Celebre eſt in Capitularibus regum *Francorum Examinatio crucis;* at obſcurum adhuc, in quo conſtiterit. Baluzio in notis ad Capitul. vera videtur ſententia Gretseri, putantis iudicium illud in hoc fuiſſe poſitum, ut quis ſub cruce immotus perſiſteret, donec Deus veritatem extraordinario quopiam modo patefaceret. Du-Cangius putat eos, qui crucis examen ſubibant, expanſis in crucis formam, ſive ſublatis in altum brachiis ante crucem in templo ſtetiſſe certo ac definito tempore, hoc eſt, donec recitaretur evangelium, aut pſalmi nonnulli. Huius rei documenta ex Dubletto & Ughellio affert Muratorius. Voluit Carolus M. in charta diviſionis regni inter ſuos filios, „ſi cauſa vel intentio

T. II. p. 1153.

T. III. Antiq. Ital. p. 624.

T. I. Capit. p. 444.

tentio ſive controverſia talis inter partes propter terminos aut confinia regnorum orta fuerit, quæ hominum teſtimonio declarari vel definiri non poſſit. . . . ut ad declarationem rei dubiæ iudicio crucis Dei voluntas & rerum veritas inquiratur, nec unquam pro tali cauſa cuiuslibet generis pugna vel campus ad examinationem iudicetur.“ Ludovicus tamen *Pius* hoc etiam examen interdixit in Capit. an. 816. *ſancitum eſt, ut nullus deinceps quamlibet examinationem crucis facere præſumat, ne quæ Chriſti paſſione glorificata eſt, cuiuslibet temeritate contemptui habeatur.* Baluzius obſervat, hanc legem non ubique ſervatam fuiſſe, in aliis codd. Capitularium ab illis temporibus omiſſum ſe animadvertiſſe crucis iudicium & examen, in quibus reliqua exemplaria illud habent. *p. 569.* *T. II. p. 1154.*

IX. In concilio *Wormatienſi* an. 868. ſancitur: „Si epiſcopo, aut presbytero cauſa criminalis, hoc eſt, homicidium, adulterium, furtum, & maleficium imputatum fuerit, in ſingulis miſſam celebrare, & ſecretam publice dicere, & communicare debet, & de ſingulis ſibi imputatis innocentem reddere. Quodſi non fecerit, quinquennio a liminibus eccleſiæ extraneus habeatur, ſicut antiqui canones ſtatuerunt.“ Gregorius *Turonenſis* de ſe teſtatur, ſe dictis in tribus altaribus miſſis, criminis in reginam commiſſi ſuſpicionem amolitum eſſe. Purgationem per Euchariſtiam ipſe etiam Gregorius VII. coram Henrico IV. ſuſcepit an. 1077. & Hadrianus II. prius an. 869. a Lothario accepit, ut refert Muratorius. Alias vero Euchariſtia in aliis etiam generibus ſumenda a ſuſpectis fuit. Quid vero ſibi velit Capit. an. 809. c. 10. non ſatis liquet: „Presbyter qui ſanctum chriſma donaverit ad iudicium ſubvertendum, poſtquam de gradu ſuo fuerit expoliatus, manum amittat.“ Supra retulimus chriſmale a ſacerdote ad miſſam deferri ſolitum, dum erat iudicium faciendum.

Purgatio per miſſam ac Euchariſtiam. *T. II. Conc. Germ. p. 312.* *Lib. V. hiſt. Franc. c. 49.* *T. III. Ant. Ital. p. 613.*

X. Pariter ac apud *Burgundiones*, *Francos*, *Longobardos*, *Saxones* & *Anglos*, ita apud *Alemannos* duelli probatio inter liberos fuit uſitata, ut eorum lex habet: „Si quis liber libero crimen aliquod mortale impoſuerit, & ad regem vel ducem eum accuſaverit, & inde probata res non eſt, niſi quod ipſe dicit, liceat illi alii, cui crimen impoſuit, cum tracta ſpatha ſe idoneare contra illum alium.“ In ſynodo *Germanica* an. 841. decretum eſt, victoriam a Ludovico *Germanico* & Carolo *Calvo* obtentam apud *Fontanetum* contra Lotharium Imp. eſſe iudicium Dei pro cauſa vera Ludovici & Caroli. Aliquoties in modo dictis occurrit vel alterius generis iudicium vel duellum, ſeu campio, quando per alios ſeu vicarios geſta res fuit, qua ratione veritas ac iuſtitia exploranda proponebatur

Probationes per duellum. *C. 44.* *T. II. Conc. Germ. p. 141.*

pro

Digitized by Google

pro ſæcularibus, iisque liberis. Nam in conventu *Hagenbovienſi* an. 1151. ſub Henrico III. habetur: „Si plebeius & minoris teſtimonii ruſticus, aquæ frigidæ ſe expurget iudicio.“ Obſervavit tamen Mabillonius, duellum etiam a clericis ac monachis fuiſſe exactum. Qui affert exempla probationis per duellum præfat. in ſæc. VI. n. 43.

Præfat. in ſæc. V. ord. S. Bened. n. 39.

Purgatio per iuramentum.

XI. In Capitulari Gregorii II. ad Bonifacium c. 3. ita ſtatuitur: „De presbytero vero, ſi quilibet ſacerdos a populo fuerit accuſatus, ſi certi non fuerint teſtes, qui criminis illati approbent veritatem, iusiurandum erit in medio, & illum teſtem proferat de innocentiæ ſuæ puritate, cui nuda & aperta ſunt omnia, ſicque maneat in proprio gradu.“ Quod refertur in ſynodo *Wormatienſi* an. 803. totusque titulus ſecundus eſt *de purgatione ſacerdotum.* Ubi c. 2. modus declaratur: „Ne in crimine, aut in prædicta ſuſpicione remaneat (ſacerdos) cum tribus aut quinque, vel ſeptem bonis ac vicinis ſacerdotibus, exemplo Leonis Papæ, vel eo amplius, ſi ſuo epiſcopo viſum fuerit, aut neceſſe propter tumultum populi id eſſe proſpexerit, & cum aliis bonis & iuſtis hominibus ſe ſacramento, coram populo ſuper quatuor evangelia dato, purgatum eccleſiæ reddat.“ In Capitulari dato in ſynodo ſub Bonifacio ſtatuitur c. 14. „Omne iuramentum in eccleſia & ſuper reliquias iuretur: *Sic illum Deus adiuvet, & illi Sancti, quorum ſunt iſtæ reliquiæ.*“ Iuramenti ad ſacra evangelia etiam SS. Gregorius *Naz.* & Ambrosius meminerunt, ut advertit Muratorius, id vero eſſe iurare quarta manu, quinta manu, hoc eſt 4. 5. vel pluribus adhibitis coniuratoribus ſeu ſacramentalibus, ut vocari ſolebant. Alii erant teſtes *per aures tracti*, qui in teſtimonium adſciſcebantur in rebus eccleſiæ contradendis, quales leguntur in ſynodo *Friſing.* an. 822.

T. I. Conc. Germ. p. 34. *Ib. p. 377.* *T. I. Conc. Germ. p. 55.* *T. II. Conc. Germ. p. 25.*

In placito *Aquisgranenſi* an. 831. refertur Iudithæ imperat. purgatio & abſolutio canonica: *Hoc eſt, iuramentum præſtitit, & habuit, qui unacum ea iurarent, falſa eſſe, quæ inimici contra eius honorem & pudicitiam ſparſerant.* In concilio *Moguntino* circa an. 860. ut colligitur ex epiſtola Nicolai I. ad Carolum epiſc. *Mogunt.* reſponſoria ad ſynodicam a concilio ſcriptam, eadem de re actum eſt quoad ſacerdotes & diaconos, ut crimine non manifeſto nec probato detur locus purgandi ſe per iuramentum. Sed nec hoc quidem in conc. *Triburienſi* an. 895. c. 21. permittitur: „ſi quis presbyter contra laicum, vel laicus contra presbyterum aliquam habet querimoniæ controverſiam, epiſcopo regente ſine perſonarum acceptione finiatur, & laicus præiuramento, ſi neceſſe ſit, conſtringatur: presbyter vero vice præiuramenti per ſanctam conſecrationem interrogetur, quia ſacerdotes ex levi cauſa iurare non debent. Manus enim per quam corpus & ſanguis Chriſti conficitur, iuramento polluetur.“

Ib. p. 57. *Ib. p. 243.*

DISQ. VII.

DISQUISITIO VII.

DE ENERGUMENIS, EORUMQUE EXORCISMIS.

CAPUT I.

De Energumenis : variis modis , ac malis artibus , quibus ad tentandum , infeſtandum , fallendumque genus humanum utuntur cacodæmones.

I.

Qui in ſyllabo huius operis (iam in Actis Erudit. *Lipſ.* an. 1762. typis expreſſo, prout tunc ad editionem paraveram) uno verbo materiam de exorciſmis notatam legerint , quam nunc diffuſius ediſſerendam ſuſcipio , non mirabuntur, ſiquidem haud ignorent , quantis hodie motibus dæmonurgia agitetur , ut e re noſtra ſit, doctrinam Eccleſiæ in ſacra liturgia perpetuo aſſertam ex ſacra ſcriptura , & traditione conſtanti ſanctorum Patrum ob oculos ponere. Præſentis tractationis occaſio.

II. Ac quidem de diaboli ſummis conatibus atque malevolentia erga genus humanum a Deo conditum nullus dubio locus eſſe poteſt, utpote qui in ipſum Deum , ſuperbum & rebellem ſe exhibuit. „ Qualis enim (ſunt S. Ambrosii verba in Pſalm. 118. T. II. p. 603.) adverſum ſervulos Dei poteſt ſuperbus eſſe , qui adverſus Deum ſe exaltat, & dicit : *In cælum aſcendam : ſuper ſidera cœli ponam ſedem meam ; ſedebo in monte excelſo , ſuper montes altos , qui ſunt ab Aquilone : aſcendam ſuper nubes,* Inſtigante diabolo collapſum genus humanum in primis parentibus.

& ero ſimilis Altiſſimo. Quid igitur mirum, ſi gravare homines poſſit, qui pervicaci ſpiritu nec Deo cedit?“ Prima ſtatim veteris Teſtamenti pagina exponit deplorandum illum, nobisque pariter funeſtum, primorum parentum noſtrorum lapſum, aſtu ac invidia antiqui ſerpentis decepta matre noſtra EVA. „Lividus ille criminator (ut cum S. ZENONE *Veronenſi* lib. I. Tr. 12. de Spiritu S. loquar) qui, quod ſenſim ſerpat, ſerpentis nomen accepit, deteſtabili accenſus invidia, eum, qui per ſe non valebat, aliena forma blanditus per mulierem, transgreſſionem præcepti Dei perſuadendo miſerabiliter iugulavit: & exinde hæreditaria conditione confectum, uniformiter interibat omne genus humanum.“ Sic enimvero diro huic hoſti obnoxii facti, a Chriſto quidem liberati ſumus, ut tamen ab eius aſtutia & inſidiis tanto minus tutos nos præſtemus, quo magis earum ſumus incurii. *Timeo autem*, inquit apoſtolus, *ne ſicut ſerpens* HEVAM *ſeduxit aſtutia ſua, ita corrumpantur ſenſus veſtri & excidant a ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto.* Id quod ſciolis hodie accidit illis, qui ſusque deque habita doctrina ſcripturæ & traditionis, faſcinantur ab ipſo illo *ſophiſta mortis* (appoſite S. GREGORIUS *Nazianzenus* diabolum compellat in carmine CXCIII. *de bello quod movent dæmones*, quod legitur in noviſſima Bibliotheca PP. quæ prodit *Venetiis*) ut diabolum ante tempus rebus humanis excludant tantum opinione ſua, non vero fide & virtute Chriſti, ut præſcribit liturgia. Aliter omnino ORIGENES in illo ipſo opere, quo creationem mundi, qualis a MOYSE deſcribitur, non eſſe ad litteram accipiendam ſtatuit, ſciſcit, peculiare caput ſecundum lib. III. de Principiis, inſcriptum *de contrariis poteſtatibus* ita exorſus: „Videndum nunc eſt ſecundum ſcripturas, quomodo contrariæ virtutes, vel ipſe diabolus reluctantur humano generi provocantes & inſtigantes ad peccatum. Et primo quidem in *Geneſi* ſerpens EVAM ſeduxiſſe ſcribitur: de quo in Aſcenſione MOYSI, cuius libelli meminit in epiſtola ſua apoſtolus IUDAS, MICHAEL archangelus cum diabolo diſputans de corpore MOYSI, ait a diabolo inſpiratum ſerpentem cauſam extitiſſe prævaricationis ADÆ & EVÆ.“

T. V. Bibl. PP. edit. Venet. pag. 125. — *2. Cor. XI. 3.* — *T. VI. pag. 403.* — *T. I. Opp. p. 138.*

Antiquior de dæmonibus doctrina, etiam apud gentiles.

III. Pergit ORIGENES poſt apocryphum illum librum, græce *ἀνάληψις* ſeu *ἀνάβασις Μωύσεως* inſcriptum, veteris & novi Teſt. accumulare teſtimonia in eam etiam ſententiam, quam alibi aſtruit, *ex angelorum cum mulieribus coitu, dæmones natos*, ut rem exprimit S. IUSTINUS M. S. IRENÆUS vero *Temporibus* NOE, inquit, *iuſte diluvium inducens* (induxit Deus) *uti extingueret peſſimum genus eorum, qui tunc erant hominum, qui iam fructificare Deo non poterant, cum angeli transgreſſores commixti fuiſſent eis.* Add. nota in eundem locum, MILLESII item ad S. CYRILLI *Hieroſolym.*

Apol. I. p. 44 — *Lib. IV. contra hær. c. 36. p. 279.*

Catech.

Catech. II. demum P. *A. Auguſt.* Toutte'e diſſert. III. c. 5. *De Doctrina* S. Cyrilli: ubi magno numero loca ſcriptorum quatuor priorum eccleſiæ ſæculorum citat, qui cum diabolum ab initio & ante hominis peccatum lapſum eſſe fateantur; dæmones ex bonis angelis paullo ante diluvium duntaxat factos, & amore mulierum corruptos, felicitatem ſtatus ſui amiſiſſe docent. *p. 22. edit. Oxon. p. CLXIV.*

Hæc autem eo tantum a me afferuntur, ut pateat, ſicubi apud ſcriptores *Iudaicos* Iosephum, Philonem, Maimonidem dæmonibus qualiſcunque demum naturæ tribuuntur malignitates, ex ſententia vero veterum philoſophorum Pythagoræ, Platonis &c. atque ſecundum ſuperſtitionem gentilium vox δαίμων, δαιμόνιον, *vaga* quadam notione accipitur, id ſanæ de dæmonurgia doctrinæ necquicquam adverſari. Confuderint gentiles dæmones ac Heroas ſuos ſeu ſemideos, ipſosque deos; eorum ſub ſchemate cacodæmones cultos ab eis fuiſſe ſcriptura & SS. Patres uno ore fatentur. Pythagoræ fuit ſententia, teſte Diogene *Laertio*, totum aëra plenum eſſe animis, eosque & dæmones, & Heroas exiſtimari, atque ab his hominibus immitti ſomnia, & ſigna, atque morbos, neque ſolum hominibus, verum & pecudibus ac iumentis reliquis: tum etiam ad hos referri luſtrationes, & expiationes, divinationem omnem & vaticinia, & cætera id genus. Multa eam in rem B. Theodoretus ſermone *de angelis, diis, dæmonibus* ex philoſophis colligit, Porphyrio imprimis, *peſſimos dæmones ſibi deos feciſſe, magicasque impoſturas ab eis perdoctos, ſacrificiis illos aliisque ritibus coluiſſe.* Facit huc eiusdem Sermo VII. *de Sacrificiis*, tum X. *de veris & falſis Oraculis.* De dæmonibus prope exordium ſic effatur: „Relicta enim, quam ſortiti fuerant, ſtatione, & mitiſſimum creatoris fugientes dominatum, tyrannidem rapuerunt, divinumque nomen involantes, Deos ſe ſe ipſi appellarunt, & divinum ſibi cultum ut tribuerent, ſtultis hominibus perſuaſerunt. Deinde ut arreptam tyrannidem confirmarent, futura etiam ſe noſſe, ac prædicare gloriati ſunt, faciles captu homines hac potiſſimum ratione in fraudem impellentes. Quamobrem fallaciæ officinas ubique terrarum erexerunt, & divinatorias præſtigias excogitarunt, eorumque, qui ex farina, ex pectore, ex mortuis vaticinantur, & Caſtaliæ fontem &c. Fuiſſe vero (pergit) hæc oracula malignorum dæmonum, qui Dei ſibi nomen uſurparant, ſatis magno eſt argumento taciturnitas, qua nunc premuntur. Etenim poſtquam Salvator noſter in carne apparuit, fugam arripuerunt, qui hos dolos hominibus invexerant, divini luminis ſplendorem ferre non valentes.“ *Lib. VIII. T. IV. Opp. p. 516. Ib. p. 581. ſeq. p. 623.*

Citat deinde Plutarchi *de Oraculis, quæ defecerunt* librum: paſſimque ſancti Patres adveniente Chriſto amiſſam virtutem dominatumque in orbe

 humano

Comment. in Eſaiam lib. I. orat. IV. T. II. Opp. p. 103.

humano gentilibus obiiciunt. „ Priusquam enim (ut verbis utar S. CYRILLI *Alexandrini*) Verbum caro factum eſſet, ille dæmon, ille exitialis, ille draco, ille defector orbem terrarum occupabat, & creatura præ creatore & conditore adorabatur: at ubi factus eſt homo unigenitum Dei Verbum, omnis terra maieſtate eius repleta eſt." *Iulius Firmicus* MATERNUS *de errore profanarum religionum*, a quo ipſe ad religionem chriſtianam converſus, commentarium hunc CONSTANTIO & CONSTANTI Augg. inſcripſit, huc oraculum *Iſaiæ* XXVII. de interfecto dracone interpretatus: „ Mihi credite (ait) nihil prætermiſit diabolus, quod hominem miſerum aut debilitaret, aut perderet: ideo ſe ſe in omnes formas multiplici diverſitate convertit; ideo ſe diverſi generis calliditate compoſuit, ut variis ac multiplicibus fraudibus homines irretitos interimeret. Sacra ſua perditus carnifex, pro nefas, per lignum ſemper renovari diſpoſuit: ut quia ſciebat ita fore, ut ligno crucis affixa vita hominis perpetuæ immortalitatis compagine ſtringeretur, ideo perituros homines ex ligni imitatione deciperet &c."

T. V. Bibl. PP. ed. Ven. p. 35.

In ſacris ſcripturis exempla dæmonurgiæ.

IV. Accipitur huc etiam virga MOYSIS, qua in *Ægypto* portenta iuſſu Dei patravit, ſuisque præſtigiis magi ſunt æmulati. Ad rem ipſam vero, dum arte dæmonica factum eſt, perinde eſt, ſive illuſiones ac offuciæ tantum fuerint ex parte magorum, ſive magorum virgæ revera converſæ fuerint in ſerpentes, ut poſt S. AUGUSTINUM S. THOMAS rem explicat; alibi etiam de pythoniſſa SAULI SAMUELEM repræſentante agens; fruſtraque eam ob rem ORIGENI in 1. *Reg. XXVIII.* EUSTATIUS *Antiochenus* dicam ſcripſit ſingulari *de Engaſtrimytho* diſputatione. Quin imo inde, quod mulier SAULEM eraſiſſe magos & ariolos de terra dicat, palam fit, inter ipſos *Iudæos*, quo tempore cultum veri Dei ſunt ſecuti, fuiſſe, qui artibus magicis eſſent dediti. Ne quid de IOSIA rege dicam, qui, ut 3. *Reg. XXIII.* 24. laudatur, pythones & ariolos, aruſpices item cum ceteris abominationibus gentium tulit, *incantationibus* (rem verbis S. CYRILLI *Alex.* in libro de recta in D. N. I. Ch. fide, inter acta Concilii *Epheſini* relato, exprimo) *& falſis divinationibus omnibus e medio ſublatis ac inanibus dæmoniacæ impoſturæ ludibriis profligatis, regnum apprime nobilitatum ſummaque apud veteres ac recentiores omnes, qui ea, quibus divina mens oblectatur, colere didicerunt, laude & admiratione dignum reliquit.* S. GREGORIUS in illud *Iob* II. 7. *Circuivi terram, & perambulavi eam*: „ Ab ADAM quippe (inquit) ad adventum Domini omnes poſt ſe gentium nationes traxit. Circuivit terram & perambulavit: quia per corda gentium iniquitatis ſuæ veſtigia impreſſit. Cadens enim a ſublimibus humanas mentes iure

De potentia q. 6. art. 5. ad 8. P. I. q. 89. & alibi.

1. Reg. 28, 9.

T. III. Conc. ed. Labb. p. 47.

poſſedit,

poſſedit, quia in culpæ ſuæ vinculo volentes adſtrinxit: tantoque latius in mundo vagatus eſt, quanto a reatu quisque illius liber per omnia inventus non eſt. Cui quaſi ex poteſtate mundum circuiſſe eſt, nullum hominem qui ſibi plene reſiſteret, inveniſſe.“ Ideo mox de Iob dicitur, *quod non ſit ei ſimilis in terra.*

Facit ad præſens argumentum cumprimis Iobi hiſtoria, quidquid etiam in ea parabolicum eſſe videatur proſopopœicumque, aut abſonum in locutione Dei cum diabolo, quod S. Gregorius, & ante eum Euſebius *de incorporali & inviſibili Deo* (poſtquam etiam illud *Zachar.* III. quo diabolus Iesu ſummo ſacerdoti aſtitiſſe narratur, *ut adverſaretur ei*, expoſuerat) apte his verbis explicat: „Nec enim illud putemus, ſicut & putamus, quia & in Iob libro diabolus aderat ante conſpectum Dei, & locutio erat Dei cum diabolo ex æqualitate. *Et dixit Dominus, & dixit diabolus & interrogavit Dominus diabolum unde veniſti?* Sed hæc ad auditionem veſtram velut compoſita inducuntur. Totum autem illud eſt, quomodo Iob quidem erat vir irreprehenſibilis, diabolus autem invidus. Ad huiusmodi & Deus defenſor horum permiſit diabolum ante conſpectum ſuum. Sed hoc ita eſt. Vidit diabolus immaculatum: properavit imponere maculam. Quæcumque enim motiones erant diaboli adverſum Iob, hæc per ſermones contexuntur in ſcriptura; utpote ſic dicebat diabolus ad ſemetipſum: ſi non timerem Deum, tangerem omnia, quæ habet Iob: abſtulit ab eo Deus timorem, & non prohibuit. Contexitur iam compoſitio libri. Dixit diabolus, & dixit Deus. Hoc eſt, voluit diabolus, & non prohibuit Deus. Cur autem non prohibuit? quia non invidebat Deus athletæ coronam.“ *T. IV. Bibl. PP. ed. Ven. p. 499.*

V. Faceſſant, qui Dei ſanctitati non ſatis convenire exiſtimant, ut tentare permittat homines etiam ſanctos, Deoque charos, qualis erat Iob, cui, ipſo Deo teſtimonium perhibente, *non erat ſimilis in terra, homo ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo.* Et ſiquidem hoc Iobi exemplum appoſitum ſatis non videatur, maius proſtat ipſius Chriſti IESU filii Dei, qui ductus eſt *a Spiritu*, ſancto utique, *in deſertum, ut tentaretur a diabolo*, ad noſtrum ſcilicet exemplum & præſidium: ut nos ad pugnam cum adverſario excitaret, atque pro nobis ipſe triumpharet de hoſte, & qui in primo Adam vicerat, in ſecundo vinceretur; neque a nobis alienum exiſtimemus impugnari a diabolo, qui Chriſtum hominem exiſtimans, ſeu, an filius Dei eſſet, experiri cupiens, repetita pugna eſt aggreſſus. „Nam (ſunt S. Leonis P. verba) a quo dolos ſuos contineat, qui ipſum quoque Dominum maieſtatis auſus eſt callidita-

Exemplum Chriſti.

Iob 1, 8.

Matth. 4.

Serm. XL. in Quadr. III. p. 40.

tis ſuæ fraude tentare? Viderat ſuperbiam ſuam baptizati Domini IESU humilitate calcatam: intellexerat quadraginta dierum ieiunio omnem cupiditatem carnis excluſam, & tamen non deſperavit de artibus ſuæ malitiæ ſpiritualis improbitas, tantumque ſibi de naturæ noſtræ mutabilitate promiſit, ut quem verum experiebatur hominem, præſumeret poſſe fieri peccatorem. Si ergo ab ipſo Domino & Salvatore noſtro deceptionum ſuarum diabolus non revocavit inſidias: quanto magis fragilitatem noſtram impugnare præſumit, quos exinde vehementiore odio & invidia ſæviore perſequitur, ex quo ei in baptiſmo renunciavimus, & ab illa, cui dominabatur, origine, in novam creaturam divina regeneratione transivimus."

Nolim hic eam diſceptare controverſiam, quomodo aſſumpſerit diabolus Chriſtum in ſanctam civitatem, ſtatueritque ſuper pinnaculum templi, an per aërem, ut bonus angelus HABACUC crinibus arreptum a *Iudæa* in
Act. 8, 39. *Babylonem* in veteri teſtamento, in novo autem PHILIPPUM diaconum celerrime transtulit *Azotum*; an eo modo, quo apud eundem MATTHÆUM
Matth. 17. & LUCAM IESUS PETRUM & IACOBUM & IOANNEM aſſumſiſſe & duxiſſe
Luc. 9, 28. in montem dicitur.

Ubi quod ſequitur, ad rem probe notandum, *conſummata omni tentatione diabolum* receſſiſſe *ab illo uſque ad tempus*. Quem in locum S. AMBROSIUS commentans „Prope omnium (inquit) criminum fontes hæc tria genera demonſtrantur eſſe vitiorum. Neque enim conſummatam omnem
n. 35. *T. II. Opp. p.* 835. tentationem ſcriptura dixiſſet; niſi in his tribus eſſet omnium materia delictorum, quorum ſemina in ipſa origine ſunt cavenda." Id vero, quod additur, in iugi cum diabolo conflictu nos animare, ac vigiles reddere debet. „Vides ergo (pergit paullo poſt S. Pater) ipſum diabolum non eſſe in ſtudio pertinacem, cedere ſolere veræ virtuti. Et ſi invidere non deſinat, tamen inſtare formidat, quia frequentius refugit triumphari. Audito itaque Dei nomine *receſſit*, inquit, *uſque ad tempus*; poſtea enim non tentaturus, ſed aperte pugnaturus advenit." Nempe alios ad perſequendum, crucifigendumque Chriſtum Domini inſtigaturus, cuius rei exemplum, iam
n. 36. *T. I. Opp. p.* 241. morti tradito Chriſto, addit ORIGENES citato paullo ante loco: „Per contrariam vero (inquit) diaboli virtutem memoriæ Pontificum & Scribarum putandum eſt ſuggeſtum illud, quod venientes ad PILATUM dixerunt: *Domine recordati ſumus, quomodo ſeductor ille dixit, dum adhuc viveret, quia poſt tertiam diem reſurgam.* Sed & IUDAS, quod de proditione Domini Salvatoris cogitavit, non fuit a ſola mentis eius malitia veniens. Teſtata eſt enim ſcriptura, quia *diabolus iam miſiſſet in cor eius, ut traderet eum.* Propter quod & SALOMON recte præcepit, dicens: *Cum diligentia ſerva*

cor

Digitized by Google

cor tuum. Et Paulus apoſtolus ait: *Amplius debemus intendere his, quæ audivimus, ne forte effluamus.* Et cum dicit: *Nolite locum dare diabolo,* oſtendens per hoc, quia certo opere, vel certa quadam deſidia animi locus diabolo datur, ut ſi ſemel ingreſſus fuerit cor noſtrum, aut obtineat nos, aut certe vel polluat animam, ſi non penitus obtinere potuerit, cum ignita ſua iacula iactat in nos: quibus aliquando quidem in altum deſcendente vulnere ſauciamur, aliquando vero tantummodo inflammamur. Raro certe & paucis quibusdam hæc eius ignita iacula reſtinguuntur, ita ut locum vulneris non inveniant, id eſt, cum quis munitiſſimo & validiſſimo ſcuto fidei fuerit obtectus: *Quia non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus principatus & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum, adverſus ſpiritalia nequitiæ in cæleſtibus:* Epheſ. 6, 12. ita oportet intelligi, quod dixit, *nobis*: id eſt, mihi Paulo, & vobis *Epheſiis*, & quibuscumque non eſt colluctatio cum carne & ſanguine. His enim certamen eſt adverſus principatus & poteſtates, adverſus mundi huius rectores tenebrarum, non ſicut erat *Corinthiis*, quibus certamen adhuc adverſus carnem & ſanguinem erat, quos tentatio non apprehenderat niſi humana." At in agone chriſtiano quis adeo perfectus ſit, ut, ſicut Chriſtum, non audeat ſatanas aggredi tentatione carnis, ſeu interna, ſed externa tantum. Ex athletis Chriſti fortiſſimus erat Paulus, cui tamen adhuc datus eſt ſtimulus carnis, angelus ſatanæ, qui eum colaphizet. Sic econtra intelligitur illud Chriſti: *Venit princeps mundi huius, & in me non habet quidquam.* Io. 14, 30.

VI. Alibi equidem dixit Chriſtus, nunc principem huius mundi eiiciendum foras, quin tamen nos contra eius inſidias reddiderit ſecuros, ut ex apoſtolo modo audivimus, eſſe nobis colluctationem *adverſus principes & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum.* Eiusque fidelis comes in apoſtolatu S. Barnabas ſimiliter nos in ſua epiſtola monet: *Cum ſint ergo dies nequiſſimi, & contrarius habeat huius ſæculi poteſtatem, debemus attendentes inquirere æquitates Domini.* Et S. Ignatius M. qui in epiſtola ad *Epheſios* n. 19. dicit *principem huius ſæculi* latuiſſe Mariæ virginitatem, *Philadelphenos* hortatur: *Fugite igitur malas artes, & inſidias principis huius ſæculi; nequando ſententia ipſius oppreſſi, in caritate langueatis.* S. Irenæus in libris contra hæreſes multis perſequitur deliria hæreticorum, qui anteſignano Simone *mago* poſt mortem tamen apoſtolorum catervatim proruperunt, uni Creatori cœli & terræ varios Eonas, ac demiurgos opponentes. Inter hos quidem celebrior poſt alios Marcion medium inter Deum inviſibilem, creatoremque mundi viſibilem iuſtum, diabolo maligno tribuit locum iuxta Tertullianum, qui *munditenentem*

Principes mundi huius, & rectores tenebrarum harum.

T. I. Pat. apoſt. p. 56.

Ib. T. II. p. 16.

Ib. p. 32.

ac

p. 484. ac ſocios poteſtates *munditenentes* ex mente *Marcionitarum* vocat lib. V. c. 18. S. Pauli vindicans *Epheſ.* VI. 12. modo citatum locum, quem præ oculis habens Tertullianus: „Sed (ait) adverſus munditenentes luctatio ſi nobis, o quanti iam dii creatores! cur enim non & hoc vindicem, unum munditenentem nominari debuiſſe, ſi creatorem ſignificabat, cuius eſſet, quas præmiſit poteſtates? Porro cum ſupra quidem induere nos iubeat armaturam, in qua ſtemus ad machinationes diaboli? Iam oſtendit diaboli eſſe, quæ diabolo ſubiungit, poteſtates & munditenentes tenebrarum iſtarum, quæ & nos diabolo deputamus.“

Lib. I. de princ. c. 5. T. II. Opp. p. 246. Dubitat equidem Origenes, an princeps huius mundi diabolus ſit, ſive quis alius; ſed id eo modo intelligi poteſt, quo S. Chrysostomus ſingulari homilia diſputat *adverſus eos, qui dicunt, dæmones gubernare res humanas &c.* non quod non præſint malitiæ humanæ, omnique conatu incumbant ad vias Domini rectas ſubvertendas, homines in tentationem inducendo: „Iactante animas ſatana (ut cum S. Macario loquar) & cribrante cribro, hoc eſt, rebus terrenis, omne genus humanum peccato obnoxium a tempore lapſus Adæ, qui transgreſſus mandatum in principis malitiæ poteſtatem venit. Qua ille accepta perpetuis fraudum & perturbationum cogitationibus cribrat, & collidit cribro terræ omnes filios huius ſæculi. Quemadmodum enim in cribro triticum a cribrante alliditur, & in eo agitatum continue convertitur: ſic princeps malitiæ terrenis rebus detinet homines, iisque eos agitat, conturbat ac commovet, & ut allidantur cogitationibus vanis, cupiditatibus turpibus, ac vinculis terrenis & mundanis, efficit, absque ulla intermiſſione captivans, perturbans, & ineſcans omne genus Adæ peccato obnoxium: quemadmodum Dominus apoſtolis futuram principis nequitiæ adverſus eos inſurrectionem prædixit: *Expetivit ſatanas vos ad cribrandum ſicut triticum &c.*“ Idem in libro *de Patientia & Diſcretione* c. 3. quomodo diabolus princeps huius mundi effectus ſit, in eandem declarat ſententiam: „Cum decepiſſet (inquit) Adamum inimicus, & ſic eum Domino ſuo ſubiugaſſet, eripuit ei, quam prius habebat, poteſtatem, ita princeps huius ſæculi declaratus eſt. Princeps ſiquidem huius ſæculi, & dominus omnium viſibilium homo ab initio fuerat a Deo conſtitutus. Non enim ipſi prævalere ignis poterat, non eum aqua demergere, non illi fera nocere, non ſuum in eius membra venenum noxium quodvis animal diffundere. Ex quo autem deceptioni ſuccubuit, prodidit deceptori principatum ſuum. Propter quam cauſam magi & præſtigiatores, per adverſariam efficaciam mira Deo ſic permittente operantur, venenatis dominantes beſtiis, ignemque, &, aquas ſine noxa ſubeuntes,

Hom. I. T. I. Opp. p. 73.

Luc. 22, 31.

T. II. Opp. p. 72.

ut

ut IANNES & MAMBRES adverſarii MOSIS: ut SIMON principi apoſtolorum PETRO ſe ſe auſus eſt opponere."

Aliam huius principatus cauſam & originem prodit S. GAUDENTIUS *Brixienſis*: „Diabolus huius mundi princeps uſurpatione dicitur, non natura. Etenim ſeducens humanum genus, ut derelicto Deo ipſum ſatanam per ſimulacra coleret manufacta, principatum violenter tenuit, & exercuit tyrannidem in tantum, ut venientem verum principem ſuum non recognoſceret mundus, ipſius quippe diaboli præſtigiis obcæcatus. *Nam in hoc mundo erat Chriſtus*, ut evangeliſta teſtatur, *& mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit. In propria venit, & ſui non receperunt eum.* Paſſus eſt ergo Dominus ſe huius mundi iudicio iudicari, ad hunc hoſtem generis humani præcipitandum, ſive expellendum." S. AUGUSTINUS Enarrat. in pſal. CXLI. ſic explicat, quis ille mundus ſit, cuius rectores ſint dæmones, ut palam fiat, quomodo etiamnum ſint principes mundi, & rectores tenebrarum harum: „Cœlum & terra mundus dicitur, & homines mali mundus. Quare & iſti mundus? Quia diligunt mundum: & ideo tenebræ, quia impii. Ideoque iam ex ipſo numero credentibus multis, quid dicit apoſtolus? *Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Antequam eſſetis ergo lux, cum tenebræ eſſetis, attendite, quem rectorem habuiſtis. Quem rectorem habent iniqui, niſi diabolum, quomodo pii & fideles rectorem habent Chriſtum. Ergo diabolum & angelos eius rectores mundi appellavit, id eſt rectores dilectorum mundi, rectores peccatorum, quod eſt tenebrarum harum: ipſos habemus inimicos, a quibus debemus deprecari Dominum, ut eruamur." Et paullo poſt: „Non mundus, qui factus eſt per IESUM, ab illis principibus & poteſtatibus tenebrarum regitur; ſed mundus, qui non cognovit IESUM, id eſt dilectores mundi, peccatores, iniqui, ſuperbi & infideles. Unde mundus peccatores? Quia diligunt mundum, & diligendo inhabitant mundum: quomodo domus dicitur, & fabrica, & inhabitantes." Non igitur abſolutum tenent principatum, aut vi noſtri dominantur: „Non quod hoc ſint, quod dicuntur (ut cum ELIA *Cretenſi* loquar) ſed quia nos ſponte noſtra, dum nos ipſos eis ſubiicimus, principes noſtros eos conſtituimus, quamvis alioquin a Domino Chriſto eos conculcandi poteſtatem acceperimus. *Ecce enim*, inquit, *dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones.*"

T. IV. Opp. p. 1585. ſeq.

T. IV. pag. 1585.

Comment. in orat. I. S. Gregorii Naz.

VII. Eſt vero hic *Luc.* X. 19. locus: *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit:* ut palam ſit, de illo ſerpente antiquo rem potiſſimum eſſe, qui

Quomodo diabolus eiectus eſt foras.

T. V. Bibl. PP. p. LI. qui etiamnum graſſatur ab origine mundi. Apud S. Iacobum *Niſibenum* ſerm. VI. *de Devotis* ita locus redditur ex *Armenico*: *Ecce do vobis poteſtatem calcandi omnes virtutes inimici.* „Et manifeſtum faciunt ſcripturæ (pergit S. Pater) quod ſint ei exercitus & nequitiæ miniſtri; quibus ſicuti adverſus Iob poteſtatem ei fecit Deus, ut pugnaret; ita nunc eos dimittit ad currendum per hunc mundum, & bellum eius gerendum: tamen nequaquam bellat palam, quia data eſt poteſtas contra eum tempore adventus Domini noſtri; ſed rapiendo rapit, & furando furatur.“ S. Cyrillus *Hieroſol.* Catech. III. de baptiſmo Chriſti in *Iordane* n. 1. p. 45. „Draco (inquit) iuxta Iobum in aquis erat, qui *Iordanem* ore ſuo recipiebat. Cum igitur confringenda forent capita draconis, deſcendens in aqua alligavit fortem, ut acciperet poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones. *Apoc. 12, 9.* Nempe *proiectus eſt draco ille magnus*, *ſerpens antiquus*, *qui vocatur diabolus & ſatanas*, *qui ſeducit univerſum orbem*: *& proiectus eſt in terram*, *& angeli eius cum illo miſſi ſunt. Et audivi vocem magnam in cælo dicentem*: *Nunc facta eſt ſalus & virtus*, *& regnum Dei noſtri*, *& poteſtas Chriſti eius*: *quia proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum*, *qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte.* Hæc Ioannes in *Apocalypſi*, qui brevius rem colligit 1. Epiſt. III. 8. *In hoc apparuit filius Dei*, *Coloſſ. 1, 12. 13.* *ut diſſolvat opera diaboli.* Et Paulus gratias vult agere *Coloſſenſes* Deo Patri, *qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum*, *& tranſtulit in regnum filii* *2, 15.* *dilectionis ſuæ . . . Et exſpolians principatus & poteſtates traduxit confidenter*, *palam triumphans illos in ſemetipſo.* Ne vero videamur nos tan- *Epheſ. 6, 11.* tum otioſos ſpectatores eſſe debere, *Epheſios* hortatur: *Induite vos arma-* *v. 16.* *turam Dei*, *ut poſſitis ſtare adverſus inſidias diaboli.* Et mox *In omnibus*, inquit, *ſumentes ſcutum fidei*, *in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ig-* *T. V. Bibl. PP. p. 151.* *nea extinguere.* Quem utrumque apoſtoli locum copulans S. Zeno *Veronenſis* ad Neophytos poſt baptiſmum *de duodecim ſignis* ſc. Zodiaci: „Is enim (commentatur) infelicibus nonnunquam immittit *Capricornum* vultu deformem, & per cornu exilioris labra liventia ſpumantibus venis ebulliens palpitante ruina captivi tota miſerabiliter per membra deſævit. Alios amentes, alios furioſos, alios homicidas, alios adulteros, alios ſacrilegos, alios avaritia efficit cæcos. Longum eſt ire per ſingula: varias atque innumerabiles nocendi artes habet, ſed has omnes ſalutari profluens amne non magnopere (*magno opere*) noſter *aquarius* delere conſuevit.“ Ad baptiſmi nimirum virtutem refert, poſtquam diabolo renunciavimus, & Chriſto nomen dedimus, qui devicit diabolum: „Quid igitur ſtans (ait Cyrillus *p. 307.* *Hieroſol.* Catech. I. Myſtag.) dixit veſtrum unusquisque? *Abrenuncio tibi ſatana*: tibi maligno ac diriſſimo tyranno. Non amplius ais, vim tuam formido,

formido : hanc enim diſſolvit Chriſtus, ſanguinis & carnis mecum particeps factus ; ut per hæc mortem morte aboleret, ut ne perpetuo obnoxius eſſem ſervituti. *Abrenuntio tibi* callido & vaferrimo ſerpenti. *Abrenuntio tibi*, qui inſidiator es, & omnem ſimulatione amicitiæ iniquitatem peperiſti, priusque noſtris parentibus defectionem inſpiraſti. *Abrenuntio tibi ſatana*, cuiusvis improbitatis & auctori & adminiſtro.“ Hinc ſancti Patres ſtudioſe tempora ante & poſt Chriſtum, & perſonas ſeu homines a Chriſto alienos, vel ei per baptiſmum deditos diſtinguunt, quando de operationibus illuſionibusque dæmoniacis eſt quæſtio.

Auctor Quæſtionum & Reſponſ. ad orthodoxos inter opera S. Iustini ad hanc quæſt. lxxxi. „ Si ſeductio omnis Chriſti præſentia ſublata eſt, quomodo per eos, qui ventriloqui dicuntur, dæmones loquuntur? Quomodo autem non vilem & aſpernabilem efficiunt religionem chriſtianam, cum in corporibus Chriſtianorum & ſeductionis edunt opera, & divinationis proferunt reſponſa? *Reſp*. Si ſecundum ſcripturæ dictum : *Nondum omnia ei ſubiecta ſunt*, donec abrogaverit omnem principatum & poteſtatem; manifeſtum eſt, nondum ſublatam eſſe omnem dæmonum poteſtatem ; ſed qui in Chriſtum credunt, in his omnis dæmonum ſublata eſt ſeductio : qui autem nondum in Chriſtum credunt, in his dæmones ſeductionem operantur. Ac præſtigiæ, quibus ventriloqui utuntur, ut loquantur & agant divinationis opera & reſponſa, non ſunt vera corpora, ſed illudunt dæmones oculis ſpectantium, ut quæ non ſunt corpora, ea tanquam corpora videant.“ De quibus omnibus, circa ea etiam, quæ Chriſtianos ipſos attinent, atque in quæſtione quidem ponuntur, in reſponſione autem non attinguntur, ſingillatim, quid ſenſerint SS. Patres, paullo poſt exponemus : tum genuinus etiam S. Iustinus in Apolog. & dialogo cum Tryphone contra gentiles & *Iudæos* religionis chriſtianæ veritatem ex hac Chriſti contra dæmones victoria poteſtateque in Eccleſia relicta evincit, iuxta id Chriſti Domini effatum : *Nunc iudicium eſt mundi : nunc princeps huius mundi eiicietur foras.*

Append. p. 472.

Ioan. 12, 31.

S. Gaudentius *Brix.* hic ſingularem vim notat in textu *græco* ſerm. ſingulari in hunc locum : „ Sive (inquit) expelletur foras, ut in *græcis* exemplaribus legimus. Erat enim paſſio Chriſti expugnatio futura diaboli.“ Et paullo poſt : „ Significanter plane in *Græco* poſitum eſt ἐκβληθήσεται ἔξω, id eſt *eiicietur*, ſive *expelletur foras*; ut etiam de animis credentium iam cœleſtibus, tanquam de cœlis, noſceretur eſſe pellendus ; ut ſcilicet expulſo eo, Chriſtus Dominus regnaret in nobis. Quapropter adiecit : *Et ego ſi exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipſum.*“ S. Augustinus in hunc locum commentans Tract. LII. in Ioan. quæſtionem movet : „ Numquid de cor-

Serm. XII.

T. III. P. II. Opp. p. 641.

 dibus

Digitized by Google

dibus patriarcharum & prophetarum, veterumque iuſtorum non eiectus eſt foras? (reſpondetque:) Eiectus eſt plane. Quomodo ergo dictum eſt, *nunc eiicietur foras?* Quomodo putamus, niſi quia tunc, quod in hominibus pauciſſimis factum eſt, nunc in multis magnisque populis iam mox futurum eſſe prædictum eſt." Sed quomodo ex fidelium cordibus ſit eiectus audiamus, quid teneat ad propoſitum; „Quid ergo (ait) quispiam, quia diabolus de credentium cordibus eiicietur foras, iam fidelium neminem tentat? Imo vero tentare non ceſſat. Sed aliud eſt intrinſecus regnare, aliud forinſecus oppugnare: nam & munitiſſimam civitatem aliquando hoſtis oppugnat, nec expugnat. Et ſi aliqua tela eius miſſa perveniunt, admonet apoſtolus, unde non lædant, commemorat loricam & ſcutum fidei. Et ſi aliquando vulnerat, adeſt qui ſanat. Quia ſicut pugnantibus dictum eſt, *Hæc ſcribo vobis, ut non peccetis*; ita, qui vulnerantur, quod ſequitur audiunt, *Et ſi quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem IESUM Chriſtum iuſtum, ipſe eſt propitiatio peccatorum noſtrorum.* Quid enim oramus cum dicimus: *Dimitte nobis debita noſtra,* niſi ut vulnera noſtra ſanentur? Et quid aliud petimus cum dicimus: *Ne nos inferas in tentationem*; niſi ut ille qui inſidiatur, vel certat extrinſecus, nulla irrumpat ex parte, nulla nos fraude, nulla nos poſſit virtute ſuperare? Quantaslibet tamen adverſum nos erigat machinas, quando non tenet locum cordis, ubi fides habitat, eiectus eſt foras. *Sed niſi Dominus cuſtodierit civitatem, in vanum vigilabit, qui cuſtodit.* Nolite ergo de vobis ipſis præſumere, ſi non vultis foras eiectum diabolum intro iterum revocare."

Quomodo ligatus.

VIII. Supereſt iam alius, quo paſſim noviſſimis temporibus maxime abutuntur, locus in *Apocalypſi* IOANNIS XX. videntis *angelum deſcendentem de cælo, habentem clavem abyſſi, & catenam magnam in manu ſua, & apprehendit draconem, ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus & ſatanas, & ligavit eum per annos mille: & miſit eum in abyſſum, & clauſit, & ſignavit ſuper illum, ut non ſeducat amplius gentes, donec conſummentur mille anni: & poſt hæc oportet illum ſolvi modico tempore.* Hunc locum præ oculis habens S. IRENÆUS vicem diabolo redditam declarat ob hominem olim in ſuam redactum poteſtatem: „Quoniam enim (inquit) in initio homini ſuaſit transgredi præceptum factoris, ideo eum habuit in ſua poteſtate. Poteſtas autem eius eſt transgreſſio, & apoſtaſia, & his colligavit hominem; per hominem ipſum iterum oportebat victum eum contrario colligari iisdem vinculis, quibus alligavit hominem, ut homo ſolutus revertatur ad ſuum Dominum, illi vincula relinquens, per quem ipſe

Lib. V. contra hæreſ. c. 21. p. 319.

fuerat

fuerat alligatus, id eſt, transgreſſionem. Illius enim colligatio ſolutio facta eſt hominis, quoniam *non poteſt aliquis introire in domum fortis, & vaſa eius diripere, niſi primum ipſum fortem alligaverit.* Contraria ergo in ſermone eius qui omnia fecit, Dei, traducens eum Dominus & ſubiiciens per præceptum; (præceptum autem Dei lex) fugitivum eum homo eius, & legis transgreſſorem, & apoſtatam Dei oſtendens poſtea iam Verbum conſtanter eum colligavit, quaſi ſuum fugitivum, & diripuit eius vaſa, id eſt, eos, qui ab eo detinebantur, homines, quibus ipſe iniuſte utebatur. Et captivus quidem ductus eſt iuſte is, qui hominem iniuſte captivum duxerat; qui autem ante captivus ductus fuerat homo, extractus eſt a poſſeſſoris poteſtate, ſecundum miſericordiam Dei Patris: qui miſeratus eſt plaſmati ſuo, & dedit ſalutem ei per Verbum, id eſt, Chriſtum, redintegrans: ut experimento diſcat homo quoniam non a ſemetipſo, ſed donatione Dei accipit incorruptelam."

Sed quod ad priorem locum Chriſti apud Ioannem diximus, hic etiam eſt rememorandum, otioſis nobis hæc non dici, certam autem in Chriſto manere de hoſte victoriam, ſi ſtrenue contra eum in acie ſteterimus; atque in vanum abire eius terriculamenta: quæ cum ex ſacris paginis libro imprimis Iob expoſuiſſet S. Antonius (ipſe haud raro expertus) in ſermone, quem in eius vita deſcripſit S. Athanasius: „Sed ne has quidem (pergit) eius phantaſias oportet nos, qui fideles ſumus, reformidare: nec eius attendere vocibus. Mentitur quippe, nihiloque prorſus veri loquitur. Nam licet talia & tam multa audacter locutus ſit, quaſi draco a Salvatore hamo tractus eſt; & quaſi iumentum, capiſtrum naribus accepit; ac velut fugitivus nares annulo vinctas habet, & labia armilla perforata, ligatusque eſt a Domino tanquam paſſer, ut illudatur a nobis. Poſiti autem ſunt cum ipſe, tum ſocii dæmones, quaſi ſcorpiones & ſerpentes, ut conculcentur a nobis Chriſtianis. Cuius rei argumentum illud eſt, quod nos iam vitæ inſtituto ipſi adverſario utamur. Nam qui minatus fuerat ſe exſiccaturum mare, & orbem terrarum comprehenſurum, is iam non valet exercitationem veſtram impedire, ſed neque me contra ſe loquentem cohibere." *T. IV. Bibl. PP. p. 638.*

Dabitur deinceps occaſio mentem ipſius S. Athanasii explicandi circa hanc acciſam diaboli poteſtatem; ſiquidem ipſi deſides non ſimus, atque conceſſis nobis averſus eum armis auxiliisque ſtrenue & intrepide utamur. „Sed hæc nos ipſos dicere convenit (ut cum S. Cyrillo *Alexandrino* loquar lib. II. in Isaiam) & velut acclamare ſatanæ exigenti & urgenti, idque acriter. Oppugnat enim cuiusque mentem, eam ab optimis & honeſtis ſtudiis, pietatis inquam& iuſtitiæ avertens, & vi quocunque lubet vel- *T. II. pag. 230. ſeq.*

ut auferens: & ceu rigidus quiſpiam exactor peccati aſſiduitatem & diligentiam requirens a ſingulis. Sed contrivit Deus iugum peccatorum, illud abiiciens, noſque magis ſuoipſius iugo ſupponens, & verberans gentem plaga inſanabili. Quæ eſt autem, vel ubi prorſus eſt hæc gens dæmoniorum, quæ in abyſſum ire iuſſit, & pœnas illas quidem graves inflixit? Clamabant ſiquidem ac dicebant: *Ah quid nobis & tibi, IESU Nazarene? Veniſti huc ante tempus perdere nos?* Et poſtea lib. III. in illud *Luc.* X. *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes &c.*" Calcatus eſt enim (inquit) draco apoſtata, & ſuper aſpidem & baſiliſcum incedimus, qui in auxilio altiſſimi habitare volumus, eſſeque in umbraculo Dei cœleſtis, Chriſti videlicet. "Vides, quomodo & a quibus teneatur vinculis Salvatoris colligatus dæmon, ut nempe penes nos ſit, eum ſic continere, ne nobis noceat, & a bono cohibeat.

Matth. 12, 26. Atque hac ratione ſecundum effatum Chriſti fortis ille a nobis alligatur, quo nos per Chriſtum fortiores ſumus. Protulit Chriſtus non tam parabolam, quam veriſſimam rem ac hiſtoriam, cum a *Phariſæis* argueretur, quod in *Beelzebub* principe dæmoniorum eiiceret dæmonia, ut non ſolum retunderet blaſphemiam, ſed etiam ſe ſe ad deſtruendum regnum diaboli adveniſſe manifeſte oſtenderet plena in diabolum poteſtate, quam etiam ſuis diſcipulis dederat, ac poſt ſe reliquit. (v. 27.) Unde dicit: *Si ego in in Beelzebub eiicio dæmonia, filii veſtri in quo eiiciunt? Ideo ipſi iudices veſtri erunt. Si autem in Spiritu Dei eiicio dæmonia, igitur pervenit in vos regnum Dei. Aut quomodo poteſt quiſquam intrare in domum fortis, & vaſa eius diripere, niſi prius alligaverit fortem, & tunc domum illius diripiet?* „Vide argumenti conſequentiam, ac vim (uti rem declarat (*T. VII. p.* 447.) S. Chrysostomus in hunc locum) quod *non poſſit ſatan ſatanam eiicere*, ex præcedentibus liquet; quod autem non omnino poſſit quis illum eiicere, niſi primum ſuperarit, apud omnes in confeſſo eſt. Quid igitur ex his conficitur? Quod prius dictum, ſed longe validius. Tantum abeſt, inquit, ut adiutore utar diabolo, ut eum etiam impugnem & vinciam, cuius rei ſignum eſt, quod vaſa eius diripiam. Vide quomodo contrarium quam illi ſupra ſtatuere conabantur, demonſtretur. Illi enim oſtendere volebant, ipſum non vi propria dæmones eiicere; ille vero demonſtrat, ſe non modo dæmones, ſed illorum principem ligatum vi detinere, illumque priorem propria poteſtate viciſſe, quod a rebus geſtis comprobatur. Nam ſi hic princeps eſt, cæterique ſubditi, quomodo illo non victo, nec cedente, hi diriperentur? Hic vero videtur mihi prophetia eſſe quod dicitur. Neque enim modo dæmones vaſa diaboli ſunt, ſed etiam homines, qui ſecundum ipſum operantur. Palam eſt igitur hic dici,

eum

eum non dæmones ſolum eiicere, ſed etiam errorem ex toto orbe elimi-naturum eſſe, diabolique præſtigias ſoluturum, & omnia, quæ illius ſunt inutilia redditurum. Neque dixit rapiet, ſed diripiet, declarans, illud cum poteſtate factum eſſe. Fortem autem illum appellat, non quod natura talis ſit. Abſit, ſed priorem ſignificans tyrannidem ex negligentia noſtra ſtabilitam." Alligavit igitur Chriſtus diabolum, ſicut deſtruxit peccatum, ut non iam contrito ſerpentis antiqui capite regnet, atque in Chriſto peccatorum noſtrorum veniam conſequamur: quæ cum nos quotidie accumulamus renati per Chriſtum, quomodo diabolus in malitia ſua obfirmatus quieſcet, deiectus licet ſuo dominatu, quem quam amplum ante Chriſtum tenuerint, res geſtæ loquuntur, paucis vero *Iob* XLI. 24. explicatur: *Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei, qui factus eſt, ut nullum timeret.*

Aliter ſe vero iam res eius poſt Chriſtum habent, poſtquam eius vis eſt fracta, ac direpta vaſa, ita ut facillime a nobis ſuperetur, fortioribus nobis redditis; ut quemadmodum ille antea talis eſſet, ut nullum timeret, ita nunc tam imbecillis ſit, ut a nullo merito timeatur: ad hoc tantum relictus, ut a nobis illuderetur, vinceretur que, quod quibus armis, quam facile fiat, poſtea explicabimus. Ideo enim (inquit S. Chrysostomus contra Ignaviam Hom. III.) illum hic eſſe ſivit, ut te fortiorem redderet, ut ſplendidiorem athletam faceret, ut maiora forent certamina. Si quis igitur dicat, cur diabolum reliquit Deus? Hæc illi reſponde, quia iis, qui vigilant, & ſibi attendunt, non modo nihil nocet, ſed etiam utilis eſt, non arbitrio ſuo, quod malum eſt, ſed illorum fortitudine, qui eius malitia, ut par eſt, utuntur. Siquidem & cum Iobo conflixit, non ut illum clariorem redderet, ſed ut ſupplantaret: ideoque malus eſt, quod tali ſit propoſito ac voluntate: attamen nihil iuſtum læſit; ſed hic potius lucrum ex tali pugna reportavit, ut iam oſtendimus: atque dæmon nequitiam, iuſtus vero fortitudinem exhibuit. At multos ſupplantat, inquies: ob illorum ſcilicet infirmitatem, non autem virtute ſua, ut iam pluribus demonſtratum eſt." S. Augustinus de iuſtis ac electis per Chriſtum in novo teſtamento verba faciens: „Non moveat (inquit) quod ſæpe diabolus ſeducit etiam illos, qui iam regenerati in Chriſto, vias ingrediuntur Dei. *Novit enim Dominus, qui ſunt eius*: ex his in æternam damnationem neminem ille ſeducit. Sic enim novit eos Dominus, ut Deus, quem nihil latet etiam futurorum; non ut homo, qui hominem ad præſens videt (ſi tamen videt, cuius cor non videt) qualis autem poſtea ſit futurus, ne ſe ipſum videt. Ad hoc ergo ligatus eſt diabolus & incluſus in abyſſo, ut iam non ſeducat gentes, ex quibus conſtat eccleſia, quas antea ſeductas tenebat,

T. II. p. 269.

Lib. XX. de Civ. Dei c. 7. T. VII. p. 582.

tenebat, antequam eſſet eccleſia. Nec enim dictum eſt, ut non ſeduceret aliquem, ſed *ut non ſeduceret*, inquit, *iam gentes*, in quibus eccleſiam procul dubio voluit intelligi: *donec finiantur*, inquit, *mille anni*, id eſt, aut quod remanet de ſexto die, qui conſtat ex mille annis: aut omnes anni, quibus deinceps hoc ſæculum peragendum eſt." Sequitur mox ſingulare caput VIII. *de alligatione, & ſolutione diaboli.* Ex quo auctor de promiſſionibus & prædictionibus Dei inter opera S. Prosperi poſt Partem III. c. 4. *de diabolo ligato, & miſſo in abyſſum* hanc notabilem adducit ſententiam verbis paullulum immutatis: „Quantæ autem virtutis, ut ait beatæ memoriæ Augustinus, pollebunt tunc Sancti, qui luctaturi ſunt cum diabolo ſoluto, cum quo ligato tantis periculis dimicatur."

Ib. pag. 583. *pag.* 123.

Solvendus noviſſimis temporibus. *T. I. Opp. p.* 1115.

IX. Id vero noſtris magis congruere temporibus, quod S. Gregorius M. lib. XXXIV. in Iob de ſuis dixit, ipſa mundi ſeneſcentis conditio comprobat: „Extrema mundi atrocius tentaturus aggreditur: quia tanto fit ferventior ad ſævitiam, quanto ſe viciniorem ſentit ad pœnam." Idem apud *Iob* XXIX. in ultima ſui parte ſermonis, ultimum tempus eccleſiæ deſignari ratus eſt: „Quando (inquit) adverſarios ſuos, id eſt carnales quoſque, vel hæreticos atque gentiles, quos nunc ſtudet ſapientiæ auctoritate comprimere, effrenata iactantia elatos cogitur irriſa tolerare. Unde in hoc quoque ſermone dicitur: *Nunc autem deridebant me iuniores tempore, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei.* Et ipſa ordinis ratio expoſcit, ut per verba beati Iob ultima extremi ſanctæ eccleſiæ deſignentur dies, quando perſecutione creſcente, apertas hæreticorum voces tolerare compellitur, cum motus cordis ſui, quos nunc intra cogitationum ſinus contegunt, tunc in voce manifeſtati erroris aperiunt. Nunc enim, ſicut per Ioannem dicitur, draco in abyſſo clauſus tenetur, quia diabolica malitia in eorum ſubdolis cordibus occultatur. Sed ſicut illic dictum eſt, educetur draco de puteo abyſſi: quia quod modo præ timore tegitur, tunc contra eccleſiam publice de iniquorum cordibus omne ſerpentinum virus aperitur." Non procul ab his abſumus temporibus, quando palam ac paſſim religio ſuperſtitio, irreligioſitas autem ac ipſa in Deum impietas religio prudentum habetur: dæmonque, quo remotior creditur a rebus humanis & abſtruſior, eo licentius periculoſiusque graſſatur, ac inſidiarum incurios incredulosque irretit.

Lib. XIX. n. 15. *T. I. p.* 611.

Apoc. 20, 3.

Hoſtis ſemper formidandus. *Ser. XVIII. p.* 182.

X. S. Gaudentius *Brixienſis* de toto illo tempore, quod a Chriſto ad conſummationem ſæculi intercedit, locutus „Feſtinat (ait) novis artibus variisque tentationum generibus ſupplantare homines, a quorum dominatu

in

in fine ſæculi ſubmovendum ſe penitus eſſe cognoſcit. Nam poſt adventum Chriſti duplicato contra homines furore ſuccenditur, ſciens, quia modicum tempus habet, ſicut ſcriptum de illo eſt.“ IOANNE nempe in *Apocal.* audiente vocem magnam in cœlo dicentem .. *Væ terræ, & mari, quia deſcendit diabolus ad vos, habens iram magnam, ſciens, quod modicum tempus habet.* Accipiuntur hæc de temporibus perſecutionum primis ac noviſſimis avolante eccleſia *in deſertum in locum ſuum, ubi alitur per tempus & tempora, & dimidium temporis a facie ſerpentis.* Palam S. IUSTINUS mox in exordio utriusque apologiæ, quas pro Chriſtianis ad ANTONINUM *Pium* & ſenatum *Romanum* miſit, pravis dæmonibus tribuit perſecutionem eccleſiæ: „Qui (ſenatum *Rom.* compellat) nobis offenſi ſunt, ac huiusmodi iudices in ſua poteſtate & cultui ſuo addictos habent, eos, utpote dæmoniis agitatos magiſtratus, ad necem nobis inferendam incitant.“ Et in illa ad imperatorem paullo poſt initium: „Quid hæc igitur (inquit) ſibi volunt? Erga nos, qui nihil mali facturos, nec impia illa opinaturos pollicemur, non iudicia examinatis, ſed affectu a ratione alieno, ac malorum dæmonum flagello agitati, animadvertere indicta cauſa parvi pendetis:“ Eadem hæc iterum iterumque ingeminat; ad rem autem cumprimis facit, quod poſtea de excitatis a dæmonibus SIMONE & MENANDRO hæreticis in medium affert: „Satis autem (ait) pravis dæmonibus non fuit, antequam Chriſtus apparuiſſet, filios illos inducere, qui ex *Iove* geniti inducantur; ſed poſtquam ille prodiit, atque inter homines verſatus eſt, cum, & quomodo a prophetis prænuntiatus eſſet, didiciſſent, ac illum in omni hominum genere credi & exſpectari cognoſcerent, rurſus, ut iam demonſtravimus, alios immiſerunt SIMONEM & MENANDRUM *Samaritanos*, qui magicis miraculis editis multos deceperunt, atque etiamnum deceptos tenent. Nam cum apud vos in regia urbe *Roma*, ut iam dixi, imperante CLAUDIO Cæſare, SIMON verſaretur, & ſacrum ſenatum & populum *Romanum* ita admiratione perculſit, ut Deus exiſtimaretur, & ſtatua velut alii, qui a vobis coluntur Dii, donaretur. Quapropter oramus ut & ſacrum ſenatum & populum *Romanum* una vobiscum huius noſtri ſupplicis libelli cognitores adſciſcatis, ut ſi quis eius doctrina implicatus ſit, veritate cognita, errorem poſſit effugere: & ſtatuam, ſi ita vobis placet, deiicite. Neque enim nullam eſſe ad impiorum ſupplicium conflagrationem perſuadere poſſunt: quemadmodum nec perficere potuerunt, ut Chriſti adventus lateret; verum id unum moliri poſſunt, ut qui præter rationem vivunt, & flagitioſe in pravis inſtitutis nutriti ſunt, & opinionum amatores ſunt, occidant nos & oderint.“

Apoc. 12, 12. — v. 14. — *pag.* 88. — *pag.* 46. — *n.* 56. *p.* 77.

Videtur hic etiam gentiles philoſophos indigitare. Ac Clemens qui-
pag.467.ſeq. dem *Alexandrinus* notat eos lib. VI. *Stromatum*, qui dicunt philoſophiam eſſe profectam a diabolo. „Quomodo autem (ſubdit) in barbara philoſophia, ita etiam in *græca* ſeminata ſunt zizania: ab ipſo vero agricola zizaniorum: unde etiam & quæ ſunt apud nos, exortæ ſunt hæreſes pariter cum bono tritico & genitali.“ Manifeſte Chriſtus de zizaniorum agri-
Matth. 13. 39. cola *inimicus autem*, inquit, *qui ſeminavit ea, eſt diabolus.* Et alibi: *Qui autem ſecus viam, hi ſunt, qui audiunt: deinde venit diabolus, & tollit ver-*
Luc. 8, 12. *bum de corde eorum, ne credentes ſalvi fiant.* Apte hic interpreteris eos, per quos ſectas, ſchiſmata, ſeu diſſidia ſeminat in Eccleſia dæmon, cui nihil magis convenit, quam diſcordias inter domeſticos etiam fidei ſerere. „Quoniam
T.III. Opp. p. 851. invidia diaboli (ut cum S. Ambrosio ad Augg. Gratianum, Valentinianum & Theodosium ep. 12. ſcribente loquar) nunquam quieſcere ſolet, inter ipſos Catholicos audimus crebras diſſenſiones eſſe, impacatamque diſcordiam.“ U-
T.II.p.147. Add. eiusd. liber de paradiſo c.12. niverſim vero idem enarratione in pſalm. XXXVIII. n. 6. „Non ergo dubites (inquit) quando aliqui tibi moleſti ſunt volenti ſervare iuſtitiam, miniſtros eſſe illius nequiſſimi peccatoris, qui omnium auctor eſt flagitiorum.“ Et eius diſcipulus S. Augustinus de Catechizandis rudibus: „Hæc
T. I.p. 194 ſeq. T.VI. Opp. p. 292. tene fixa in corde tuo, & invoca Deum, cui credis, ut tueatur te adverſus tentationes diaboli: & eſto cautus, niſi tibi aliunde hoſtis ille ſubrepat, qui ad ſolatium malevolentiſſimum damnationis ſuæ, cum quibus damnetur, requirit. Non enim per eos ſolos, qui chriſtianum nomen oderunt, & dolent eo nomine occupatum eſſe orbem terrarum, & adhuc ſimulacris & dæmoniorum curioſitatibus ſervire deſiderant, audet ille tentare Chriſtianos: ſed etiam per eos, quos paullo ante commemoravimus, de unitate eccleſiæ, velut putata vite, præciſos, qui hæretici vel ſchiſmatici dicuntur, conatur etiam id quidem interdum. Sed tamen id etiam aliquando conatur & per *Iudæos* tentare atque ſeducere. Sed maxime cavendum eſt, ne per homines, qui ſunt in ipſa catholica eccleſia, quos velut paleam uſque ad tempus ventilationis ſuæ ſuſtinet, unusquisque ten-
p. 295. tetur & decipiatur.“ Et paullo poſt ita concludit librum: „Tu ita credens iſta, cave tentationes (quia diabolus quærit, qui ſecum pereant) ut non ſolum per eos, qui extra eccleſiam ſunt, ſive pagani, ſive *Iudæi*, ſive hæretici, non te hoſtis ille ſeducat; ſed etiam quos in ipſa eccleſia catholica male viventes, aut immoderatos voluptatibus ventris & gutturis, aut impudicos, aut vanis curioſitatibus vel illicitis deditos, ſive ſpectaculorum, ſive remediorum, aut divinationum diabolicarum, ſive in pompa & typho avaritiæ atque ſuperbiæ, ſive in aliqua vita, quam lex damnat & punit, non eos imiteris: ſed potius coniungaris bonis, quos inventurus es

facile,

Digitized by Google

facile, ſi & tu talis fueris, ut ſimul colatis & diligatis Deum gratis: quia totum præmium noſtrum ipſe erit, ut in illa vita, bonitate eius & pulchritudine perfruamur."

Addam haud abſimilia S. Leonis ad Chriſtianos monita: „In hac autem dilectiſſimi, miſericordia Dei, cuius erga nos magnitudinem explicare non valemus, multa ſollicitudine præcavendum eſt Chriſtianis, ne diabolicis iterum capiantur inſidiis, & eisdem rurſus, quibus renuntiaverunt, erroribus implicentur. Non enim deſinit hoſtis antiquus, transfigurans ſe in angelum lucis, deceptionum laqueos ubique prætendere, &, ut quoquo modo fidem credentium corrumpat, inſtare. Novit, cui adhibeat æſtus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus invidiæ. Novit, quem mærore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione ſeducat. Omnium diſcutit conſuetudines, ventilat curas, ſcrutatur affectus: & ſibi cauſas quærit nocendi, ubi quemque viderit ſtudioſius occupari. Habet enim multos ex eis, quos tenacius obligavit, aptos ſuis artibus, quorum ad alios decipiendos & ingeniis utatur & linguis. Per iſtos remedia ægritudinum, indicia futurorum, placationes dæmonum, & depulſiones promittuntur umbrarum. Adduntur & illi, qui totam humanæ vitæ conditionem de ſtellarum pendere effectibus mentiuntur, & quod eſt aut divinæ voluntatis aut noſtræ, indeclinabilium dicunt eſſe fatorum. Quæ tamen ut cumulatius noceant, ſpondent poſſe mutari, ſi illis quæ adverſantur, ſyderibus ſupplicetur. Unde commentum impium ſua ratione deſtruitur: quia ſi prædicta non permanent, non ſunt fata metuenda; ſi permanent, non ſunt aſtra veneranda." Ex ſententia S. Gregorii M. ab illis verbis capitis quadrageſimi *Iob* v. 10. *Ecce Behemoth, quem feci tecum &c.* „Fideli famulo cunctas hoſtis callidi machinationes inſinuat (Deus) omne quod opprimendo rapit, omne quod inſidiando circumvolat, omne quod minando terret, omne quod ſuadendo blanditur, omne quod deſperando frangit, omne quod promittendo decipit."

Ser. XXVI. In nativ. D. VII.

Lib. XXXIII. in Iob T. I. p. 1055.

XI. Quis enimvero ſibi ab infinitis tentationum huiusmodi tendiculis ſatis caveat, quæ & diverſitate & aſſiduitate ſua magis ſunt periculoſæ, niſi ſola in Deum fiducia, qui nobis ad luctam hoſtem hunc irreconciliabilem permittit quidem, „Sed quia miſericors Deus (idem S. paſtor nos iam ex apoſtolo 1 *Cor.* X. 13. fuerat ſolatus) probari nos permittit tentationibus, non reprobari, ſicut ſcriptum eſt: *Fidelis autem Deus, qui non patitur vos tentari ſupra id, quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione etiam proventum, ut poſſitis ſuſtinere:* citius nobis conſolationis ope ſuccurrit,

Ad luctam relictus.

L. XXIV. p. 774.

rit, & ſurgentes tentationum ſtimulos mitigat, impugnantesque ſe cogitationum motus interna pace tranquillat. Moxque anima immenſam de ſpe cœleſti lætitiam percipit, dum devictum malum reſpicit, quod toleravit, ut iure de hoc tentato liberatoque homine dici debeat: *Videbit faciem eius in iubilo: & liberavit animam ſuam, ne pergeret in interitum, ſed vivens lucem videret.*" S. CYRILLUS *Hieroſol.* Catech. VIII. *de Omnipotentia*, Deum ex tolerantia pati diabolum cum dixiſſet, „Principium enim eſt (addit) formationis Domini; factus, ut illudatur non ab ipſo, indignus eſt enim, ſed ab angelis, qui ab ipſo ſunt facti. Vivere vero ei indulſit duabus de cauſis: ut & ipſe maiori verecundia afficiatur ſuperatus, & homines coronis illuſtrentur. O ſapientiæ plenam providentiam Dei! quæ pravam illam voluntatem ad fidelium ſalutis inſtrumentum aſſumit. Ut enim inimica fratrum IOSEPHI voluntate ad exſecutionem conſiliorum ſuorum uſus eſt; fratremque ab eis ex odio venumdari ſinens inde occaſionem cepit, eum, quem volebat, regem conſtituendi: ſic diabolo luctari conceſſit, ut coronarentur ii, qui vincerent, & ut adepta victoria, ille quidem uti ab inferioribus devictus maiori dedecore cooperiretur; homines vero inſigniter nobilitarentur, eo, qui archangelus olim fuiſſet, triumphato." Et S. AMBROSIUS lib. IV. in LUCAM: „Vides (inquit) magnificentiam chriſtiani viri, qui certat cum rectoribus mundi: & licet conſtitutus in terris, adverſus ſpiritalia nequitiæ, quæ ſunt in cœleſtibus, animi virtute decernit. Non enim de terrenis contendimus, ut dimicemus in terra: ſed ſpiritalibus propoſitis præmiis, de regno Dei & Chriſti hæreditate neceſſe eſt ſpiritalia prius impedimenta ſuperentur. Corona propoſita eſt, ſubeunda certamina ſunt. Nemo poteſt, niſi vicerit, coronari: nemo poteſt vincere, niſi ante certaverit. Ipſius quoque coronæ maior eſt fructus, ubi maior eſt labor: *Arcta* enim *& anguſta eſt via, quæ ducit ad vitam . . . lata vero & ſpatioſa, quæ ducit ad mortem.* Et ideo tentationem neutiquam timere debemus: eſt enim cauſa victoriæ, materia triumphorum."

pag. 122.

T. II. p. 835.

Sic equidem grave eſt ac moleſtum in hac miſera vita, ſemper contra hoſtem ſalutis noſtræ in acie ſtare ac dimicare; ſed certum nobis adeſt ſtrenue decertantibus divinum præſidium, certa, utut cruenta perſæpe videatur & difficilis ac anceps victoria. „Scimus quidem (nos ad pugnam animat S. LEO) quod ſicut IOANNES apoſtolus dicit, *Totus mundus in maligno poſitus eſt*: & inſidiante diabolo & angelis eius, in hoc innumeris tentationibus laboratur, ut hominem ad ſuperna nitentem, aut adverſa terreant, aut ſecunda corrumpant: ſed maior eſt, qui in nobis eſt, quam qui adverſum nos eſt: & pacem cum Deo habentibus, ac ſemper Patri toto

Ser. XXV. in Nativ. D. N. p. 23.

corde

corde dicentibus, *Fiat voluntas tua*, nulla prævalere certamina, nulli poſſunt nocere conflictus. Accuſantes enim nosmetipſos confeſſionibus noſtris, & conſenſum animi carnis concupiſcentiis denegantes, inimicitias quidem adverſum nos eius, qui peccati auctor eſt, commovemus: ſed inexpugnabilem cum Deo pacem, gratiæ ipſius ſerviendo, firmamus, ut regi noſtro non ſolum obedientia, ſed etiam iudicio copulemur. Quoniam ſi in eadem ſententia ſumus, ſi, quod vult, volumus, & quod improbat, improbamus, ipſe iam pro nobis omnia bella conficiet, ipſe qui dedit velle, donabit & poſſe, ut ſimus cooperatores operum eius, & propheticum illud cum fidei exultatione dicamus: *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo?*

Quis vero de Deo optimo maximo noſtri tam amante dubitet, eum ſapientia ſua, omnia, ſi nos haud deſimus, bene vertere? S. Chrysostomus in libro *ad eos, qui ſcandalizati ſunt ob adverſitates &c.* varias accumulans cap. 12. quæſtiones „Cur hæreſes permittantur, qua de cauſa diabolus, qua de cauſa dæmones, cur homines improbi, & qui multos ſupplantant: & quod omnium eſt iſtorum caput, cur adveniat antichriſtus, qui tanta pollet ad decipiendum potentia, ut dixerit Chriſtus eum tanta præſtiturum, ut in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi:“ Subdit: „At enim iſta quærenda non ſunt, ſed ſunt omnia incomprehenſibili Dei ſapientiæ committenda.“ Legatur nihilominus eius homilia: *Ad eos, qui obiiciunt, cur e medio ſublatus non ſit diabolus? & quod huius malitia nihil nos lædat, ſi attendamus &c.* S. Marci item monachi & eremitæ opuſc. IV. *de Baptiſmo* ab illa interrogatione: *Si liberati ſumus in baptiſmo, quamobrem non perſpicimus libertatis aerem, uti vident, qui decertant?* ſeqq.

T. III. Opp. pag. 494.
T. II. Opp. p. 260. ſeq.
T. VIII. Bibl. PP.

XII. Suo loco de baptiſmo tractantes veterum non paucorum Patrum ſententiam retulimus, cuique hominum a nativitate ſua ſpiritum adhærere nequam aſſerentium, qui per baptiſmum excludatur; ſed ut nunc diximus, ſuo tamen modo ad luctam reliquuntur (veluti etiam in renatis concupiſcentia) aut ut divinæ iuſtitiæ miniſtri. Origenes locum illum verſans apoſtoli: *Omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis*, illam apud veteres gentiles & philoſophos pervagatam opinionem, de qua plura in nota afferuntur teſtimonia, tangit, *humanam animam ſtatim ab ortu dæmonum ditioni eſſe ſubditam.* „Nos (addit) IESUS docuit, ne minimos quidem eorum, qui in eccleſia ſunt, contemnendos eſſe: *quia angeli eorum*, inquit, *ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt.* Et propheta: *Caſtra metabitur angelus Domini* in

An malus cuique homini adhæreat genius?
Hebr. 1, 14.
L. VIII. contra Celſum n. 31. T. I. p. 767.

in circuitu timentium eum, *& eripiet eos.* Itaque ne nos quidem inficiamur, multos eſſe in terra dæmones; at eos eſſe, & poteſtatem in malos habere propter eorum malitiam, contendimus; nihil vero poſſe in eos, qui *induerunt armaturam Dei*, & robur acceperunt ad *ſtandum adverſus inſidias diaboli*, quique ſe ad pugnandum cum dæmonibus exercent." Sic S. Gregorio angeli Dei ad electorum adiutorium, dæmones ad probationem ſervire dicuntur in illud Iobi II. quo diabolus inter filios Dei adfuiſſe narratur: „ Inter filios Dei (inquit) adfuit, quia etſi ab illis in hac vita laborantibus auxilium pietatis impenditur; iſte occultæ eius iuſtitiæ neſciendo ſerviens, miniſterium exequi reprobationis conatur. Unde bene in libris *Regum* per prophetam dicitur: *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum*: *& exercitum cœli a dextris & a ſiniſtris eius*, *& dictum eſt*: *In quo decipiam* Achab, *ut aſcendat & cadat in Ramoth Galaath? Et dixit alius ita*, *& alius aliter. Et egreſſus eſt unus & dixit*: *Ego decipiam* Achab. *Et dictum eſt*: *In quo decipies? Qui reſpondit dicens*: *Egrediar*, *& ero ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum eius.* Quid enim ſolium Domini, niſi angelicas poteſtates accipimus, quarum mentibus altius præſidens, inferius cuncta diſponit? Et quid exercitus cœli, niſi miniſtrantium angelorum multitudo deſcribitur? Quid eſt ergo, quod exercitus cœli a dextris & ſiniſtris eius ſtare perhibetur? Deus enim, qui ita eſt intra omnia, ut etiam ſit extra omnia, nec dextra nec ſiniſtra concluditur. Sed dextra Dei angelorum pars electa, ſiniſtra autem Dei pars angelorum reproba deſignatur. Non enim miniſtrant Deo ſolummodo boni, qui adiuvent; ſed etiam mali, qui probent: non ſolum, qui a culpa redeuntes ſublevent; ſed etiam qui redire nolentes gravent." Ex ſententia autem Origenis *unicuique duo aſſiſtunt angeli*, *alter iuſtitiæ*, *alter iniquitatis.* Quod repetit Hom. XIII. & XXXV. in eundem evangeliſtam. Varia in eandem ac contrariam etiam aliorum ſententiam citat SS. Patrum loca Cotelerius in Hermæ Paſtorem lib. II. Mandat. VI. ubi aperte duo genii cum homine eſſe dicuntur: *Unus æquitatis*, *& unus iniquitatis.*

Lib. I. in caput 2. Iob T. I. pag. 53.

Hom. XII. in Lucam.

T. I. Patr. apoſt. p. 93. 94.

T. I. p. 140. Ad quem auctorem etiam provocat Origenes lib. III. *de Principiis* n. 4. ubi obſervat cogitationes, quæ de corde noſtro procedunt, vel quarumcumque rerum cauſarumque contemplationem „ quod aliquoties ex nobis ipſis procedant, aliquoties a contrariis virtutibus concitentur: interdum etiam a Deo, vel a ſanctis angelis immittantur." Quæ ſingula cum locis ſacræ ſcripturæ firmaſſet, addit: „ Sed & Paſtoris liber hæc eadem declarat dicens, quod bini angeli ſingulos quosque hominum comitentur: & ſi quando bonæ cogitationes cor noſtrum aſcenderint, a bono angelo ſuggeri dicit:

ſi

ſi vero contrariæ, mali angeli dicit eſſe inſtinctum. Eadem quoque Barnabas in epiſtola ſua declarat, cum duas vias eſſe dicit, unam lucis, alteram tenebrarum, quibus & præeſſe certos quosque angelos dicit: viæ quidem lucis angelos Dei: tenebrarum autem viæ angelos ſatanæ. Nihil tamen aliud putandum eſt accidere nobis ex ipſis, quæ cordi noſtro ſuggeruntur bonis vel malis, niſi commotionem ſolam & incitamentum provocans nos vel ad bona, vel ad mala. Poſſibile autem nobis eſt, cum maligna virtus nos cœperit ad malum incitare, abiicere a nobis pravas ſuggeſtiones, & reſiſtere ſuaſionibus peſſimis, & nihil prorſus culpabiliter gerere. Et rurſum poſſibile eſt, ut cum nos divina virtus ad meliora probaverit, non ſequamur, liberi arbitrii poteſtate in utraque nobis ſervata." Hermæ vero Paſtor, quem etiam Cassianus Collat. VIII. c. 17. & Coll. XIII. c. 12. & Prosper contra Collatorem c. 30. citant, aliique a Coteleri o notati, ſic reſpondet interrogatus, quomodo ſciri poſſit, quod duo ſunt genii cum homine? „Audi (inquit) & intellige. Æquitatis genius tener eſt, lenis & verecundus, manſuetus & quietus. Cum ergo in cor tuum aſcenderit, continuo loquitur tecum de iuſtitia, de pudicitia, de caſtitate, de benignitate, de venia, de caritate, de pietate. Hæc omnia cum aſcenderint in cor tuum, ſcito, quod genius æquitatis tecum eſt: Huic ergo genio crede, & operibus eius. Accipe nunc & genii iniquitatis opera. Primum amarus, iracundus, & ſtolidus eſt; & opera illius pernicioſa ſunt, & evertunt ſervos Dei. Cum ergo in cor tuum aſcenderint hæc, intelliges ab operibus eius, hunc eſſe genium iniquitatis &c." S. Barnabæ autem *T. I. Patr.* apoſtoli verba, quæ ſecundo loco citat Origenes in eius epiſtola, ita *Apoſt. p. 50.* habent: „Duæ ſunt viæ doctrinæ ac poteſtatis; una lucis, altera tenebrarum. Differentia vero multa duarum viarum. Uni ſiquidem præpoſiti ſunt lucis conciliatores, angeli Dei; alteri vero angeli ſatanæ: ac ille quidem Dominus eſt a ſæculis in ſæcula; hic autem princeps temporis iniqui." Prolixius utriusque viæ greſſus deinceps proſequitur lucis & tenebrarum, Dei & diaboli ex ſententia S. Ioannis 1. epiſt. *In hoc manifeſti ſunt filii Dei & filii diaboli. Omnis qui non eſt iuſtus, non eſt ex Deo, & qui non diligit fratrem ſuum.* Et paullo ante v. 8. *Qui facit peccatum ex diabolo eſt.* „Nihil enim non diaboli eſt (ut Tertullianus, qui libro *De Spectaculis c. 24.* de Anima c. 39. nullum pœne hominem carere dæmone dicit, loquitur) *p. 83.* „vel quidquid Dei non eſt, vel Deo diſplicet." Et alibi: „Non ergo na- *De cultu feminarum* tura optima ſunt iſta, quæ a Deo non ſunt auctore naturæ. Sic a diabolo eſſe intelliguntur, ab interpolatore naturæ. Alterius enim eſſe non poſſunt, ſi Dei non ſunt: quia æmuli ſint neceſſe eſt, quæ Dei non ſunt. Alius autem præter diabolum & angelos eius, æmulus Dei non eſt." Sed *c. 7. p. 155.*

hæc

hæc cautius ob *Manichæos* & alios duorum principiorum etiam ante Manichæum aſſertores ab aliis ſunt tractata. Unum afferam locum S. Iacobi *Niſſibeni* ex *arabicis* ſermonibus, editionis *Romanæ* anni 1756. nuper in Bibliothecam veterum Patrum *Venet.* T. V. translatis, quorum ſextus *de Devotis* inſcriptus totus eſt de diſcretione ſpirituum; ad rem vero ſunt, quæ diſſerit n. 14. quomodo Spiritu ſancto recedente diabolus intret, veluti de Iuda proditore conſtat *Ioan.* XIII. 2. diabolum miſiſſe in cor, ut traderet Chriſtum: & poſtea v. 26. poſt bucellam introiſſe in eum ſatanam. S. Iacobum quoque audiamus: *Propterea, chariſſime, quando Spiritus abit ab homine, qui eum accepit, tunc pugnat diabolus cum illo homine, ut ſupplantet eum, & penitus ſeparetur ab eo Spiritus ſanctus. Nam quamdiu Spiritus eſt cum homine, timet accedere ad eum. Et vide chariſſime, quod Dominus noſter, qui de illo Spiritu natus eſt, non fuit tentatus ab illo nequam, donec Spiritus, quem viſibiliter accepit in baptiſmo lavacri, aſſumſit & duxit eum in deſertum, ut tentaretur a diabolo. Hæc uniuscuiusque cura ſit, ubi ſentit animam ſuam ardere Spiritu, & cor ſuum incidere in ſolicitudines huius ſaculi; illico ſciat, quod Spiritus Dei non eſt apud ipſum, & caveat, ne ſupplantetur ab ipſo.* Hinc Petrus ad Ananiam: *Cur tentavit*, ait, *ſatanas cor tuum, mentiri te Spiritui ſancto.* Et Chriſtus Paulum ſe mittere dicit ad gentes: ut convertantur a tenebris ad lucem, & de poteſtate ſatanæ ad Deum. Sic Tichonius cum *de ſeptem regulis* primam poſuiſſet de Domino & corpore eius, ſeptimam addidit *de diabolo & eius corpore.* „Sicut ergo (inquit S. Augustinus in eas regulas) in prima regula, quam vocat de Domino & eius corpore, vigilandum eſt, ut intelligatur, cum de una eademque perſona ſcriptura loquitur, quid conveniat capiti, quid corpori; ſic & in iſta noviſſima, aliquando in diabolum dicitur, quod non in ipſo, ſed potius in eius corpore poſſit agnoſci, quod habet non ſolum in eis, qui manifeſtiſſime foris ſunt, ſed in eis etiam, qui cum ad ipſum pertineant, tamen ad tempus miſcentur eccleſiæ, donec unusquisque de hac vita exeat, vel a frumento palea ventilabro ultimo ſeparetur.“

pag. LI. — *Act.* 5, 3. — *Act.* 26, 18. — *Lib. III. de doct. chriſt. c.* 37.

Humani generis hoſtes caro, mundus & dæmon.

XIII. Hinc, ut diximus, errores illi de duobus principiis ſeu ſupremis poteſtatibus, hinc etiam opinio ſatis olim apud gentiles vulgaris, mundum hunc indignum haberi, qui Dei providentia regatur: „Quia (inquit S. Athenagoras Legat. pro Chriſtianis n. 25.) profectæ a contrario dæmoniacæ motiones & operationes hos impetus inordinatos excitant, ac homines alium aliter, ſingulos & univerſos, privatim & communiter pro ratione materiæ & cognationis cum divinis rebus, intus & exterius movent; propterea nonnulli, quorum non levis exiſtimatio eſt, nullo ordine hoc uni-

Digitized by Google

univerſum conſiſtere, ſed caſu temerario agi & ferri cenſuerunt.“ Sola autem nobis religio omnis mali originem in primo Adamo per diabolum peſſumdato, oſtendit; & in ſecundo, ſeu Chriſto, remedium contra hæc mala aperit, & quomodo expugnari hoſtes tam interni quam externi, qui ſunt caro, mundus, & dæmon, poſſint ac debeant, oſtendit.

Ii vero, quos perplexos tenet, quod adhuc diabolum in rebus humanis graſſari permittat divina providentia, ut etiam *Manichaiſmum*, atque pugnam inter divina attributa inclament, in ſeipſos, resque humanas refle-ctant animum, in quanta mala hoſtes, inteſtinus, & externus caro & mundus, diaboli in noſtram perniciem ſocii fœderati & coniurati, Deo permittente, præcipitent. Quemadmodum vero unice nobis ſalutare eſt contra hos hoſtes manifeſtos, qui intus & foris continuo nos infeſtant, cautos nos præſtare, & ad pugnam inſtructos, ita etiam, ac multo adhuc magis contra inſidiatores occultos ac inviſibiles: *Quoniam*, monente D. Paulo, *non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem; ſed adverſus principatus & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus.* Epheſ. 6,12. Verbum divinum, eiusque fideles interpretes non minus nos ad certamen contra hoſtes inviſibiles dæmones, quam viſibiles ſenſibilesque mundum & carnem provocant, armantque. Chriſtus in parabola zizaniorum agri, *qui filii ſunt nequam*, ad originem Matth. 13. omnis mali reſpiciens, *Inimicus autem*, inquit, *qui ſeminavit ea, diabolus eſt.* Marc. 4. Luc. 8. Alibi evangeliſtæ & apoſtoli, & ad eorum ductum SS. Patres & Doctores chriſtiani, quando nos imminentium nobis ab inimicis ſalutis noſtræ periculorum ac inſidiarum commonefaciunt, frequenter adeo diaboli mentionem iniiciunt, quam mundi & carnis: nunc hunc, nunc illum deſignantes hoſtem; alias in noſtram perniciem conſpirationem omnium & ſingulorum produnt.

Legi meretur integra S. Macarii *Ægyptiaci* homilia XXI. de duplici, T. VII. Biblioth. PP. p. 86. ſeq. quod Chriſtiano incumbit internum & externum, certamine cum carne & mundo, ac medium quoddam cum diabolo; cuius ſatellites duo ſunt mundus & caro iuxta S. Bernardum in ſerm. *de Diſcret. ſpirituum*, n. 2. 3. Ser. XXIII. de diverſis. T. III. p. 1231. „Ut dominetur ſpiritus nequitiæ ſpiritui carnis, & ſpiritui huius mundi. Quisquis ergo (pergit) ex his tribus ſpiritibus ſpiritui noſtro loquatur, ne credamus ei: quoniam ſanguinem ſitiunt, non quidem corporum, ſed (quod gravius eſt) animarum. Sed quoniam ſpiritualis omnium natura eſt, a ſermonibus eorum cognoſcemus eos, & quis ſpiritus ſit, qui loquatur, ipſa ſuggeſtio declarabit. Semper enim ſpiritus carnis mollia, ſpiritus mundi vana, ſpiritus malitiæ ſemper amara loquitur. Quoties ergo importune (ut aſſolet) carnalis cogitatio mentem pulſat: verbi gratia cum

Digitized by Google

de cibo, de potu, de ſomno, ceteriſque ſimilibus ad carnis curam pertinentibus cogitantes, humano quodam modo inardeſcimus deſiderio; certum ſit nobis ſpiritum carnis eſſe, qui loquitur, & tanquam adverſarium repellamus eum, dicentes: *Vade retro ſatana, quoniam non ſapis ea, quæ Dei ſunt*: ſed magis ſapientia ſua inimica eſt Deo. Cum autem non de illecebris carnis, ſed de ambitione ſæculi, de iactantia & arrogantia ceteriſque ſimilibus cogitatio vana verſatur in cordibus noſtris: ſpiritus mundi eſt, qui loquitur, longe pernicior hoſtis, & maiori ſollicitudine repellendus. Interdum vero ſatellitibus iſtis terga vertentibus, princeps ipſe habens iram magnam, tanquam leo rugiens inſurgit adverſus nos; cum videlicet non ad voluptatem carnis, aut ſæculi vanitatem, ſed ad iram, ad impatientiam, ad invidiam, ad amaritudinem animi provocamur &c. "
Deinceps quonam modo malignorum illorum ſpirituum ſuggeſtiones abiicere debeamus ex regula S. Benedicti, in qua paſſim contra malignos ſpiritus animamur, quamque S. Bernardus profeſſus fuerat, potiſſimum o-
n. 5. ſtendit. „Avertentes (inquit) aures noſtras, ne audiamus ſanguinem, & ſapientiam, quam revelat caro & ſanguis: parvulos quoque *Babylonis* cogitatus, ſcilicet mundanos, ab ipſo initio tenentes & allidentes ad petram: ipſum etiam malignum cum tentationibus ſuis a conſpectu cordis noſtri abiicientes & deducentes ad nihilum." Sic ergo alligatur ſatanas, „Non (ut cum S. Augustino loquar) quia extra mundum miſſus eſt, quomodo quidam hæretici putant: ſed foras ab animis eorum, qui cohærent verbo Dei, & non diligunt mundum, cuius ille princeps eſt." Conſtans hæc ſemper fuit de tribus humani generis, ac ſalutis noſtræ hoſtibus theologia: novaque eſt doctrina, quæ iactatur inaudita ante ætatem noſtram (niſi apud eos, quos S. Augustinus notat) de detruſo ante tempus in barathrum diabolo, facta ad incurioſos nos, ſegneſque contra inſidias inimici reddendos. Vid. *Paralip.* de SS. Pachomio & Theodoro.

De agone chriſt. c. 1. T. VI. pag. 245.

Apud Bolland d. 14. Maii c. 3. n. 24. ſeq.

A cuius inſidiis nemo immunis eſt.

XIV. An fruſtra a D. Petro apoſtolorum principe tam ſerio & graviter ſumus admoniti, id quod eccleſia quotidie nobis in divino officio acclamat: *Sobrii eſtote & vigilate: quia adverſarius veſter diabolus tan-*
1. Pet. 5, 8. *quam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* Suo edoctus damno id dicit, a magiſtro ipſe de ſua defectione ac ſociorum fuga fruſtra quidem præmoni-
Luc. 22, 31. tus: *Simon, Simon, ecce ſatanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum.* Quis igitur tutum ſe exiſtimet quocunque ex ordine hominum, ſi ipſa Chriſti familia labaſcit. Unde S. Chrysostomus potiſſimum etiam ſacerdotibus libro VI. *de Sacerdotio*, ſalutarem incutit timorem graviſſima oratione:
T. I. p. 434. „Ac ne putes (inquit) me rem oratione amplificare, neve quia hoc corpore,

re, ceu quodam carcere incluſi, inviſibilium nihil prorſus cernere poſſumus, magna eſſe ducas ea, quæ a me dicta ſunt. Multo hac maiorem & horribiliorem pugnam videres, ſi caliginoſiſſimam diaboli aciem furioſumque conflictum oculis iſtis cernere poſſes. Non enim illic ferrum aut æs, non equi, currus & rotæ, non ignis & tela; non hæc viſibilia; ſed alia multo his terribiliora machinamenta. Adverſariis iſtis nihil opus eſt thorace, non clypeo, non enſibus & haſtis, ſed vel ſolus execrandæ aciei aſpectus animam diſſolvere poſſit, niſi admodum generoſa fuerit, &, præ virtute propria, multa fruatur a Deo providentia.“ Hæc, ut & reliqua, quæ non minus diſerte proſequitur lectu digniſſima, illis apprime ſunt conſentanea, quæ S. Antonius abbas in tota illa perorat oratione, quam S. Athanasius eius vitæ inſeruit, ſeorſim edita in noviſſima Bibliotheca PP. *Veneta*, quave monachos & eremitas a diaboli inſultibus & machinamentis cautos præſtare vult, tanto vehementiori aggreſſu, quo ſanctius eſt inſtitutum, atque adeo contra hoſtes ſalutis noſtræ fortius. Unde etiam S. Benedictus cap. I. Reg. *de generibus monachorum* ſecundum genus anachoretarum, id eſt eremitarum deſcribens, *horum*, inquit, *qui non converſionis fervore novitio, ſed monaſterii probatione diuturna didicerunt contra diabolum, multorum ſolatio iam docti pugnare.* Ut adeo nulla ſit hominum conditio, a communis hoſtis humani generis inſidiis immunis. *Ex quo enim,* ſunt Macarii, viri ſanctiſſimi, atque in hac pugna experientiſſimi verba, *per transgreſſionem primam irrepſit in hominem malitia, liber aditus diabolo datus eſt ad animam quotidie alloquendam ut homo hominem, & ad eidem ſuggerenda abſurda.* S. Gregorius *Naz.* (ad ea, quæ cognominis *Romanus* pontifex libris moralium in Iob poſterioribus præſertim de ſatanæ noxiis in homines conſiliis copioſe diſſerit, digitum ſolum intendo) carmine CXCIII. quod cum aliis noviſſime in Bibl. PP. *Ven.* prodiit, *de bello quod movent dæmones,* ad propriam etiam provocat experientiam, ad quam tunc demum animum adverterit, cum ſe totum Deo dederet, ſic orſus:

T. IV. p. 366. ſeq.

De libertate mentis c. 2. T. II. Opp. p. 182.

T. I. p. 1031. ſeqq.

T. VI. Bibl. PP. p. 403.

Mente collecta in Dei ſocietatem,
Ut puriſſimis intimis ſenſibus purum Dominum
Venerarer (nam pulchrum eſt ſolius mentis ſacrificium)
Nequaquam animadvertiſſem tortuoſæ artificia beſtiæ.
Certe & prædicaſſem, & illud exiſtimaſſem.
Sæpe mihi etiam ſupervenit nocti ſimilis
Et rurſus lucis ſub fraudulenta figura.
Omnia enim, quæcunque voluerit, efficitur mortis ſophiſta,
Natus Proteus ad formas doloſas effingendas,

Digitized by Google

Ut aliquem aut per inſidias, aut aperte hominem interficiat;
Nam deliciæ illi ſunt mortalium lapſus &c.

Alia notantur eiusdem carmina iam evulgata, quibus aut ipſum acriter inceſſit dæmonem, & averſatur, aut eius incurſus & calliditatem deplorat veluti 19. 21. 32. 60. &c. in edit. *Billiana.*

Ut tamen in noſtra ſit poteſtate.

XV. Igitur ſemper armatus eſſe quisque debet contra hunc vaferrimum hoſtem ſemperque paratus ad pugnam, *qui malignum diabolum*, ut ſuos S. Benedictus in prologo regulæ inſtruit, *aliqua ſuadentem ſibi, cum ipſa ſuaſione ſua a conſpectibus cordis ſui reſpuens*, deducere ad nihilum geſtit: & ad Chriſtum allidere, a quo nobis omnis in eum poteſtas eſt facta, eſtque penes nos eum reſpuere, ac repellere. Hinc monet Iacobus apoſtolus: *Subditi ergo eſtote Deo: reſiſtite autem diabolo, & fugiet a vobis. Reſiſtite fortes in fide*: iuxta D. Petrum: & Paulum: *Nolite locum dare diabolo.* Qui etiam de illis non deſperat, *qui reſiſtunt veritati. Ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem.* Sic enim transfertur homo de tenebris ad lucem, de laqueis diaboli in libertatem filiorum Dei; „Uti ceſſans aliquando homo vivere peccato, & moriens ei (ut cum S. Irenæo loquar) inciperet vivere Deo. Quapropter inimicitiam poſuit inter ſerpentem & mulierem, & ſemen eius, obſervantes invicem: illo quidem cui morderetur planta, & potente calcare caput inimici; altero vero mordente & occidente, & interpediente ingreſſus hominis, quoadusque venit ſemen prædeſtinatum calcare caput eius, quod fuit partus Mariæ, de quo ait propheta: *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem*; ſignificans, quia illud quod erigeretur & dilataretur adverſus hominem peccatum, & frigidum reddebat eum, evacuaretur cum regnante morte; & conculcaretur ab eo in noviſſimis temporibus inſiliens humano generi leo, hoc eſt, antichriſtus; & draconem illum, ſerpentem vetuſtum, alligans & ſubiiciens poteſtati hominis, qui fuerat victus, ad calcandam omnem eius virtutem.“ Et iterum: „Quoniam per hominem traducta eſt apoſtaſia eius, & examinatio ſententiæ eius homo factus eſt; ad hoc magis magisque ſemetipſum contrarium conſtituit homini, invidens vitæ eius, & in ſua poteſtate apoſtatica volens concludere eum. Omnium artifex Verbum Dei per hominem vincens eum & apoſtatam oſtendens, e contrario ſubiecit eum homini: *Ecce*, dicens, *do vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici*, ut quemadmodum dominatus eſt homini per apoſtaſiam, ſic iterum per hominem recurrentem ad Deum evacuetur apoſtaſia eius.“ Infiniti ſunt Chriſtianorum in Dei nomine cum ad-

1. Pet. 5, 9. *Eph. 4, 27.* *2 Tim. 2, 26.* *Lib. III. contra hæreſ. c. 23. p. 222.* *Lib. V. c. 24. p. 322.*

adverſario ſtrenue certantium triumphi ac trophæa innumera ab omni genere fraudum ac infeſtationum, quibus nos aſtu & arte aggreditur, ex quibus non pauca decurſu ſermonis patefacimus, nunc hoc etiam egregie aſſertum quidem poſt multa alia ex laudata iam S. Antonii abb. oratione apud S. Athanasium ipſius explicabo verbis, quò is ſuis, quos allocutus eſt, adiecit animum, ne imbellem iam, ſi velimus tantum, formidarent hoſtem, ſed fortiter ac intrepide debellarent: „ Et quia (inquit) hæc narrando factus ſum inſipiens, iſtud quoque accipite, ut tuti & absque formidine degatis: mihique fidem habete; non mentior quippe. Quodam tempore pulſavit aliquis in monaſterio ianuam meam. Tum egreſſus vidi quemdam procerum ac præaltæ ſtaturæ. Sciſcitante me: *Quis tu es? Ego ſum*, inquit, *ſatanas.* Me rurſum interrogante: *Qua de cauſa hoc ades in loco?* Reſpondit ille: *Cur me falſo accuſant monachi*, *& omnes alii Chriſtiani? cur me horis ſingulis execrantur?* Cui ego, *Cur moleſtus illis es? Non ego*, ait, *ſed illi ipſi ſeſe conturbant*, *infirmus enim factus ſum. An non legerunt? Inimici defecerunt in finem, & civitates deſtruxiſti. Nullus mihi ſupereſt locus, non telum, non civitas. Ubique locorum Chriſtiani facti ſunt, atque demum monachis repleta eſt ſolitudo. Obſervent ipſi ſeſe, nec me immerito execrentur.* Tum ego Domini gratiam admiratus: *Quamquam mendax ſemper es*, dixi, *& veritatem numquam dicis; hoc iam tamen licet invitus vere dixiſti; Chriſtus enim veniens te infirmum reddidit, atque deiectum denudavit.* Audito ille Salvatoris nomine, ardoremque eius non ferens, evanidus factus eſt. Si igitur ipſe diabolus ſe fatetur nihil poſſe, deſpiciendus ſane a nobis eſt, cum ille, tum dæmones eius. Inimicus ergo cum canibus ſuis eiusmodi utitur dolis: nos autem gnari eorum infirmitatis, ipſos contemnere valemus. Quamobrem ne labamur mente, ne timendi cauſſas animo verſemus, neque comminiſcamur nobis terrores dicendo: Ne dæmon invadens proſternat me: ne ſublatum proiiciat, vel de repente irruens perterrefaciat. Talia prorſus ne cogitemus; non mœrore quaſi perituri afficiamur; ſed fidamus magis, & gaudeamus, utpote ſalutem conſequuti: atque animo reputemus, nobiscum eſſe Dominum, qui dæmones profligavit atque compreſſit. Cogitemus item, & mente ſemper volvamus, dum nobiscum Dominus eſt, nullo nos ab inimicis malo afficiendos eſſe.“ De S. Pachomio vid. *Bolland.* *Paralip. de SS. Pachom. & Theodoro abb. ad diem 14. Maii c. 3.*

Pag. 649.

Quibus vero volupe eſt familiarem illum veluti conventum ac colloquium cum dæmone deridere, naſoque ſuſpendere adunco, eis exemplum ipſius Chriſti interim opponimus, dum ſuis locis plura in medium afferemus, quæ in hac S. Antonii oratione notatu digna ad rem occurrant, quibus præſertim armis cum hoſte infernali congrediendum ſit, quæ genera-

tim S. CYRILLUS *Hieroſol.* in ſua procatecheſi *illuminandis* ſuccinctim expo-
m. 22. p. 12. nit, ut eos ad bellum veluti indicendum per renuntiationem ſatanæ, gerendumque poſt baptiſmum auxiliante Deo victorioſe, præparet, detectis inſidiis, inſtructaque acie. „Cæterum (inquit) draco iuxta viam transeuntes obſervat; cave ne te infidelitate mordeat: tam multos videt, qui ſalvi fiunt, & *quærit, quem devoret.* Ad patrem ſpirituum ingrederis, ſed per illum draconem transeundum eſt, Quomodo igitur tu illum pertranſibis? Calcea pedes tuos *in præparatione evangelii*, ut etiamſi dentem infigat, non lædat tamen. Fidem inhabitantem habe, ſpem firmam, calceamentum forte, ut per hoſtem occupato aditu ad Dominum ingrediare. Præpara cor tuum ad recipiendam doctrinam, ad ſanctorum myſteriorum participationem. Frequentius ora, ut cœleſtibus & immortalibus myſteriis te dignetur Deus, neque die neque nocte ceſſa: & cum ſomnus ab oculis tuis receſſerit, tunc mens tua orationi vacet. Si quam turpem cogitationem in mentem tuam inſilire videris, ſuccurrat tibi cogitatio iudicii, quæ te ſalutis admoneat. Tuam ad condiſcendum cogitationem occupa, ut pravarum rerum oblivionem capiat.“ S. AMBROSIUS ipſum illum *Luc.* IV. verſans acceſſum diaboli, ut Chriſtum tentaret, *arma nobis* Chriſti proponit, *quibus*, inquit, *tibi, non ſibi, vincit.* Sic ad illa ultimi aggreſſus verba *Si fi-*
T. II. pag. 831. *lius Dei es, mitte te deorſum,* S. Pater ſcribit: „Vere diabolica vox, quæ mentem hominis de gradu altiore meritorum præcipitare contendit. Quid enim tam proprium diabolo, quam ſuadere, ut unusquisque ſe mittat deorſum. Diſce ergo & tu diabolum vincere. Agit te ſpiritus, ſequere Spiritum. Non te revocet carnis illecebra, Spiritu plenus diſce contemnere voluptates, ieiuna, ſi vis vincere. Conſequens eſt, ut per hominem diabolus te putet eſſe tentandum: Chriſtus quaſi fortior, facie ad faciem tentatur, tu per hominem. Et illud diaboli verbum eſt, cum dicit homo: *Fortis es, manduca & bibe, & ſimilis mane.* Noli te tibi credere, non erubeſcas egere præſidiis, quibus non egebat Chriſtus; & tamen ea non negligebat, ut te doceret, dicens: *Cavete, ne gravetur cor veſtrum in vino & crapula.* Non erubuit PAULUS, qui ait: *Sic certo, non ut aera cædens.* Aera quidem non cædebat apoſtolus; ſed poteſtates aeris verberabat: Sed *caſtigo*, inquit, *corpus meum, & ſervituti redigo; ne forte, cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus inveniar.* Simul infirmitatem, malitiamque deſignat, quia nemini poteſt nocere diabolus, niſi ipſe ſe miſerit. Nam qui relictis cœleſtibus eligit terrena, voluntarium quoddam
T. III. pag. 478. præcipitium vitæ labentis incurrit.“ Idem de Sacramentis lib. VI. c. 4. in orationem dominicam, qua liberari a malo, quod cum pleriſque aliis de diabolo interpretatur, petimus „Potens eſt autem (inquit) Dominus, qui

abſtulit

abſtulit peccatum veſtrum, & delicta veſtra donavit, tueri & cuſtodire vos adverſus diaboli adverſantis inſidias; ut non vobis obrepat inimicus, qui culpam generare conſueverat. Sed qui Deo ſe committit, diabolum non timet: *Si enim Deus pro nobis, quis contra nos?* " Iam iniecimus mentionem homiliæ S. CHRYSOSTOMI *adverſus eos, qui dicunt, dæmones gubernare res humanas*, cuius ipſemet meminit in altera, quæ mox in nova editione *San-Maurenſi* ſequitur *Ad eos, qui obiiciunt, cur e medio ſublatus non ſit diabolus*, ſeu de *diabolo tentatore* utrobique ad IOB ab ipſis etiam porcis & armentis IOB, argumento a minori ad maius, nos ad fiduciam in Deum contra maligni hoſtis inſidias & infeſtationes nos erigens: „Diximus nuper (ait) eum per violentiam non vincere, neque per tyrannidem, neque neceſſitatem afferendo, nec cogendo: quoniam ſi ita eſſet, omnes utique perderet: huiusque rei protulimus argumentum porcos, in quos nihil agere dæmones potuerunt, antequam a Domino permiſſum eſſet; armenta IOB & greges: neque enim hæc diabolus auſus eſt perdere, quouſque deſuper poteſtatem accepit. Unum igitur hoc primum didicimus, eum per vim aut neceſſitatem non vincere. Secundum poſt illud addidimus, eum quamvis fraudibus vincat, non tamen hac ratione cunctis ſuperiorem evadere, & rurſus athletam ipſum in medium protulimus IOB, cui licet mille machinas admoverit, non eum tamen hac ratione ſuperavit, ſed & victus abſceſſit." Alibi nobis armaturam Dei, quam apoſtolus *Epheſiis* pandit, ſuadet homil. IV. ſc. in caput primum *Geneſis* his verbis: „Ne exiſtimetis (ait) vulgare nobis certamen proponi: non adverſus eiusdem generis adverſarios nobis certamen, neque ex æquo exercitus noſter inſtructus eſt. Nos enim, qui corporibus ſumus annexi, in acie collocati ſumus, ut cum incorporeis virtutibus confligamus. Sed ne timeamus: nam licet inæqualis ſit pugna, magna tamen armorum noſtrorum virtus eſt. Subiungit enim hæc, quaſi diceret: quoniam noviſtis hoſtium naturam, ne animo concidatis, ne torpeſcatis ad pugnam; ſed propter hoc *ſuſcipite armaturam Dei, ut poſſitis reſiſtere inſidiis diaboli.* Multæ enim eius ſunt inſidiæ, hoc eſt, viæ, per quas negligentiores ſupplantare nititur: quas diligenter cognoſcere operæ pretium eſt, ita ut effugiamus eius conatus, & nullum ipſi ingreſſum permittamus. Quin & linguæ diligens habenda eſt cuſtodia, & oculi muniendi ſunt, & mens purganda, & perpetuo ad pugnam paratos eſſe convenit, quaſi fera aliqua invadat, & lædere conetur. Propter quod cœleſtis illa anima, doctor gentium, lingua orbis, nihil non agens pro ſalute diſcipulorum, poſtquam dixit: *Accipite armaturam Dei*; iterum ſubiicit, & nos undique muniens, & invictos faciens, ſic dicit: *State igitur accincti lumbis veſtris in veritate,* &

T. II. pag. 261.

Eph. 6, 12. ſeq.

T. IV. pag. 20.

& induti thoracem fidei, & calceati pedes veſtros in præparatione evangelii pacis. In omnibus aſſumite ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia illius ignita extinguere, & galeam ſalutaris accipite, & gladium Spiritus, quod eſt verbum Dei. Vidiſti, quomodo omnium membra munierit; & quaſi in prælium egreſſuros primum zona cingat, quo expeditiores ſimus ad curſum: dein induat nos thorace, ne a iaculis vulneremur, ſed & pedes munivit, & undique armavit fide . . . Talibus igitur armis induti, ne horreamus pugnam, ne fugiamus congreſſum, ſed neque ignavi ſimus. Nam ſicut nobis vigilantibus, malignus dæmon nunquam armorum noſtrorum virtuti prævalebit, ſi voluerimus irritas facere eius machinationes: ſic ſi deſides fuerimus, nulla nobis utilitas erit; quandoquidem inimicus ſalutis noſtræ nunquam dormitat, & omnia quæ ſaluti noſtræ obſunt, operatur. Undique igitur armemus nos ipſos, & a verbis temperemus, & ab operibus abſtineamus, quæ nos lædere poſſunt: & cum abſtinentia a cibis, tum aliarum virtutum, tum liberalitatis in pauperes ſpecimen exhibeamus: ſcientes quanta nobis merces ob curam illis exhibitam repoſita ſit.“ Prætereo, quæ idem poſtea in caput XXII. *Geneſis* hom. 47. exponit, quomodo Chriſtus ea, quæ per invidiam diaboli contra ſalutem noſtram facta ſunt, in caput illius converterit. S. Augustinus autem œconomiam Verbi incarnati pulchre explicat: Atque „ Verbum Dei (inter alia ſcribit) unicus Dei filius diabolum, quem ſemper ſub legibus ſuis habuit, & habebit, homine indutus etiam homini ſubiugavit: nihil ei extorquens violento dominatu, ſed ſuperans eum lege iuſtitiæ, ut quoniam femina decepta, & eiecto per feminam viro omnem prolem primi hominis tanquam peccatricem legibus mortis, malitioſa quidem nocendi cupiditate, ſed tamen iure æquiſſimo vindicabat, tamdiu poteſtas eius valeret, donec interficeret iuſtum, in quo nihil dignum morte poſſet oſtendere, non ſolum quia ſine crimine occiſus eſt, ſed etiam quia ſine libidine natus: cui ſubiugaverat ille, quos ceperat, ut quidquid inde naſceretur tanquam ſuæ arboris fructus, prava quidem habendi cupiditate, & tamen non iniquo poſſidendi iure retineret &c.“ Sic S. Prosper S. Augustini diſcipulus in illud Pſ. CIII. 26. *Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei*, commentans: „In mari (inquit) magno, ubi ſunt repentia, quorum non eſt numerus, ubi animalia puſilla & magna, ubi etiam noſtrarum navium commeatus; ibi eſt draco, qui de ſummis in ima deiectus iudicio Dei, ad hoc ex angelo diabolus factus eſt, ut malitiæ & nequitiæ ipſius a Sanctis illuderetur. Qui etſi indeſinenter habet nocendi cupiditatem, nemini tamen plus tentationum poteſt inferre, quam finitur. Atqui ſecundum apoſtolum fidelis eſt Deus, qui non permittit nos tentare ſupra id, quod poſſumus.“

pag. 472.

Lib. III. de lib. arbitr. c. 10. T. I. p. 623.

pag. 225.

Petro

Petro veluti conquerenti apud S. Gregorium M. lib. III. Dial. c. 20. laborioſum eſſe valde atque terribile contra inimici inſidias ſemper intendere, & continue quaſi in acie ſtare, reſpondet S. Doctor: „Laborioſum non erit, ſi cuſtodiam noſtram non nobis, ſed gratiæ ſupernæ tribuimus: ita tamen, ut & ipſi, quantum poſſumus, ſub eius protectione vigilemus. Si autem antiquus hoſtis a mente cœperit expelli, ex divina largitate plerumque agitur, ut non ſolum iam timeri non debeat, ſed ipſe etiam bene viventium virtute terreatur.“ Et mox capite ſequenti, poſtquam narraſſet a virgine Deo dicata obſeſſum liberatum a dæmone, in porcum intrare permiſſo, geminum Chriſti Domini exemplum *Matth.* VIII. 31. commemorat, ac, ut paullo ante S. Chrysostomum argumentantem audivimus, concludit in hunc modum p. 329. „Ex qua re etiam hoc colligitur, quod abſque conceſſione omnipotentis Dei nullam malignus ſpiritus contra hominem poteſtatem habeat, qui in porcos intrare non potuit, niſi permiſſus. Illi ergo nos neceſſe eſt ſponte ſubdi, cui & adverſa omnia ſubiiciuntur invita: ut tanto noſtris hoſtibus potentiores ſimus, quanto cum auctore omnium unum efficimur per humilitatem.“ *T. II. pag. 328.*

S. Bernardus in Pſalm. *Qui habitat.* ſerm. XIII. a nobis magnanimitatem expoſcit, „Quam (inquit) rugitus leonis non terreat. *Adverſarius veſter tanquam leo rugiens*, ait Petrus. Gratias magno illi leoni de tribu Iuda. Rugire ille poteſt, ferire non poteſt. Rugiat quantum vult: tantum non fugiat ovis Chriſti. Quanta minatur, quanta exaggerat, quanta intentat? Non ſimus beſtiæ, ut nos proſternat vacuus ille rugitus. Sic enim perhibent, qui talia curioſius veſtigaverunt, ad rugitum leonis nullam beſtiam ſtare poſſe, ne eam quidem, quæ adverſus ictum eius tota animoſitate repugnat: & plerumque ſuperat ferientem, quæ non ſuſtinet rugientem. Vere beſtia, vere rationis expers, qui tam puſillanimis eſt, ut ſolo timore cedat, qui ſola futuri exaggeratione laboris victus, ante conflictum, non telo, ſed tuba proſternitur. *Nondum reſtitiſtis uſque ad ſanguinem*, ait ſtrenuus ille dux, qui leonis huius noverat vanum eſſe rugitum. Et alius quidam: *Reſiſtite*, inquit, *diabolo*, & *fugiet a vobis. Iac.* IV. 7.“ *T. III. pag. 866.*

XVI. Recte vero Hermæ Paſtor diaboli opera a nobis reformidanda eſſe dicit. „Diabolum autem (inquit mandato VII. *de Deo timendo*, & *dæmone non metuendo.*) ne timeas: timens enim Dominum, dominaberis illius; quia virtus in illo nulla eſt. In quo autem virtus non eſt, is ne timendus quidem eſt: in quo vero virtus glorioſa eſt, is etiam timendus eſt. Omnis enim virtutem habens etiam timendus eſt. Nam qui virtu- *Cum quo ſemper pugnandum.* *Lib. II. Mandat. 7. T. I. p. 94.*

tem non habet, ab omnibus contemnitur. Time plane facta diaboli, quoniam maligna ſunt: metuens enim Dominum, timebis, & opera diaboli non facies, ſed abſtinebis ab eis," Sunt vero hæc opera illa diaboli, quibus renunciavimus in baptiſmate, excluſimusque dæmonem, ut iam ſupra notavimus veterum ſententiam, veluti obſideri hominem ante baptiſmum a dæmone; ſicque CLEMENS *Alexand.* in libris *Hypotypoſeon* dicit per baptiſmum *ſpiritus immundos* animæ complicitos ſecerni διυλίζεσθαι. Nihilominus vero relinquitur nobis colluctatio iuxta apoſtolum adverſus poteſtates tenebrarum harum, quemadmodum concupiſcentia in renatis, qua ipſa ad nos debellandos utitur dæmon cum ea, utpote opere ſuo, conſociatus, ut recte obſervat auctor *Gallicus* de exorciſmis ſupplendis poſt a baptiſmum, ſi urgente neceſſitate fuerint prætermiſſi, a) ac licet dæmon a nobis per baptiſmum expulſus ſit, innumeras nihilominus vias redeundi quærit; imo in tantum reſtat, quantum remanet vetus homo: quo faciunt, quæ ſupra de duobus geniis homini adhærentibus etiam poſt baptiſmum diximus, *cui enim hominum non adhærebit ſpiritus nequam, ab ipſa etiam ianua nativitatis animas aucupabundus &c.* Quem TERTULLIANI ex libro de Anima locum non de ſolis gentilium liberis intelligendum eſſe contextus declarat, ut iam indicavit *Ant.* van DALE in diſſert. de div. Idolol. c. 7. ORIGENI non ſatis originariæ noſtræ labi ac corruptioni attendenti viſæ ſunt „interdum etiam in hoc exiſtere quædam anteriores corporeæ nativitatis cauſæ. Interdum vero (pergit) vigilans mens & abiiciens a ſe, quæ mala ſunt, bonorum ad ſe adiutorium provocat: vel e contrario negligens & ignava, dum minus cauta eſt, locum dat his ſpiritibus,

De Princip. lib. III. c. 3. T. I. p. 145.

a) „Mais la concupiſcence demeure, quoi elle n'opprime plus la liberté de faire le bien; & le démon, a qui elle eſt, parce qu'elle eſt ſon ouvrage, la ſuit où elle ſe retire. Il poſſedoit autrefois le cœur, parce qu'elle y regnoit; il en eſt chaſsé avec elle, & perd ce qu'elle perd: mais il retient tout ce qu'elle retient. Et qui peut comprendre ce qu'elle conſerve dans la volonté, dans l'eſprit, dans les ſens, & en general dans ce corps de mort, apres meme qu'elle n'eſt plus maitreſſe de la liberté? Tout cela reſte donc au demon; & cette vie nouvelle, qui commence par le cœur dans les batisés, ne peut ſe fortifier ni s'étendre, qu'en chaſſant l'ennemi des lieux les plus proches, qu'en gagnant tous les iours un nouveau terrain, & qu'en forçant l'un apres l'autre tous les retranchemens, que le demon occupoit." Et paullo poſt de ceremoniis exorciſmi poſt baptiſmum ſupplendis. „Ils ne chaſſeront pas le démon de leur cœur: il n'y eſt plus. Mais il en eſt ſi voiſin, il a tant de chemins pour y arriver, & il y conſerve de ſi dangereuſes intelligences; il eſt ſi maitre de toute la campagne. C'eſt a dire de tout ce qui n'eſt point de la liberté, ou pour le moins il y fait tant de ravages; il s'eſt ſi fortifié dans diverſes retranchemens, & il y a tant de peril, qu'il n'éteigne un iour l'eſprit de grace & de vie, que les exorciſmes les plus terribles, & les plus menaçans ne peuvent l'etre trop." *Abbé* DUGUET *diſſ. theol. & dogmat. I. ſur les exorciſmes pag.* 125. 126. 133

ſpiritibus, qui velut latrones ex occulto inſidiantes, irruere humanas mentes, cum locum ſibi datum per ſegnitiem viderint, moliuntur, ſicut (ait Petrus apoſtolus) *quia adverſarius noſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* Propter quod diu noctuque cor noſtrum omni cuſtodia ſervandum eſt, & locus non eſt dandus diabolo, ſed omnia agenda ſunt, quibus miniſtri Dei, hi videlicet ſpiritus, *qui ad miniſterium miſſi ſunt eorum, qui ad hæreditatem ſalutis vocati ſunt*, inveniant in nobis locum, & delectentur ingredi hoſpitium animæ noſtræ, & habitantes apud nos conſiliis nos regant. Si tamen habitaculum cordis noſtri virtutis & ſanctitatis cultu invenerint exornatum.“ Eodem furis exemplo utitur S. Hilarius in *Matth.* XXIV. „Furem enim eſſe oſtendit diabolum ad detrahenda ex nobis ſpolia pervigilem, & corporum noſtrorum domibus inſidiantem: ut ea incurioſis nobis & ſomno deditis conſiliorum ſuorum atque illecebrarum iaculis perfodiat.“ *Cap. 26. p. 734.*

Lectu digna eſt S. Macarii *Ægyptii* homilia XXVI. *de dignitate, præſtantia, & facultate, & operationibus immortalis animæ, & qua ratione ea a ſatana tentetur, & liberationem e tentationibus conſequatur &c.* reſponſio ad hanc interrogationem: *Utrum quieſcit interdum ſatanas, & homo liberatur a bello, aut quamdiu vivit, bello infeſtatur?* Et ea, ad quæ iam digitum intendimus S. Ioannis *Chryſoſt.* lib. VI. *de Sacerdotio*: ubi poſtquam oſtendiſſet omni pugna vehementiorem eſſe diaboli in nos aſſultum, ſic concludit: „In bello autem contra malignum illum, nunquam licet arma ponere, nec ſomnum capere eum, qui velit ſemper invulneratus eſſe. Ex duobus enim unum neceſſario eligat oportet, ut aut cadat, & pereat armis nudatus; aut armatus ſtet, vigiletque ſemper. Nam ille ſtat perpetuo cum acie ſua, noſtram ſegnitiem obſervans, maiusque ſtudium ad noſtram perniciem adhibens, quam nos ad ſalutem noſtram. Ac quod a nobis non videatur, quodque de repente irrumpat, quæ maxime in cauſa ſunt innumerabilium malorum; id certe iis, qui non ſemper vigilant, magis dubium huius, quam illius belli eventum facit, Hic igitur nos volebat milites Chriſti ducere? At hoc fuiſſet diabolo ducem eſſe: nam cum is, qui debet alios ad bellum inſtruere, ipſiſque imperare omnium imperitiſſimus, infirmiſſimusque eſt, imperitia ſua concreditos ſibi milites prodens, diabolo magis, quam Chriſto ducem agit.“ Stringit hoc eos ex ſacerdotio etiam, qui in dæmonologia a doctrina avita ſanctorum Patrum ſeceſſionem facientes, dum dæmones ab orbe noſtro terraqueo removent, atque iam poſt Chriſtum ligatos in inferno publice etiam proloquuntur, cæteros, qui a theologorum ore pendere ſolent, incautos & incurios reddunt contra quotidianas ac innumerabiles dæmo- *T. VII. Biblioth. PP. p. 94. pag. 98. T. I. p. 434. 435.*

 num

num inſidias, infeſtationesque continuas. „Quis enim (ut verbis S. AUGUSTINI utar) pertinens ad Chriſtum, non variis tentationibus agitatur, & quotidie agit cum illo diabolus & angeli eius, ut pervertatur qualibet cupiditate, qualibet ſuggeſtione, aut promiſſione lucri, vel terrore damni, vel promiſſione vitæ, vel terrore mortis, aut alicuius potentis inimicitiis, aut alicuius potentis amicitiis? Omnibus modis inſtat diabolus, quemadmodum deiiciat: & in perſecutionibus vivimus, & habemus perpetuos inimicos, diabolum & angelos eius: ſed non timeamus. Sic ſunt diabolus & angeli eius, quaſi milvi; ſub illius gallinæ alis ſimus, & non nos poteſt contingere, gallina enim, quæ nos protegit, fortis eſt. Infirma eſt propter nos; ſed fortis eſt in ſe Dominus noſter IESUS Chriſtus, ipſa ſapientia Dei. Ergo dicit hoc & Eccleſia: *Adglutinata eſt anima mea poſt te, me ſuſcepit dextera tua.*" Cohærent, quæ idem alibi dicit: „Quanto in hæc ima poteſtatem dæmonum maiorem videmus, tanto tenacius mediatori inhærendum, per quem de imis ad ſumma conſcendimus." Add. S. GREGORIUS lib. II. & III. Moralium in IOB.

Enarrat. in pſal. 63. n. 17. T. IV. p. 616.

L. XVIII. de Civit. Dei c. 18. T. VII. p. 500.

Traditus ſatanæ iuxta apoſtolum ipſique angelus ſatanæ, qui eum colaphizet.

De fuga in perſecut. c. 2. p. 537.

XVII. „Nihil vero (ut cum TERTULLIANO loquar) ſatanæ in ſervos Dei vivi licebit, niſi permiſerit Dominus, ut aut ipſum deſtruat per fidem electorum in tentatione victricem, aut homines eius fuiſſe traducat, qui defecerint ad illum." Loquitur de perſecutionibus inſtigante dæmone in Chriſtianos motis, expenſa etiam IOBI hiſtoria: poſtea vero aliis exemplis ex ſcripturis cauſas varias diſtinguit, ob quas ſatanæ poteſtas in homines concedatur: „Aut enim (ait) ex cauſa probationis conceditur ei ius tentationis provocato vel provocanti, ut in ſuperioribus: aut ex cauſa reprobationis traditur ei peccator quaſi carnifici in pœnam, ut SAUL: *Et abſceſſit*, inquit, *Spiritus Domini a* SAULE, *& concutiebat eum ſpiritus nequam a Domino, & ſuffocabat.* Aut ex cauſa cohibitionis, ut apoſtolus refert, datum ſibi ſudem angelum ſatanæ, ut colaphizetur: nec hanc ſpeciem permitti diabolo in ſanctos humiliandos per carnis vexationem, niſi ſimul ut & virtus tolerantiæ ſcilicet in infirmitate perfici poſſit. Nam & ipſe apoſtolus PHIGELLUM & HERMOGENEM tradidit ſatanæ, ut emendentur, ne blaſphement."

1 Cor. 5, 5.

Præterit hic exemplum inceſtuoſi *Corinthii*, quem nempe iuſſit PAULUS *tradere huiusmodi ſatanæ in interitum carnis: ut ſpiritus ſalvus ſit.* Exemplum hoc apoſtoli inter alios ſecutum fuiſſe S. AMBROSIUM in eius vita PAULINUS memorat, in falſarium ſcilicet ſervum comitis STILICONIS, antea a dæmonio ab eodem liberatum: „quem cum interrogaſſet, & deprehendiſſet auctorem tanti flagitii (ut narrat PAULINUS n. 43.) ait:

Oportet

Oportet illum tradi ſatanæ in interitum carnis, ne talia impoſterum audeat admittere. Quem eodem momento, cum adhuc ſermo eſſet in ore ſacerdotis, ſpiritus immundus arreptum diſcerpere cœpit. Quo viſo, non minimo terrore repleti ſumus, & admiratione.“ Mirum hinc non eſt, S. Ambrosium, cum quidem S. Pauli ſententiam etiam de corporalibus afflictationibus ex operibus pœnitentiæ cum Origene hom. 24. in *Levit.* Basilio ad Amphiloch. c. 7. & aliis interpretetur, cum illis etiam *græcis* potiſſimum Patribus Chrysostomo, Theodoreto, Oecumenio &c. facere, qui apoſtolum de ſæviendi in eorum corpora, qui traditi ſunt ſatanæ, poteſtate intellexerunt, quam S. Ambrosius lib. I, *de Pœnitentia* c. 13. his verbis explicat: „ Explanavimus Pauli ſententiam, nunc verba ipſa conſideremus, qua ratione dixerit, quod tradiderit eum ſatanæ in interitum carnis; quia tentator noſter diabolus eſt. Nam debilitates membris ſingulis infert, & ægritudines toti ſolet movere corpori. Denique percuſſit ſanctum Iob ulcere malo a pedibus uſque ad caput; quia in poteſtate acceperat interitum carnis eius, dicente Deo: *Ecce trado tibi eum, tantummodo animam eius cuſtodi.*“ Quod exemplum urgent editores *San-Mauriani* ad hunc locum, atque etiam affert S. Chrysostomus in homilia *de diabolo tentatore*, ubi eum Pauli locum pluribus explanat; allato quippe apoſtoli loco: „ Ecce etiam (ait) ſalutis auctor factus eſt diabolus: tametſi non ex ipſius mente, ſed ex artificio apoſtoli. Nam quemadmodum medici viperas ſumunt, & pernicioſis membris reſectis theriaca medicamenta conficiunt: ita quoque Paulus fecit; quidquid inerat utile, ex illato a diabolo ſupplicio ſumens, reliquum omiſit. Ut enim intelligas, non eſſe ſalutis auctorem diabolum, ſed illum in id incubuiſſe, ut hominem perderet ac devoraret, apoſtolum autem ſapientia ſua gulam ei fregiſſe, audi, quid in ſecunda ad *Corinthios* epiſtola de eodem fornicatore dicat; *Confirmate in illum caritatem, ne forte abundantiori triſtitia abſorbeatur, qui eiusmodi eſt, & circumferamur a ſatana*: præripiamus ex belluæ faucibus hominem. Tanquam enim carnifice perſæpe diabolo uſus eſt apoſtolus: carnifices autem maleficos quidem puniunt, at non quantum volunt, ſed quantum iudices ſinunt: ea quippe lex eſt carnificis, ut ad iudicis nutum attendens pœnam inferat. Vides ad quantam aſcenderit apoſtolus dignitatem? qui circumdatus erat corpore, incorporeo tanquam carnifice utebatur, & quod diabolo communis Dominus Iob ita præcipiens ait, *Tange carnem eius, veruntamen animam eius ne tetigeris,* limites menſuraſque pœnarum præſcribens: ne cum procax & effrænata ſit bellua, inſolentius impetum faciat: hoc etiam agit apoſtolus: cum enim tradidiſſet ei fornicatorem, ait, *In interitum carnis*, hoc eſt, animam eius ne tetigeris.“

T. III. pag. 514.

T. II. pag. 264.

Digitized by Google

S. Chrysostomus hoc loco non aperte corporalem torturam dæmonis
declarat, etſi utroque ſenſu accipi poſſit, atque diabolus poteſtate acce-
pta utrumque & animam & corpus infeſtet: hocque ſenſu etiam c. 28.
S. Bernardus in vita S. Malachiæ alterum S. Pauli locum adhibet, quo
datum ſibi ſtimulum carnis angelum ſatanæ ipſe 2. *Cor.* XII. 7. dicit, dum
maledicum in ſanctum antiſtitem dæmone ſubito correptum peſſimeque
T. II. Opp. p. 685. habitum narrat. „Et dum inſaniret (pergit S. Bernardus) vocatus Ma-
lachias venit, reperitque maledicum ſpumantia ora torquentem, horren-
dis vocibus & motibus terrentem omnia, ac toto corpore agitatum, vix
poſſe teneri a pluribus: & orans pro inimico vir totius perfectionis, ex-
auditus eſt, ſed ex parte. Nam ilico quidem Sancto orante, ille aperuit
oculos, & ſenſum recepit. Relictus eſt autem ei ſpiritus Domini malus,
qui eum colaphizet, ut diſcat non blaſphemare. Credimus eum vivere
uſque adhuc & uſque ad hæc tempora luere peccatum grande, quod pec-
cavit in Sanctum: certis temporibus tamen ferunt lunaticum eſſe.“ Huc-
uſque S. Bernardus, nihil reticens, quod forte exceptionem ferre poſſet
prodigii; at etiam lunaticus fuiſſe dicitur *Matth.* XVII. 14. &c. puer, a
quo Chriſtus eiecit dæmonium, quem vero curare non potuerant diſcipu-
li. Talis tamen non fuerat *Corinthius*, quem Paulus in carnis interitum
L. XXXIII. in cap. XL. Iob. T. I. p. 1086. *ad ſatisfactionem pœnitentiæ*, ut cum S. Gregorio rem exprimam, ſata-
næ tradidit, & in diem Domini ſalvum eius ſpiritum reſervavit. „Magna
quippe (pergit) arte magiſterii ipſi eſt traditus coactus in pœnam, cui
ſponte eſt ſubſtratus in culpa: ut qui auctor fuerat ad vitium nequitiæ,
ipſe flagellum fieret diſciplinæ.“ Addam, quæ idem paullo poſt de S.
Paulo ſermocinatur: „quando illum poſt tot revelationum ſublimia ſtimu-
p. 1092. lis carnis agitabat *Satan*. Tentatio ergo illa non vorago (inquit) vitio-
rum, ſed cuſtodia meritorum fuit: quia *Leviathan* iſte fatigando eum in
afflictione contrivit, ſed non in culpa capiendo devoravit. Elatos autem
in ſanctitate viros non amitteret, niſi tentaret. Sancti quippe non eſſent,
qui de ſanctitatis gloria ſuperbirent: & tanto ſub eius iure caderent, quan-
to ſe in ſuis virtutibus elevarent. Sed miro diſpenſationis ordine, dum ten-
tantur, humiliantur; dum humiliantur, eius eſſe non deſinunt. Bene
ergo maxilla *Behemoth* iſtius perforata dicitur, quia electos Dei unde con-
terit, inde amittit: unde tentat, ut perdat, agit inde, ne pereant. An-
tiquus itaque hoſtis occultis Dei diſpenſationibus ſerviens, Sanctorum ani-
mas ad interitum tentat volens, ſed ad regnum tentando ſervat invi-
tus.“

XVIII.

XVIII. Sed apoſtolo Paulo alia longe potior viſa eſt tentatio, *quoniam*, inquit, *non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus principes & poteſtates, adverſus rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus.* Didymus *Alexandr.* hanc ſententiam opponit illi 1. ad *Cor.* X. 13. *Tentatio vos non apprehendat, niſi humana.* „Ac ſi diceret: Nobis, qui celſiore gradu conſcendimus, non eſt lucta adverſus ſanguinem & carnem (id eſt, adverſus humana) ſed adverſus ſuperiorum ordinum adverſarios." Machinas indigitans & obſtacula, quæ portæ inferi evangelio opponebant. Unde & ad *Theſſalonicenſes* ſcribit, voluiſſe ſe ſemel & iterum venire, *ſed impedivit nos ſatanas.* At prædeſtinatum evangelii curſum, quidquid contra molitus ſit, ſiſtere non potuit, nec, quin eo fortior magnificentiorque ſurgeret eccleſia, cohibere, & *portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Univerſumque par eſt permiſſionis mali in hoc mundo, & maligni in eccleſia ratio, ut bonis frugique hominibus omnes eius machinationes & mala, quæ infert, ad profectum potius ſunt. „Hæc omnia dæmonum opera ſunt (inquit Origenes contra Celsum lib. VIII. recenſitis variis phyſicis in orbem a dæmone illatis malis) ceu carnifices iudicio quodam divino poteſtatem hanc habentium certis temporibus, ſive ad convertendos homines, & cohibendos ab effuſa vitiorum licentia, ſive ad exercendum genus hominum ratione utentium, ut mediis in adverſitatibus pietatem conſtanter colentes, & a virtute non diſcedentes conſpicui fiant ob præſtantiam ſpectatoribus viſibilibus & inviſibilibus; illi vero contrarii quærentes vitiorum latebras, per calamitates arguantur, quales ſint, & ad ſe redeant per ſpectatores, ut ita dicam, traducti. Teſtatur autem pſaltes, quod triſtiores Dei iudicis ſententias exequantur quidem angeli mali, ubi dicit: *Immiſit in eos iram furoris ſui, furorem & iram, & afflictionem; immiſſiones per angelos malos.* An autem etiam alia præter hæc faciant dæmones, quando permittitur (ſemper quidem nocendi cupidi, ſed non ſemper valentes lædere, eo quod prohibeantur) qui poteſt, examinet divina iudicia, quantum homini licet."

Sic ad bonorum profectum ſunt dæmonum inſultus.
Ephеſ. 5, 12.
T VI. Bibl. PP. p. 313.
Dydimus in lib. contra Manichaeos.
1. *Theſſ.* 2, 18.
T. I. p. 765.

At curioſis ſatis hoc non eſt, vellentque ſcire rationes, cur nocere nobis permittantur, aut ſaltem nos infeſtare dæmones? Quibus breviter reſponderi poteſt S. Ambrosii verbis eadem pulſati quæſtione: „Sed dicit aliquis: Cur hoc a Deo permittitur diabolo? At ego dico, ut boni probentur, improbi puniantur; hæc enim pœna peccati eſt. Denique lege, quia immittit Dominus febrem, & tremorem, & malos ſpiritus, & cæcitatem, & omnia flagella, iuxta merita peccatorum." S. Macarius libro de

Lib. VI. in Lucam T. II. p. 905.
Deuter. 28, 59.

Digitized by Google

de patientia & diſcretione ab hac diſquiſitione, ab ovo veluti, ſeductione nimirum noſtrorum primorum parentum orſus „Virga eſt (inquit) diſciplinæ & lorum plagas infligens princeps huius ſæculi parvulis in ſpiritu: ipſis quidem, ut prius dictum eſt, magnam gloriam & abundantiorem honorem per afflictiones & tentationes procurans: ex his enim, ut & ipſi perfecti evadant, oritur; ſibi autem miſer ipſi maiorem gravioremque præparans pœnam. Omnino enim maxima & mira quædam per eum adminiſtratur diſpenſatio, prout dictum alicubi eſt: Cooperatur malum bono intentione non bona. Bonis ſiquidem & laudabili vigentibus propoſito animabus, quæ moleſta videntur, in bonum deſinunt: quod ipſe quoque affirmavit apoſtolus ſic ſcribens: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Huius rei gratia iſta, de qua dixi, virga diſciplinæ ſacræ permittitur, ut per eam velut in fornace ignis excocta vaſa, quæ quidem proba ſunt, ſoliditatem demonſtrent; quæ vero proba non ſunt, fragilitatis coarguantur, ignis ardorem non ferentia." Et in libro *de libertate mentis* c. 16. „Cur enim (inquit) quando mundo, & ſæcularibus attendebamus rebus, moleſtias eas, in quas poſtea incidimus, non experiebamur; ſed nunc cum acceſſimus ad ſerviendum Deo, multiplices illas tentationes patimur? Vides propter Chriſtum has in nos immitti afflictiones ab adverſario invidente nobis ſperatas retributiones, languoremque ac deſidiam iniicere animabus noſtris ſtudente, ne ad Dei beneplacitum vita transacta, promiſſis præmiis donemur. Omnes eius contra nos irritæ fiunt machinæ nobis cum Chriſto pugnantibus. Hic enim, magnus hic invictus nobis protector & propugnator præſto eſt."

T. VII. T. II. Opp. p. 75.

Ib. n. 102.

Tractat hoc argumentum prolixe S. Chrysostomus in oratione adhortatoria ad Stagirium aſcetam a dæmonio vexatum, eam etiam verſans quæſtionem, quæ hodie multos pulſat, ſatis ſibi haud comprehendentes, quod Deus poteſtatem hanc dæmoni in homines concedat. „Porro (inquit) ſi quis curioſius inquirat, cuius rei gratia veterem illum ſeductorem non continuo deleverit, id quoque pro ſumma in nos cura factum comperiet. Si enim ſceleratus ille vi dominaretur: eſſet fortaſſe rationabilis iſta inquiſitio: ſin autem hac potentia privatus, tantum perſuadere atque allicere poteſt: illius vero ſuaſionis illecebras renuere in nobis eſt: cur tu meriti argumentum tollis, coronarumque materiam præſcindis? At hæc ſi illum ſciens fore inſuperabilem cunctosque devicturum, ita illum dimiſiſſet Deus, ne ſic quidem de his movenda quæſtio eſſet. Nam tum quoque, quod ille obtineret, quod vinceret non reluctantes, ſed ſponte ſibi cedentes, atque ſuccumbentes, a nobis profecto manaſſet; verumtamen his, qui ingrate agere volunt, ne id quidem ſatis eſſet. Quod-

T. I. Opp. p. 154. ſeq.

pag. 162.

ſi

ſi plurimi quidem illius potentiam ac vires frangunt, complures item poſthac illum ſuperaturi ſunt: quid tu futuros probatiſſimos clariſſimaque victoria inſignes tanto privas honore? Idcirco enim illum dimiſit, ut eum deiiciant, qui fuerant ab eo prius ſuperati, quod illi omni ſupplicio gravius eſt, ipſumque ad extremam condemnationem deducet. At non omnes, inquies, illum ſuperaturi ſunt. Quid hoc ad rem? Profecto enim multo convenientius eſt iuſtis occaſiones ſuppeditari, quibus voluntatem oſtendant ſuam: eos vero, qui non ſunt huiusmodi, ex propria puniri negligentia, quam iſtorum cauſa illis etiam damnum afferri. Nam modo is, qui malus eſt, ſi lædatur, non ſuperatur: quod indicat victorum multitudo. Tunc vero probi quique improborum cauſa meritis honoribus fraudati fuiſſent, non habentes illorum culpa, ubi vires exercerent ſuas &c.“ Sed hæc ego prælibo tantum, digitumque ad ipſum fontem intendo ſanctum doctorem, aureo orationis flumine hæc proſequentem, demum ipſius Stagirii adducto exemplo, ex obſeſſione ſua vexationeque dæmonis profectum capiente inſignem. „Tanta enim (inquit) audio tibi acceſſiſſe pietatis incrementa, ut non iam cum adoleſcentulis illis, ſed cum magnis admirandisque viris virtute contendas.“ Libro I. Conſultationum a Zacchæo Chriſtiano & Apollonio philoſopho conſimiles quæſtiones motas legimus c. 32. „Si tam malus eſt diabolus, quam dicis, & tam pertinax criminum, futuri præſcius Deus nec malum creare debuerat, nec tanto culmine dignitatis efferre, ne aut ſibi obvium, aut hominibus crearet inimicum.“ Et cum huic eſſet ſatisfactum interrogationi, mox cap. 33. hæc altera ſequitur: „Etiam hæc cum ratione facere videntur, quæ de diaboli creatione, caſuque dixiſti: Sed quid cauſæ ſit, quod poſt auſum tantæ temeritatis, ſicut iam quæſivi, deletus ſtatim cum ſatellitibus non fuerit, ſignanter ediſſere.“ Poſt S. Chrysostomum iam citatum nihil opus eſt hic reſponſionis attexere, quam chriſtianus ibi philoſopho dat ad quæſtionem de origine mali omni tempore vexatiſſimam, *Manichaiſmi* parentem, quæ hæreſis eam ob rationem ipſum aliquando S. Augustinum in errorem illum abſtraxit, quem poſtea egregie in libris contra *Manichæos* refutavit. Occurrit porro dubio illi, quod fideles etiam ſolet pulſare de *Geneſi* ad literam lib. XI. quomodo de diaboli *malevolentia conſulitur eccleſia Dei*: nec quantum vult, ſed quantum permittit Deus optimus maximus eum tentare, ex ipſa lapſus primorum parentum oſtendit hiſtoria.

Pag. 180. *T. IX. Bibl. PP. p. 219.* *T. III. p. 287.*

XIX. „Sed, ſicut iam dixi (pergit paullo poſt) tentandi voluntatem habet diabolus, in poteſtate autem nec, ut faciat, habet, nec quomodo faciat. Quia permiſſus eſt ergo, tentavit: cui autem generi hominum

In quantum Deus permittit.

Digitized by Google

prodeſſet, quod faciebat, neque ſciebat, neque volebat, & eo ipſo illudebatur ab angelis.“ Quod quomodo fiat, S. Ambrosius oſtendit exemplis: „Denique (inquit lib. I. *de Pœnit.* c. 13.) percuſſit ſanctum Iob ulcere malo a pedibus uſque ad caput, quia in poteſtate accepit interitum carnis eius dicente Deo: *Ecce trado tibi eum, tantummodo animam eius cuſtodi.* Hoc iisdem verbis apoſtolus transtulit, dicens, quod tradiderit huiusmodi hominem ſatanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini noſtri IESU Chriſti. Magna gratia, quæ imperat diabolo, ut ipſe ſe deſtruat. Se enim deſtruit, cum hominem, quem tentando ſupplantare ſtudet, ex infirmo fortiorem efficit: quia dum carnem debilitat, mentem eius corroborat. Ægritudo enim carnis peccatum repellit, luxuria autem carnis culpam adolet. Illuditur ergo diabolus, ut ſe ipſe morſu ſuo vulneret, & contra ſe armet, quem debilitandum putavit.“ Addatur & mox ſequens caput, ad cuius finem ipſius etiam Pauli exemplum adiungens, dum ei angelus ſatanæ datus eſt, qui eum colaphizet, „Sic ergo (concludit) curare Paulus didicit, quemadmodum ipſe ſanatus eſt.“ S. Macarius autem mox laud. loco ſermonem proſecutus ad id 1. *Cor.* X. *Fidelis eſt Deus, qui non permittet vos tentari ſupra id, quod poteſtis &c.* provocans, „Cum ſit autem (inquit) diabolus ſervus & creatura Dei, imperium eius abſolutum agnoſcens, non, quantum ipſi libet, tentat, nec quam multas ac graves vult, afflictiónes immittit; ſed quantum herilis nutus permittit, permiſſione limitata. Sane Deus exactiſſime, quantum in unoquoque eſt pervidens, exploratum habet, quantum cuique inſit virium; & ad eum modum probationem ei admoveri permittit; ſicut etiam videtur apoſtolo, dum ait: *Fidelis Deus, qui non permittet vos tentari ſupra id, quod poteſtis: ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.*

T. III. p. 515. — *pag. 76.*

S. Chrysostomus, poſt Tertullianum *de fuga in perſecut.* c. 2. p. 537. ad hoc oſtendendum inde accipit argumentum, quod in porcos, Chriſto permittente, intrantes egerunt dæmones: „Primo (inquit) ut doceret eos, qui a malignis huiusmodi tyrannis liberati eſſent, quantam perniciem afferrent inſidiatores huiusmodi; ſecundo, ut diſcerent omnes, dæmones ne quidem porcos invadere poſſe, niſi ipſe permiſerit: tertio ipſos graviora in homines, quam in porcos, perpetraturos fuiſſe, niſi in calamitate per magnam illam Dei providentiam ſervati fuiſſent. Nam quod magis nos, quam bruta animalia odio habeant, nulli non manifeſtum eſt. Itaque qui porcis non pepercerunt, & in momento omnes præcipitarunt, multo magis hominibus id feciſſent, quos tenebant in deſertum adducentes, niſi etiam in hac ipſa magna, quam exercebant, tyrannide, Dei cura illos fre-

Hom. XXIX. in Matth. T. VII. 337. Add. hom. LVII. pag. 579.

Digitized by Google

ſrenaſſet & coercuiſſet, ne pernicioſiora facerent.“ S. Augustinus in illud *Iobi* XXXVIII. 40. *Pavidi enim ſunt in cubilibus ſuis*, ut ipſe legit: „ Nam ſi pavidi non eſſent, quis ſubſiſteret? Pavent autem illius imperium, ſub quo exclamarunt, *Quid veniſti ante tempus perdere nos?* Et quemadmodum de porcis manifeſtum eſt, quod in eos non iſſent, niſi permiſſi eſſent, ſic intelligendum eſt nihil eos in quemquam poſſe, niſi permiſſos: permitti autem iuſtitia, qua reguntur omnia, ſive probationis cauſa, ſive vindictæ, vel ad damnationem, vel ad correctionem irrogatæ.“

Idem S. Augustinus *Enarratione in Pſal* XXVI. n. 19. timorem illum, cuius reliquiæ ex Gentiliſmo forte ſupereſſe poterant, excutere volens *ne irati noceant*, „ Non (inquit) nocebunt, niſi ille permittat. Iſti ſemper habent voluntatem nocendi, nec ſi placentur, nec ſi rogentur, deſinunt nocere velle. Hoc enim malevolentiæ illorum proprium eſt.“ Et poſtea *Enarratione in Pſal.* XCVI. n. 12. „ Quid tibi facturus eſt vel princeps ipſorum diabolus? ſi poſſet aliquid, nullus noſtrum remaneret. Nonne quotidie tanta in illum dicuntur ore Chriſtianorum, & creſcit ſeges Chriſtianorum? Quando iraſceris nequiſſimo ſervo tuo, hoc nomen illi imponis: *Satanas*, *diabole*, hoc illi dicis. Fortaſſe in hoc erras, quia homini hoc dicis, & immoderata ira raperis ad conviciandam imaginem Dei: & tamen hoc eligis, quod ei dicas, quod valde deteſtaris? Si poſſet ille, non ſe vindicaret? Sed non permittitur: & tantum facit, quantum permittitur. Nam & Iob tentare voluit, & nonniſi poteſtatem quæſivit, & nihil faceret, niſi poteſtatem accepiſſet.“ Oportet ſpem illam ſeu timorem illum dæmonum multum adhuc animis inſediſſe, conatumque averruncandi, cum idem ſanctus doctor in libris *de Civitate Dei* paſſim eum amovere ſtudeat: „ Nec (ait) eosdem immundiſſimos ſpiritus, vel propter hæc ipſa bona malave terrena propitiandos aut timendos exiſtimemus. Quia ſicut ipſi mali homines in terra, ſic etiam illi non omnia quæ volunt, facere poſſunt, niſi quantum illius ordinatione ſinuntur; cuius plene iudicia nemo comprehendit, iuſte nemo reprehendit.“ Et lib. III. c. 10. „ Intereſt quidem iam vitio proprio, malas mentes quatenus ſinantur iſti dæmones vel terrere vel excitare: ſed ſi ſemper hoc poſſent, nec aliud ſecretiore ac ſuperiore poteſtate contra eorum conatum ſæpe aliter ageretur, ſemper in poteſtate haberent, paces, bellicasque victorias, quæ ſemper fere per humanorum animorum motus accidunt; quas tamen plerumque contra eorum fieri voluntatem, non ſolum fabulæ multa mentientes, & vix veri aliquid vel indicantes, vel ſignificantes, ſed etiam ipſa *Romana* confitetur hiſtoria.“ Agit hic ſanctus doctor de auctis reipublicæ *Romanæ* rebus, quas

T. IV. p. 127.

p. 1050.

T. VII. p. 53. lib. II. c. 23.

pag. 65.

Digitized by Google

diis ſuis ſeu dæmonibus adſcribebant gentiles, collabentes autem Chriſtianiſmo. Id quod maxime impugnandum ſuſcepit S. Augustinus libris illis *de Civitate Dei*, commonſtrandumque, quam impotentes ſint ad vera ſaltem conferenda bona, neque in malis aliquid, niſi Deo id permittente, prævalentes. „Non quo idola (ut cum S. Hieronymo loquar) vel dæmones aſſidentes idolis mala ſæpe non fecerint, ſed quo, niſi conceſſa eis fuerit poteſtas a Domino, hoc facere non poſſint.“ A veri Dei cultore B. Iob S. Ambrosius nos ad nos ipſos revocans „Nam (inquit) & Iob ex Dei voluntate tentatur. Dedit tibi adverſarium, ſed propoſuit præmium. Nec excuſes fragilitatem, qui habes imaginem, accepiſti munitionem: unde & hoc proficit ad ſalutem, ut ſine permiſſione Dei diabolum nocere non poſſe cognoſcas; ne potentiam diaboli magis timeas, quam Divinitatis offenſam.“

Lib. XII. in cap. XLI. Iſaiæ pag. 315. — *Lib. VII. in Lucam T. II. p. 963.*

S. Gregorius Moralium lib. II. in cap. I. *Iob* illa nimirum verba: *Ecce univerſa, quæ habet, in manu tua ſunt &c.* „Conſideranda eſt (inquit) in verbis Domini diſpenſatio ſanctæ pietatis, quomodo hoſtem noſtrum permittit, & retinet; relaxat & refrenat: *Univerſa quæ habet, in manu tua ſunt; tantum in eum ne extendas manum tuam.* Subſtantiam prodit, ſed tamen corpus eius protegit, quod quidem poſtmodum tentatori traditurus eſt; ſed tamen non ſimul ad omnia relaxat hoſtem, ne undique feriens frangat civem. Mala enim cum multa electis eveniunt, mira conditoris gratia ex tempore diſpenſantur: ut quæ coacervata perimerent, poſſint diviſa tolerari. Hinc Paulus ait: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione etiam exitum, ut poſſitis ſuſtinere.* Hinc David ait: *Proba me Domine, & tenta me.* Ac ſi aperte dicat: Prius vires inſpice, & tunc ut ferre valeo, tentari permitte. Hoc tamen quod dicitur: *Ecce univerſa, quæ habet, in manu tua ſunt: tantum in eum non extendas manum tuam.* Intelligi & aliter poteſt, quia fortem quidem pugnatorem ſuum Dominus noverat, ſed tamen dividere ei certamina contra hoſtem volebat: ut quamvis robuſto bellatori victoria in cunctis ſuppeteret, prius tamen de uno certamine hoſtis ad Dominum victus rediret: tuncque ei aliud iterum vincendo concederet, quatenus fidelis famulus eo mirabilius victor exiſteret, quo victus hoſtis ſe contra illum iterum ad nova bella repararet.“ Et lib. XVIII. illa verba: *Qui abſtulit iudicium meum, & ad amaritudinem adduxit animam meam,* ſic declarat: „Iſta etenim quæ patitur non caſu ſe perpeti, ſed Deo omnia diſponente teſtatur: nec tentatori ſuo amaritudinis ſuæ poteſtatem tribuit, ſed auctori. Scit namque, quia diabolus licet afflictionem iuſtorum ſemper appetat; tamen ſi ab auctore noſtro poteſtatem non accipit,

T. I. p. 46. — *p. 558.*

ad tentationis articulum nullatenus convaleſcit. Unde & omnis voluntas diaboli iniuſta eſt, & tamen permittente Deo omnis poteſtas iuſta. Ex ſe enim tentare quoslibet iniuſte appetit, ſed eos, qui tentandi ſunt, prout tentandi ſunt, non niſi tentari Deus iuſte permittit."

Diſcrimen hic faciunt theologi inter ordinariam & extraordinariam permiſſionem diverſis quidem infeſtationum generibus appoſitam, ſed in tantis, tam variis periculis ac machinationibus hoſtium noſtrorum inviſibilium rem aſſequi perſpicacia humana, ſagacique diſcretione difficile eſſe videtur. Illis vero ſuperflua eſt ea diſtinctio, qui dæmonem a Chriſto ligatum, & in barathrum detruſum in ſenſu ſtricto accipientes, omnem operationem dæmoniacam in ſphæra noſtra ad caſus extraordinarios referre, adeoque opinione ſua humanum genus ſatis tutum ab inſidiis dæmonum præſtant; a quorum tamen inſidiis ac infinitis technis ſacra ſcriptura, & ſancti Patres tanto conſenſu nos tantopere cautos eſſe volunt; ac ſollicita de ſalute animæ & corporis eccleſia ſpiritualibus munit armis, conceptisque publicarum precum & exorciſmorum inſtruit formulis, monetque apoſtolus *Epheſ.* VI. 11. *armaturam induere Dei, ut poſſimus ſtare adverſus inſidias diaboli.* a) a

XX. Quid quod ipſe Dominus noſter Iesus Chriſtus, dum nos in oratione Patrem ſuum rogare vult, ut liberet nos a malo, ex ſententia vetuſtiſſimorum Patrum de maligno diabolo liberationem nos petere inſtruit. „In legitima oratione (inquit Tertullianus) cum dicimus ad Patrem: *Ne nos inducas in tentationem* (quæ autem maior tentatio, quam perſecutio) ab eo illam profitemur accidere, a quo veniam eius depre-

Hinc petimus in orat. dom. liberari a malo.

De fuga in perſecut. c. 2. p. 537.

camur

a) „Le monde a trouvé un autre ſecret que l'apôtre, pour ſe fortifier contre les ennemis inviſibles dont il nous décrit dans l'Epitre de ce iour la puiſſance & la malice. C'eſt, ou de n'en point croire, ou de n'y point penſer, s'ils les croient. Il eſt bien rare de trouver des gens frappés de la crainte des demons, & qui aient quelque ſoin de ſe garantir des pieges qu'ils leur tendent. C'eſt la choſe du monde a quoi l'on penſe le moins. Toutte cette république inviſible d'eſprits mélés parmi nous, qui nous voient, & que nous ne voions point, & qui ſont touiours occupé a nous tenter en excitant ou en enflammant nos paſſions ne fait pas plus d'impreſſion ſur l'eſprit de la plupart des Chrétiens, que ſi c'etoit un conte, & une chimere. Notre ame plongée dans les ſens, n'eſt touchée que par les choſes ſenſibles. Ainſi elle ne craint point ce qu'elle ne voit point. Mais ces ennemis n'en ſont pas moins a craindre pour n'etre pas craints. Ils le ſont au contraire beaucoup plus; parce que cette fauſſe ſécurité fait leur force, & favoriſe leur deſſeins. C'eſt déja avoir fait de grands progrés, que d'avoir mis les hommes dans cette diſpoſition. Comme ce ſont des eſprits de tenebres, leur propre effet eſt de remplir l'ame de tenebres, & de s'y cacher. Et c'eſt pourquoi ces armes dont l'apôtre, nous exhorte de nous revertir, *Induite vos armaturam Dei*, ſont des armes de lumiere, dont le premier effet eſt de nous decouvrir notre danger." *Eſſais Moral Tome X. II. ſur l'epitre du XXI. Dimanche d'apres la Pentecoſte. p.* 188.

camur, hoc eſt enim quod ſequitur, *Sed erue nos a maligno;* id eſt, ne nos induxeris in tentationem permittendo nos maligno. Tunc enim eruimur diaboli manibus, cum illi non tradimur in tentationem." Pro argumenti ratione rogatus a Fabio, agere ibi de perſecutionibus auſpicatur, primumque ſibi probandum ſuſcipit, nihil ſatanæ in ſervos DEI vivi licere, niſi permiſerit Dominus; „ut aut ipſum deſtruat per fidem electorum in tentatione victricem, aut homines eius fuiſſe traducat, qui defecerint ad illum." Poſt exemplum autem Iob expenſum, „Sic (pergit) & in apoſtolos facultatem tentationis poſtulavit non habens eam niſi ex permiſſu. Siquidem Dominus in evangelio ad Petrum, *Ecce*, inquit, *poſtulavit ſatanas, ut cerneret vos velut frumentum*: *verum ego rogavi pro te, ne deficeret fides tua*; id eſt, ne tantum diabolo permitteretur, ut fides periclitaretur. Quo oſtenditur, utrumque apud Deum eſſe, & concuſſionem fidei, & protectionem, cum utrumque ab eo petitur, concuſſio a diabolo, protectio a filio." S. Cyprianus ex

pag. 106. profeſſo de oratione dominica tractans, hanc magiſtri ſuam facit ſententiam in explanatione eiusdem orationis dominicæ petitionis: *Et ne nos patiaris induci in tentationem*, ſic effatus: „Qua in parte oſtenditur nihil contra nos adverſarium poſſe, niſi Deus ante permiſerit: ut omnis timor noſter & devotio, atque obſervatio ad Deum convertatur, quando in tentationibus noſtris nihil malo liceat, niſi poteſtas inde tribuatur. Probat hæc ſcriptura divina, quæ dicit: *Venit* Nabuchodonosor *rex Babyloniæ in Hieruſalem; & expugnabat eam, & dedit eam Deus in manum eius.* Datur autem poteſtas adverſus nos mala ſecundum noſtra peccata, ſicut ſcriptum eſt: *Quis dedit in direptionem* Iacob & Israel *eis, qui prædabantur illum? nonne Deus, cui peccaverunt, & nolebant in viis eius ambulare, neque audire legem eius, & ſuperduxit ſuper eos iram animationis ſuæ?* Et iterum Salomone peccante, & a præceptis atque a viis Domini recedente, poſitum eſt: *Et excitavit Dominus ſatanam ipſi* Salomoni. Poteſtas vero duppliciter adverſus nos datur, vel ad pœnam cum delinquimus, vel ad gloriam cum probamur." Quod cum exemplo Iob aliisque probaſſet, ad concluſionem orationis dominicæ progreſſus: „In noviſſimo enim (pergit) ponimus: *Sed libera nos a malo*, comprehendentes adverſa cuncta, quæ contra nos in hoc mundo molitur inimicus; a quibus non poteſt eſſe fida & firma tutela, niſi nos Deus liberet, niſi deprecantibus atque implorantibus opem ſuam præſtet. Quando autem dicimus: *ſed libera nos a malo*, nihil remanet, quod ultra adhuc debeat poſtulari, quando ſemel protectionem Dei adverſus malum petamus, qua impetrata contra omnia, quæ diabolus & mundus o-

perantur,

perantur, ſecuri ſtamus & tuti.“ Didymo *Alexandrino* in libro contra *Manichaeos* n. 11. „Dicitur diabolus & ſatanas & malus: quemadmodum Salvator in Evangelio præter cætera hoc quoque diſcipulos in oratione docet: *Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos a malo.*“ Macarius homilia XXII. qua docet „Nullum hominem, niſi a Chriſto corroboratum ſcandala nequiſſimi ſuperare poſſe &c.“ Paullo poſt initium „Impoſſibile eſt enim (inquit) eum incedere ſuper aſpidem & baſiliſcum, & conculcare leonem ac draconem, qui prius, quantum in viribus hominis eſt; ſe non expurgarit, nec roboratus fuerit ab eo, qui dicit apoſtolis: *Ecce do vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici.* Si enim valuiſſet humana natura, abſque univerſa armatura Spiritus ſancti, ſtare adverſus inſidias diaboli, non ſane dictum fuiſſet ab apoſtolo: *Deus autem pacis conteret ſatanam ſub pedibus veſtris brevi.* Et iterum: *Quem Dominus interficiet ſpiritu oris ſui.* Propterea quoque iuſſi ſumus Deum obſecrare, *ne inducas nos in tentationem, ſed libera nos a malo.* Niſi enim præſtantioris auxilii ope ab ignitis telis nequiſſimi conſequi digni habeamur adoptionem filiorum Dei, fruſtranea eſt converſatio noſtra, ut qui procul a virtute Dei abſumus.“

T. VI. Bibl. PP. p. 314. — *T. I. Opp. p. 325.* — *Rom. 16, 20.* — *2 Theſſ. 2, 8.*

S. Cyrillus *Hieroſol.* in brevi expoſitione orationis dominicæ Catech. XXIII. *Myſtagog.* V. n. 18. *de ſac. Liturgia*, cuius conſtanter inde ab apoſtolis in omni eccleſia orientali & occidentali pars fuit: „Si (inquit) illud *Ne inducas nos in tentationem*, ſignificaret omnino non tentari, non adieciſſet, *ſed libera nos a Malo.* Malus vero eſt adverſarius dæmon, a quo liberari oramus.“ Et S. Ambrosius in eodem argumento lib. V. *de Sacramentis*, quibus *ſacræ menſæ myſteria*, id eſt liturgiam ſacram intelligit, ſimilique in explicatione brevi orationis dominicæ. „Vide (ait) quid dicat: *Et ne patiaris induci nos in tentationem*, quam ferre non poſſumus. Non dicit: *Non inducas in tentationem*: ſed quaſi athleta tamen vult tentationem, quam ferre poſſit humana conditio, & unusquisque a malo, hoc eſt ab inimico, a peccato liberetur.“ Ut autem palam ſit, a quo inimico, ſeu a malo, ἀπὸ τῦ πονηρῦ liberationem petendam putet, in continenti addit p. 478. „Potens eſt autem Dominus, qui abſtulit peccatum veſtrum, & delicta veſtra donavit, tueri & cuſtodire vos adverſum diaboli adverſantis inſidias, ut non vobis obrepat inimicus, qui culpam generare conſuevit. Sed qui Deo ſe committit, diabolum non timet. *Si* enim *Deus pro nobis, quis contra nos?*“

Pag. 331. — *T. III. pag. 477. ſeq.*

Obſervant editores *San-Maurenſes* ex aliis locis S. Ambrosii, eum verba illa, *quam ferre non poſſumus*, ad textum non referre, quemadmodum

dum

Digitized by Google

pag. 250. dum S. Hilarius in Pſalm. CXVIII. lit. I. his verbis: „Quod & in dominicæ orationis ordine continetur, cum dicitur *Ne derelinquas nos in tentatione, quam ferre non poſſimus.* Scit apoſtolus derelinqui nos ad tentandum: ſed novit & menſuram infirmitatis noſtræ Deum noſſe, dicens *Fidelis eſt Deus, qui non permittat nos tentari ſuper quam poſſumus.* Iob Deus tentationi permittens, a iure diaboli poteſtatem animæ eius excerpſit, & ſecundum modum infirmitatis humanæ tentandi ius dereliquit.“ Annotarunt editores *San-Maurenſes* ad hunc locum, & ad ſermonem LXXXIV. Append. T. V. p. 152. in appendice S. Augustini, totum illum ſermonem exſcriptum eſſe ex laudato lib V. c. 4. S. Ambrosii *de Sacramentis*, ubi adeoque nihil ad rem novi conferunt verba illa adiecta orationi: *Ne derelinquas nos in tentatione, quam ferre non poſſimus.*

T. V. pag. 322. 722. 872. In genuinis ſermonibus S. Augustini accipiuntur verba illa *Ne nos inferas in tentationem, ſed libera nos a malo*, aut generatim de tentationibus, aut ſpeciatim de concupiſcentia carnis in ſerm. LVI. & ſeq. *ad Competentes*: ſermone item CLII. & CLXXXIII. contra *Manichæos*, animam partem Dei eſſe dicentes. At vero S. Petrus *Chryſol.* in plerisque ſermonibus in orationem dominicam, qui in noviſſima editione *Sebaſtiani* Pauli extant *Auguſtæ Vindel.* an. 1758. malum, a quo liberari petimus, diabolum interpretatur: pag. 106. & 110. „Qui (inquit ſermone altero) totius mali & auctor eſt & origo: diabolus natura cœleſtis fuit; nunc eſt nequitia ſpiritualis, ætate maior ſæculo, nocendi uſu tritus, lædendi arte peritiſſimus: unde non iam malus, ſed malum dicitur, a quo eſt omne, quod malum eſt. Hinc eſt, quod propriis viribus liberari homo non poteſt, carnalibus vinculis illigatus. Petendum nobis eſt ergo, ut Deus nos a diabolo liberet, qui Chriſtum terris, ut diabolum vinceret, commodavit. Clamet homo, clamet ad Deum, clamet *libera nos a malo*, ut a tanto malo, ſolo Chriſto vincente, liberemur.“ In appendice ſermonum S. Petri *Chryſologi*, huic editioni primum addita, priores ſermones eiusdem ſunt argumenti p. 252. de oratione dominica nimirum. Quorum tertio verba ipſiſſima, quæ modo recenſuimus, repetuntur.

Dæmon, caro, mundus hoſtes coniurati.

XXI. Neque vero fruſtra alia ex S. Augustino commemoravi genera mali, inſidiantiumque inimicorum, a quibus in oratione dominica liberari Deum rogemus; neve nos induci in tentationem patiatur, abducique tot malis, quibus intus forisque obſidemur, quorum ſi vel unius tentationi ſuccumbimus, obnoxios nos maligno reddimus, atque locum ei in nobis relinquimus, ut veluti in ſuo quietus degat, ſecurusque quieſcat triceps infernalis cerberus mundus, caro & dæmon, ac fomes

ille

Digitized by Google

ille inteſtinus, incentivumque omnium malorum, pulvinar diaboli concupiſcentia: cuius nos ſpiculis confodit ὁ πονηρός. *Avertat Deus a ſuis tantam voluptatis exitioſæ cupiditatem!* ut cum TERTULLIANO exclamem, *De Spectac. c. 25.* qui in alio quidem, ad rem tamen valde appoſito argumento *de ſpectaculis* „Quale eſt enim (pergit) de eccleſia Dei in diaboli eccleſiam tendere? *Pag. 83.* de cœlo (quod aiunt) in cœnum? illas manus, quas ad Deum extuleris, poſtmodum laudando hiſtrionem fatigare? ex ore, quo amen in ſanctum protuleris, gladiatori teſtimonium reddere, εἰς αἰῶνας ἀπ' αἰῶνος alii omnino dicere, niſi Deo & Chriſto? Cur ergo non huiusmodi etiam dæmoniis penetrabiles fiant? Nam & exemplum accidit, Domino teſte, eius mulieris, quæ theatrum adiit, & inde cum dæmonio rediit. Itaque in exorciſmo cum oneraretur immundus ſpiritus, quod auſus eſſet fidelem adgredi, conſtanter, & iuſtiſſime quidem, inquit, feci, in meo eam inveni.“ Uſuvenit id quodammodo in quotidianis tentationibus, conflictuque cum maligno, mundanorum carnaliumque hominum, qui ſe ultro tentationibus exponunt, & operibus diaboli, quibus renunciarunt, iterum ſe dedunt. „Lædunt autem (ut de malis angelis ORIGENES *Lib. VIII. contra Celſum. T. I. p. 401.* loquitur) ſibi obnoxios, qui ſe illis ultro ſubmiſerunt tanquam dominis . . . certe Chriſtianus, qui vere Chriſtianus eſt, dicatus uni Deo, verboque ipſius, non poteſt lædi a dæmonibus, utpote illis præſtantior.“ Pertinet huc doctrina a nobis iam ſupra ex TICHONIO & S. AUGUSTINO commemorata *de Domino & eius corpore. De diabolo & eius corpore.* „Eſt enim (iuxta S. doctorem) & ipſe caput impiorum, qui ſunt eius *Lib. III. de doctrina chriſt. n. 55. T. III. p. 63.* quodammodo corpus, ituri cum ipſo in ſupplicium ignis æterni ſicut Chriſtus caput eſt eccleſiæ, quod eſt corpus eius, futurum cum illo in regno & gloria ſempiterna.“ In libro *de vera religione* vocat illud voluptatis regnum, *T. I. p. 774. n. 74. 75.* ad quod deſtruendum aliquando Deus miſceat „dolores & morbos & diſtortiones membrorum & tenebras coloris, & animorum ſimultates ac diſſenſiones, ut ex his admoneamur, incommutabile aliquid eſſe quærendum. Et hoc facit per infirma miniſteria, quibus id agere voluptatis eſt, quos exterminatores, & angelos iracundiæ, divinæ ſcripturæ nominant, quamvis ipſi neſciant, quid de ſe agatur boni. His ſimiles ſunt homines, qui gaudent miſeriis alienis, & riſus ſibi ac ludicra ſpectacula exhibent, vel exhiberi volunt, everſionibus & erroribus aliorum. Atque ita in his omnibus boni admonentur, & exercentur, & vincunt, & triumphant, & regnant. Mali vero decipiuntur, cruciantur, vincuntur, damnantur, & ſerviunt, non uni omnium ſummo Domino, ſed ultimis ſervis, illis videlicet angelis, qui doloribus & miſeria damnatorum paſcuntur, & pro iſta malevolentia bonorum liberatione torquentur. (Et alibi)

Epiſtola CCXVII. ad Vitalem T. II. p. 802. ſeq. alibi) Quid ergo (ſcribit) operatur hæc poteſtas in filiis diffidentiæ, niſi opera ſua mala, & imprimis maximeque ipſam diffidentiam, & infidelitatem, qua ſunt inimici fidei, per quam ſcit eos poſſe mundari, poſſe ſanari, poſſe perfectiſſime liberos, quod eis vehementer invidet, in æternitate regnare. Itaque aliquos eorum, per quos amplius decipere affectat, ſinit habere nonnulla velut opera bona, in quibus laudantur, per quasque gentes, præcipueque in gente *Romana*, qui præclare glorioſiſſimeque vixerunt. Sed quoniam, ſicut veraciſſima ſcriptura dicit: *Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt*, & *ſine fide impoſſibile eſt* utique *placere Deo*, non hominibus: nihil ſic agit hic princeps, quam ut non credatur in Deum, nec ad mediatorem, a quo ſolvuntur opera eius, credendo veniatur.“ Exiſtimo hanc maximam eſſe ſtragem, quam diabolus inter Chriſtianos vera vivaque, de qua hic loquitur doctor gratiæ, deſtitutos fide facere

Iac. 2, 19. poteſt (circumventos autem illa, qua *& dæmones credunt, & contremiſcunt*) qui in evangelio *temporales* dicuntur, *& non habent radicem in ſe.*

Matth. 13, 21. *Marc. 4, 17.* *Luc. 8, 12.* *Io. 15, 4.* *De agone chriſt. T. VI. p. 245.* Quod *ſecus viam cadit ſemen verbi Dei: deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes ſalvi fiant.* Facit huc parabola de palmite vitis, qui *non poteſt ferre fructum, niſi manſerit in vite.* Sic ſupra ex S. Augustino audivimus diabolum foras miſſum eſſe „ab animis eorum, qui cohærent verbo Dei, & non diligunt mundum, cuius ille princeps eſt, quia dominatur eis, qui diligunt temporalia bona, quæ hoc mundo viſibili continentur: non quia ipſe dominus eſt huius mundi, ſed princeps cupiditatum eorum, quibus concupiſcitur omne, quod tranſit; ut ei ſubiaceant, qui negligunt æternum Deum, & diligunt inſtabilia &

1 Tim. 6, 10. mutabilia. *Radix enim eſt omnium malorum cupiditas, quam quidam appetentes a fide erraverunt, & inſeruerunt ſe doloribus multis.* Per hanc cupiditatem regnat in homine diabolus, & cor eius tenet. Tales ſunt omnes, qui diligunt iſtum mundum. Mittitur autem diabolus foras, quando ex toto corde renuntiatur huic mundo. Sic enim renuntiatur diabolo, qui princeps eſt huius mundi, cum renuntiatur corruptelis & pompis & angelis eius. Ideoque ipſe dominus iam triumphantem naturam hominis portans *ſcitote*, inquit, *quia ego vici mundum.*“ Add. D. Thomas in *Iob* XL. lect. 2. qua dæmonibus victoriam adſcribit in tribus generibus hominum ſcilicet ſuperbis, voluptuoſis, & deditis curis ſæculi, vel inſtabilibus.

Omnes infeſtationibus diaboli obnoxii etiam boni.

XXII. Sed putet quisquam malignum in ſuo tantum graſſari regno, nec alienos a ſe, Chriſtoque deditos tentare; cum tamen nec Chriſtum iteratis aggreſſionibus tentare ipſum ſit abſterritus, nec infinities repulſus, quieſcat.

quieſcat. „Is (ſunt verba S. Ioannis *Chryſoſt.* Concione I. de Lazaro) uſque adeo veſanus eſt, ut frequenter & illa tentet, quæ fieri non poſſunt: nec illos ſolum adoriatur, quos omnino confidit ſe ſupplantaturum deiecturumque, verum etiam eos, quos probabile eſt artibus ipſius fore ſuperiores.“ In exemplum adducit Iob. S. Ambrosius autem huc illud *Iſa.* XIV. 13. interpretatur: *In cœlum aſcendam: ſuper ſidera cœli ponam ſedem meam.* „Ponit (inquit) ſuper ſidera, quando electum decipit, quando iuſtum circumvenit, cuius opera lucent ſicut ſtellæ in cœlo.“ Alibi, quomodo *Mediolanenſes* ſuos ab *Arianis* ſupplantatos, allocutus ſit, ſorori ſuæ narrans: „Videtis (ait) diabolo tentandi licentiam dari, ut boni probentur. Invidet inimicus bonis profectibus, tentat diverſis modis. Tentavit ſanctum Iob in patrimonio, tentavit in filiis, tentavit in dolore corporis. Fortior in ſuo corpore tentatur. Infirmior in alieno. Et mihi meas divitias, quas in vobis habeo, volebat auferre, & hoc tranquillitatis veſtræ patrimonium diſſipare cupiebat. Vos quoque ipſos mihi bonos filios geſtiebat eripere, pro quibus ego quotidie inſtauro ſacrificium: vos ruinis quibusdam publicæ perturbationis conabatur involvere. Duo igitur iam genera tentationis excepi. Et fortaſſe, quia infirmiorem me Dominus Deus novit, adhuc in corpus meum non dedit poteſtatem. Etſi ipſe cupiam, etſi offeram: adhuc me fortaſſe huic certamini imparem iudicat, & diverſis exercet laboribus. Nec Iob ab iſto cœpit certamine, ſed in hoc conſummavit.“ Fortem hic cernis audisque, & ad prœlium paratum promtumque athletam; ſed non omnes nec boni quidem ſemper ita ad pugnam cum diabolo atque ad victoriam ſunt comparati. S. Iacobus *Niſibenus* inquirens, quomodo iuſtos exploret ſatanas, tempusque aucupet: „Attendit (inquit) & obſervat horam: an audiat ab illo homine; in quo habitat Chriſtus, quod loquatur verba turpia, vel iraſcatur, rixetur, contendat; tunc ſcit diabolus, quod Chriſtus non eſt cum eo, & venit & perficit voluntatem ſuam in eo: quia Chriſtus habitat in manſuetis & in humilibus, & qui contremiſcunt a verbis eius, ſicuti dicit propheta. Et Dominus noſter dicit: *Qui ambulat in mandatis meis, ad eum nos venimus, & manſionem apud eum facimus.* At ſi audiat ab illo homine, quod vigilat & orat, & meditatur in lege Domini die ac nocte; tunc diſcedit, quia ſcit, quod Chriſtus eſt cum eo.“ Sed impudens impoſtor, nec hic ſiſtit. S. Augustinus ut commonſtret, dæmonem neminem intactum relinquere, in exemplum parvulos baptizatos adducit, e. c. lib. XXII. *de Civit. Dei* c. 21. „Quandoquidem ne quis fideret, etiam parvulos baptizatos, quibus certe nihil eſt innocentius, aliquando ſic vexant, ut in eis maxime, Deo ſinente, iſta monſtretur huius vitæ flenda calamitas, & alterius deſi-

T.I.p.715. *In Pſ. 118. T.II.p.604.* *T. III. pag. 904.* *T. V. Bibl. PP. p. LL.* *Iſa. 66, 2.* *T.VII. pag. 686.*

Ib. lib. XX. c. 7. p. 582. deranda felicitas." De adultis autem electis ſupra, ut alibi paſſim „Nec moveat (aiebat) quod ſæpe diabolus ſeducit etiam illos, qui iam regenerati in Chriſto vias ingrediuntur Dei. *Novit* enim *Dominus, qui ſunt eius*: ex his enim in æternam damnationem neminem ille ſeducit."

S. Gregorius exemplo, quomodo diabolus ſtantes aggrediatur declarat, ad hæc *Iob* II. 9. uxoris eius verba: *Adhuc permanes in ſimplicitate tua? Benedic Deo, & morere*, ita effatus: *L. III. n. 12. T. I. p. 77.* „Antiquus hoſtis humanum genus duobus modis tentare conſuevit; ut videlicet corda ſtantium aut tribulationibus frangat, aut perſuaſionibus molliat. In utriſque ergo contra beatum Iob ſe vehementer exercuit. Nam prius patrifamilias intulit damna rerum, orbavit patrem morte filiorum, percuſſit incolumem putredine vulnerum. Sed quia putreſcentem foras, ſanum adhuc interius ſtare conſpexit; & quem exterius nudum reddidit, hunc interius ditiorem fieri per exhibitam laudem conditoris invidit: calide cogitans penſat, quod contra ſe athleta Dei unde premitur, inde ſublevatur, victusque ad ſubtilia tentandi argumenta convertitur. Nam antiquæ artis inſidias repetit: & quia ſcit, quomodo Adam decipi ſoleat, ad Evam recurrit &c."

Et religioſi homines.

XXIII. Magnus ille Antonius abbas certaminibus ſuis contra dæmones aperto etiam marte a S. Athanasio in eius vita celebratur: quo in argumento tota illa verſatur oratio eius ad monachos, quam nobis is ipſe S. Athanasius ſcriptam reliquit eius vitæ inſertam: in qua, quomodo etiam ſuorum tentationes viſione perceperit, narrat; nobis autem hic ſatis eſt ipſa S. Antonii ad nos cautos reddendos contra innumeras eius inſidias percenſere verba: *T. IV. Bibl. PP. p. 637.* „Lapſi (inquit) a cœleſti ſapientia, poſt in terra volutati, gentiles phantaſiis deceperunt; invidiaque in nos chriſtianos ardentes, nihil non movent, ut cœlorum nobis aditum intercludant, ne eo nos aſcendamus, unde lapſi illi ſunt. Quapropter multa oratione, multa exercitatione opus eſt, ut accepta quis per ſpiritum diſcretionis ſpirituum gratia, quæ illos ſpectant, poſſit cognoſcere: quinam ſcilicet illorum minus nequam, quinam nequiores ſint: quo ſtudio ſinguli eorum teneantur: qua quisque ratione proſternatur, & deiiciatur. Multi ſunt enim eorum doli, multi ad parandas inſidias motus. Beatus certe apoſtolus & eius ſectatores hæc probe norant cum dicerent: *2. Cor. 11, 11.* *Non enim ignoramus cogitationes eius.* Nos vero ex iis, quas ab illis ſumus experti tentationibus, mutuo debemus alii alios emendare, Ego itaque, ut aliquam eorum aſſecutus experientiam, ut filiis loquor. Si igitur viderint illi Chriſtianos quoslibet, maximeque monachos laborare at-

Digitized by Google

que proficere, primum aggreſſi tentant, & offendicula ponunt in via: quæ ſcilicet offendicula ſunt malæ cogitationes. Non eſt autem, quod eorum ſuggeſtionibus terreamur: nam precibus, ieiuniis & fide in Dominum, ſtatim illi labuntur. Sed lapſi minime quieſcunt; vafre quippe & callide rurſum accedunt. Ubi enim palam per obſcenas voluptates cor decipere nequeunt, alia aggrediuntur via; vaniſque ſpeciebus perterrere nituntur, variis aſſumtis formis mulierum, ferarum, reptilium, prægrandium corporum, militarium turmarum.“ Hæc autem omnia didiciſſe eum ſua experientia, ex iis, quæ poſtea dicit, noſque ſuo loco afferemus, palam fit: veluti etiam de S. Paulo, Hilarione in eorum vita S. Hieronymus narrat, atque de aliis ex eorum vitis & apophthegmatibus conſtat, de S. Macario etiam, quomodo dæmones egreſſos ad ſuos monachos tentandos viderit. Ex eius vero ſententia in libro *de Cuſtodia cordis*: „Totum adverſarii certamen in eo deſudat, ut queat mentem noſtram a Dei recordatione & amore abſtrahere, illecebras ad id adhibens terrenas, omnique arte ſatagens affectum ſenſumque noſtrum ab eo, qui unus vere bonus eſt, ad ea, quæ ſola opinione, non autem ſolida veritate, bona ſunt, avertere. Quodcumque enim homo bonum facit, polluere ac contaminare improbus conatur, maximeque contendit, cum quem videt legi obſervandæ operam dantem, operi bono aut vanæ gloriæ, aut tumidæ ſui præfidentiæ labem inſpergere, ne Dei ſolius cauſa, & ex bono vereque laudabili propoſito, quod exterius bene fit, interius geratur.“ Hæc autem pluribus explanant exemplis etiam *doctrina & exhortatio* magni ſancti Arsenii, Evagrii item *Scitenſis* capita practica ad Anatolium, quæ uno tomo VIII. bibliothecæ Patrum recens editæ collecta habentur: quibus addi meretur S. Basilii ſermo aſceticus & exhortatio *de renunciatione ſæculi & de perfectione ſpirituali* T. II. Opp. p. 202. ſeqq. ubi ordine enumerat, declaratque varia luctamina, quæ cum ſalutis noſtræ hoſtibus ſunt ineunda.

Vid. Roſweid.

Bibl. PP. T. VII. p. 224. Item T. II. Opp. p. 262. Ib. p. 161.

Ib. p. 427.

Pag. 560.

XXIV. Quæſtionem movet S. Macarius *Ægyptius* homilia XV. *Utrum perfectis imminet afflictio aut penitus ſecure vivunt?* Reſpondet autem, hoſtem nemini bellum inferre deſinere; ſatanam vero immiſericordem eſſe, & odiſſe homines, quapropter etiam omnibus hominibus bellum inferre non pigreſcere; verum non iisdem modis omnes adoriri, id quod longo diſcutit ſermone. Homilia autem XXXVIII. ubi oſtendit, accurato iudicio atque intellectu opus eſſe in diſcernendis veris Chriſtianis, & quinam ſint illi, ſic n. 4. proloquitur: „Quia ſatanas, cum id, quod bonum eſt, odio proſequatur, mala ſuggerit his, qui virtutem conſectantur, eosque averte-

Quique cumprimis pietati ſanctitatique ſtudent.

T. I. Opp. p. 199.

p. 470. 474.

re contendit; hoc enim eius eſt opus. Verum ne illi ſubiiciaris, ſed operare iuſtitiam, quæ in interiori homine perficitur, in quo Chriſti altare conſiſtit unacum impolluto ſanctuario, ut teſtimonium conſcientiæ tuæ glorietur in cruce Chriſti, qui expurgat conſcientiam tuam ab operibus mortuis, ut ſpiritu tuo Deo miniſtres, ut noris, quid adoras, ſecundum eum, qui dicit: *Nos adoramus, quod ſcimus.* Confide dirigenti te Deo, conſortium habeat anima tua cum Deo, ut ſponſa ſocietatem colit cum ſponſo. *Myſterium* enim *hoc magnum eſt: ego vero dico inter Chriſtum* & incontaminatam animam.“ Idem ſuis verbis in Apophthegmatibus in duobus monachis narrat vidiſſe ſe „dæmones inſtar muſcarum venientes ſuper minorem, quorum alii accedebant in ore eius, alii in oculis. Simul conſpexi (pergit) angelum Domini cum gladio ignis præ manibus, circumvallantem eum, dæmonesque ab eo propellentem. At maiori non poterant appropinguare . . Comperi ergo, quod maior perfectus eſſet, minorem adhuc impugnaret inimicus.“ Paſſim SS. Patres & aſcetæ conqueruntur de mentis inter orandum inſtabilitate variis diſtractionibus abripi ſolitæ: maximæque perfectionis indicium eſt, hic ſuperiorem maligno fieri, eumque procul amovere propulſareque animo. Provocans S. Ioannes *Chryſoſt.* in homilia quadam ad aliam die proxima habitam *de orationis virtute*, in qua oſtenderit „quo pacto tum temporis diabolus, ut maleficus eſt, inſidias ſtruat, Cum enim (pergit) maximum nobis lucrum ex oratione cernat obvenire, tunc maxime impetum facit: ut excuſatione nos privet, ut vacuis manibus nos domum remittat . . Lux eſt mentis & animæ cum ſtudio fuſa oratio, lux inextincta & perennis. Propterea innumeras noſtris mentibus cogitationum ſordes iniicit, & quæ nunquam cogitavimus; hæc collecta tempore orationis in animam noſtram infundit. Et quemadmodum venti ſæpenumero ex adverſo ingruentes accenſum ignem lucernæ flatu diventilatum exſtinguunt: ſic & diabolus, cum in nobis accenſam orationis flammam viderit, innumeris nos ſollicitudinibus hinc inde perflatos non prius finit quieſcere, quam lucem extinxerit. Sed quod illi faciunt, qui lucernas illas accendunt, nos quoque faciamus. Quid illi vero faciunt? Cum vehementem ingruere ventum vident, impoſito digito lucernæ foramini ſpiritui aditum intercludunt. Quamdiu ſiquidem exterius impetum faciet, reſiſtere valebimus: ubi vero mentis illi fores aperuerimus, & inimicum intus admiſerimus, tum non amplius ne minimum quidem reſiſtere poſſumus; ſed memoria noſtra undique extincta ut lucerna fumigans, inania verba finit os noſtrum effundere. Verum ut illi lucernæ foramini digitum imponunt, ita nos rationem menti præficiamus, maligno ſpiritui aditum intercludamus, ne orationis noſtræ lumen exſtinguat.“

T. II. p. 262.

T. III. p. 347.

Eſt

Eſt hæc inſignis ab hoſte victoria reportata in fugam acto; at non ſine pugna ſine lucta ſic foras mittitur, & alligatur fortis: atque ita diabolum iuxta S. AUGUSTINUM vincent brevi etiam ſpatio illo, quo extremis temporibus ſolvendus erit, „Interiores homines & tales (inquit lib. XX. *de Civit. Dei* cap. 8. *de alligatione & ſolutione diaboli*) ut vinci (*T. VII. pag. 583.*) tanto eius impetu inſidiisque non poſſint. Si autem nunquam ſolveretur, minus appareret eius maligna potentia, minus ſanctæ civitatis fideliſſima patientia probaretur; minus denique perſpiceretur, quam magno eius malo tam bene fuerit uſus Omnipotens: qui eum nec omnino abſtulit a tentatione Sanctorum, quamvis ab eorum interioribus hominibus, ubi in Deum creditur, foras miſſum, ut forinſecus eius oppugnatione proficerent, & in eis, qui ſunt ex parte ipſius, alligavit, ne quantum poſſet effundendo & exercendo malitiam, innumerabiles infirmos, ex quibus eccleſiam multiplicari & impleri oportebat, alios credituros alios iam credentes a fide pietatis hos deterreret, hos frangeret; & ſolvet in fine, ut quam fortem adverſarium Dei civitas ſuperaverit, cum ingenti gloria ſui redemtoris, adiutoris, liberatoris, aſpiciat. In eorum ſane, qui tunc futuri ſunt, Sanctorum atque fidelium comparatione quid ſumus? Quandoquidem ad illos probandos tantus ſolvetur inimicus, cum quo nos ligato tantis periculis dimicamus. Quamvis & hoc temporis intervallo quosdam milites Chriſti tam prudentes & fortes fuiſſe atque eſſe, non dubium eſt, ut etiam ſi tunc in iſta mortalitate viverent, quando ille ſolvetur, omnes inſidias eius atque impetus & caverent ſapientiſſime, & patientiſſime ſuſtinerent.“

Ita vero S. HILARIUS contra religioſas mentes graviores; frequentiores, diuturnioresque tentationes fore oſtendit in illud Pſalmi CXXVIII. (*pag. 431. ſq.*) *Sæpe impugnaverunt me a iuventute mea: etenim non potuerunt mihi.* „Talis (inquit) religioſorum debet eſſe confeſſio. Et hæc vera fidei probatio eſt, ut qui ſæpe & a iuventute impugnant, nunquam tamen eorum, quos & ſæpe & pridem impugnaverint, præpotentes ſint. Adverſus autem validiores & longum & frequens eſt prœlium: & idcirco inimicæ ſpiritaleſque virtutes firmos fide & timore Dei viros & diu & ſæpe pertentant: quia iterari neceſſe eſt, quod & diu geritur, & quod numquam obtinetur. Maneamus ergo, ut ſæpe impugnemur; & ſæpe impugnati, habeamus hanc gloriam, ne aliquando cedamus; & hinc ſit impugnationis noſtræ aſſiduitas, quia non ſit impugnantium præpotens fortitudo.“ a) S. GREGORIUS M. dum obſervat in cap. XLI. IOB anti- (*T. I. pag. 1102.*)

quum

a) S. GREGORIUS *Naz.* in carmine *de bello quod movent dæmones* CXCIII. T. VI. *Bibl. PP.* p. 403. hæc profert: „Quo magis enim animæ meæ internam cernebat religionem,

a

Digitized by Google

quum hoſtem, „quo diſtrictius frangitur eo nequius per multiplicia argumenta dilatari. Cuius tamen (addit) inſidias Dominus quanto ſubtilius occultari conſiderat, tanto nobis miſericordius manifeſtat, recte ſubiungitur: *Quis revelabit faciem indumenti? Leviathan* iſte aliter religioſas hominum mentes, aliter vero huic mundo deditas tentat: nam pravis mala, quæ deſiderant, aperte obiicit: bonis autem latenter inſidians, ſub ſpecie ſanctitatis illudit. Illis velut familiaribus ſuis iniquum ſe manifeſtius inſinuat: iſtis vero velut extraneis quaſi honeſtatis prætextu ſe palliat, ut mala, quæ eis publice non valet, tecta bonæ actionis velamine ſubintromittat."

pag. 40. S. Leo ſermone XL. qui eſt tertius in Quadrageſima *de tentatione*, ſollicite conſcientiam excutiendam contra periculoſam ſecuritatem, monet, ac occultam ſuperbiam, queis religioſas mentes infeſtari eſt proclive: „Superbum eſt enim de non peccantis facilitate præſumere, cum hoc ipſum præſumſiſſe peccatum ſit, dicente beato Ioanne apoſtolo: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Nemo igitur ſe fallat, dilectiſſimi, nemo ſe decipiat. Neque quisquam de cordis ſui puritate confidat, ut putet ſe nullis tentationum periculis ſubiacere, cum pervigil ille tentator eos acrioribus pulſet inſidiis, quos
T. II. p. 5. maxime viderit abſtinere a peccatis." S. Ioannes *Chryſoſt.* hom. I. ad pop. *Antioch.* „Multo magis (inquit) nos timere oportet, & tanto magis, quanto maiora fuerimus operati. Tunc enim diabolus ſævior efficitur, tunc magis efferatur, cum viderit nos diligentia vitam noſtram diſponentes; cum viderit virtutis onera compoſita, & magnos acervos, tunc gravius inferre naufragium ſtudet."

Iam ſupra Stagirii aſcetæ inſignis exemplum adduximus a dæmonio ve-

Eo magis etiam ira turgida effervefcat.
Ut quando per inſidias ſubrepens, inſanabilem intra carnem
Morbus compreſſus medicamentis inopportunis
Depaſcens latibula non apparentia, non prius ceſſat,
Quam alio erumpens (ægrum) adducat in diſcrimen
Aut fluentum firmis munitionibus hac parte repreſſum,
Illac obnititur, & collectim erumpit.
Tale eſt invidi pravum bellum. Quando ipſum cohibebam
Lingua ad aliam quandam dilabebatur noxam.
Non tamen cepit. Chriſtus enim ſuperveniebat præſidium meum,
Qui & diſcipulos e tempeſtate eruit,
Ac multos morbis & dæmonum vinculis
Liberavit, voluntati largiens gratiam."

Digitized by Google

vexatum, quem allocutus S. Ioannes *Chryſoſt.* „ At vero tu (inquit) dum admiraris, cur non antea potius, cum delicate viveres, atque illa ſæculi pompa ſtipatus incederes; ſed nunc, quando abieciſti illa omnia, ac teipſum totum devoviſti, peſſimus te ille dæmon invaſit, idem prorſus facis, ac ſi admiraris, cur ſpectatoribus nullus moleſtus eſſet, ſed qui in pugilum numero adſcriptus exercitatusque in certamen deſcendiſſet, hunc ſolum ex omnibus colluctator expeteret, percutiens caput, faciemque concidens. Non hoc ergo aut miraculo aut mœrore dignum eſt, ſi nos ille pugil adortus premit & urget: quippe iſta eſt pugnantium lex. Verum ſi ille deiiciat atque proſternat, ac præmia laborum tollat, hoc grave eſt. Quamdiu vero non prævalet, non ſolum nobis nihil nocuit, ſed profuit plurimum, conflictu illo ſuo ſumma nobis ornamenta concilians. Namque & in caſtris ille præſtare cæteris putatur, qui plura vulnera præ ſe ferre poteſt, ac ſingularia certamina adverſus quoslibet hoſtium fortiſſimos ſuſcipere. Eos itidem athletas maxime miramur, qui cum inexpugnabilibus, ſic enim appellant contentioſiores quosque antagoniſtas, viriliter congrediuntur. Sed & venator ille maxime præcellit, qui ferociſſimas belluas excipit. Impudens eſt atque imperterritus hic dæmon: at ego propterea te mirari ac ſtupere non deſino, quod huiusmodi adverſarium nactus tam violentum, lapſus non es, neque in deditionem venire toleraſti; ſed firmus perſtitiſti, nulla ex parte illius improbitati cedens.“ Magnus ille dæmonum fugator apud Sulpitium *Severum*, cum occultis vanitatis cogitationibus premeretur, nec „ ſeipſum purgare poſſet, totis precibus converſus ad Dominum fertur oraſſe, ut permiſſa in ſe menſibus quinque diaboli poteſtate, ſimilis his fieret, quos ipſe curaverat. Quid multis morer! ille præpotens, ille, qui ſignis atque virtutibus toto Oriente vulgatus, ille, ad cuius limina populi ante confluxerant, ad cuius fores ſummæ iſtius ſæculi ſe proſtraverant poteſtates, correptus a dæmone eſt, tentus in vinculis, omnia illa, quæ energumeni ſolent ferre, perpeſſus. Quinto demum menſe purgatus eſt non tantum dæmone, ſed, quod illi erat utilius atque optatius, vanitate.“ De abbate Moyse narrat Cassianus Collat. VII. c. 27. quod contra abbatem Macarium diſputans verbum paullo durius protuliſſet, tam diro confeſtim eſſe traditum dæmoni, „ ut humanas egeſtiones ori ſuo ab eo ſuppletus ingereret. Quod flagellum purgationis gratia ſe Dominus intuliſſe, ne ſcilicet in eo vel momentanei delicti macula reſideret, velocitate curationis eius, atque auctore remedii demonſtravit. Nam continuo abbate Macario in oratione ſubmiſſo, dicto citius nequam ſpiritus ab eo fugatus diſceſſit.“

T. I. p. 171.

Dial. I. c. 20.

In extremo mortis agone.

XXV. Audet vero draco infernalis hominibus ſanctiſſimis in extrema lucta (tunc nempe agitur ultimum ad felicem cum bonis, aut infelicem cum malis angelis æternitatem momentum) ſe repræſentare etiam viſibili ſpecie. Eius rei unum ſaltem hic intereſt accenſere exemplum S. Martini *Turonenſis* ex teſtimonio Sulpitii *Severi*, qui fuit ſancti viri diſcipulus, & licet præſens morti haud adfuerit, vadimonium tamen dat in epiſtola III. ad Bassulam ſocrum ſuam, *quomodo B. Martinus ex hac vita ad immortalem transierit*, ſe ea perſcribere, quæ ſibi ſunt comperta. „Videns autem (ut narrat) Sanctus diabolum prope aſſiſtere, *Quid hic*, inquit, *aſtas cruenta beſtia? Nihil in me, funeſte, reperies. Abrahæ me ſinus recipit.* Cum hac ergo voce flagitantem divinis operibus ſpiritum cœlo reddidit.“ Sed quotusquisque erit, qui malignum ſpiritum in illo articulo acheronta moventem cum tanta fiducia & ſecuritate alloqui audeat? dum econtra præteritæ vitæ conſcientia prægravati, aut ad id uſque tempus incurii ſalutis ſuæ, ipſarumque dæmoniacarum infeſtationum, quas forte etiam nihili, cum viverent, fecerunt, ſeu pro ſomniis delirantium habuerunt, nimis ſero ſentient ipſo ſuggerente tunc demum diabolo, quanto in errore ſint verſati, periculoſiſſimo ad deſperationem ultimo illo aggreſſu hoſtis, ac tentatione, ex cumulo omnium transactæ vitæ peccatorum, quod S. Gregorius gravibus proponit verbis: „Sciendum quoque eſt (inquit) quod plerumque eis, quos ceperit, tunc graviores culpas ingerit, cum præſentis vitæ termino illos propinguare cognoſcit: & quo ſe conſummaturum tentationem conſiderat, eo eis iniquitatum pondera graviora coacervat. *Behemoth* igitur caudam ſuam quaſi cedrum ſtringit, quia, quos per prava initia ceperit, ad finem deteriores reddit: ut tentamenta eius, quo citius ceſſatura ſunt, eo valentius compleantur. Quia enim ſuis pœnis eorum ſatagit æquare ſupplicium, in eis ardentius ante mortem nititur omne exaggerare peccatum.“

pag. 233.

T. I. pag. 1064.

Diabolus an, aut quomodo omnium malorum cauſa?

XXVI. Scribit hæc in caput quadrageſimum Iob, quo & ſequenti quadrageſimo primo *Behemoth* & *Leviathan*, qui initio libri diaboli nomine venerunt, malitia atque nocendi artes demum & potentia variis figuris explicantur his verbis: *Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei, qui factus eſt, ut nullum timeret. Omne ſublime videt, ipſe eſt rex ſuper univerſos filios ſuperbiæ.* Sic paullo poſt ex S. Ambrosio explicabimus *auctorem eſſe principem mundi omnium delictorum.* Quomodo ſcilicet dicitur princeps huius mundi, nosque armaturam Dei ſumere apoſtolus hortatur *adverſus principatus & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum, adverſus ſpiritalia nequitiæ in cœleſtibus.* Quibus relatis:

Iob 41, 24. 25.

Ephеſ. 5, 11. 12.

relatis: „Per hæc igitur omnia (ſcribit Origenes lib. III. de Principiis) T. I. p. 138. docet nos ſcriptura divina, eſſe quosdam inviſibiles hoſtes dimicantes adverſus nos, & præcipit armari nos debere contra eos. Unde & ſimpliciores quique domino chriſto credentium exiſtimant, quod omnia peccata, quæcunque commiſerint homines, ex iſtis contrariis virtutibus mentem delinguentium perurgentibus fiant, pro eo, quod in certamine iſto inviſibili ſuperiores inveniantur poteſtates. Quodſi, verbi cauſa, diabolus non eſſet, nemo hominum omnino delinqueret. Nos vero rationem dilucidius intuentes, hæc ita eſſe non arbitramur, conſiderantes ea, quæ manifeſte ex corporali neceſſitate deſcendunt. An vero putandum eſt, quod diabolus eſuriendi vel ſitiendi cauſa nobis exiſtat? Neminem eſſe puto, qui hoc audeat affirmare. Si ergo eſuriendi & ſitiendi non nobis ipſe ſit cauſa, quid aliud, cum unius cuiusque ætas ad virilitatis tempus advenerit, & naturalis caloris incentiva ſuggeſſerit? Conſequens eſt ſine dubio, ut ſicut eſuriendi & ſitiendi diabolus cauſa non eſt, ita nec eius quidem motus, qui adultæ ætati naturaliter ſuggeritur, id eſt appetendi coitus deſiderium.“ Et paullo generalius id complexus quidquid concupiſcentiæ nomine comprehendimus, „Quod autem (pergit) ſint quædam peccata, quæ non a contrariis virtutibus veniant, ſed ex naturalibus corporis motibus initium ſumant, manifeſtiſſime declarat apoſtolus Paulus in eo, dum dicit: *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus autem adverſus carnem*: hæc ſunt, quæ ſibi invicem reſiſtunt, ut non, quæ vultis, illa faciatis. Si ergo caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem, eſt nobis aliquando colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, id eſt cum homines ſumus, & ſecundum carnem ambulamus, & cum non poſſumus tentari in maioribus tentationibus quam humanis, cum dicitur de nobis: *Tentatio vos non comprehendat niſi humana. Fidelis autem Deus, qui non permittet vos tentari ſupra* 1. Cor. 10, 13. *id, quod poteſtis.*“ Sic apte diſtinguitur tentatio diabolica ab humana, quæ ab ipſa hominis corruptione & propenſione in malum oritur. Fragilitatem autem noſtram benignus Deus clementer reſpiciens ſacramenta reconciliationis reliquit hominibus a dæmone ſeductis, quod non conceſſit dæmoni ſeductori, iisque, quos ſecum in eandem abducit damnationem. Hinc eſt, quod de Iuda proditore Chriſtus cæteris apoſtolis dicat: *Nonne* Io. 6, 71. *ego vos duodecim elegi, & ex vobis unus diabolus eſt?* isque in *Apocalypſi* eo ſenſu ἀπολλύων appellatur ex origine omnis perditionis cauſa; tum etiam iuxta S. Zenonem *Veronenſem pater omnium corrupte viventium diabolus deſignatur*: a) quo ſenſu Chriſtus de *Iudæis* dicit: *Vos ex patre diabolo eſtis.* Io. 8, 44.

a) Teſtimonium hoc ſæpius a Ratherio *Veronenſi* eſt repetitum, ut annotatur in nova edit. operum S. Zenonis ad lib. II. tract. 14. n. 4. ed. *Auguſtana* p. 195.

Digitized by Google

Quod autem res eſt, expreſſit S. Io●. *Chryſoſtomus* lib. I. ad Stagirium dæmone vexatum his verbis: „Quodſi diligenter his, quæ fiunt, animum intendere velimus, inveniemus minime ad omnia nos diabolum impellere; ſed cum plurimorum ille nobis lapſuum ſit auctor, plurima item nosmetipſos per noſtram ſolam ſocordiam & negligentiam pati.“ *Lib. II. ſtromat. p. 282.* Id Clemens *Alexandrinus* ſecundum clementiſſimam divini numinis erga perditum genus humanum voluntatem accipiens, „Cum autem (inquit) ſit Dominus cognitor cordium, & futura præſciat, facilem hominis mutationem, & ad revertendum propenſionem, & diaboli calliditatem ab alto vidit a principio, qui homini invidens propter remiſſionem peccatorum aliquas peccatorum cauſas ſervis Dei ſuggeret, aſtute hoc moliens, ut ipſi quoque cum eo cadant. Dedit ergo Deus, cum ſit multæ miſericordiæ, iis etiam, qui fide in aliquod peccatum incidunt, ſecundam pœnitentiam, ſi quis tentatus fuerit poſt vocationem, coactus & callide circumventus, unam adhuc non pœnitendam acceperit pœnitentiam.“ Neceſſe fuit olim ob *Manichæos* probe diſcernere originem & cauſas peccatorum, ſicque negat S. Thomas diabolum eſſe cauſam peccati, ſtudioſe inquirens quæſt. III. *de malo* (art. 3. & 1. 2. q. 80. a. 1.) Hucque imprimis pertinet in prima parte quæſtio 114. *de dæmonum impugnatione*, ubi, poſtquam ſtatuiſſet art. 1. & 2. homines impugnari a dæmonibus, tentareque proprium eſſe diaboli, negat tamen art. 3. omnia peccata procedere ex tentatione diaboli.

Quomodo in animum ſeſe inſinuent cogitationesque noſtras. *T. II. pag. 325.*

XXVII. Quæcunque vero demum ſint omnis generis dæmoniacæ infeſtationes, eæ legitime certantibus in bonum vertuntur ad immarceſſibilem æternæ vitæ coronam, tantoque maiorem gloriam, quo diriores fuerint pugnæ & victoria difficilior. „Sine labore certaminis (ſunt verba S. Gregorii M. lib. III. Dial. c. 19. de ſanctis ex inſidiis hoſtis antiqui proficientibus) non eſt palma victoriæ. Unde ergo victores ſunt, niſi quod contra antiqui hoſtis inſidias decertaverunt? Malignus quippe ſpiritus cogitationi, locutioni, atque operi noſtro ſemper inſiſtit, ſi fortaſſe quid inveniat, unde apud examen æterni iudicis accuſator exiſtat.“ Angelos tam malos quam bonos ſeſe inſinuandi in animam noſtram atque adeo cogitationes excitandi promtitudine pollere probandum ſibi *Lib. III. de Principiis T. I. p. 140.* ex ſcripturis ſuſcepit Origenes: „Cogitationes (inquit) quæ de corde noſtro procedunt, vel memoria quorumcunque geſtorum, vel quarumlibet rerum cauſarumque contemplatio, invenimus, quod aliquoties ex nobis ipſis procedant, aliquoties a contrariis virtutibus concitentur: interdum etiam a Deo, vel ſanctis angelis immittantur. Verum hæc ita eſſe, fabu-

Digitized by Google

fabuloſum fortaſſe videbitur, niſi ſcripturæ divinæ teſtimoniis fuerit probatum."

Id vero difficulter explicari poterit, quomodo cogitationes noſtras aſſequantur, etſi nulli dubium eſſe poſſit, ſpiritum ſpiritui ſua pandere communicareque animi ſenſa; ſed res eſt de latentibus mente cogitationibus, qua ratione penetrent dæmones, aut viciſſim excitent. S. Macarius homilia XXVI. hanc movet quæſtionem: „An utique cunctas hominis cogitationes & conſilia novit ſatanas?". Sic autem reſpondet: „Si homo, qui cum homine converſatur, novit, quæ ſunt eius & tu natus annos viginti, noviſti ea, quæ ſunt proximi, nunquid ergo ſatanas ipſe, qui a nativitate tibi converſatur, ignorat cogitationes tuas? Sexies enim mille annorum ætatem habet. Nec dicimus eum, priusquam tentet hominem, noſſe, quid facturus ſit. Tentat enim tentator, non tamen cognitum habet, an obtemperaturus ſit, necne, donec voluntatem ſervam ei tradat anima. Neque item dicimus, cunctas cogitationes cordis & deſideria noſſe diabolum. Perinde enim, ac ſi ſit arbor, quæ multos ramos habeat, ac multa membra; ita quoque ſunt quidam rami cogitationum, & conſiliorum, quos comprehendit ſatanas; ſunt vero aliæ cogitationes & conſilia, quæ a ſatana non comprehenduntur. In quadam enim re prævalet pars nequitiæ, ad generandum cogitationes; rurſus in quadam re cogitatio hominis ſuperior evadit, acceptoque auxilio, ac redemtione a Deo, contradicit malitiæ, quadam in re ſuccumbit, & quadam in re voluntatem habet. Interdum enim accedit ad Deum fervens, ſcitque ſatanas, ac videt eum ſibi repugnare, nec tamen reprimere poteſt hominem. Quid hoc? Quia habet voluntatem clamandi ad Deum, habet fructus naturales, ut ſcilicet diligat Deum, ut credat, ut requirat, & ad eum accedat." His comprehenditur, quidquid ex ſana doctrina, ſobriaque theologia hic dici poteſt, de movendis etiam ac coniectandis occultis cogitationibus. Pertinet hoc ad argumentum *de divinatione dæmonum*, quod ſingulari libro pertractans S. Augustinus „Suadent autem (ad rem præſentem ait) miris & inviſibilibus modis per illam ſubtilitatem ſuorum corporum corpora hominum non ſentientium penetrando, ſeſeque cogitationibus eorum per quædam imaginaria viſa miſcendo, ſive vigilantium ſive dormientium." In libro II. *Retractationum* cap. 30. ſequentia, quæ leguntur paullo poſt, eiusdem libri *de Divinatione* verba „Dæmones aliquando & hominum diſpoſitiones non ſolum voce prolatas, verum etiam cogitatione conceptas, cum ſigna quædam ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiſcere, (ita retractat:) Rem dixi occultiſſimam audaciore aſſeveratione, quam debui: nam pervenire iſta ad

T. I. p. 346.

T. IV. pag. 509.

T. I. p. 52.

Digitized by Google

ad notitiam dæmonum per nonnulla etiam experimenta compertum eſt. Sed utrum ſigna quædam dentur ex corpore cogitantium illis ſenſibilia, nos autem latentia, an alia vi & ea ſpiritali iſta cognoſcant, aut difficillime poteſt ab hominibus, aut omnino non poteſt inveniri.“ Sic lib. II. c. 26. *de Civitate Dei* & alibi paſſim dicit, dæmones agitare mentes nequiſſimas & inſtare faciendis adulteriis &c.

T. VII pag. 56.

Quomodo phantaſiam & paſſiones moveant.

XXVIII. Quoniam vero plerique veteres Patres dæmonibus corpora quædam ſubtiliſſima tribuebant, aerea potiſſimum, aut ætherea, nulla adeo premebantur difficultate explicandi, quomodo phantaſiam moveant humanam dæmones, indeque in animam fiat impreſſio, quod operæ pretium eſt altius repetere. S. Athenagoras in legat. pro Chriſtianis, animam tum maxime pati a ratione alienos & phantaſticos motus, cum materiæ ſpiritum ſibi adſciſcit, eique commiſcetur, poſtquam aſſeruiſſet n. 27. „Illæ igitur (addit) a ratione alienæ & phantaſticæ animi motiones viſa pariunt ſimulacrorum inſaniæ congruentia. Quando autem tenera & flexilis anima, ac robuſtioris doctrinæ ieiuna & inexperta, & veritatis contemplandæ ac Patris & opificis univerſorum conſiderandi inſolens, impreſſa & inuſta fuerit falſis de ſe opinionibus; tum dæmones, qui circa materiam verſantur, & nidores ac victimarum ſanguinem liguriunt, hominesque in fraudem inducunt, adhibitis in auxilium hisce motibus, qui vulgi animos ad falſas opiniones inclinant, perficiunt eorum mentes invadendo, ut tanquam ex ſtatuis & ſimulacris, viſa ad eos inania effluant.“

Poſt opera S. Iuſtini M. p. 305. Edit. S. Maur.

Editor in adiecta nota analogam inter alia etiam Tertulliani ex hoc Athenagoræ loco expreſſam hanc affert ſententiam ex cap. 22. *Apologet.* „Eadem igitur obſcuritate contagionis aſpiratio dæmonum & angelorum, mentis quoque corruptelas agit furoribus, & amentiis fœdis, ac ſævis libidinibus &c.“ Clemens *Alexandrinus* vero ſubtilius, & ut ita dicam, ſpiritualius rem expendit, nos contra dæmones iuxta apoſtolum armans animansque his verbis: „Oportet ergo nos Dei induere armaturam ad hoc, ut poſſimus reſiſtere inſidiis diaboli: quoniam arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed Deo potentia (δυνατὰ τῷ Θεῷ) ad deſtructionem munitionum cogitationes deſtruentes & omnem altitudinem ſe extollentem adverſus Dei cognitionem, & captivantes omnem intellectum ad obediendum fidei, ait divinus apoſtolus. Viro utique opus eſt, qui admirabiliter & inconfuſe iis rebus ſit uſurus, a quibus proficiſcuntur animi perturbationes, quemadmodum divitiis paupertate, gloria & ignominia, ſanitate & morbo, vita & morte, labore & voluptate. Ut enim indif-

Lib. II. Stromat. p. 298.

indifferenter utamur differentibus, magna nobis opus eſt differentia, ut qui multa imbecillitate prius male affecti ſimus, & in mala educatione & inſtitutione prius verſati cum ignoratione. Simplex ergo ratio noſtræ philoſophiæ dicit, omnes animi perturbationes & vitia eſſe impreſſiones mollis & cedentis animæ, & veluti obſignationes poteſtatum ſpiritalium, adverſus quas nobis eſt colluctatio. Maleficarum enim, ut puto, poteſtatum eſt opus proprii habitus aliquid conari, ſigillatim operari, ut nos, qui eas abrenunciavimus, in certamine ſuperent, & ſuos efficiant. Eſt ergo iure conſequens, ut aliqui quidem in lucta proſternantur. Quicumque autem certamen magis athletice aggrediuntur, omni contentione decertantes ad coronam uſque perveniunt: prædictæ autem poteſtates in multo ſudore & cruore tunc deficiunt, victores admirantes." Poſtquam vero explicaſſet bruta animantia ex appetitione & viſione moveri „Ratiocinandi autem (pergit) poteſtas, quæ eſt propria humanæ animæ, non debet ſimiliter impelli, atque animantia ratione carentia, ſed viſa quæ impellunt diſcernere, & non ab eis ſeduci. Hæ ergo, de quibus diximus, poteſtates pulchritudines & glorias, & adulteria & voluptates, & tales eiusmodi ineſcantes viſiones iis, quæ facile ſeduci poſſunt, animabus protendunt, quemadmodum qui pecora abigunt, eis frondes porrigunt." Nihil hoc aliud eſt, quam animalis homo, quem D. Paulus ſpirituali opponit. Paullo ante autem ex Origene uſi ſumus exemplo appetitus edendi, bibendi, libidinis &c. Recte porro is arbitratus „quod eadem rationis conſequentia etiam in cæteris naturalibus motibus poſſit intelligi cupiditatis vel iræ, vel triſtitiæ, vel in omnibus omnino, quæ per intemperantiæ vitium modum menſuræ naturalis excedunt" ſic demum concludit: „Cum vero indulſerimus ultra quam ſatis eſt, & non reſtiterimus adverſus primos intemperantiæ motus, tunc primi huius delicti accipiens locum virtus inimica inſtigat, & perurget omnibus modis ſtudens profuſius dilatare peccata, & quidem nobis hominibus occaſiones & initia præbentibus peccatorum, inimicis autem poteſtatibus latius ea & longius, &, ſi fieri poteſt, absque ullo fine propagantibus. Ita denique in avaritiam lapſus efficitur, cum homines parum quid pecuniæ deſiderant, deinde augeſcente vitio cupiditas increſcit. Poſt hoc iam etiam cæcitas mentis ex paſſione ſucceſſerit, inimicis virtutibus ſuggerentibus ac perurgentibus pecunia iam non deſideratur, & vi aut etiam ſanguinis humani profuſione conquiritur. Ad certiorem denique rei fidem, quod immenſitates iſtæ vitiorum a dæmonibus veniant, contemplari etiam ex eo facile poteſt, quod nihil minus his, qui corporaliter vexantur a dæmonibus, etiam illi patiuntur, qui vel immoderatis amoribus, vel iræ intemperantia, vel nimietate

T. I. pag. 139.

mietate

mietate triſtitiæ perurgentur. Nam & in nonnullis hiſtoriis refertur, quod in inſaniam quidam ex amore deciderunt, alii ex iracundia, nonnulli ex triſtitia, vel nimio gaudio: quod arbitror ex eo accidere, quia contrariæ iſtæ virtutes, id eſt dæmones, loco ſibi in eorum mentibus dato, quem intemperantia prius patefecerit, ſenſum eorum penitus obſederint: maxime cum nulla eos ad reſiſtendum virtutis gloria concitaverit." a)

Atque ad vitia inclinant.

XXIX. Sic quidem principiis obſtare diſcimus, tumque prima illa corruptionis noſtræ ſuffocare in ipſa radice ſemina, atque continuo contra hoſtem in acie ſtare. „Nam magnum (ut nos monet S. Basilius Hom. XXI. quod rebus mundanis non ſit inhærendum) ac varium bellum nobis, dilectiſſimi, quotidie infert hoſtis veritatis. Infert autem, uti ſcitis, dum cupiditates noſtras iacula adverſum nos efficit, ſemperque vires a nobis ad nos lædendum mutuatur. Quoniam enim magnam potentiæ illius partem indiſſolubilibus legibus Dominus colligavit, nec ſivit ipſum impetu ſuo humanum genus e terra ſimul delere, iam invidus ille per noſtram inſipientiam a nobis furtim reportat victoriam. Et quemadmodum improbi homines atque avari, quorum opera ac propoſitum eſt ex alienis diteſcere, ſed quibus non ſuppetit potentia, ut violentiam apertam exerceant, vias inſidioſe occupare ſolent, & ſi viderint in eis locum quempiam aut vallibus profundis diffractum, aut arborum denſitate umbroſum eo recipientes ſe & longe ante eiusmodi tegumentis, quominus viatores prævideant, impedientes, confertim & ex improviſo in illos inſiliunt, ne quisquam periculi laqueos, priusquam in illos inciderit, poſſit videre: ſic ille, qui nobis ab initio infenſus eſt & hoſtis, voluptatum mundanarum umbras ſubiens, quæ in huius vitæ via ad occultandum prædonem & ad dandas inſidiatori latebras idoneæ eſſe ſolent, ex inopinato interius laqueos nobis ſubiicit. Itaque ſi modo velimus ſubſtratam vitæ viam tuto percurrere, atque animam ſimul & corpus vulnerum turpitudine immunia offerre Chriſto, coronasque ob victoriam accipere, oportet nos animi oculos ſemper undecumque vigilantes circumagere, & res omnes iucundas habere ſuſpectas, ac ſtatim præterire, & ad nullam animum appellere, ne ſi aurum quidem videatur fuſe ſparſum, quod in cupientium manus venire paratum ſit."

T. II. pag. 163.

S. Am-

a) Idem Homil. XV. in Iosue ſingulis vitiis ſuum præficit dæmonem. Qua in re etiam ſuos habuit ſectatores: inter alios Evagrium *Scitenſem* monachum. Vid. T. VII. *Bibl. PP.* p. 564. ſeqq. Cassianus *Collat.* XXV. c. 5. Magiſter Sentent. II. diſt. 6. ubi ſeptem diſtinguit, ut nonnulli interpretes accipiunt ſeptem dæmonia eiecta a Maria.

Digitized by Google

S. Ambrosius eo Pſ. cxviii. verſum 121. *Feci iudicium & iuſtitiam: ne tradas me nocentibus me,* interpretatur: „Scit enim (inquit n. 12. ſeq.) auctorem eſſe principem mundi omnium delictorum. Ipſe individuos, proximorum irarum ſtimulis excitatos, ſcindit affectus: ipſe flammam accendit libidinis: ipſe adolet avaritiæ cupiditates; ut quo plus rapuerimus, amplius requiramus: ipſe ſuggerit, & miniſtrat fomenta luxuriæ: ipſe odia exaſperat, & immodicæ ſtudium ambitionis inflammat. . . Auctorem igitur incontinentiæ diabolum eſſe, apoſtolus docet: *Ne tentet vos propter incontinentiam veſtram.* Incentorem quoque avaritiæ ipſum eſſe legimus, dicente Paulo: *Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli.* Et alibi: *Mortificate ergo membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & avaritiam, quæ eſt idololatria.* In his enim diaboli voluntatem facimus, & exſequimur poteſtatem, qui per carnis iſtius deſideria incentivum ſuæ fraudis operatur. Quemcumque ergo in vitiorum ſuorum poſſeſſione repererit, tamquam obnoxium ſuo iuri vindicat &c." S. Chrysostomus hom. XIII. in Matthæum in Chriſti tentatione per diabolum præcipua diabolicarum tentationum capita diſtinguit: „Nam (inquit) *T. VII. pag. 172.* hæc mala, innumera alia complectuntur, ventri ſervire, ad vanam gloriam quid agere, furioſo pecuniarum amore teneri. Quod cum ſciret ſceleratus ille, omnibus valentiorem inſanabilem habendi cupiditatem ultimam poſuit; id iam ante & a principio parturiens; ſed poſtremum ſervans, utpote validius cæteris. Hæc quippe ipſius certaminis lex eſt, ut quæ videntur ad ſupplantandum aptiora, poſtrema afferat. Quod etiam circa Iobum fecit. Idcirco hic orſus ab iis, quæ videbantur infirmiora eſſe, ad valentius procedit. Quomodo autem hoc malum vincere oportet? Ut Chriſtus docuit, ad Deum confugiendo: ita ut nec fame concidamus, credentes ei, qui poteſt etiam verbo paſcere; nec in bonis, quæ accepimus, datorem tentemus, ſed ſuperna gloria contenti humanæ nullam habeamus rationem, & ubique quod ſuperfluum eſt, deſpiciamus. Nihil enim ita diabolo ſubditum reddit, ut inſatiabilis habendi cupiditas, & avaritia." Hom. IV. in c. I. *Geneſ.* breviter recenſet tela ignita diaboli, ut Paulus *Epheſ.* VI. vocat, quæ pleraque tantum a Chriſti ſanctitate remota fuere, ut nec obiici a diabolo potuerint „malæ concupiſcentiæ, immundæ cogitationes, perni- *T. IV. p. 20.* cioſi affectus, furor, invidentia, invidia, ira, odium, pecuniæ concupiſcentia, & cætera omnis ignavia. Hæc (pergit) omnia extinguere poterit gladius Spiritus. His autem armis induti ne horreamus pugnam, ne fugiamus congreſſum; ſed neque ignavi ſimus." Sic iuxta S. Augustinum facile dæmones vincuntur in hoc bello ab iis, qui ſunt ſuiipſorum victores: „Non

Digitized by Google

Enarrat. in pſal. 143. T. IV. p. 1601. enim (inquit) tentat diabolus vel angeli eius, niſi quod in te carnale dominatur. Nam quomodo vincimus illos hoſtes, quos non videmus, niſi quia carnales interiores motus noſtros ſentimus? Cum his confligimus, & illos percutimus. In amore pecuniæ dominatur avaritia: dominanti tibi avaritiæ diabolus forinſecus lucrum cum fraude proponit. Plerumque enim ad lucrum non pervenis, niſi fraudem feceris. Proponit ergo ille forinſecus avaritiæ tuæ, quam intus non viciſti, quam non domuiſti, non tibi *T. VI. pag. 246.* ſubieciſti &c." Et in lib. *de agone chriſtiano* „ Multi autem (inquit) dicunt, quomodo poſſumus vincere diabolum, quem non videmus? Sed habemus magiſtrum, qui nobis demonſtrare dignatus eſt, quomodo inviſibiles hoſtes vincantur. De illo enim dicit apoſtolus: *Exuens ſe carne principatus & poteſtates exemplavit, fiducialiter triumphans eos in ſemetipſo.* Ibi ergo vincuntur inimicæ nobis inviſibiles poteſtates, ubi vincuntur inviſibiles cupiditates: & ideo quia in nobis ipſis vincimus temporalium rerum cupiditates, neceſſe eſt, ut in nobis ipſis vincamus & illum, qui per ipſas cupiditates regnat in homine. Quando enim dictum eſt diabolo, *Terram manducabis*: dictum eſt peccatori, *Terra es, & in terram ibis.* Datus eſt ergo in cibum diabolo peccator. Non ſimus terra, ſi nolumus manducari a ſerpente. Sicut enim quod manducamus, in noſtrum corpus convertimus, ut cibus ipſe ſecundum corpus hoc efficiatur, quod nos ſumus; ſic malis moribus per nequitiam & ſuperbiam & impietatem hoc efficitur quisque, quod diabolus, id eſt, ſimilis eius; & ſubiicitur ei, ſicut ſubiectum eſt nobis corpus noſtrum. Et hoc eſt quod dicitur, manducari a ſerpente. Quisquis itaque timet illum ignem, qui paratus eſt diabolo & angelis eius, det operam triumphare de illo in ſemetipſo. Eos enim, qui foris non oppugnant, intus vincimus, vincendo concupiſcentias, per quas nobis dominantur. Et quos invenerint ſui ſimiles, ſecum ad pœnas trahunt."

T. II. pag. 184. Idem in epiſtola LXXVIII. ad clerum & plebem eccleſiæ *Hipponenſis* id ſingulariter vitium maligno tribuit, a quo diabolus ſeu calumniator dicitur, detractiones nimirum, quas S. Ioannes *Chryſoſt.* appellat *totum diaboli barathrum, & inſidiarum eius latibulum.* S. Augustinus autem loco citato ſic hortatur: *Hom. III. n. 6. ad pop. Ant. T. II. pag. 44.* „ Proinde fratres mei, qui timetis Deum, mementote, quod ait apoſtolus Petrus: *Quoniam adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens, quem devoret.* Quem non poteſt devorare ſeductum ad nequitiam, famam ipſius inquinare conatur, ut ſi fieri poteſt, opprobriis hominum & malarum linguarum detractione deficiat, & ſic in eius fauces ruat. Si autem nec famam innocentis maculare potuerit, hoc ei perſuadere tentat, ut per malevolas ſuſpiciones de fratre ſuo iudicet, & ſic

Digitized by Google

ſic ab illo implicatus abſorbeatur. Et quis omnes eius captiones & circumventiones vel comprehendere vel enumerare ſufficiat? "

Nullam SS. Patres prætermittunt occaſionem, ut fideles ad ductum S. ſcripturæ commonefaciant inſidiarum diabolicarum: atque in memoriam etiam revocant, quid nobiscum ante baptiſmum actum ſit, cum exorcizaremur, renunciaremusque diabolo, ut alibi attigimus; faciuntque huc potiſſimum homiliæ ad illuminatos, aut illuminandos, quas inter tota fere in hoc argumento eſt ſecunda id genus S. Chrysostomi in nova editione, quæ olim erat viceſima prima ad populum *Antiochenum*, cui iugem memoriam ſæpius inculcat ſic demum concludens: „Sicut ſine calceamentis, vel veſtimentis veſtrum nemo in forum deſcendere vellet: ita ſine verbo hoc nunquam in forum prodeas, ſed cum es ianuæ veſtigia transgreſſurus, hoc prius loquere verbum: *Abrenuntio tibi ſatana & pompæ tuæ, & cultui tuo, & coniungor tibi Chriſte.* Ne unquam abſque hac voce exeas: hæc erit tibi baculus, hæc armatura, hæc turris inexpugnabilis." Iam ſupra ſerio monentem audivimus fideles S. Leonem, „ne diabolicis iterum capiantur inſidiis, & eisdem rurſus, quibus renuntiaverant erroribus, implicentur. Non enim deſinit hoſtis antiquus transfigurans ſe in angelum lucis, deceptionum laqueos ubique prætendere, & ut aliquo modo fidem credentium corrumpat, inſtare. Novit, cui adhibeat æſtus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus invidiæ. Novit, quem mœrore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione ſeducat. Omnium diſcutit conſuetudines, ventilat curas, ſcrutatur affectus: & ibi cauſas quærit nocendi, ubi quemque viderit ſtudioſius occupari."

T. II. pag. 234.

Ser. XXVI.

Qua vero de cauſa dæmones potiſſimum immundi appellentur ſpiritus, vocat autem dæmon ipſe apud S. Hieronymum in vita S. Hilarionis dæmonem amoris *collegam ſuum*, multæ apud veteres memorantur præſtigiæ eiusmodi, de quibus ſubinde recurret ſermo. Legique poteſt S. Gregorii M. dial. lib. III. caput 7. Sic vero iuxta S. Gregorium in cap XL. *Iob* lib. XXXIII. n. 31. in eo, quod agere nititur ex ipſo ſuarum actionum nomine vocatur, cum iumentum, draco vel avis dicitur. „In eis quippe, quos ad ſtultitiam luxuriæ excitat, iumentum eſt; in eis, quos ad nocendi malitiam inflammat, draco eſt: in eis autem, quos in ſaltum ſuperbiæ quaſi alta ſapientes elevat, avis eſt: in illis vero quos pariter in luxuria & ſuperbia & malitia polluit, iumentum, draco, ſimul & avis exiſtit. Per tot namque ad deceptorum cor ſe ſpecies intulit, in quot eos nequitias implicavit. Multarum igitur rerum nomine vocatur,

T. IV. p. 81.

T I. p. 1094.

Digitized by Google

quia ante deceptorum mentes in varias formarum ſpecies vertitur. Cum enim hunc per carnis luxuriam tentat, & tamen minime ſuperat, mutata ſuggeſtione cor illius in malitiam inflammat. Quia ergo ad eum venire bellua non valuit, draco venit. Illum veneno malitiæ corumpere non valet, ſed tamen bona ſua eius oculis opponit, & cor illius in ſuperbiam extollit. Huic ergo ut draco ſubrepere non valuit, ſed tamen adducto phantaſmate inanis gloriæ, coram cogitationis eius obtutibus quaſi avis volavit. Quæ nimirum avis tanto contra nos immanius extollitur, quanto nulla naturæ ſuæ infirmitate præpeditur. Quia enim carnis morte non premitur, & redemtorem noſtrum carne mortalem vidit, altiori faſtu elationis intumuit; ſed ubi contra auctorem ſuum penna ſe ſuperbiæ extulit, ibi laqueum ſuæ mortis invenit." Hucusque S. Gregorius, *pag.* 1080. qui paullo ſuperius in idem cap. XL. v. 16. ad duo illa vitia dæmonis in genus humanum tyrannidem redegit, „quæ (inquit) humano generi immaniter dominantur: unum videlicet ſpiritus, atque aliud carnis. Elatio namque ſpiritum erigit, luxuria carnem corrumpit. Antiquus itaque hoſtis humanum genus vel per elationem præcipue, vel per luxuriam premens in ſecreto calami atque in locis humentibus dormit: quia hominem damnatum, ſub ditione ſuæ dominationis aut per elationem ſpiritus, aut per carnis corruptionem tenet. Quosdam vero in utroque poſſidet: quia cum eos ſuperbiæ ſpiritus elevat, a tumore ſuæ altitudinis nec verecundia corruptionis inclinat. Sed nunquid contra hos intra ſanctam eccleſiam inceſſanter quotidie virtutum magiſtri non vigilant? Numquid redarguere voluptates infimas, & ſuadere gaudia patriæ cœleſtis ceſſant? Sed pravorum mentes tanto obſtinatius ſumma non audiunt, quanto arctius infimis inhæſerunt. Quibus neque hoc ſufficit, ut ipſi pereant, ſed adhuc, quod eſt deterius, cum quoslibet argui emendarique conſpiciunt, iuſtorum increpationibus obviant, ne ſaltem alii corrigantur. Unde & bene ſubditur: *Protegunt umbræ umbram eius.* Umbræ quippe ſunt diaboli omnes iniqui: qui dum imitationi iniquitatis eius inſerviunt, quaſi ab eius corpore imaginis ſpeciem trahunt."

Et a bono ad malum.

XXX. Poſt hæc vero adverſarii noſtri molimina, ut homines in omnia vitiorum mala præcipitet, hactenus enumerata, nihil opus eſt hic addere de eorum conatibus ſummis, ut bona quavis impediant ratione. Unum nobis ex ſcripturis Petri exemplum ſufficit, quem inſtigatum a dæmone Chriſtus indicat, eum ſatanam appellans, dum a ſubeunda paſſione Chriſtum dehortari gravius etiam non dubitat: *Cœpit increpare illum dicens: Abſit a te, Domine: non erit tibi hoc. Qui converſus dixit* Petro:

Matth. 16, 22.

Vade

Vade poſt me ſatana, *ſcandalum es mihi: quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt, ſed ea quæ hominum.* Vix ob confeſſionem Divinitatis audierat PETRUS: *Beatus es* SIMON *Bar-Iona*, *quia caro & ſanguis non revelavit tibi*, *ſed Pater meus*, *qui in cœlis eſt*, iam ſatan appellatur, dum ea, quæ ſunt hominum, ſapit. Ex ſententia quippe S. AUGUSTINI totus homo ſatan eſt, in eo, quod habet de ſuo: unde quilibet ſibi diffidat, caveatque, ne eodem, quo PETRUS ductus ſpiritu, quidquam eorum quoquo modo negligendum ducat, quo Chriſtus opera diaboli diſſoluit: *In hoc enim* 1. *Io.* III. 8. *apparuit filius Dei*, *ut diſſolvat opera diaboli.* Palam vero eſt exemplo PETRI, quam facilis ſit de uno in aliud lapſus eorum etiam, quos Chriſtus a diaboli ſervitute ereptos, in ſuum adſcivit contubernium. „Quando enim vir (inquit S. CHRYSOSTOMUS in hunc locum *Matth.* hom. LIV. al. LV.) qui beatus appellatus eſt, qui talem protulit confeſſionem, hoc tamen audit; in animo reputa, quanta paſſuri ſint ii, qui poſt iſta myſterium crucis vilipendunt. Non dixit, Satanas per te locutus eſt; ſed *Vade poſt me ſatana.* Nam cupiebat adverſarius, ut Chriſtus non pateretur: ideo ſic vehementer increpavit, quod maxime ſciret, & illum & alios hoc ipſum timere, neque facile illud admittere.“ *T. VII pag. 550.*

Ex hoc porro exemplo palam fit, non malos tantum eſſe ac vitioſos, qui a dæmonibus divexentur, infeſtenturque, ſed, ut oſtendimus, vires ſuas, ubi id plus opus eſſe deprehendit, magis etiam in eos exerit, atque exercet, quos ſtrenuos experitur pugiles. ELIAS *Cretenſis* ſæc. VIII. ſcriptor ac commentator in S. GREG. *Naz.* dæmones exactores vocat „a quibus ii, qui recte & ex veritate vivere ſtudent, urgentur ac divexantur: Nam iſti ab unoquoque noſtrum vitii ſtudium propemodum exigunt, mentiſque ad vitioſas affectiones propenſionem tanquam tributum quoddam colligunt. At qui adverſus carnis cupiditates inſurgunt, ac forti & ſtrenuo animo detrimentum illud, quod ex peccato contrahitur, repellunt, & ſpiritualia nequitiæ ſuperant, exactoris voce ſublimiores ſunt.“ Supra audivimus a S. BERNARDO diabolum leonem iuxta S. PETRUM appellari, a piis non timendum: ex quo nunc ad rei teſtiumque concluſionem illud adhuc noto, quod paullo ante ad illa pſalmi verba: *Qui habitat: ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulabis & conculcabis leonem & draconem* commentatur: „Quid inter hæc (inquit) faceret pes humanus? Quid humanæ affectionis inter tam horribilia monſtra conſtaret? Nempe nequitiæ ſpirituales ſunt, & quidem non incongruis appellationibus deſignatæ. Siquidem de his dictum, quod nequaquam vobis excidiſſe reor: Quis vero ſcire poteſt, an diviſæ ſint inter eos operationes malitiæ, miniſteria iniquitatis: ut ex diverſis officiis, vel potius maleficiis vocabula quoque diverſa ſortiti, no- *In Orat. I. T. II. p. 102.* *T. III. pag.*

minentur alius quidem aſpis, alius vero baſiliſcus, alius autem leo, & alius draco, quod videlicet ſuo quidem inviſibili modo varie noceant, quaſi alius morſu, alius viſu, alius rugitu, vel ictu, alius flatu: Legi etiam de quodam genere dæmoniorum, quod non eiiciatur niſi in oratione & ieiunio: nihil potuerat namque verbum apoſtolicæ increpationis ad illud. Quomodo non illud aſpis erat: illa utique de pſalmo aſpis ſurda & obturans aures ſuas, ne vocem audiat incantantis."

T. III. pag 865.

Variis modis corporaliter infeſtati homines. *Lib. II. ſtromat. p. 299.*

XXXI. Nimis craſſe hæc acceperunt BASILIDIS ſectatores: „vitiaque & animi perturbationes (teſte CLEMENTE *Alexand.*) cenſuerunt vocanda προσαρτήματα, id eſt, appendices: & ea eſſe quosdam in eſſentia ſpiritus appenſos animæ ratione præditæ per quandam conturbationem & confuſionem principalem: & alias rurſus ſpirituum adulterinas, & diverſi generis naturas iis adnaſci, utpote lupi, ſimiæ, leonis, urſi: quorum proprietates earum opera factaque imitantur &c." Affert paullo poſt ſequentia de his appendicibus VALENTINI verba: „Eſt autem unus bonus, cuius fiducia eſt ea, quæ fit per filium manifeſtatio, & per eum ſolum poteſt cor fieri mundum, eiecto ex corde omni maligno ſpiritu. Multi enim in eo habitantes ſpiritus id mundum eſſe non ſinunt. Unusquisque autem eorum propria efficit opera, ſæpe non convenientibus inſultans cupiditatibus." Ipſi autem CLEMENTI *Alexandrino* cor hominis non abſimile diverſorio videtur: „cuius dum nulla cura geritur, id immundum fit, & multorum dæmonum habitaculum." Et poſtea S. BARNABÆ uſus auctoritate „Quomodo autem (addit) nos diaboli operationes & ſpiritus immundos in peccatoris animam ſeminare dicamus, non mihi pluribus verbis opus eſt, ſi adduxero teſtem BARNABAM apoſtolicum (erat autem is ex ſeptuaginta, & PAULI adiutor) his verbis dicentem: *Antequam nos Deo crederemus, erat noſtrum cordis habitaculum interitui obnoxium & imbecillum, vere templum manu ædificatum: quia erat quidem plenum cultu idolorum, & erat domus dæmonum, quod faceret, quæcunque Deo ſunt contraria.* Operationes ergo dæmonibus convenientes dicit peccatores efficere: non autem ipſos ſpiritus habitare in anima infideli. Et ideo ſubiungit: *Attendite ut templum Domini glorioſe ædificetur. Diſcite vos accepiſſe remiſſionem peccatorum. & poſtquam ſperavimus in illud nomen, efficiamur rurſus novi, creati ab initio. Non enim dæmones a nobis expelluntur, ſed peccata, inquit, remittuntur, quæ ſimiliter atque illi faciebamus, priusquam crederemus.*" Hucusque CLEMENS *Alexandr.* adducam autem citatum ex S. BARNABÆ epiſtola locum, qui ad rem facit, ut de interpretatione iudicare poſſit lector: „Antequam crederemus Deo,

Ib. p. 300.

T. I. PP. AA. p. 65.

Deo, erat habitatio noſtra corrupta & infirma, ſicut templum, quod per manus ædificatur: quia pleni eramus adorationibus idolorum, & erat domus dæmoniorum; propter quod faceremus, quæ Deo eſſent contraria.“ Benedictus XIV. annotavit, ex allato forſitan S. Barnabæ aliisque conſimilibus aliorum SS. Patrum teſtimoniis, in primitiva eccleſia obſeſſos dici ſolitos infantes, & etiam adultos nondum baptizatos. Supra retulimus quædam vetuſtiſſimorum Patrum loca, quæ, Tertulliani imprimis verba in libro *de anima* c. 57. nullum pæne hominem carere dæmonio, non de ſolis infidelibus nondum baptizatis intelligenda ſunt.

De Beatif. & Canoniz. SS. lib. IV. c. 19. in Synopſi p. 412.

Erat antem peculiare inde ab antiquiſſimis temporibus a catechumenis diſcretum genus, ac ritus circa energumenos, locusque in eccleſia diſtinctus. Iuxta liturgiam conſtitutionibus apoſtolicis inſertam catechumenis exire iuſſis diaconus dicere iubetur: *Orate energumeni & vexati a ſpiritibus immundis. Intente cuncti pro ipſis deprecemur; ut benignus Deus per Chriſtum increpet immundos ac malos ſpiritus, & liberet ſupplices ſuos ab oppreſſione ac tyrannide adverſarii: qui increpavit legionem dæmonum, & originem mali diabolum; increpet ipſe nunc quoque apoſtatas pietatis, & liberet creaturas ſuas a diaboli vexatione, & mundet eas, quas magna cum ſapientia condidit. Adhuc intente pro ipſis precemur. Salva & erige illos Deus, in virtute tua. Inclinate energumeni, atque benedictionem accipite.* Et epiſcopus deprecetur dicens. Sequitur cap. 7. *Oratio pro energumenis* hoc exordio: *Qui fortem ligaſti, & cuncta vaſa eius diripuiſti: qui dediſti nobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici: qui homicidam ſerpentem, vinctum tradidiſti nobis ſicut paſſerem pueris &c.*“

Lib. VIII. c. 6. ſeq. T. I. PP. AA. p. 394.

Matth. 12, 29. Luc. 10, 19. Iob 40, 24.

Tum mox capite ſequenti poſt orationem pro iis, qui iamiam baptizandi ſunt, pro verſantibus in pœnitentia ſic orari iubetur: *Ut miſericordiæ ſtudioſus Deus illis oſtendat viam pœnitentiæ: admittat eorum palinodiam ſeu retractationem; atque confeſſionem, & conterat ſatanam ſub pedibus eorum velociter, liberetque illos a laqueo diaboli, & violentia dæmonum.*“ *Gabriel* Albaspinæus in opere *Gallico de Eucbariſtia* multis ex Dionysio probat, vocem energumeni olim ampliori ſignificatu acceptam eſſe, non ſolum de obſeſſis, quos proprie appellamus, ſed etiam de aliis, qui quoquo modo in diaboli poteſtate erant peccatores, vexatique a dæmonibus a), quos etiam exorcizaverint. Multa

L. I. c. 15.

a) „A ſçavoir, qu'ils eſtimoient anciennement, que les pecheurs eſtoient comme en la puiſſance du diable: que de monſtrer qu'ils uſoient d'exorciſmes non ſeulement ſur ceux, qui etoient veritablement demoniaques, mais encore ſur ceux,

Multa ad rem profert abbas Duguet diſſertat. *ſur les Exorciſmes*, ut demonſtret, exorciſmos forte ante baptiſmum in articulo neceſſitatis omiſſos, non eſſe negligendos, nec abs re ſuppleri. Rem vero apte Origenes explicat lib. III. *de Principiis* c. 3. etſi vocem, *energumenus*, ſtricto accipiat ſenſu: „ Manifeſte ergo (inquit) & ex multis indiciis demonſtratur, quod humana anima, dum in hoc eſt corpore, recipere poteſt diverſas energias, id eſt, inoperationes ſpirituum diverſorum malorum ac bonorum: & malorum quidem dupplici ſpecie, id eſt, vel tunc cum penitus ex integro eorum poſſederint mentem, ita ut nihil omnino eos, quos obſederint, intelligere vel ſentire permittant, ſicut exemplo ſunt hi, quos vulgo energumenos vocant, quos amentes & inſanos videmus: quales illi erant, qui in evangelio a Salvatore curati eſſe referuntur; vel cum ſentientem quidem, & intelligentem animum cogitationibus variis, & ſiniſtris perſuaſionibus inimica ſuggeſtione depravant: ut exemplo eſt Judas ad proditionis facinus diaboli immiſſione provocatus, ſicut ſcriptura declarat, dicens: *Cum autem iam diabolus miſiſſet in cor Iudæ Scariotis, ut traderet eum.*" Atqui hic non ſcripturæ tantum, ſed etiam antiquorum SS. Patrum familiaris eſt ſermo paullatim deſuetus, cum ipſa propemodum perſuaſione de peſſimi hoſtis noſtri infeſtationibus: ac ſi nihil fere mali timendum eſſet, quod nobis inferre queat.

T. I. p. 144.

Eſſai de Moral. T. XII. p. 183.

Inadvertentiam hanc ac incredulitatem graviter inceſſit lugetque Nicollius in epiſtolam Domin. III. poſt Pentecoſten, locum illum D. Petri tractans: *Sobrii eſtote & vigilate, quia adverſarius veſter diabolus tanquam leo*

qui eſtoient tourmentez du diable en quelque autre façon. Car il y a apparence, que ſi ce mot d'Exorciſme ſignifioit autre choſe en ces premiers ſiecles, que les conjurations qu'on applique aujourd'huy ſur les vrais demoniaques, & que s'il ſe trouve qu'ils en ayant uſé ſur des perſonnes, qui n'eſtoient pas veritablement & actuellement poſſedez du diable, que ce mot auſſi d'Energumene avoit une ſignification plus eſtendue, qu'il n'a aujourd'huy. Les exorciſmes donc ne ſignifient maintenant que les conjurations, & que les commandemens qu'on fait aux malins eſprits de ſortir des corps de ceux, qui veritablement & actuellement ſont poſſedez. Mais anciennement les oraiſons & les impoſitions de mains qu'on faiſoit ſur les Catechumenes & ſur les penitens du troiſieme degré, s'appelloient exorciſmes & purgations, & ſe trouve qu'on les exorciſoit, encore qu'ils ne fuſſent aucunement demoniaques. Et de fait aujourd'huy, quoy que la ſignification de ce mot ſoit reduite aux coniurations, l'uſage toutefois en eſt plus eſtendu: & tout ainſi qu'anciennement on exorciſoit beaucoup des choſes inanimées, de meme a preſent on exorciſe non ſeulement les demoniaques, mais auſſi l'eau, le ſel, & les autres choſes, qui ſervent ou aux Sacremens, ou aux ceremonies: car nous avons accouſtumé de dire au bapteſme, *Retire-toy*, diable mandit, *de cette creature de ſel, ou d'eau.*"

Digitized by Google

leo rugiens circuit, quærens quem devoret. a) *Io. Ioſeph.* Gassner, quem nunc in noſtra *Germania* pars miratur, pars exagitat, ceu ritus ſingularis exorciſtam, quadam apologia ſua, quæ *Auguſtæ Vindel.* tertio iam prodiit, illud Muratorii expendens dubium, quod infeſtati obſeſſique a dæmonibus in illis regionibus ſolum ſe prodant, ubi exorciſtæ habentur, eius rei rationem hanc reddit, b) quod eiuscemodi originem mali non animadvertentes, naturali tribuant cauſæ. Poſtea quæſtionem movens, an Satan eos, qui eius vexationes haud credunt, minus infeſtet, fieri putat, eiusmodi homines, quod apprime ſcopo ſuo utiles ſint, corporaliter minus vexari, ut ſua perſiſtant in perſuaſione, exorciſmosque eccleſiæ irridere pergant, eorum vim impugnando, quæ ſeſe exerit, auxiliumque præbet non ſolum contra obſeſſos a dæmonibus vere tales, ſed aliis etiam infeſtatos modis ſive in anima, ſive in corpore: quod poſterius vexationis genus recentior theologia circumſeſſionem, ut ab omnimoda obſeſſione diſtinguatur, vocat, iis congruenter, quæ modo ex antiqua eccleſiæ traditione de variis dæmoniacis infeſtationibus explicare cepimus, de arreptitiis iam proſecuturi ſermonem, quas Concilium *Toletanum* XI. ex epiſtola Gelasii P. ad epiſcopos *Lucaniæ* c. 21. aliisque maiorum regulis

a *Eſſai de Moral. T. XII. p. 183.*

b *pag. 23.*

a) „Il n'y a guere de choſes plus terribles, & dont cependant les hommes ſoient moins frappés, que celle que l'apôtre Saint Pierre nous decouvre par ces paroles, qui eſt, que tout le monde eſt rempli de lions inviſibles, qui rodent alentour de nous, & qui ne cherchent qu'a nous devorer. Les hommes ſont ſi vains dans leur aveuglement, qu'ils ſe font un honneur de ne les pas craindre, & presque de ne les pas croire. C'eſt une foibleſſe d'eſprit, ſelon pluſieurs, d'attribuer aux démons quelque effet; comme s'ils etoient dans le monde pour n'y rien faire, & qu'il y eût quelque apparence que Dieu les aiant autrefois laiſsé agir, il les ait maintenant, reduits a une entiere impuiſſance. Mais cette incredulité eſt beaucoup plus ſupportable, quand il ne s'agit que d'effets exterieurs. Le plus grand mal eſt, qu'il y a peu de perſonnes, qui croient ſérieuſement que le diable les tente, leur dreſſe des piéges, & rode alentour d'eux pour les perdre, quoiqu'il n'y ait rien de plus certain.“ Idem in epiſtolam dominicæ XXI. poſt Pentecoſten ſic ſcribit: „Hors un petit nombre d'ames, qui y vivent de l'eſprit de Iesus-Christ, les demons poſſedent tous les autres. Ils y regnent abſolument; & ils reuniſſent tout leurs efforts contre ce petit nombre d'hommes, qui ſont encore vivans parmi ces cadavres, qui les environnent. & dont le demon ſe ſert pour les ſeduire.“ *Eſſai de Moral* T. XIII. p. 190.

b) *Antwort auf die Anmerkungen wider ſeine Gründe und Weiſe zu exorciren* pag. 17. 18. „Sehr viele Leute waren in der That vom böſen Geiſte geplagt und bezaubert, aber ſie erkannten den Urſprung ihres Uebels nicht. Sie ſahen es als eine natürliche Wirkung an: darum hatten ſie auch kein Verlangen bey einem Exorciſten, oder bey andern geiſtlichen Mitteln Hilfe zu ſuchen. Weil ihnen die Aerzte auch nicht helfen konten, oder ihnen die Mittel mangelten, die Köſten beſtreiten zu können, trugen ſi gleichwohl ihre Armſeeligkeit ſtillſchweigend, oder aus Deſperation, daſs ihnen nicht geholfen werden könne.“

gulis attingit can. 13. „Ut dæmoniis, aliisque ſimilibus paſſionibus irretitis miniſteria ſacra tractare non liceat: cui præcepto conſenſu rationis adhibito, id definiunt, ut nullus de his, qui aut in terram arrepti a dæmonibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incurſibus efferuntur, vel ſacris audeant miniſtrare altaribus, vel indiſcuſſi ſe divinis ingerant ſacramentis: exceptis illis, qui variis corporum incommoditatibus dediti, in eiusmodi paſſionibus in terram approbantur eliſi: qui tamen & ipſi tamdiu erunt ab officii ſui & ordine & loco ſuſpenſi, quouſque unius anni ſpacio per diſcretionem epiſcopi inveniantur ab incurſu dæmonum alieni. “

Et obſeſſi. XXXII. Atqui vero maximæ hic noſtris imprimis temporibus moventur difficultates, naturalibusque cauſſis omnes illæ, quæ in energumenorum corporibus ſunt conſpicuæ, tribuuntur agitationes corporis, ob quas & diverſa illa nomina a *Græcis* ad *Latinos* etiam ſunt translata, ut dicerentur energumeni, χειμαζόμενοι, quam vocem *Latini hiemantes* reddiderunt; hyberna quaſi iactentur tempeſtate: recteque adeo dicuntur in latina verſione altera concilii *Ancyrani* an. 314. can. 17. *qui tempeſtate iactantur, qui a nobis energumeni appellantur.* Ubi tamen unus ALBASPINÆUS in not. ad hunc canonem energumenos excludit. Apud S. CYPRIANUM *Clydomeni* nominantur; putat autem DODWELLUS poſt *Io.* FELLUM vocem *Thlibomeni* loco *Clydomeni* reponi poſſe. Propius tamen ad MSS. fidem *Clydonizomeni* nempe κλυδωνιζόμενοι dicuntur, quæ quidem aliæque memoratæ voces rem ab effectu deſignant, vox autem *dæmoniacus* præciſius a cauſa: quæ cum toties in ſac. ſcriptura manifeſtetur; ſunt nihilo tamen minus, qui in illis etiam omnibus ab evangeliſtis commemoratis nihil niſi phreneticos, lunaticos, aliosque naturales ſomnient morbos, quos S IOANNES *Chryſoſtomus* appoſite exemplo *Matth.* VIII. ſtringit, quo dæmones in porcos permiſſi intrare totum gregem præcipitarunt, ſubmerſeruntque aquis. „Ne quis (inquit) hoc rem eſſe fictam putaret, ſed quisque crederet dæmonem vere exiviſſe, ex porcorum morte id manifeſtum efficitur. “

T. I. Conc. ed. Labb. p. 1474. Diſſ. I. ad S. Cypriani opera de voce Cleri p. 7.

Idem S. Doctor hom. LVII. alias LVIII. in MATTH. exceptionem prævertit, quod, miſere a dæmone diſcerptus, lunaticus vocetur: „Quodſi (inquit) lunaticum vocet, ne turberis: nam ſic vocat filium dæmoniaci pater. Cur ergo dicit Evangeliſta, ipſum multos lunaticos curaviſſe? Ex vulgi opinione ſic loquitur. Demum quippe ut hoc elementum calumnietur, ſecundum lunæ curſum invadit homines, & dimittit: non quod illa id operetur, abſit; ſed id efficit per vafritiem dæmon, ut id elemento imputet. Ideoque hæc falſa opinio apud inſipientes invaluit,

T. VII. pag. 579. Hom. XXVIII. in Matth. T. VII. p. 338.

ſicque

ſicque deluſi, hoc nomine dæmonas huiusmodi appellant; id quod minime verum eſt.“ Memini me hanc vocem alibi in ipſo S. Chrysostomo ex vulgari nempe loquendi uſu legiſſe: quam haud abſimiliter iam ante S. Chrysostomum S. Hilarion apud S. Hieronymum in eius vita rationem inierat: „Nec movere quempiam debere, quod Domini iuſſione duo millia porcorum a dæmonibus interfecta ſunt. Siquidem eos, qui viderant, non potuiſſe aliter credere, exiiſſe de homine tantam multitudinem, niſi grandis porcorum numerus, & quaſi a multis actus pariter corruiſſet.“ T.IV. p.82.

Fraudibus tamen deceptionibusque hic locum facile eſſe, nemo prudens ac circumſpectus inficiabitur. Unde merito concilio quiniſexto „eos, qui ſe dæmone correptos eſſe ſimulant, & morum improbitate eorum figuram & habitum ſimulare præſeferunt, viſum eſt omnimodo puniri; & eiusmodi afflictionibus laboribusque eos ſubiici oportere, quibus ii, qui vere a dæmone correpti ſunt, ut a dæmonis operatione liberentur, iure ſubiiciuntur.“ Neceſſe porro eſt, accurata ſtatuere criteria, ut probe diſcernantur morbi cauſæque naturales, quibus perinde ipſi etiam male affecti decipi poſſunt. „Non ſufficiunt autem hic (ſunt *Frider.* Hoffmanni medici celeberrimi verba diſſert. phyſico-medica curioſa *de diaboli potentia in corpora*) ſolæ horrendæ vociferationes, geſtuum deformationes, inſolentes, atque admirandæ corporis motiones, quippe huiusmodi ſymptomata ſpaſmodicis & arthriticis morbis valde ſunt familiaria; ſed ſuſpicionem generant veneficii, ſi ſanus & robuſtus homo, ſubito citra morbum præcedentem, graviſſimis convulſionibus, membrorum mirificis agitationibus, doloribusque torquetur.“ Can. 60. T. VI. Conc. p. 1169. T. V. Opp. p. 101.

Ponit deinde ſigna quædam ac notas, quæ paſſim etiam a catholicis doctoribus agnoſcuntur. Neque vero, quæ ſecundo loco ſtatuitur nota, nempe blaſphematio Dei & verbi divini abuſus, & obſcœnarum rerum intermixtio per ſe characteriſtica eſt, ſicuti tertia, ſeu rerum ſecretarum, & incognitarum, præſertim futurarum, vel remotiſſimis in locis geſtarum notitia. Hanc paſſim SS. Patres dæmonibus tribuunt, explicantque, qua ſubtilitate velocitateque polleant, ſeſe in intima etiam hominum inſinuandi, & remotiſſima quæque prænuntiandi: „Quod (inquit S. Antonius in laudata oratione ad monachos, ubi num. 16. &c. nonnulla exempla profert) etiam homines narrare poſſent, ſi tantum curſu valerent, quantum ipſi.“ Peregrinarum linguarum demum notitiæ exemplum ſingulare affert S. Hieronymus (in vita S. Hilarionis) dæmoniaci ex *Francica inter Saxones & Alemannos* gente advenientis: qui *Syro*, quo interrogatus fuerat ſermone, promte reſpondit. „Videas (addit) de ore T.IV. p.81.

 barbaro,

barbaro, & qui *Francam* tantum & *Latinam* linguam noverat, *Syra* ad purum verba reſonare, ut non ſtridor, non aſpiratio non idioma aliquod

T. I. p. 145. *Paleſtini* deeſſet eloquii: confeſſus eſt itaque, quo in eum intraſſet ordine. Et ut interpretes eius intelligerent, qui *Græcam* tantum & *Latinam* linguam noverant, *Græce* quoque eum interrogavit.“

Infantes.

XXXIII. Quid vero ſi ab ipſa infantia ſit malum dæmoniacum cum morbo naturali coniunctum, veluti apud *Matth.* XVII. 14. lunaticus, *Marc.* IX. 20. & *Luc.* IX. 39. ab infantia a dæmonibus miſere exagitatus memoratur. Teſte Origene lib. III. *de Princ.* c. 3. *manifeſte oſtenditur ab adverſariis ſpiritibus quosdam a prima ſtatim ætate poſſeſſos, id eſt, nonnullos cum ipſo dæmone natos, alios vero a puero divinaſſe, hiſtoriarum fides declarat. Alii a prima ætate dæmonem, quem Pythonem nominant, id eſt, ventriloquum, paſſi ſunt.* Inepte ibi quidem Origenes eius rei cauſam ad ſuum trahit errorem, priores quasdam eisdem energumenis fuiſſe cauſas, *quibus antequam in corpore naſcerentur animæ, aliquid contraxerint culpæ in ſenſibus vel motibus ſuis*, ſtatuens, noxæ originalis ex Adamo immemor. At vero S. Hieronymus in epiſtola ad Paulam *de dormitione* Blesillæ, quæ cauſa ſit, ut ſæpe bimuli, trimulive, & ubera materna lactantes a dæmonio corripiantur, inquirens, inſcrutabilique altiſſimi iudicio relinguenda eſſe exiſtimans, de renatis iam fonte baptiſmatis intelligendus eſt: unde iuxta S. Augustinum lib. XXI. *de civit. Dei* cap. 18. „Grave iugum ſuper filios Adam a die exitus de ventre matris eorum, uſque in diem ſepulturæ matrem omnium, uſque adeo impleri eſt neceſſe; ut ipſi parvuli, per lavacrum regenerationis ab originali peccato, quo ſolo tenebantur vinculo, iam ſoluti multa patientes, nonnullas incurſiones ſpirituum malignorum patiantur.“ Add. lib. XXII.

T. VII. pag. 686. c. 22. n. 3. S. Petrus *Chryſologus* parentibus culpam imputans. „In-

Serm. LI. p. 81. fantia (inquit) ut in ſe diabolo locum faceret, quid criminis admiſerat? quid reatus? Sed replentur dæmone parvuli, quando a parentibus ſuis

T. II. pag. 196. offeruntur diabolo, dæmonum ducuntur ad curam.“ Apud S. Gregorium lib. I. *dial.* c. 10. legitur extinctus a diabolo infantulus, quod parens ei, epiſcopo ſuo detrahenti, libenter auſcultaverit. Sic etiam puerulus dæmo-

p. 352. nio ab Eleutherio ſervo Dei eodem teſte lib. III. c. 33. liberatus, rurſus ob eiusdem Eleutherii immoderatam lætitiam a dæmone vexatus, iterumque eius pœnitentis lacrimis *perfecte ſanatus eſt, ut ad hunc malignus ſpiritus accedendi auſum ulterius non haberet.*

Adulti Chriſtiani.

XXXIV. Fidelium porro ſeu Chriſtianorum adultorum, qui ſuo vitio ſibi

ſibi dæmones attraxerint, complures inde ab antiquiſſimis temporibus funeſti memorantur caſus, eorumque deſignatur cauſa, atque occaſio. „Nam (ut narrat Tertullianus) & exemplum accidit, Domino teſte, eius mulieris, quæ theatrum adiit, & inde cum dæmonio rediit. Itaque in exorciſmo, cum oneraretur immundus ſpiritus, quod auſus eſſet fidelem adgredi; *Conſtanter & iuſtiſſime quidem*, inquit, *feci*, *in meo eam inveni.*" *De Spectac. c. 25. p. 83.* Origenes poſtquam contra Celsum lib. VIII. 35. aſſeruiſſet dæmones eos lædere, qui ſe illis ſubiiciunt quaſi dominis, addit: *Hinc, ut videtur, accidit*, *ut qui cibis per leges locorum vetitis utuntur*, *ſi dæmonibus illis ſubditi ſunt*, *pœnas dent.* *T. I. p. 769.* Eiuscemodi S. Cyprianus *de Lapſis* non unum notat exemplum, iſtam, Deo permittente, pœnam dantium: „Alia in balneis conſtituta (hoc enim crimini eius & malis deerat, ut & ad balneas ſtatim pergeret, quæ lavacri vitalis gratiam perdidiſſet) illic ab immundo ſpiritu immunda correpta cecidit, laniavit dentibus linguam, qua fuerat vel paſta impie, vel locuta. Poſtquam ſceleratus cibus ſumtus, eſt in perniciem ſuam rabies oris armata eſt. Ipſa ſui carnifex extitit, nec diu ſupereſſe poſtmodum potuit, doloribus ventris & viſcerum cruciata defecit." *Pag. 95.*

Poſt alia non minus tragica arreptitiorum exempla, in quibus tamen non proditur dæmoniaca vexatio, tantum quod puellam parvulam idolothytis paſtam *velut tortore cogente* conſcientiam facti faſſam dicat, demum „Quam multi (concludit) quotidie pœnitentiam non agentes, nec delicti ſui conſcientiam confitentes, immundis ſpiritibus adimplentur, quam multi uſque ad inſaniam mentis excordes, dementiæ furore quatiuntur? Nec neceſſe eſt ire per exitus ſingulorum, cum per orbis multiformes ruinas tam delictorum pœna ſit varia, quam delinquentium multitudo numeroſa. Unusquisque conſideret, non quid alius paſſus ſit, ſed quid pati & ipſe mereatur. Nec evaſiſſe ſe credat, ſi eum interim pœna diſtulerit, cum timere plus debeat, quem ſibi Dei iudicis cenſura ſervavit." Iam ſupra narravimus ex Cassiano de abbate Moyse durius Macarium alloquente, *Collat. VII.*
diro confeſtim tradito dæmoni: ex Sulpitio *Severo* item de monacho *c. 27.*
quodam ſanctiſſimo, ut ſe vanitate cogitationum eximeret ob patrata mi- *Dial. I.*
racula & fugatos dæmones, Deum precante, ut poteſtati diaboli ad tem- *c. 20.*
pus traderetur. Idem paullo poſt de eremita narrat ex animi obſtinatione *Ibid. c. 22.*
propoſitum deſerente, qui „vix e conſpectu abſceſſerat, impletus a dæmone, cruentasque ſpumas ore provolvens, ſuis dentibus ſe ipſe lacerabat. Deinde ad monaſterium fratrum humeris reportatus, cum coerceri in eo immundus ſpiritus non valeret, neceſſitate cogente, ferreis nexibus alligatur, pedes cum manibus vinciuntur. Non immerita pœna fugitivo, ut

quem non cohibuerat fides, catenæ cohiberent. Poſt biennium demum oratione Sanctorum ab immundo ſpiritu liberatus, ad eremum, unde diſceſſerat, mox regreſſus, & ipſe correptus, & aliis poſt futurus exemplo, ne quem aut falſæ iuſtitiæ umbra decipiat, aut incerta mobilitas inutili levitate compellat ſemel cœpta deſerere.“

pag. 124. Facit huc, quod incertus auctor in appendice opp. S. Prosperi *de promiſſionibus & prædictionibus Dei* cap. 6. perhibet, ſuis temporibus circa annum ſcilicet 434. accidiſſe *Carthagine*, quod nullus illius patriæ civis ignoraret, dum „ quædam iuvencula *Araba* natione (relata ab auctore refero) ancillæ Dei habitum geſtans, cum in balneo lavans ſimulacrum quoddam *Veneris* impudice reſpiceret, & ſeipſam, eique ſe conſimilans, domicilium ſe diabolo præbuit. Statim ille leo, qui rugiens circuit quærens, quem quærebat, invenit. Meatus igitur gutturis ipſius occupans, nullum cibum, nullumque potum traiiciens per ſeptuaginta ferme dies totidem noctes, ieiunium ſibi diabolus ex capto poſſeſſoque vaſe exhibuit. Hoc monſtrum parentes puellæ per tot dierum ſpatia auferri poſſe ſperantes, dum iuge malum ulterius tolerare non poſſent, ſimul cum filia ſe ſe ingeſſerunt ſacerdoti, quæ acta erant, fideliter intimantes. Hoc tantum puella fatebatur, avem quamdam noctis medio apparere, quæ ſibi ore, neſcio quid, infunderet. Stupor tunc inerat cunctis videre puellam nullis indiciis diuturni ieiunii fœdatam, nullo pallore ſeu tabe, vel debilitate confectam; quin potius robuſtam ſucco viſcerum, mole membrorum. Cumque incredibilia viderentur, quæ dicebantur, habito conſilio, in monaſterio puellarum, in quo reliquiæ ſancti Stephani ſitæ ſunt, ſacerdos puellam ſimul & Præpoſito commendavit. Illic prima tantum die apparuiſſe illam avem adſeruit, ſibique increpaſſe, quod neque fame, neque ſiti compulſa illum appeteret locum, quo ſibi accedere non liceret. Per duas ſane hebdomadas nihil cibi vel potus ſumens in monaſterio manſit.“

T.II.p.165. Hucuſque auctor ille. Haud abludit, quod S. Gregorius M. lib. I. Dial. c. 4. narrat de „ una Dei famula ex monaſterio Equitii quadam die hortum ingreſſa: quæ lactucam conſpiciens concupivit, eamque ſigno crucis benedicere oblita avide momordit, ſed arrepta a diabolo protinus cecidit. Cumque vexaretur, eidem Patri Equitio ſub celeritate nuntiatum eſt, ut veniret concitus, & orando ſuccurreret. Moxque hortum idem Pater ut ingreſſus eſt, cœpit ex eius ore quaſi ſatisfaciens ipſe, qui hanc arripuerat, diabolus clamare, dicens: *Ego quid feci? ego quid feci? ſedebam mihi ſuper lactucam; venit illa, & momordit me.*“ Aliud legitur eiuſdem libri cap. 10. Funeſtius eſt, quod idem lib. IV. Dial. c. 18. de puerulo blaſphemo narrat; & S. Gregorius *Turonenſis de gloria Confeſſ.* c. 67.

de

de MAURO cuiusdam ſervo ad S. LUPI baſilicam, negligentia admiſſa confugiente: „Frendens vero dominus eius (inquit) de veſtigio proſecutus, ingreſſus baſilicam, nec oratione proſtratus blaſphemias in Sanctum evomere cœpit, ac dicere: *Et tu Lupe, ſervum meum auferes, & propter te non licebit mihi in eum ultionem debitam exercere?* Et iniecta manu ſervum trahere cœpit, dicens: *Non mittet hodie hic Lupus manum ſuam de ſepulcro, ut eruat te de manibus meis.* Hæc dicente miſero extemplo lingua, quæ in Sanctum blaſphemias effudit, per totam ædem dans mugitum ut pecus, ſermonem ut homo non proferens, tertia denique die cum gravi cruciatu vitam finivit." Ad alia quædam ex pluribus apud eundem exemplis digitum ſolum intendo veluti lib. I. *de gloria Martyr.* lib. I. c. 105. *de rebus geſtis Franc.* lib. III. c. 12 lib. VII. c. 21. Ulterius ad medium haud progredior ævum, fidem perſæpe a memet haud impetraturus innumeris narrationibus.

XXXV. Iam vero omnem denegare fidem, vel ſacræ prohibent paginæ novi teſtamenti conſenſusque evangeliſtarum. Apud MATTHÆUM, c. c. MARCUM & LUCAM memorantur *Geraſeni duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes ſævi nimis, ita ut nemo poſſet tranſire per viam illam*, ut MATTHÆUS perhibet; de alterutro autem MARCUS teſtatur, neque catenis iam quemquam potuiſſe eum ligare, *quoniam ſæpe compedibus & catenis vinctus, dirupiſſet catenas, & compedes comminuiſſet, & nemo poterat eum domare. Et ſemper die ac nocte in monumentis & in montibus erat, clamans, & concidens ſe lapidibus.* Et LUCAS *Cum*, inquit, *egreſſus eſſet ad terram, occurrit illi vir quidam, qui habebat dæmonium iam temporibus multis, & veſtimento non induebatur, neque in domo manebat, ſed in monumentis.* De alio ab his apud eosdem evangeliſtas fit mentio, lunatico ſcilicet, cuius iam meminimus, habente ſpiritum mutum, qui, ut MARCUS teſtatur, *ubicunque eum apprehenderit, allidit illum, & ſpumat, & ſtridet dentibus, & areſcit*, poſtea vero *exclamans & multum diſcerpens eum exiit ab eo, & factus eſt ſicut mortuus, ita ut multi dicerent; quia mortuus eſt.* Similia LUCAS c. IX. 13. ſeq. habet, quomodo etiam *cum accederet ad IESUM, eliſit illum dæmonium, & diſſipavit.* Iuxta MATTHÆUM vero *increpavit illum IESUS, & exiit ab eo dæmonium, & curatus eſt puer ex illa hora.* Solent apologiſtæ noſtri ad alia eiusmodi provocare, „Quia (ut S. ATHENAGORAS teſtatur legat. pro Chriſtianis n. 25.) profectæ a contrario ſpiritu dæmoniacæ motiones & operationes hos impetus inordinatos excitant, ac homines alium aliter, & univerſos privatim & communiter pro ratione materiæ & cognationis cum divinis rebus, intus & exterius

Miſere agitati.

Matt. 8, 28. Marc. 5, 2. Luc. 8, 27.

Marc. 9, 16. ſeq.

Luc. 9, 39.

Matth. 17, 14. ſeq.

Poſt Opera S. Iuſtini p. 303. ſeq.

terius

terius movent. Refert vero inter dæmonum operationes crudeles etiam
pag. 304. illas in cultu deorum. „Alii enim (inquit) virilia exſecant, ut *Rhea;* alii vulnerant, & incidunt, ut *Diana*: *Taurica* etiam hoſpites necat. Eos enim, qui ſe ipſi cultris & flagellis dilacerant, &, quot ſint dæmonum ſpecies, prætermitto. Neque enim Dei eſt ad ea, quæ ſunt contra naturam, impellere.

Dæmon mali quid ſi paret mortalibus,
Mens primum ab illo læditur.

T. II. Bibl. PP. p. 397. Altero poſt Athenagoram ſæculo gentiles pariter inceſſens *Minucius* Felix in *Octavio* &c. n. 27. „Sic (inquit) a cœlo deorſum gravant, & a Deo vero ad materiam avocant, vitam turbant, omnes inquietant: irrepentes etiam corporibus occulte, ut ſpiritus tenues, morbos fingunt, terrent mentes, membra diſtorquent, ut ad cultum Dei cogant, ut nidore altarium vel hoſtiis pecudum ſaginati, remiſſis, quæ conſtrinxerant, curaſſe videantur. Hi ſunt & furentes, quos in publicum videtis excurrere, vates & ipſi absque templo: ſic inſaniunt, ſic bachantur, ſic rotantur. Par & illis inſtigatio dæmonis, ſed argumentum diſpar furoris. De ipſis etiam illa, quæ paullo ante tibi dicta ſunt, ut *Iupiter* ludos repeteret ex ſomnio, ut cum equis *Caſtores* viderentur, ut cingulum matronæ navicula ſequeretur. Hæc omnia ſciunt plerique pars veſtrum ipſos dæmonas de ſemetipſis confiteri, quoties a nobis tormentis verborum, & orationis in-
pag. 252. cendiis de corporibus exiguntur.“ Deplorabilem hominis a dæmone arrepti ſtatum deſcribit S. Cyrillus *Hieroſol.* Catech. XVI. n. 15. his verbis: „Impurus dæmon, quando in animam hominis irruperit (liberet vero Deus ab hoc malo omnes animas tam eorum, qui hic adſunt, quam abſentium) tanquam lupus ſanguinem vorans, ad devorandum paratus, in ovem irruens, ſic venit: Obſcuratur mens caligine. Iniuſtus ille impetus eſt, alienam poſſeſſionem invadentis. Alieno enim corpore, & alieno inſtrumento, tamquam proprio abuti vi facta conatur. Stantem deiicit, familiaris eſt enim illius, qui de cœlo cecidit. Linguam invertit, labia contorquet, ſermonum loco ſpumam exprimit: tenebris mergitur homo, apertus eſt oculus, & per illum anima nihil videt, & palpitat tremebundus ante mortem homo miſerabilis. Vere hominum hoſtes ſunt dæmones, qui illis tam fœde atque immiſericorditer abutuntur.“ Legi in hanc rem poſſunt, quæ paullo ante ex S. Cypriano *de lapſis* aliaque id genus retulimus, nonnullique apud S. Hieronymum in vita S. Hilarionis no-
T. IV. p. 79. tantur energumeni, ut alia ſilentio præteream, veluti „Auriga *Gazenſis* in curru percuſſus a dæmone, totus obriguit, ita ut nec manum agitare, nec cervicem poſſet reflectere . . . Præterea fortiſſimus iuvenis nomine

Marsitas,

Digitized by Google

Marsitas in territorio *Ieroſolymæ*, tantum ſibi applaudebat in viribus, ut quindecim frumenti modios diu longeque portaret; & hanc haberet palmam fortitudinis ſuæ, ſi aſinos vinceret. Hic affectus peſſimo dæmonio non catenas, non compedes, non clauſtra oſtiorum integra patiebatur: multorum naſum & aures morſibus amputaverat: horum pedes, illorum gulam fregerat. Tantumque ſui terrorem omnibus incuſſerat, ut oneratus catenis & funibus, in diverſa nitentium, quaſi ferociſſimus taurus ad monaſterium traheretur." Refert paullo poſt ex ore S. Hilarionis, hominum cauſa diabolum etiam iumenta corripere, & tanto eorum ardere odio, *ut non ſolos ipſos, ſed & ea, quæ ipſorum eſſent, cuperet interire.* Unum adhuc Stagirium aſcetam commemorem, ad quem a dæmonio vexatum tres S. Ioannes *Chryſoſtomus* ſcripſit libros in orationem exhortatoriam: haud procul autem exordio operis ſic alloquitur: „Cum ab initio ſceleſtus ille dæmon animam invaſit tuam, atque cum cæteris proſtravit orantem, non equidem tunc præſens aderam, gratiasque ago clementiſſimo Deo, didici tamen omnia diligentiſſime, non ſecus ac ſi ipſe affuiſſem. Nam Theophilus *Epheſius* utriusque noſtrum amicus, profectus ad me, cuncta mihi per ordinem retulit, diſtortas manus, torvos oculos, oris ſpumam, horrendam illam & confuſam vocem, corporis tremorem, diuturnam ſenſus privationem, viſumque terribile, quod ea nocte oſtenſum eſt." Sed ad hæc omnia ſolatur Stagirium, divinam proponit providentiam clementiamque alibi etiam homilia nimirum I. *adverſus eos, qui dicunt dæmones gubernare res humanas, & Dei punitiones iniquo animo ferunt &c.* his verbis: „Et nunc igitur, ſi quando videris hominem agitatum a dæmone, Dominum adora, nequitiam dæmonum diſce: Siquidem utrumque in his dæmoniacis cernere licet, & Dei benignitatem, & dæmonum improbitatem. Ac dæmonum quidem improbitatem, cum turbent, & exagitent animam dæmoniaci: Dei vero benignitatem, cum ita ſævum inquilinum, & hominem præcipitare cupientem retineat, & coerceat, ut neque omni ſua poteſtate uti permittat, ſed tantam vim ſinat oſtendere, ut & hominem caſtiget, & illorum nequitiam manifeſtet." Sic iuxta S. Augustinum *de ipſius malevolentia conſulitur Eccleſiæ Dei*, ubi, quomodo locutus ſit diabolus Evæ per ſerpentem, explicans „quandoquidem (ſubdit) nec ipſi homines, quorum rationalis natura eſt, cum dæmon in eis loquitur ea paſſione, cui exorciſta requiritur, ſciunt, quod loquantur." Quod S. Thomas tum hoc ſerpentis exemplo, cum etiam aſinæ, qua angelus locutus eſt ad Balaam, confirmat 2. 2. qu. 165. a. 2. 4.

pag. 82.

T. I. p. 150.

T. II. p. 246.

pag. 256.

De Geneſi ad litteram lib. XI. n. 34. T. III. pag. 287. n. 35. p. 288.

Digitized by Google

A Clero, Sacris, ipſoque baptiſmo quare & quomodo arcebantur?

XXXVI. Vel una autem hæc miſera energumenorum ſeu arreptitiorum conditio iuſtiſſima cauſa fuit, ut a clero, ſacriſque chriſtianis arcerentur, quamdiu in eo ſtatu eſſent. Sic vero can. 70. apoſtol. ſtatuitur: *Si quis dæmonem habeat: ne fiat Clericus; ſed nec unacum fidelibus oret: cum autem purgatus fuerit, recipiatur; & ſi dignus extiterit, clericus fiat.* Ipſa vero ratio attingitur in concilio *Eliberitano* can. 29. *Energumenus, qui ab erratico ſpiritu exagitatur, huius nomen nec ad altare cum oblatione recitandum, neque permittendum, ut ſua manu in eccleſia miniſtret.* Et poſtea can. 37. *Eos, qui ab immundis ſpiritibus vexantur, ſi in fine mortis fuerint conſtituti, baptizari placuit: ſi fideles fuerint, dandam eſſe communionem: probibendum etiam, ne lucernas hi publice accendant. Si facere contra interdicta voluerint, abſtineant a communione.* Convenit cum hoc canone quoad energumenos necdum baptizatos reſponſio canonica Timothei *Alexandrini* epiſc. ad interrogationem II. eius tenoris: *Si is qui a dæmone corripiatur, non fuerit ab immundo ſpiritu mundatus, non poteſt ſanctum baptiſmum accipere, ſed in exitu a vita baptizatur.* Hinc eſt, quod in antiquiſſimis liturgiis *Gelaſiana* & aliis, quæ illi congruunt, poſt formulam impoſitionis manuum factam ægrotanti catechumeno mox ſequatur *impoſitio manus ſuper energumenum catechumenum. Item alia pro parvulo energumeno,* ægrotante ut puto.

T. I. Conc. p. 973. — pag. 974. — T. II. Conc. p. 1792.

In concilio *Carthaginenſi* can. 91. energumenis præcipitur, ut eccleſias verrerent, ob id maxime, ut *Gabr.* Albaspinæus ad laudatum mox canonem 29. concilii *Eliberit.* annotavit, quod in eccleſiis pernoctarent, ut dæmonum terrore atque metu liberarentur, id teſtante atque enarrante canone 92. eiusdem concilii: quod canone *Eliberitano*, aut quid ſimile vetatur. Quod vero pluribus deinceps conciliorum canonibus firmatum eſt, energumenos non ſolum non eſſe aſſumendos ad Clerum, ſed etiam removendos iam ordinatos, id concilium *Arauſicanum* can. 16. ſic exprimit: *Qui palam aliquando arrepti ſunt, non ſolum non aſſumendi ad ullum ordinem clericatus, ſed & ſi iam aliqui ordinati ſunt, ab impoſito officio repellendi.* Optime vero rationem Gelasius P. in epiſtola ad epiſcopum *Lucaniæ* c. 21. explicat, atque in eandem ſententiam concilii *Toletani* XI. c. 13. prout paullo ante attigimus, legiturque apud Gratianum ſub nomine Pii P. diſtinct. XXXIII. cap. 3. *Communiter diffinimus, ut nullus de iis, qui aut in terram arrepti a dæmonibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incurſibus efferuntur, vel ſacris audeant altaribus miniſtrare, vel indiſcuſſe ſe ingerant Sacramentis divinis.* Et c. 5. *Uſque adeo ſane comperimus illicita quæque prorumpere, ut dæmonibus, ſimilibuſque paſſionibus irretitis miniſteria ſacroſancta tractare tribuatur, quibus ſi, in hoc opere poſitis ali-*

T. III. Conc. pag. 1447.

Digitized by Google

aliquid propriæ neceſſitatis occurrat, quis fidelium de ſua ſalute confidat, ubi miniſtros ipſos curationis humanæ tanta proſpexerit calamitate vexari?

XXXVII. Ex his iam ſatis liquere exiſtimo, iis præſertim, quæ de dæmoniacis ex ipſa ſacra ſcriptura retulimus, dæmones etiam energiam in corpora exerere. *Nonne anima plus eſt quam corpus*, quomodo ergo ii, qui tentari animam a diabolo admittunt, id de corpore negent? Equidem, ex ſententia EVAGRII *Scitenſis* monachi, *dæmones, qui affectibus animæ præſident, ad mortem uſque perſeverant; qui affectibus corporis, cito recedunt.* At ei de affectibus ſeu paſſionibus ſolum ſermo eſt. Longe vero latius patet regnum illud corruptionis noſtræ, cui, ut vidimus, princeps præeſt diabolus ac primus auctor. „Ita animam (ut verbis S. MACARII utar) ac totam eius ſubſtantiam peccato induit nequam ille princeps, totam inquinavit, & totam captivam in regnum ſuum adduxit, nec reliquit ullum eius membrum a ſe liberum, non cogitationes, non mentem, non corpus, ſed amicivit eam purpura tenebrarum.“ Et paullo poſt: „Quemadmodum in nocte caliginoſa & obſcura vehemens quidam ventus ſpirat, & omnes plantas ac ſemina concutit, commovet, & agitat: ſic quoque homo lapſus ſub poteſtatem noctis tenebrarum diaboli, & in nocte tenebriſque degens, gravi vento peccati flante commovetur, concutitur, & quaſſatur, qui omnem naturam, animam ſcilicet cogitationes, & mentem perſcrutatur, omnia denique concutiuntur corporis membra, neque ullum membrum animæ aut corporis immune, nec ullum ab affectionibus peccati in nobis inhabitantis, liberum eſt.“ S. AUGUSTINUS lib. XV. *de Civit. Dei* c. 23. quæſtionem illam verſans: an credendum ſit, *angelos ſubſtantiæ ſpiritalis amore ſpecioſarum mulierum captos earundem iniiſſe coniugia, ex quibus gigantes ſint creati*, multa ad rem proloquitur, vetuſtiſſimorum illorum Patrum non penitus ſolutus præiudicio, plus etiam tribuens, quam ad rem opus ſit. Extat inter epiſtolas S. AUGUSTINI NEBRIDII epiſt. nunc. 8. alias 245. qua percontatur ex S. doctore, *Quanam ſuperiorum poteſtatum vel dæmonum in animam actione fiat, ut & cogitationes quædam inſerantur & ſomnia?* ut in ſequenti epiſtola quæſtionem colligit, reſpondens autem aeria, etheriaque eſſe animantia ſupponit. Qualiſcunque vero naturæ ſint angeli, eadem eſt ratio cum noſtra, quæ corpus regit, anima: quæ vero hic ſeſe exerit difficultas, neminem unquam ex veteribus in transverſum egit. NEMESIUS epiſcopus *Emeſenus de natura hominis*, c. 3. ex inſtituto agit de unione corporis & animæ, rem autem explicat conparatione quadam radiorum ſolis: „Ut enim ſol præſentia ſua aerem illuſtrans eum ad lumen traducit, aerique lumen unitur, & cum eo non confuſe funditur: ita

Quomodo in corpus agant dæmones?

T. VIII. Bibl. PP. p. 556.

Ibid. p. 8.

pag. 9.

T. VII. pag. 406.

T. II. p. 10.

pag. 11.

Ib. p. 373.

Digitized by Google

anima unita corpori, manet omnino non confuſa, hoc uno a ſole diſcrepans, quod ſol, cum corpus ſit, locoque circumſcribatur, non eſt, ubicumque lux ſua eſt, quemadmodum neque ignis. Manet enim ignis in ligno, aut in lucerna, tanquam in loco illigatus: anima vero, quod corporis eſt expers, neque loco definitur, tota per totum & lumen eius, & corpus permeat: neque eſt pars ulla, quæ ab illa illuſtretur, in qua tota non adſit. Non enim tenetur a corpore, ſed ipſa tenet corpus, neque in corpore eſt, ut in vaſe, aut utre, ſed contra in ea corpus."

pag. 361. Idem in eodem opere libro XXI. c. 10. diſquirens: *an ignis gehennæ, ſi corporalis ſit, poſſit malignos ſpiritus, id eſt dæmones incorporeos tactu ſuo adurere?* Non equidem definit, an corporei, quod plerisque veterum Patrum aſſertum fuit, an incorporei ſint. Hoc vero ſuppoſito „adhærebunt ergo (concludit) ſi eis nulla ſunt corpora, ſpiritus dæmonum, imo ſpiritus dæmones, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi; non ut ignes ipſi, quibus adhærebunt, eorum iunctura inſpirentur, & animalia fiant, quæ conſtent ſpiritu & corpore; ſed ut dixi miris & ineffabilibus modis adhærendo, accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam. Quia & iſte alius modus, quo corporibus adhærent ſpiritus, & animalia fiunt, omnino mirus eſt, nec comprehendi ab homine poteſt, & hoc ipſe homo eſt."

Imperfectum eſſe fateor, quidquid in hanc rem diſſeritur, aut animo concipitur, ubi nos ratio ac notio eius rei deficit, qua nihil familiarius in nobis ipſis eſt, anima ſcilicet regente corpus, animanteque, ita ut ea exeunte, mox omnis ceſſet motus corporis. Meum non eſt hic varias illas de comercio corporis & animæ examinare hypotheſes, qui in ea ſemper opinione fui, quam ſingulari multos ante annos aſſerui meletemate, pertinere hanc vim motricem corporum ad imaginem & ſimilitudinem illam, ad quam creatus eſt homo, quadam veluti divinitatis aura inſpirata homini, divinæ potentiæ ſpecimine, quo ſolo nutu & imperio creavit omnia, ac gubernat. *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo*

Gen. II. 7. *terræ, & inſpiravit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem.* Semper aliquid ſingulare ac præcipuum in illis

Gen. I. 26. verbis agnitum eſt: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram: & præſit piſcibus maris & volatilibus cœli, & beſtiis univerſæque terræ, omnique reptili, quod movetur in terra. Et creavit Deus hominem ad imaginem ſuam: ad imaginem Dei creavit illum.* Ad nutum igitur & voluntatem hominis omnia in orbe terrarum viventia fuiſſent, ſolo imperio gubernaſſet, niſi ipſe Deo rebellis dominio ſuo excidiſſet. Agnoſcit S. Augustinus lib. III. *de libero arbitrio* etiam in ipſo regendo ſuo corpore

pore

pore defectum aliquem poſt peccatum: *In corporibus autem inferioribus anima poſt peccatum ordinata regit corpus ſuum, non omni modo pro arbitrio, ſed ſicut leges univerſitatis ſinunt.* Quæ verba in epiſtola CXLIII. ad MARCELLINUM explicans. „Quia (inquit) & caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ingemiſcimus gravati, & corpus, quod corrumpitur, aggravat animam: & quis omnia enarret carnalis infirmitatis incommoda? quæ utique non erunt, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, ut abſorbeatur mortale a vita. Tunc itaque ſpiritale corpus reget omnimodo pro arbitrio, nunc vero non omni modo, ſed ſicut leges univerſitatis ſinunt, per quas conſtitutum eſt, ut corpora orta occidant, & aucta ſeneſcant. Nam illius primi hominis anima ante peccatum etiamſi nondum ſpiritale corpus, ſed animale, tamen pro arbitrio regebat. Poſt peccatum autem, id eſt, poſteaquam peccatum in illa carne commiſſum eſſet, ex qua deinceps propagaretur caro peccati, anima rationalis ſic eſt in inferioribus corporibus ordinata, ut non omni modo pro arbitrio regat corpus ſuum.“ Defectum illum naturæ prodit hic a D. PAULO notata eaque inteſtina in homine rebellio, qua caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & corpus omnis generis infirmitatibus ipſique morti eſt obnoxium, redintegratur autem per CHRISTI gratiam etiam exſorti quadam imperii priſtini conditione, dum *convocatis duodecim diſcipulis ſuis dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum, ut eiicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem.* Et: *Infirmos curate, mortuos reſuſcitate, leproſos mundate, dæmones eiicite.* Solo utique imperio, quomodo ab initio ad imaginem & ſimilitudinem ſuam creatum hominem diximus, atque etiam angeli omnes adminiſtratorii ſunt ſpiritus, cum hoc mundo viſibili ipſoque cum genere humano inviſibiliter coniuncti, ut vero BENEDICTUS XIV. *de malis angelis* obſervat, *omnis virtus naturalis operandi ad extra actione tranſeunte, & corporali manſit integra in dæmonibus poſt peccatum, cum hoc eorum naturalia non minuerit.* Et poſtea caput 29. *de eiectione dæmonum a corporibus obſeſſis* ſic auſpicatur: „Ut quis dici obſeſſus poſſit, requiritur, ut in eo dæmones ſint, & ut aliquam in ipſum poteſtatem acceperint; quam quidem poteſtatem in corpora potiſſimum habent, eamque limitatam, quantum ſcilicet Deus illis permittit. Sunt vero dæmones in hominibus, quos obſident, ut motores in corporibus.“ Eadem igitur de hominis anima, & aliis ſpiritibus, quoad actionem energiamque in corpora eſt ratio. Si qua forſan, ut cum HOFFMANNO iam citata diſſertat. *de diaboli potentia in corpora*, concludam, „exinde naſcatur dubitatio, quod inter vires ſpirituum & corporum ingens diſcrimen ſit, nullaque detur in ea communio, fingamus & hoc ita ſe habere.

T. II. pag. 465.

Matth. 10, 1.
Luc. 6, 13.

De Beatif. & Canoniz. lib. IV. c. 3.

T. V. Opp. p. 96.

bere. Interim ſufficit nobis, quod negari nequeat, ſpiritum excitare poſſe vim eam, quæ eſt in corporibus, motricem. Nam omnia corpora inſtructa ſunt vi movente & mobili, quamvis Deus talem legem tulerit, ut nonniſi excitata ad motum, vel facta communicatione virium ab alio corpore, moveantur. Sed quid opus eſt longa diſputatione? Ubi rerum adſunt teſtimonia, exulent ratiocinia. Quid enim clarius ac magis obvium eſt, quam ad nutum & voluntatem animæ noſtræ ſpiritus animales movere hæc vel illa membra.“ Oſtendit deinceps, quomodo diabolo in macrocoſmum, deinde vero etiam in microcoſmum agendi poteſtas ſit, ſuis tamen contenta limitibus.

Diabolica phantaſmata, ſpectra.

XXXVIII. Quæſtionem autem ibidem §. 8. ſeq. inſtituens: *An diabolus verum poſſit aſſumere corpus?* Negat id de vero ac impenetrabili corpore, de imaginario autem & apparente concedit, ei imperium quoddam §. 14. in aerem concedens, illum ad certum motum determinandi, quod tamen non ſine ſingulari permiſſione Dei exercere poſſit. „Hinc fluit (addit) dæmonem utique, varias ſpecies corporum phantaſticas, tam hominis quam animantium ex aere vaporoſo, ſub luce & umbra varie & artificioſe collecto, commode induere poſſe: unde apparitiones ſpectrorum non ſunt de nihilo, & vetuſtiſſimis monumentis ſacræ quoque ſcripturæ auctoritate, plurimisque per omnes ætates & regiones obſervationibus confirmatæ.“ Scriptor antiquiſſimus *Græcus* TATIANUS in oratione contra *Græcos* num. I. in editione operum S. IUSTINI M. rationem quodammodo dat, quomodo ſe viſibiles reddant: „Videntur autem (inquit) & a pſychicis dæmones, ac ſe ſe nonnunquam hominum adſpectui exhibent: vel ut aliquid eſſe exiſtimentur, vel etiam aliquid tamquam inimicis noceant amici mala mente præditi, vel ut ſui ſimilibus cauſas ipſorum colendorum innectant. Nam ſi poſſent, cœlum ipſum profecto cum cæteris rebus creatis ſubverterent. Nunc autem nequaquam id faciunt; neque enim poſſunt; ſed materia inferiore materiam ſibi ſimilem oppugnant. Hos ergo ſi quis vincere velit, materiam repudiet. Lorica enim ſpiritus cœleſtis armatus ſervare poterit, quidquid ab eo circumdatum fuerit. Habet quidem materia noſtra morbos & tumultus, qui cum acciderint, eorum cauſas ſibi dæmones adſcribunt, morbo invadenti ſupervenientes. Ipſi etiam interdum nequitiæ ſuæ tempeſtate habitum corporis noſtri concutiunt, ſed verbo virtutis Dei percuſſi, diſcedunt exterriti, & æger ſanatur.“ S. AUGUSTINUS in ea quæſtione verſatus: *An credendum ſit, angelos ſubſtantiæ ſpiritalis amore ſpecioſarum mulierum captos earundem iniiſſe coniugia, ex quibus gigantes ſint creati:* „Apparuiſſe tamen (inquit) hominibus

p. 257.

L. XV. cap. 23.

minibus angelos in talibus corporibus, ut non ſolum videri, verum etiam tangi poſſent, eadem veriſſima ſcriptura teſtatur.“ Taceo, quæ ibi ſubdit de *Sylvanis* & *Faunis* „quos vulgo *incubos* vocant, improbos ſæpe extitiſſe mulieribus, & earum appetiſſe ac peregiſſe concubitum, & quosdam dæmones, quos *Duſios Galli* nuncupant, hanc aſſidue immunditiam & tentare & efficere, quod plures talesque aſſeverent, ut hoc negare impudentia videatur:“ quos item poſtea perhibet dæmones in ſomnis in forma puerorum nigrorum cirratorum apparuiſſe. De iis enim non eſt hic ſermo, quæ repræſentat phantaſia in ſomno „qui (ut eiusdem verbis utar S. Doctoris) proprie quietis nomen accepit, quis verbis explicet ſæpe ſomniorum viſis, quam ſit inquietus; & quam magnis, licet falſarum rerum, terroribus, quas ita exhibet, & quodammodo exprimit, ut a veris eas diſcernere nequeamus, animam miſeram ſenſusque perturbet? Qua falſitate viſorum etiam vigilantes in quibusdam morbis & venenis miſerabilius agitantur: quamvis multimoda varietate fallaciæ homines etiam ſanos maligni dæmones nonnunquam decipiant talibus viſis, ut etiamſi eos per hæc ad ſua traducere non potuerunt, ſenſus tamen eorum ſolo appetitu qualitercunque perſuadendæ falſitatis illudant.“ *T. VII. p. 406.* *Lib. XXII. c. 8. p. 666.* *Ib. c. 22. p. 686.*

In vita S. Gregorii *Taumaturgi* S. Gregorius *Niſſenus* terrores & ſpectra ſancti viri diacono obiecta refert, balneum a dæmonibus infeſtatum obeunti, his verbis: „Poſtquam autem nudatus fuit intus, multiplices terrores, & concuſſionum materiæ a dæmonio inſtruebantur: ſpectra varia, igni & fumo mixtam naturam præſeferentia, in forma hominum & ferarum oculis ſe ingerentia, auribus inſonantia, anhelitu appropinquantia, & undique corpori ſe circumfundentia. Ille vero ſe ſigno crucis muniens, & Chriſti nomen invocans, primum conclave illæſus pertranſiit: ad interiorem autem partem ædium progreſſus, in graviora ſpectacula incidit, in horribiliorem aſpectum dæmonio transformato: nam & ſimul terræ motu concuti domus videbatur, & ſolum infra ruptum flammam nudam oſtendere inferius, ſcintillæque flammeæ ab aquis emitti putabantur. Rurſusque ei arma itidem fuere ſignaculum crucis, & Chriſti nomen: & quod per magiſtri preces adferebatur auxilium, terrores earum rerum, quæ tum apparebant, tum fiebant, diſcutiebat. Aqua autem iam recreatus cum feſtinaret egredi, rurſus prohibebatur a dæmone oſtium occupante. Sed hoc quoque rurſus impedimentum pari virtute ſponte ſua oſtio cedente, per ſignum crucis diſcuſſum atque ſolutum.“ Additur neminem eorum, qui unquam illa hora aquam ingredi auſi eſſent, inter vivos poſtea apparuiſſe. *T. III. Bibl. PP. p. 465.*

S. Hieronymus in vita S. Pauli primi eremitæ narrat, S. Antonio conſpicuum fuiſſe hominem equo mixtum, cui opinio poetarum *Hippo-* *T. IV. pag. 70. ſeq.*

cen-

centauro vocabulum indidit. „Verum hæc (ſubdit S. HIERONYMUS) utrum diabolus ad terrendum eum ſimulaverit, an, ut ſolet, eremus monſtroſorum animalium ferax, iſtam quoque gignat beſtiam, incertum habemus. Stupens itaque ANTONIUS, & de eo, quod viderat, ſecum volvens, ulterius progreditur. Nec mora, inter ſaxoſam convallem haud grandem, homunculum videt, aduncis naribus, fronte cornibus aſperata, cuius extrema pars corporis in caprarum pedes deſinebat. Infractusque & hoc ANTONIUS ſpectaculo ſcutum fidei & loricam ſpei, ut bonus præliator arripuit: nihilominus memoratum animal palmarum fructus eidem ad viaticum quaſi pacis obſides offerebat. Quo cognito gradum preſſit ANTONIUS, & quisnam eſſet interrogans, hoc ab eo reſponſum accepit: *Mortalis ego ſum, & unus ex accolis eremi; quos vario deluſa errore gentilitas Faunos, Satyrosque & Incubos vocans colit, legatione fungor gregis mei. Precamur ut pro nobis communem Dominum depreceris, quem in ſalutem mundi olim veniſſe cognovimus, & in univerſam terram exiit ſonus eius.*“ Facile largior impoſuiſſe dæmonem ſancto viro, fama etiam deceptum S. HIERONYMUM, dum paullo poſt narrat ſub CONSTANTINO *Alexandriam* iſtiusmodi hominem vivum, i. e. *Satyrum* perductum, magnum populo ſpectaculum præbuiſſe, & poſtea cadaver exanime, ne calore æſtatis diſſiparetur ſale infuſo, *Antiochiam*, ut ab imperatore videretur, allatum, monſtrum potius aliquod aut ſimia ſilveſtris. Neſcio an inde quoque occaſio ſumta ſit detrahendi PAULO ſuo, ut in prologo in vitam S. HILARIONIS queritur, atque etiam HILARIONI timet, de quo alia narrat dæmonum ludibria, qui quadam
Ib. p. 76. nocte *infantum* cœperit *audire vagitus, balatus pecorum, mugitus boum, planctum quaſi muliercularum, leonum rugitus, murmur exercitus, & rurſus variarum portenta vocum, ut ante ſonitu quam aſpectu territus cederet.* Et mox: *Multæ ſunt tentationes eius, & die noctuque variæ dæmonum inſidiæ, quas ſi omnes narrare velim, modum excedam voluminis. Quoties illi nudæ mulieres cubanti; quoties eſurienti largiſſimæ apparuere dapes? Interdum orantem lupus ululans, & vulpecula ganniens tranſilivit; pſalentique gladiatorum pugna ſpectaculum præbuit, & unus quaſi interfectus, & ante pedes eius corruens ſepulturam rogavit. Oravit ſemel fixo in terram capite, &, ut natura fert hominum, abducta ab oratione mens neſcio quid aliquid cogitabat: inſiliit dorſo eius agitator; & latera calcibus, cervicem flagello verberans:* Eia, *inquit,* cur dormitas? *Cachinnansque deſuper ſi defeciſſet, an hordeum vellet accipere, ſciſcitabatur.* Multo vero maiora ſunt, quæ S. ANTONIUS fuit expertus, cui quippe repræſentarunt ſe etiam dæmones, ac *beſtiarum & ſerpentum formas induentes omnem protinus locum replevere phantaſiis leonum, taurorum, luporum, aſpidum, ſerpentum, ſcorpionum, nec*

non

tion & pardorum atque urſorum, & hæc ſingula ſecundum ſuam fremebant naturam: rugiebat leo occidere volens, taurus mugitu & cornibus minabatur; ſerpens ſibilo perſonabat; luporum impetus inhiabat, pardus diſcolor a tergo auctoris ſui calliditates varias indicabat. Truces omnium vultus & vocis horridæ dirus auditus. Antonius flagellatus, atque confoſſus ſentiebat quidem aſperiores corporis dolores &c. Hæc de S. Antonio narrantur a- T. IV. Bibl.
pud S. Athanasium in eius vita, ex quibus ego ea, quæ ipſe eam in rem PP. p. 648. ſeq
profert in oratione ad monachos, hic recenſebo a). Quæ ſequuntur a
porro eiusdem generis phantaſmata ſpectraque dæmoniaca iam ſupra alia occaſione retuli. Id

a) Poſtquam S. Antonius ſuos de huiusmodi maligni technis & machinationibus pluribus per ſingula commonefeciſſet, de ſeipſo eadem repetens, quomodo ipſe expertus didicerat, ſic p. 648. enarrat: „Equidem iam ſilere vellem, nec ulterius verba facere, hactenus dictis contentus; ſed ne putetis, me temere iſta proferre, ſed credatis me expertum vera iſthæc enarrare: ideo, etſi quaſi inſipiens fiam, at cordis puritatem novit Dominus qui hæc audit, meque non mei cauſſa, ſed veſtræ caritatis & exhortationis gratia, quæ novi dæmonum molimina, hæc rurſum narrare. Quoties me beatum illi dixere; ego vero maledicebam illis in nomine Domini. Quoties prædixere exundaturum fluvium, quibus ego: *Ecquid hoc ad vos?* Acceſſerunt aliquando cum minis, meque, quaſi milites omni armorum genere inſtructi, cinxere. Alio tempore equis, feris & ſerpentibus implevere domum; tum ego pſallebam: *Hi in curribus, & hi in equis; nos autem in nomine Domini Dei noſtri magnificabimur*: quibus illi precibus a Domino profligati ſunt. Venerunt aliquando in tenebris, quamdam luminis phantaſiam præferentes, aiebantque: *Acceſſimus, Antoni, lucem prælaturi tibi*: at ego clauſis oculis orabam, ac derepente extincta lux impiorum eſt. Paucis poſt menſibus, venere quaſi pſallentes, ac verba loquentes ſcripturarum: *Ego autem tanquam ſurdus non audiebam.* Fuit, cum monaſterium quaſſarent: at ego mente immotus manendo precabar Rurſum poſt acceſſere cum ſtrepitu, ſibilo & ſaltationibus: ut vero orare me, atque decumbentem apud me ipſum pſallere conſpexerunt, cœpere ſtatim lamentari ac flere quaſi ſe vires defeciſſent: ego vero gloriam Domino retuli, qui audaciam furoremque illorum retunderet, atque traduceret. Aliquando mihi admodum excelſus dæmon cum phantaſia viſus, dicere auſus eſt: *Ego ſum virtus Dei*, &, *Ego ſum providentia: Quid tibi vis beneficii conferam?* At ego tunc magis in illum inſufflavi prolato Chriſti nomine, atque verberare conatus ſum, ac reipſa verberaſſe viſum mihi eſt: ſtatimque ille tantus, cum omnibus ſuis dæmonibus, in nomine Chriſti evanuit Venit aliquando me ieiunante, monachi ſpeciem habens, panesque, ut videbatur, tenens, ſuadebat dicens: *Comede, tantorumque laborum finem facito: nam homo tu quoque es, periculumque, ne ægrotes.* Intellecta ego illius vafritie, ſurrexi oraturus; quod ille non tulit; evanuit enim, ac per ianuam quaſi fumus egredi viſus eſt Quoties auri ſpeciem in deſerto obiecit, ut vel ſolum tangerem atque reſpicerem; ego vero adverſum pſallebam, & contabeſcebat ille. Plerumque me plagis conciderunt, & aiebam: *Nihil me ſeparabit a charitate Chriſti*: tumque illi ſeſe mutuo cædebant. Non eram ego, qui illos compeſcerem atque arcerem; ſed Dominus erat, qui ait: *Videbam ſatanam quaſi fulgur de cælo cadentem* Ego vero filioli memor apoſtolici dicti, hæc in me transtuli, ut ediſcatis non animo deficere in aſcetica vita, neque diaboli eiusque dæmonum phantaſias reformidare.“

Id vero ex illa ipſa oratione notatu dignum eſt, quod impotentiam dæmonum ex hoc ipſo repetat, ſuisque contra illos animet, quod ſpe-
pag. 642. ctris & phantaſiis tantum ludant. „Illud præterea (inquit) cogitandum, ut illos minime reformidemus: ſi poteſtas ſibi eſſet, non mutata forma inſidias pararent; ſed ſatis foret accedere unum, qui quod poſſet atque vellet, conficeret: cum maxime, quisquis poteſtatem habet, non cum vana apparens ſpecie occidat, neque tumultu terrefaciat, ſed protinus arbitratu ſuo propria utatur poteſtate. Sed dæmones nihil cum valeant, quaſi in ſcena ludunt, immutata forma; terrent pueros tumultibus atque larvis ſuis: unde ſane quaſi imbecilli contemnendi ſunt.“ Multa id genus
T. III. pag. 863. ſeq. & p. 891. in S. Macarii Apophthegmatibus leguntur, quædam etiam ipſius S. Macarii verbis; nec non apud Theodoretum in hiſt. relig. Iacobi eremitæ &c. quorumve ipſe Theodoretus teſtis eſt de Talelæo; plura adhuc de S. Martino ſcriptis ſunt tradita a Sulpitio *Severo* imprimis eius diſcipulo tum in eius vita, cum in dialogo II. ubi poſt alia relatis apparitionibus, familiarique quodammodo colloquio cum Sanctis diverſis, *referebat autem*
Cap. 13. *nobis*, inquit Sulpitius, *vultum atque habitum ſingulorum.* Tum concludit narrationem: „Iam vero dæmones prout ad eum quisque veniſſet, ſuis nominibus increpabat. *Mercurium* maxime patiebatur infeſtum: *Iovem* brutum atque hebetem eſſe dicebat, Hæc plerisque in eodem monaſterio conſtitutis incredibilia videbantur: necdum ego confido, omnes, qui hæc audient, credituros. Nam niſi ineſtimabilem vitam atque virtutem Martinus egiſſet, nequaquam apud nos tanta gloria præditus haberetur. Quamquam minime mirum, ſi in operibus Martini infirmitas humana dubitaverit: cum multos hodieque videamus, nec evangeliis quidem credidiſſe. A Martino autem ſæpe angelos viſos familiariter & ſenſimus & experti ſumus.“ Et de vita S. Martini cap. 21. „Conſtat autem etiam angelos ab eo plerumque viſos, ita ut conſerto invicem apud eum ſermone loquerentur. Diabolum vero tam conſpicabilem & ſubiectum oculis habebat, ut ſive ſe in propria ſubſtantia contineret, ſive in diverſas figuras ſpiritualesque nequitias transtuliſſet, qualibet ab eo figura videretur. Quod cum diabolus ſciret ſe effugere non poſſe, conviciis eum urgebat frequenter, quia fallere non poſſet inſidiis. Quodam autem tempore cornu bovis cruentum in manu tenens cum ingenti fremitu cellulam eius irrupit, cruentamque oſtentans dexteram, & admiſſo recens ſcelere congaudens: *Ubi eſt*, inquit, *Martine virtus tua? unum de tuis modo interfeci &c.*“ Et c. 22. „Frequenter autem diabolus, dum mille nocendi artibus ſanctum virum conabatur illudere: nam interdum in *Iovis* perſonam, plerumque *Mercurii*, perſæpe etiam ſe *Veneris* ac *Minervæ* transfiguratum vulti-

bus

bus offerebat, adverſus quem ſemper interius ſigno ſe crucis & orationis auxilio ſe protegebat. Audiebantur etiam plerumque convicia, quibus illum turba dæmonum protervis vocibus increpabat. Sed omnia falſa & vana cognoſcens, non movebatur obiectis. Teſtabantur etiam aliqui ex fratribus, audiſſe ſe dæmonem protervis MARTINUM vocibus increpantem, cur intra monaſterium ex fratribus, qui olim baptiſmum diverſis erroribus perdidiſſent, converſos poſtea recepiſſet, exponentem crimina ſingulorum MARTINUM diabolo repugnantem reſpondiſſe conſtanter, antiqua delicta melioris vitæ converſatione purgari &c." Et quis dubitet divino eum inſtinctu ex oſſibus latronis vocem elicuiſſe, ut vulgi errorem tolleret, a quo ceu martyr colebatur. Geminum eſt, quod inter apophthegmata S. MACARII ipſius verbis refertur calvariam mortui in eremo obviam alloquentis. *Ibid. c.* 11.

Quæ quidem non eo refero, ut vulgari credulitati patrociner, erroribusque ac fabulis circa ſpectra innumeris. Ea quæ attulimus ad Sanctorum merita & virtutem comprobandam faciunt. Quam vero TERTULLIANUS in libro *de anima* cap. 57. memorat *fallaciam ſpiritus nequam ſub perſonis defunctorum deliteſcentis . . quum in exorciſmis interdum aliquem ſe ex parentibus hominem ſuis affirmat*, id genus notat S. IOANNES *Chryſoſtomus* lib. in S. BABYLAM contra IULIANUM, & contra gentiles fruſtra miracula iactantes. „Sed ſpectra (inquit) defunctorum, mortuorumque ſimulacra multi eorum dicunt a plurimis apud ſe mirabilium patratoribus oſtendi: voces item e ſepulcris ad quoſdam emiſſas iactitant; quod autem quis ex viris, qui apud ſe vixerunt, & admirationi habiti ſunt, aut ex iis, quos poſt deceſſum deos reputaverunt, tale quidpiam diſcipulis dixerit, nullus eorum affimare audeat." TATIANUS loco, paullo ante citato, eorum refutat errorem, qui exiſtimarunt dæmones, qui hominibus imperant, eſſe hominum animas. Haud abſimilem S. IOANNES *Chryſoſt.* hom. XXVIII. in MATTHÆUM memorat, inceſſitque vulgi opinionem animas mortuorum dæmonas fieri. „Sed quid dicas (inquiunt) de præſtigiatoribus multis, qui captos pueros iugulant, ut animam poſtea ſibi miniſtrantem habeant? Nam quod iugulent, hoc multi dicunt, quod autem cæſorum animæ cum ipſis ſint, unde, quæſo, noſti? Ipſi, inquiunt, dæmoniaci hoc dicunt: *Ego ſum anima illius cuiuspiam.* Verum hæc fraus & fallacia diabolica eſt. Neque enim anima mortui eſt, quæ clamat, ſed dæmon, qui hoc ſimulat, ut auditores decipiat. Nam ſi poſſet anima in dæmonis ſubſtantiam ingredi, multo facilius in corpus ſuum ingrederetur. Præterea quis ratione præditus credere poſſit animam læſam ſe lædenti ſociare? aut hominem poſſe vim incorpoream in alteram mutare

T. II. p. 265. *T. II. p.* 536.

ſubſtantiam? Nam ſi in corporibus id fieri nequeat, nec quisquam poſſit corpus hominis in corpus aſini mutare, multo magis in anima inviſibili id fieri nequit, nec quis poſſit illam in dæmonis ſubſtantiam vertere. Itaque anicularum ebriarum hæc verba ſunt, & puerorum terricula. Nam *iuſtorum animæ in manu Dei ſunt*; ſi iuſtorum, etiam quoque puerorum animæ: non enim illæ malæ ſunt; peccatorum autem animæ ſtatim hinc abducuntur. Id palam eſt ex LAZARO & divite; & alibi Chriſtus ait: *Hodie animam tuam repetent a te.* Neque fieri poteſt, ut anima ex corpore egreſſa, hinc erret & vagetur, *neque id iniuria &c.* Vid. hom. II. de LAZARO T. I. p. 727.

Idem vero haud cunctanter fidem adhibuit THEOPHILO *Epheſio* de iam laudato STAGIRIO a dæmone vexato referenti viſum terribile, nocte qua- *T. I. p. 156.* dam ei oſtenſum. *Suem enim quemdam*, ipſum STAGIRIUM affatur haud procul ab exordio libri primi, *ferociſſimum maxima vi luti inquinatum in te inſilire iugiter, atque tecum concertare aiebat.* Digna profecto im- *T. II. pag. 213.* mundo illo ſpiritu forma. Viciſſim autem, ut S. GREGORIUS M. lib. II. Dial. c. 2. *de tentatione carnis* a S. BENEDICTO *ſuperata* refert, in figura nigræ, parvæque avis, quæ vulgo *merula* nominatur, circa eius faciem vo- *Ib. p. 221.* litare cœpit. Idem vero S. Pater mox capite quarto, de monacho vagæ mentis ad ſalutem reducto, aſpexiſſe in oratione narratur, *quod eundem monachum, qui in oratione manere non poterat, quidam niger puerulus per veſtimenti fimbriam foras traheret. Quod & poſtea* MAURUS *monachus vidit:* POMPEIANUS *vero eiusdem monaſterii pater videre non poterat.* Ad hanc hiſtoriam haud dubie reſpicit S. BENEDICTUS, dum cap. 43. regulæ cavet, ne monachus tardius ad officium veniens foris ſedeat, vel fabulis vacet, *ne detur occaſio diabolo.* Ad præſens etiam argumentum pertinet, quod cap. 53. hoſpitibus pacis oſculum non prius offerendum velit, *niſi oratione præmiſſa propter illuſiones diabolicas.*

Diabolus transfigurans ſe in angelum lucis.

XXXIX. Nempe ſicuti ABRAHAM hoſpitio angelos ſuſcepit, ſic ipſe etiam ſatanas transfigurat ſe in angelum lucis iuxta apoſtolum, ut modo exempla quædam in S. ANTONIO intelleximus: unde & ſuos diſtinctim & accurate commonendos exiſtimavit in orat. ad monachos, ſic demum con- *2. Cor. 11, 14.* cludens: „Hocque ſit vobis ad ſecuritatem adverſus illos indicium: cum *T. IV. Bibl. PP. p. 645. ſeq.* quædam aderit viſio, ne ſtatim pavore concidas, ſed qualiscunque illa ſit, fidens primum interroga: *Quisnam tu es, & unde?* Tum ſi Sanctorum *Ib. p. 651.* ſit viſio, certiorem te facient, atque terrorem tuum in gaudium vertent; ſin diabolica illa ſit, ſtatim debilitatur, perſpecta animi firmitate: nam imperterriti animi ſignum eſt, vel ſic interrogare, *Quis tu es, & unde?*

Sic

Digitized by Google

Sic quadam die *circumiectus luce purpurea, quo facilius claritate adſumti fulgoris illuderet, veſte etiam regia indutus, diademate ex gemmis auroque redimitus* S. Martino apparuit, non veritus Chriſtum ſe aſſerere, ut in eius vita narrat Sulpitius *Severus* c. 24. *Tum ille*, proſequitur, *revelante ſibi ſpiritu, ut intelligeret, diabolum eſſe, non Deum: Non ſe, inquit, IESUS Dominus purpuratum & diademate renitentem venturum eſſe prædixit. Ego Chriſtum niſi in eo habitu, formaque, qua paſſus eſt, niſi crucis ſtigmata proferentem, veniſſe non credam. Ad hanc ille vocem ſtatim, ut fumus evanuit, & cellulam tanto fœtore complevit, ut indubia indicia relinqueret, diabolum ſe fuiſſe. Hoc ita geſtum, ut ſupra retulimus, ex ipſius* Martini *ore cognovi, ne quis forte exiſtimet fabuloſum.* Hæc Sulpitius: qui proxime antecedenti capite aliud exemplum affert de Claro presbytero, qui cum relictis omnibus ſe ad S. Martinum contuliſſet, brevi tempore ad ſummum fidei virtutumque omnium culmen enituit. Eum autem decepit quidam ſub nomine Anatolii monachum mentitus: *procedente tempore, angelos apud ſe loqui dicebat. Poſtremo eouſque proceſſit, ut inter ſe ac Deum angelos diſcurrere prædicaret: quadam nocte inter micantia lumina veſte veluti divinitus indutus comparuit.* Sed mane adducto eo ad S. Martinum vir, inter trahentium manus veſtis evanuit., quam Claro velut divinum munus attuliſſe viſus eſt.

S. Macarius in libro *de patientia & diſcretione* c. 13. „Homini virtutis ſtudioſo (ſcribit) multa cura ſatagendum eſt, ut diſcretione polleat, ut quo differentiam boni & mali exploratam habeat, & varias diaboli verſutias, ſoliti per ſpecioſas imaginationes plurimos pervertere, diſcutiat atque intelligat. Siquidem in omni negotio utiliſſimum eſt, ſecuritati conſulere. Ne igitur levitate mentis cito teipſum præbe credulum ſpiritualium poteſtatum impulſibus, ad te decipiendum forte comparatis. Etiamſi, qui loquuntur, cœleſtes ſint angeli. Sed ſta in gradu tardus, examini iſtius generis ſubiiciens exactiſſimo; quod bonum eſt amplectens, quod malum reiiciens. Non enim ignoti ſunt effectus gratiæ, quos peccatum, utcunque boni perſonam aſſimulet, non poteſt repræſentare. Nam etſi ſecundum apoſtolum, Novit ſatanas transfigurare ſe in angelum lucis, tamen licet viſiones offerat ſplendidas, bonam operationem, ut dictum eſt, exhibere non poterit; ex quo certum eius exiſtet indicium &c.“ Referri huc etiam poteſt reſponſio in homilia VII. ad hanc interrogationem §. 3. *Cum peccatum in angelum lucis transformetur, & ſimile ſit gratiæ, quo pacto cognoſcet homo inſidias diaboli? & quo pacto ſuſcipiet, & diſcernet ſemitas gratiæ?* ℟. „Infinitæ ſunt maligni ſpiritus artes & technæ, quibus decipit, ac decepit ſemper humanum genus ſpecie etiam religionis &

T. II. p. 14 *T. I. p. 1014*

& pietatis." Iam a D. Paulo, ubi dicit, ſatanam transfigurare ſe in angelum lucis, notantur *eiusmodi pſeudoapoſtoli, operarii ſubdoli, transfigurantes ſe in apoſtolos Chriſti.* Ad Timotheum ſcribens epiſcopum non vult fieri *neophytum, ne in ſuperbiam elatus in iudicium incidat diaboli.* Et paullo poſt: *Spiritus autem manifeſte dicit, quia in noviſſimis temporibus diſcedent quidam a fide, attendentes ſpiritibus, & doctrinis daemoniorum.* Quae perverſitas, & nequitia diabolica, inde a Simone *mago*, eccleſiam infeſtavit primis illis puriſſimis alioqui temporibus: cuius rei apud S. Irenaeum & alios, qui de haereſibus ſcripſerunt, plurima habentur exempla in *Gnoſticis* primum, deinde *Montaniſtis*, etiam officio & praeſtigiis mulierum auctoratis. Talis in epiſtola Firmiliani ad S. Cyprianum notatur „quae in extaſi conſtituta, propheten ſe praeferret, & quaſi ſancto Spiritu plena ſic ageret. Ita autem principalium daemoniorum impetu ferebatur, ut per longum tempus ſollicitaret & deciperet fraternitatem, ac mirabilia quaedam & portentoſa perficiens, & facere ſe terram moveri polliceretur. Non quod daemoni tanta eſſet poteſtas, aut terram movere, aut elementum concutere iuſſu valeret, ſed quod nonnunquam ſpiritus nequam praeſciens & intelligens terrae motum futurum, id ſe facturum eſſe ſimularet, quod futurum videret." Sed ſunt innumerae fraudes daemonis & decipiendi humanum genus modi, & periculoſiores plerumque, quo magis ſub ſpecie religionis latent. Id quod S. Augustinum initio converſionis ſuae perplexum admodum reddidit, ut lib. X. *Confeſſ.* cap. 42. prodit. „Quem (inquit) invenirem, qui me reconciliaret tibi? Ambiendum mihi fuit ad angelos? Qua prece? quibus Sacramentis? Multi conantes ad te redire neque per ſeipſos valentes, ſicut audio, tentaverunt haec, & inciderunt in deſiderium curioſarum viſionum, & digni habiti ſunt illuſionibus. Elati enim te quaerebant doctrinae faſtu, exercentes potius quam tundentes pectora, & adduxerunt ſibi per ſimilitudinem cordis ſui, conſpirantes & ſocias ſuperbiae ſuae poteſtates aeris huius, a quibus per potentias magicas deciperentur, quaerentes mediatorem, per quem purgarentur, & non erat. Diabolus enim erat transfigurans ſe in angelum lucis. Et multum illexit ſuperbam carnem, quod carneo corpore ipſe non eſſet."

2. Cor. 11, 13. — 1. Tim. 3, 6. — & 4, 1. — Epiſt. 75. p. 323. — T. I. p. 193. ſeq.

Loca a daemonibus infeſtata.

XL. Quemadmodum vero, ut ſic mentes occulte pervertat, nihil non molitur malignus, ita etiam dum, Deo permittente licet, ac opportunum eſt, palam aggreditur mille modis & artibus. In vita S. Hilarionis obſervat S. Hieronymus ipſi daemoni curam fuiſſe prodendi ſanctum virum, humilitatis ſtudio latere cupientem, ſic dum *Siciliam* navigaret, naucleri filius arreptus a daemone clamare coepit, & dicere:

„*Hilarion*

Digitized by Google

Hilarion ſerve Dei, cur nobis per te & in pelago tutos eſſe non licet? Da mihi ſpacium, donec ad terram veniam, ne hic eiectus præcipiter in abyſſum. Cui ille: *Si Deus meus*, ait, *tibi concedit ut maneas, mane. Sin ille te eiicit, quid mihi invidiam facis, homini peccatori, atque mendico?* Hoc autem dicebat, ne nautæ & negociatores, qui in navi erant, ſe quum ad terram perveniſſent, proderent. Nec multo poſt purgatus eſt puer, patre fidem dante, & cæteris, qui aderant, nulli ſe ſuper eius nomine locuturos." Poſtea memorat: „Antiquiſſimi iuxta templi ruinam, ex quo (ut ipſe referebat, & eius diſcipuli teſtantur) tam innumerabilium per noctes & dies dæmonum voces reſonabant, ut exercitum crederes. Quo ille valde delectatus, quo ſcilicet antagoniſtas haberet in proximo, habitavit ibi per annos quinque." In memoriam hæc revocant, quæ narrat S. Gregorius lib. III. Dial. c. 16. de Martino monacho de *monte Marſico*, quomodo eum e deſerto, ubi vitam ſolitariam agebat, expellere ſit conatus: „Nam amicam ſibi (inquit) beſtiam, ſerpentem ſcilicet ingreſſus, hunc ab eadem habitatione eiicere facto terrore conatus eſt. Cœpit etenim ſerpens in ſpeluncam venire ſolus cum ſolo, eoque orante, ſe ante illum ſternere, & cum cubante pariter cubare. Sed vir ſanctus omnino imperterritus, eius ori manum vel pedem extendebat, dicens: *Si licentiam accepiſti, ut ferias, ego non probibeo.* Cumque hoc continue per triennium gereretur, die quadam antiquus hoſtis tanta hac eius fortitutidine victus infremuit, ſeque per devexum montis latus in præcipitium ſerpens dedit, omniaque arbuſta loci illius flamma ex ſe exeunte concremavit." S. Martinus horribile in atrio domus cuiusdam dæmonium offendit, teſte Sulpitio in eius vita cap. 17. „Cui cum, ut diſcederet, imperaret, quemdam e familia, qui in interiore parte ædium morabatur, arripuit; ſævire dentibus miſer cœpit, & obvios quoscunque laniare. Commota domus, familia turbata, populus in fugam verſus. Martinus ſe furenti obiecit, ac primum ſtare ei imperat. Sedcum dentibus fremeret, hiantique ore morſum minaretur, digitos ei Martinus in os intulit: *Si habes*, inquit, *aliquid poteſtatis, hos devora.*

T. II. pag. 316.

Paullo ante memoravimus, quæ in vita S. Gregorii *Taumaturgi* S. Gregorius *Niſſænus* narrat de balneis a dæmonibus infeſtatis, ita, ut nemo illorum, qui noctu intraſſet, mane vivus exiret, præter S. Gregorii diaconum, qui ſigno crucis munitus, ingreſſus pernoctavit immunis. Viderint, qui illa omnia incenſæ forte materiæ ſulphureæ, nulla accedente dæmonis opera, ita contingere potuiſſe ſibi perſuadent. Nobis hic ſatis eſt, antiquitatis eccleſiaſticæ monumenta dare. Add. quæ S. Augustinus lib. XXII. *de Civ. Dei* c. 8. narrat de Hesperii cuiusdam viri tribunitii

T. VII. pag. 666.

Digitized by Google

tii domo a ſpiritibus malignis vim noxiam perpeſſa *cum afflictione animalium & ſervorum ſuorum.* S. GREGORIUS M. item lib. III. Dial. c. 4. de
T. II. p. 285. DATIO *Mediolanenſi* epiſcopo, *Corinthi* hoſpitium ſibi eligente in domo, quam *ſpiritus malignus invaſit, & ab eo hominum habitationem repulit.* Et IOANNES diaconus in vita S. GREGORII lib. IV. c. 93. defuncto *Barbiliano:* „Hunc (ſcribit) propter incolarum ſcelera plurimum infeſtabat dæmon; atque in forma ferocientis tauri nunc oves inſectabatur & fatigabat: nunc gregum atque armentorum cuſtodibus graves moleſtias afferebat, ut etiam quidam ipſorum propter moleſtias ſolum mutare coacti ſint." Vid. Benedictio aquæ ſpargendæ in domo lib. III. Sacrament *Gelaſ.* n. 75. 76. T. VI. opp. V. *Thomaſ.* p. 208. 209. 210. Item Sacrament.. *Gregor.* T. III. p. 234. Eccleſia aliis etiam publicis precum formulis nos contra huiusmodi infeſtationes munit e. g. benedictione candelarum, quæ extat in miſſali *Romano*, ut *talem benedictionem ſignaculo ſanctæ crucis accipiant*, *ut quibuscunque locis accenſæ ſive poſitæ fuerint*, *diſcedant principes tenebrarum*, *& contremiſcant*, *& fugiant pavidi cum omnibus miniſtris ſuis ab habitationibus illis: nec præſumant amplius inquietare aut moleſtare ſervientes tibi omnipotenti Deo.*

Dæmones aereæ poteſtates. XLI. Nullibi vero magis infeſtum crediderunt veteres quam aereæ regioni inquilinum veluti diabolum, atque iuxta apoſtolum *principem po-*
Ephef. 2, 2. *teſtatum aeris huius:* cuius & naturæ eſſe dæmones plerique veterum Patrum exiſtimarunt, aut ſaltem in aere eſſe ei domicilium. Explodit veluti
T. I. p. 302. in exhortatione ad martyrium n. 45. ORIGENES, eos, qui *non perſpecta dæmonum natura ignorantesque eos*, *ut in denſo hoc aere*, *qui terram ambit*, *commorentur*, *ſuffituum indigere alimento* dubitabant. a) *Cum*, ut concludit, *abſque ſuffitibus & nutrimentis*, *quæ eorum corporibus congrua putantur*, *ſubſiſtere non poſſent.* S. ANTONIUS in ſæpe laudata oratione locum apoſtoli ad *Ephef.* VI. 12. de colluctatione, quæ nobis eſt *adverſus principatus & poteſtates mundi rectores tenebrarum harum*, *adverſus ſpiri-*
T. IV. Bibl. PP. p. 636. *tualia nequitiæ in cœlo* præ oculis habens „Magna illorum (inquit) turba in aere nobis proximo eſt, neque procul a nobis ſunt: magna quoque inter illos eſt diſcrepantia. De quorum natura & differentia multa dici poſſent, ab aliis, nobis præſtantioribus pertractanda." Epiſtola XX. iterum *ſpiritus malos in aere conſiſtentes* appellat. Iuxta S. HIERONYMUM
pag. 400. lib. III. in idem cap. 6. Epiſt. ad *Ephef.* *Hæc omnium doctorum opinio eſt, quod aer iſte*, *qui cœlum & terram medius dividens*, *inane appellatur*, *plenus*

a) De LA RUE plura in eandem ſententiam profert antiquiſſimorum ſcriptorum teſtimonia, dæmones indigere cibo, delectarique ſuffitibus, ac nidoribus.

nus ſit contrariis fortitudinibus. S. IOANNES *Chryſoſt.* in eundem locum Hom. IV. putat, nihil amiſiſſe dæmones de priori, quod a Deo acceperant, in aerem imperio. S. AUGUSTINO paſſim de ſublimi habitatione cœlorum & apparatu ſuperiorum angelorum lapſus diabolus cum angelis ſuis ad hunc aerem ceu ad carcerem damnatus dicitur. Tum in libro de Divinatione „Quod vero (inquit) non ſolum dæmones quædam futura prædicunt, verum etiam quædam mira faciunt, pro ipſa utique ſui corporis excellentia, cur non contemnatur a prudentibus: cum plerumque iniqui ac perditi homines ita exerceant corpora ſua, tantaque diverſis artibus poſſint, ut ea, qui hæc neſciunt, nec aliquando viderunt, etiam narrata vix credant?" Expenſoque funambulorum, cæterorumque theatricorum artificum exemplo, *quanto maiora*, concludit, *& mirabiliora pro ſubtiliſſimi corporis, id eſt aerii facultate ac facilitate dæmones poſſint, cum tamen ſint voluntatis pravitate, maximeque ſuperbiæ faſtu & invidentiæ malitia ſpiritus immundi atque perverſi. Quantum autem valeat aeris elementum, quo eorum corpora prævalent, ad multa viſibilia inviſibiliter molienda, movenda, mutanda atque verſanda, longum eſt nunc demonſtrare, & puto, quod mediocriter conſideranti facile occurrat.* S. PETRUS *Chryſol.* dæmones aereos eſſe ſupponens, quanta inde ſuapte nocendi fallendique facilitate ac promptitudine polleant ſerm. LII. *de dæmonio ſurdo & muto curato*, diſtinctim exponit: „Cum (inquit) tenuis & aerea natura carnem neſciat, reſutet oſſa, velut aura ſpirans orbem totum temporis tranſeat in momento: diverſas ſpecies aſſumat, varias mutetur in formas, corda penetret, illudat animabus, inſpiret impias & turpiſſimas cogitationes, nec unde veniat, aut quo redeat, ſentiatur: ac ſic innocuas mentes, velut iaculum volans, lethali vulnere, & tota facilitate transverberet &c." T. VI. pag. 509. pag. 82

Non abs re erit hic, quæ S. ATHANASIUS in vita S. ANTONII narrat, adſcribere: „Cum aliquando comeſturus eſſet, ubi oraturus ſurrexiſſet circa nonam horam, ſe ſe mente abripi ſenſit, quodque prorſus ſtupendum eſt, cum ſtaret, ſe ſe vidit tamquam extra ſe poſitum, & per aerem a quibusdam abductum. Exinde terribiles tetroſque nonnullos vidit in aere ſtantes, qui tranſitum eius intercludere volebant. Obſiſtentibus iis, qui illum adducebant, poſtulare illi, num obnoxius ipſis eſſet: cumque rationes ab eius nativitate expoſcerent, id ANTONII duces prohibuere, aiebantque: *Culpas eius omnes a nativitate delevit Dominus*: ex quo autem tempore monachus effectus eſt, & ſe ſe Deo conſecravit, liceat rationes ducere. Cum igitur accuſarent, nec probare poſſent, libera illi ac minime interclusa via fuit: ſtatimque ſeipſum quaſi reverſum vidit, & intra ſe ſtantem, atque omnino ANTONIUM ut ante. Tunc cibi ſumendi immemor, reſiduum T. I. P. II. n. 65. p. 843.

Digitized by Google

illius diei, atque totam noctem gemendo precandoque tranſegit. Obſtupefactus enim erat, cum videret, quot nobis eſſent adverſarii, quantisque laboribus aer iſte pertranſitur. Recordatusque eſt idipſum eſſe, quod ait apoſtolus: *Secundum principem poteſtatis aeris. Epheſ.* II. 2. Hæc enim eſt inimici poteſtas, pugnare ſcilicet, atque pro virili viam tranſeuntibus intercludere. Quapropter hortabatur: *Epheſ.* VI. *Accipite armaturam Dei, ut poſſitis reſiſtere in die malo;* ut inimicus nihil habens malum dicere de nobis confundatur."

Ac meteora producere poſſint?

XLII. Eccleſia nos munit contra aereas poteſtates in ſolemni campanarum benedictione orans, ut *procul pellantur omnes inſidiæ inimici, fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempeſtatum, temperentur infeſta tonitrua, ventorum flabra fiant ſalubriter & moderate ſuſpenſa, proſternat aereas poteſtates dextera tuæ virtutis, ut hoc audientes tintinnabulum contremiſcant, & fugiant ante ſanctæ crucis Filii tui in eo depictum vexillum.*
a Paſſim equidem ſacræ ſcripturæ, a) atque ad eius ductum SS. PP. omnis generis mala malignis attribuunt ſpiritibus. Habent mala phyſica ſuum etiam ordinem fatalem a Deo ob peccata noſtra. Hinc Clemens *Alexand.* de aeris perturbationibus, aliisque eiuscemodi utramque attingens cauſam „Porro autem (inquit lib. VI. *Stromatum*) dicunt aliqui peſtilentias & grandines, & procellas, & quæ ſunt his ſimilia, non ex ſola perturbatione materiali, ſed etiam ex aliqua dæmonum, aut angelorum non bonorum ira fieri ſolere." Plus Origenes: „Si vero (inquit) proferendum eſt libere, quænam ſint horum opera, dicemus fames & ſterilitates vinetorum ac arborum, ſiccitatesque nimias lædendis frugibus, interdum etiam peſtilentiam ſævientem tum in bruta tum in hominibus. Hæc omnia dæmonum opera ſunt, ſeu carnificum, iudicio quodam divino poteſtatem hanc habentium certis temporibus." Licet autem eos magis inſidias ſtruere ruinæ animarum dubium nemini eſſe debeat; perinde tamen corporalibus etiam infligendis malis, ſi id permittantur, intentos eſſe, odium erga creaturas Dei implacabile ambigere non ſinit. In antiquiſſimo ſacramentario *Gelaſ.* lib. III. n. 78. extat *bened. aquæ exorciz. ad fulgura, ad effugandos erraticos ſpiritus omnemque nefariam vim diaboli pellendam, & omnes figuras & minas phantaſmatis ſatanæ exterminandas, & fulgura & ſidera, quæ miſſa videntur in hanc arborem &c.* Proſtat Iobi exemplum, dum ex ſpeciali permiſſione *ignis Dei cecidit e cælo, & tactas oves, puerosque conſumpſit.*

Lib. VIII contra Celſ. T. I. pag. 765.

Iob. 1, 16.

Proclive

a) Corporum ægritudines (inquit R. Abbas Calmet diſſert. *in bonos & malos angelos*, mortem, & totam illam malorum cohortem, quæ miſeros homines comitantur, uti procellas, ſterlitatem, bella dæmoni auctori tribuit ſcriptura.

Proclive fuit Chriſtianos edoctos, dæmones eſſe, quos gentiles coluerunt deos, *Iovem* e. g. Tonantem eiusque omnes effectus, etiam naturales dæmonibus adſcribere, quæ opinio alte vulgi præſertim animis inſedit, ut id etiam a dæmonibus ad inſtigationem hominum malignorum arte magica fieri exiſtimarent promiſcue, unde ineunte ſæculo IX. S. Agobardus epiſcopus *Lugdunenſis* occaſionem arripuit peculiari libro *de grandine & tonitruis* ſcribendi, ita præfatus: „In his regionibus pœne omnes homines nobiles, & ignobiles, urbani & ruſtici, ſenes & iuvenes putant grandines & tonitrua hominum libitu poſſe fieri, dicunt enim mox ut audierint tonitrua, & viderint fulgura, aura levatica eſt. Interrogati vero, quid ſit aura levatica, alii cum verecundia parum remordente conſcientia; alii autem confidenter confirmant incantationibus hominum, qui dicuntur tempeſtarii, eſſe levatam, & ideo dici levaticam auram." Non potuit non res hæc falſis ſuſpicionibus, detractionibusque locum dare, unde etiam in lib *Pœnit.* Burchardi c. 19. eiuscemodi legitur: „Credidiſti unquam vel particeps fuiſti illius perfidiæ, ut incantatores, & qui ſe dicunt tempeſtatum immiſſores eſſe, poſſint per incantationes dæmonum, aut tempeſtates commovere, aut mentes hominum mutare? Si credidiſti, aut particeps fuiſti, annum unum per legitimas ferias pœniteas."

Hoc tamen non obſtante diu poſtea S. Thomas, eoque duce theologorum caterva docuit, pluviam & ventos, & quæcumque ſolo motu locali fiunt, poſſe cauſari a dæmonibus, tum alibi cum etiam in Iob lect. 3. ac nuper Benedictus XIV. admittit, poſſe angelos etiam malos naturali ſua virtute ignem ex ſuperiori aeris regione demittere: poſſe etiam vehementiſſimos ventos excitare, quibus maxima hominibus damna inferantur. Eoque etiam faciunt, quæ idem Pontifex in alio opere, nempe *Inſtitut: eccleſ.* 47. p. 341. de uſu campanarum contra tempeſtates ediſſeruit. Ex ſententia porro *Frid.* Hoffmanni iam alias laudati in diſs. *de diaboli potentia in corpora* „cum imperium & dominatum habeat in aerem, non negari poterit, quod & ventum, qui non niſi motus aeris eſt, & fulmina, pluvias, grandines, aliasque tempeſtates ciere poſſit, quibus vegetabilibus, & frugibus noceat." Quin imo generari inſecta in aere a dæmonibus poſſe non dubitat, atque ſæpenumero inſolitas, & pœne extraordinarias temporum mutationes diabolum cauſare abſurdum haud putat, nec demum exiſtimat errorem commiſſum iri, ſi quis peſtis ipſius primam cauſam ſæpius in ipſum diabolum, varie agentem in aere, refundere velit. Ibid. § XV.

1. 2. q. 80.

Lib. IV. de Canoniz. SS. P. I. c. 3. n. 4.

T. V. Opp. p. 99.

Id vero paradoxum magis eſt, quod *Io. Frid.* Teller inter Proteſtantes haud ignobilis nominis in *Lexici Novi Teſt.* parte prima, quæ prodiit

Oo oo 2 hoc

hoc ipſo anno 1775. voc. *Erbeben* motum illum magnum factum in mari, dormiente in navicula Chriſto, *Matth.* VIII. 24. (quæ apud *Luc.* VIII. 23. dicitur procella venti) diaboli operæ tribuat. a)

a

Deo permittente, corporis valetudinem viciant, morbis aliisque malis, *Iob* 2, 5. *ſeq.* *T. II. pag.* 256.

XLIII. Non contentus diabolus Iob ſuos, ſuaque omnia, ſola ad contumeliam illuſionemque relicta uxore, rapuiſſe, vaſtaſſeque inſtigatione hoſtium immiſſoque igne cœleſti, petit etiam a Deo obtinetque, tangi *os eius & carnem*. . . *Egreſſus igitur ſatan a facie Domini, percuſſit Iob ulcere peſſimo a planta pedis uſque ad verticem.* Ea vero omnia expendens S. Ioannes *Chryſoſt.* Homilia I. *dæmones non gubernare mundum*, poſtquam in eo deprædicaſſet divinam clementiam, quod obſeſſos ſeu dæmoniacos non penitus permittat diaboli rabiei, neque omni ſua poteſtate uti concedat. „ Vis etiam (ſubdit) & altero rurſus exemplo conſpicere, qua ratione dæmon gubernet, cum a Deo illi permittitur, ut poteſtatem ſuam exerceat? Veniant tibi in mentem armenta & greges Iob, quo pacto uno temporis momento cuncta aſſumſerit miſerabilis liberorum eius mors, inflicta corpori eius plaga: & crudelitatem, inhumanitatem ac ſævitiam nequitiæ dæmonum intuebere, atque inde manifeſte cognoſces, ſi hoc etiam univerſum Deus illorum permitteret poteſtati, futurum ut cuncta confunderent, & turbarent, & ita nos tractarent, ut porcos & armenta illa, ſicut ne exiguo quidem temporis momento ſaluti noſtræ poſſent parcere. Si dæmones gubernarent, nihilo meliori eſſemus in ſtatu, quam dæmoniaci: imo vero deteriori in ſtatu, quam illi.“ Ita etiam poſt eum Theophylactus exemplum *Corinthii*, quem Paulus 1. *Cor.* V. tradidit ſathanæ, ut ſpiritus ſalvus ſit, accipit, ægritudine corporis, vulneribus, aut plagis illum macerari a diabolo, ut caro eius dometur, & humiliatus reſipiſcat.

pag. 224.

In ſæpe citatis libris ad Stagirium a dæmone vexatum uſque adeo, ut in deſperatas ſibi mortem conſciſcendi cogitationes interdum veniret, mœreroque & triſtitia contabeſceret: hanc S. Chrysostomus omni obſeſſione diabolica potentiorem eſſe ad nocendum iudicat mœroris magnitudinem. Conſentit plane noſtris temporibus *Io. Ioſ.* Gassner, epiſcopo *Ratisbon.* a Sacris, ſupra laudatus, qui in pleriſque morbis, præſertim epidemicis quandam vexationem diabolicam agnoſcit, auctoritate uſus S. Augu-

STINI,

a) „ Dieſes *Erbeben* war wohl eine geheime Wirkung des Satans, welcher jezo Iesum am rechten Ort zu haben glaubte. Mit dieſer Meynung ſtimmt ſehr gut, daſs Lucas dafur nach dem Griechiſchen ſagt, *es fuhr ein Windwirbel hernieder*, Luc. 8, 23. vergl. 10, 18. und die folgenden Redarten: *Er bedräuete dem Winde*; oder, wie Marcus ſagt: *Er ſprach zu dem Meere: Schweig und verſtumme!* vielleicht expoſtulirte der Satan, wie anderwärts: *Warum biſt du gekommen uns zu quälen ehe dann es Zeit iſt*: und endlich das gehorſam ſeyn: weil jene Redarten ſonſt für die Evangeliſche und hiſtoriſche Schreibart zu poetiſch ſcheinen.“

ſtini, qui Enarratione in Pſalm. CXXX. in exemplum adducens D. Paulum 1. *Cor.* XII. 7. de quo ſupra n. 17. „Ne extolleretur (inquit) tanquam iuvenis, colaphizabatur tanquam puer. Et a quo? ab angelis ſatanæ. Quid eſt hoc? Dolore quodam corporis traditur exagitatus vehementer: dolores autem corporum plerumque immittuntur ab angelis ſatanæ; ſed hoc non poſſunt, niſi permiſſi. Nam & Iob ſanctus ſic probatus eſt. Permiſſus eſt ad eum probandum ſatanas, & percuſſit eum vulnere, ut vermibus putreſceret. Immundus enim permittebatur, ſed ſanitas probabatur. Neſcit diabolus, quanta bona de illo fiant, etiam cum ſævit." *T. IV. pag. 1465.*

Quæ cum ita ſint paratragœdiandum non uſque eo eſt, ut *Manichæiſmi* revocandi ſuſpicio, ſeu calumnia ingeratur, dum (ut proſtant exempla in veteri & novo teſtamento, ac deinceps vel in ipſis dæmoniacis) conceditur dæmoni poteſtas affligendi, Deo id iuſtis quidem ex cauſis permittente, corpus; cum anima plus ſit quam corpus, quam continuo infeſtari a dæmone, nemo negat: graviusque longe in hac animæ infeſtatione eſt periculum, quam in quibuscunque aliis tum corporis, cum aliarum quarumcunque rerum & facultatum terrenarum, quod tentationum genus cumulatum Iob tantæ ceſſit gloriæ: & ſicut alterum illud in corpore qualecunque fuerit, Paulum periculo exemit, ne magnitudine revelationum extolleretur, ita cuique afflictiones corporales ſalutares cumprimis eſſe poſſunt, nunquam autem immeritæ. „Si ergo chariſſimi (pergit S. Augustinus expenſo Pauli exemplo cit. loc. n. 8.) potuit Paulus apoſtolus extolli magnitudine revelationum, niſi acciperet angelum ſatanæ, qui ſe colaphizaret, quis de ſe poſſit eſſe ſecurus?" Cum vero in vexationibus corporalibus malum ipſum ſit remedium mali multo maioris animæ, ut palam ſit exemplo *Corinthiaci*, eorumque, quos Paulus tradidit ſatanæ, ut diſcerent non blaſphemare, quis Dei bonitatem deſideret, ſi etiam vexationes huiusmodi frequentiores eſſe dicantur, quod alibi idem S. Doctor admittit, in libro nimirum *de divinatione dæmonum*: „Accipiunt enim ſæpe poteſtatem & morbos immittere, & ipſum aerem vitiando morbidum reddere." *pag. 1466.* *T. VI. pag. 529.*

Imprimis huc facit exemplum lunatici: „Cui (ut in locum illum Matthæi Origenes commentatur tomo 13. n. 6.) a ſpiritu aliquo immundo & ſurdo & muto vertigo & tenebræ offunduntur, ab eoque affligitur, & quamobrem morbus ille a magna illa cœleſti, & a ſole altera lampade nomen traxit, quam conſtituit Deus, ut præeſſet nocti. De rerum ergo natura diſputent medici, quippe quibus perſuaſum ſit, ſpiritum impurum minime hic eſſe, ſed morbum corpori duntaxat, ac diſputantes dicant per quemdam cum lunari lumine, quod humida præditum eſt natura, conſenſum & convenientiam, humores in capite moveri; nos autem, qui mor- *Matth. 17. Marc. & Luc. 9. T. III. Opp. p. 577.*

 bum

Digitized by Google

bum hunc in ægris a ſpiritu immundo, muto, & ſurdo genitum videri E-vangelio credimus, & iis, qui eo prope modo, quo *Ægyptii* incantatores ſanationem promittere more illorum ſoliti ſunt, feliciter ſucceſſiſſe, credi inter ipſos videmus, ne anſam præbeamus Dei operibus ita calumniandi, ut iniquitatem in excelſo loquantur, & ponant in cœlum os ſuum, dicemus ſpiritum hunc impurum certas lunæ figuras obſervare, atque ita operari, ut cum obſervatum fuerit ſub tali lunæ figura affici homines, non mutus & ſurdus dæmon tanti mali cauſam habere videatur, ſed magna illa cœleſtis fax, quæ conſtituta eſt, ut nocti præſit, neque ullum habet morbi huius inter homines imperium." Hæc nimis generaliter ORIGENES, nec aliter mox de aliorum ſiderum configurationibus loquitur contra *Genethliacos* diſputans. S. ATHANASIUS vero in Fragm. Comment. in MATTHÆUM rem adhuc pluribus explicat, atque ex ſcripturis demonſtrandum ſibi ſuſcipit, *lunam non eſſe inſaniæ cauſam; ſed malignum doloſumque diabolum.* „Ipſe namque inter malignos artifices annumeratur; & cum non poſſit alia ratione rebus conditis Numinis ſpeciem affingere, vel homines ad idolorum fictionem compellere, obſervat neomeniam lunæ; & cum ad quintum diem pervenerit, tunc procurat, ut epilepticus clamet, ſpumas efferat, ſeſe in ignem coniiciat, aut in aqua, ut eius parentes aut fratres, imconſanguinei cogantur lunam adorare, rati ipſam puero dæmonium miſiſſe."

T. V. Bibl. PP. p. 186.

S. IOANNES *Chryſoſt.* in *Matth.* IX. 32. de homine muto dæmonium habente „Non enim (inquit) morbus ex natura prodierat, ſed ex dæmonis inſidiis. Quapropter aliis, qui ipſum adducerent, opus habuit. Neque enim ipſe rogare poterat, mutus cum eſſet, neque aliis ſupplicare, cum dæmon linguam eius alligaſſet." Ex eodem S. CHRYSOSTOMO ſupra de lunaticis evangelicis locum, ubi de obſeſſis egimus, attulimus. Eum ſequuntur THEOPHYLACTUS, EUTHYMIUS & alii; ORIGENIS vero ſententiam, ut alias etiam S. HIERONYMUS ex *Latinis* in cap. V. MATTHÆI, ubi Chriſtus lunaticos & paralyticos curaſſe dicitur, ſic ad orbitam revocat: *Non vere lunaticos; ſed qui vocabantur lunatici ob dæmonum fallaciam, qui obſervantes lunaria tempora, creaturam infamare cupiebant, ut in creatorem blaſphemiæ redundarent.* Quæ iterum ad cap. XVII. lib. III. c. 18. repetit S. PETRUS *Chryſologus* vero id in hoc exemplo ſpectat, quod ſurdus & mutus (ut *Matth.* XII. 22. cæcus & mutus, quem Chriſtus curavit, ut loqueretur & videret) nobis oſtendat diabolum aures & linguam ligare, ne mali patente origine ad ſalutare remedium accurratur: „Antiquus refuga (inquit) ubi Deum terris reperit adveniſſe, obſtruxit aures hominum, vinxit linguam, & obſeratis humani ſenſus foribus ſpeluncæ ſuæ latebram

T. VII. pag. 366.

T. IV. p. 14.

pag. 79.

Matth. 17. Marc. & Luc. 9. Serm. LII. pag. 81.

pectus

pectus fecit, & paravit humanum; æſtimans, quod illuc auditus verbi, virtus divini nominis non veniret: ſimul ut eſt doloſus, & callidus, patrem capera parentesque tali ſe credidit decipere figmento, ut deſperarent curari poſſe eum, qui audire nec poterat, nec fari; & ut, quod erat diabolici operis, eſſe crederent debilitatis humanæ, deputarent pignori, adſcriberent naturæ, quod intulerat hoſtis incluſus." ORIGENES c. 18. *Matth.* de eodem lunatico exceptionem huiusmodi medicorum prævertens „Medici (inquit) loquuntur, quæ volunt, nos autem qui evangelio credimus, dicemus hanc paſſionem immundum ſpiritum operari." LACTANTIUS div. inſtitut. lib. II. c. 15. rationem ex ipſa eorum perverſa repetit natura: „Hi, ut dico, ſpiritus contaminati ac perditi per omnem terram vagantur, & ſolatium perditionis ſuæ perdendis hominibus operantur. Itaque omnia inſidiis, fraudibus, dolis, erroribus complent: adhærent enim ſingulis hominibus, & omnes oſtiatim domos occupant, ac ſibi geniorum nomen aſſumunt: ſic enim latino ſermone dæmonas interpretantur. . . Qui quoniam ſunt ſpiritus tenues & incomprehenſibiles, inſinuant ſe corporibus hominum, & occulte in viſceribus operati, valetudinem vitiant, morbos citant, ſomniis animos terrent, mentes furoribus quatiunt, ut homines his malis cogant ad eorum auxilia decurrere."

Duo ad rem habet B. THEODORETUS ſpecimina in hiſtoria religioſa in MACEDONIO primum de uxore divitis cuiusdam, edacitatis morbo laborante: „Et morbum hunc (ait) quidam dæmonis operam, alii corporis infirmitatem arbitrabantur. Sive hoc autem, ſive illud fuit, eiusmodi erat, ut triginta ſingulis diebus gallinas cum ederet, aviditatem non expleret, ſed alias porro appeteret. Cum ſic opes ſuas conſumeret, miſerti eius propinqui divini illius hominis opem implorant. Venit ille, Deumque precatus, & dexteram aquæ imponens, ac ſignum crucis effingens, bibere iuſſit, & morbum ſanavit, atque immoderatam appetentiam ita repreſſit, ut illi deinceps ad victum in ſingulos dies exigua gallinæ particula ſufficeret. Et hic quidem morbus hoc modo curatus eſt." Sic eodem paullo poſt narrante „Nobilis quædam ac prædives femina, ASTRIUM nomine mentis impos facta, ſic ut ſuorum neminem agnoſceret, cibumque ac potum omnem reſpueret, longo iam tempore in hoc delirio perſeverabat: quod quidem alii dæmonis operæ tribuebant, medici vero cerebri morbum appellabant. Quare omni arte conſumta, cum auxilium inde nullum exiſteret, vir eius AVODINUS magiſtratu & dignitate clarus ad divinum illud caput profectus, & coniugis calamitatem expoſuit, & remedium expetiit. Ceſſit homo Dei, eiusque domum venit, & Deum magna contentione precatus eſt. Peracta oratione aquam adferri cum iuſſiſſet, eique ſalutare ſignum

T. III. pag. 837.

pag. 838. ſeq.

Digitized by Google

num impreſſiſſet, bibere illam iuſſit. Reclamantibus medicis, quaſi frigido potu hic morbus augeretur, maritus, tota illorum turba expulſa, uxori potionem præbuit, & illa, ut ebibit, ad ſe mox rediit, mentisque compos facta & a morbo prorſus libera ſanctum virum agnovit, eiusque dextram ſupplex apprehendens oculis ſuis impoſuit, & ori admovit & ſana mente in poſterum potita eſt.“ Qualiscunque vero hæc ægritudo fuerit, in memoriam revocat opinionum diverſitas mulierem, de qua *Luc.* XIII. 11. *quæ habebat ſpiritum infirmitatis annis decem & octo: & erat inclinata, nec omnino poterat ſurſum reſpicere.* Quis dubitet *ſpiritum* hunc *infirmitatis* a medicis pro morbo naturali habitum fuiſſe; at invidia calumniaque archiſynagogi indignantis, quod eam Chriſtus ſabbato curaſſet, veritatem detegit: *Hanc autem*, excuſat ſe Chriſtus, *filiam Abrahæ, quam alligavit ſatanas ecce decem & octo annis, non oportuit ſolvi a vinculo iſto die ſabathi.* Supra notavimus ſingulares vitiorum ſpiritus ex Patribus, hic vero ipſum nobis evangelium prodit *ſpiritum infirmitatis.* Et quis perſpectum habet, quam longe lateque graſſetur, cum in animam tantam malignus exerceat tyrannidem? ut etiam millies ſi abigatur, non laſſeſcat, aut deſiſtat. Vid. S. CYPRIAN. *de idol. van.* p. 10. paullo poſt pag. 671.

Verbera, vulnera inflixerunt, XLIV. De exorciſtis *Iudeis* filiis SCEVÆ, principis ſacerdotis Act. XIX. 13. &c. legitur, *Inſiliens in eos homo, in quo erat dæmonium peſſimum, & dominatus amborum invaluit contra eos, ita ut nudi & vulnerati effugerent de domo illa.* Locus D. PAULI I. *Cor.* V. 5. *Corinthii* ſatanæ traditi de obſeſſione, plaga, morbo, ipſaque morte a *Græcis* potiſſimum Patribus accipitur: itemque qui ipſimet PAULO datus eſt σκόλοψ τῇ σαρκὶ ἄγγελος σατᾶν, ἵνα με κολαφίζῃ, de flagello, paxillo, ſude, id eſt verberibus quibus cæſus ſit, a nonnullis intelligitur. Proſtantque exempla quædam plagis exceptorum a dæmonibus virorum ſanctiſſimorum: Et quidem S. ANTONIUS, ut iam ex S. ATHANASIO memini „flagellatus atque confoſſus ſentiebat quidem aſperiores corporis dolores, ſed imperterritus durabat mente pervigili. Et licet gemitum vulnera carnis exprimerent, ſenſu tamen idem permanens, quaſi de inimicis luderet, loquebatur. Si virium (aiebat) aliquid haberetis, ſufficeret unus ad prælium, ſed quoniam Domino vos enervante frangimini, multitudine tentatis inferre terrores. Rurſusque confidens dicebat, ſi quid valetis, ſi vobis in me poteſtatem Dominus dedit, ecce præſto ſum, devorate conceſſum; ſi vero non poteſtis, cur fruſtra nitimini?“ Habemus autem S ANTONII de ſeipſo teſtimonium *plerumque* ſe *plagis* conciſum eſſe a dæmone; de S. HILARIONE item
T. IV. p. 76. S. HIERONYMUS edidit, inſiluiſſe dorſo eius orantis (dum *abducta ab oratione*

mens,

mens, neſcio quid aliud cogitabat) agitatorem dæmonem *& latera calcibus, cervicem flagello* verberantem. Paullo poſt perhibetur „Auriga quoque *Gazenſis* in curru percuſſus a dæmone, totus obriguiſſe, ita ut nec manum agitare, nec cervicem poſſet reflectere. Delatus ergo (pergit S. Hieronymus) in lecto, quum ſolum linguam moveret ad preces, audit non prius poſſe ſanari, quam crederet in Iesum, & ſe ſponderet arti priſtinæ renuntiaturum. Credidit, ſpopondit, *ſanatus eſt:* magis de animæ, quam de corporis ſalute exultavit.“ Adde quæ mox de Orione, viro primario urbis *Ailæ* dixerat, integra dæmonum legione obſeſſo: qui ad ſanctum virum adductus *erupit de manibus ſe tenentium, & amplexus eum poſt tergum, in ſublime levavit.* *Ibid. p. 79.*

Iam etiam narravimus ex Sulpitio *Severo,* diabolum quodam tempore, cornu bovis cruentum in manu tenentem cum ingenti fremitu cellulam *S. Martini* irrupiſſe, cruenta dextra ex admiſſo recens ſcelere in ruſticum quemdam mercede conductum, ut vehiculo ligna deferret haud longe a monaſterio, qui *iam pæne exanimis* inventus, *extremum ſpiritum trahens indicat fratribus caſum mortis & vulneris: iunctis ſcilicet bobus, dum diſſoluta arctius conſtringit, bovem ſibi excuſſo capite inter inguina cornu ieciſſe.* Nec multo poſt vitam reddidit. Sanctum etiam Macarium aliquando quidem gladio petere auſus eſt dæmon, ut in eius apophtheg. legitur his verbis: „Alia iterum vice dæmon inſurrexit adverſus abbatem Macarium cum gladiolo, volens pedem eius amputare; ſed cum propter humilitatem ipſius non poſſet, dixit ei: *Quæcunque habetis, habemus etiam nos: ſola humilitate a nobis differtis, & prævaletis.*“ S. Gregorius *Turonenſis de vit. Patr.* cap. I. refert Lupicinum atque Romanum iuvenes adhuc inter deſerti ſecreta, quotiescunque ad orandum Dominum genua flexiſſent, iacientibus dæmonibus imbre lapidum obrutos eſſe, ita ut ſæpe vulnerati immenſis dolorum cruciatibus torquerentur. „Ceſſit immatura ætas (pergit) inſultibus, & relinguentes habitaculum domum cuiusdam pauperis ingrediuntur. Narrant mulieri, ſe non ſine confuſione reliquiſſe eremum, & eius cauſam exponunt: ſed oportuerat, ait illa, contra inſidias diaboli viriliter dimicare, nec formidare eius inimicitias, qui ſæpius ab amicis Dei ſuperatus occubuit. Illi corde compuncti, quod propoſitum ſuum dimiſerint, & crucis vexillo armati regreſſi ſunt ad eremum, & licet iterum a dæmonibus lapidibus urgerentur, perſiſtentes in oratione, remota tandem tentatione, in Dei famulatu perſtiterunt.“ *De vita S. Martini c. 21.* *pag. 1146.*

Alii etiam Sancti, quos inter Guilielmus *Stabuli Rodis* abbas, & S. Franciscus *de Paula* perſæpe a dæmonibus dire vapulaſſe perhibentur, ut apud Bollandum videre eſt T. I. *Ianuarii* p. 96. 895. T. I. *April.* p. 368.

Digitized by Google

Mortem ipſam. XLV. De SARA, filia RAGUELIS legitur *Tob* III. 8. *quoniam tradita fuerat ſeptem viris, & dæmonium nomine Aſmodæus occiderat eos, mox ut ingreſſi fuiſſent ad eam.* Timenti ergo TOBIÆ, ne forte & ſibi hæc eveniant, Tob. 6, 16 ſeq angelus RAPHAEL ita conſulit: *Audi me, & oſtendam tibi, qui ſunt, quibus prævalere poteſt dæmonium. Hi namque, qui coniugium ita ſuſcipiunt, ut Deum a ſe & a ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus: habet poteſtatem dæmonium ſuper eos. Tu autem, cum acceperis eam, ingreſſus cubiculum, per tres dies continens eſto ab ea: & nihil aliud niſi orationibus vacabis cum ea. Ipſa autem nocte, incenſo iecore piſcis, fugabitur dæmon.* De IOBI familia rem iterum commemoro, ut ſingularis permiſſionis divinæ exemplum ingeratur.

Cap. 57. pag. 305. Teſte TERTULLIANO in libro de Anima *pluribus notum eſt, dæmoniorum quoque opera, & immaturas & atroces affici mortes, quas incurſibus* pag. 94. *deputant.* S. CYPRIANUS in libro *de Lapſis* de femina regenerata in balneis conſtituta: „Hoc enim (inquit) crimini eius & malis deerat, ut & ad balneas ſtatim pergeret, quæ lavacri vitalis gratiam perdidiſſet, illic ab immundo ſpiritu immunda correpta cecidit, laniavit dentibus linguam, qua fuerat vel paſta impie, vel locuta. Poſtquam ſceleratus cibus ſumtus eſt, in perniciem ſuam rabies oris armata eſt. Ipſa ſui carnifex extitit, nec diu ſupereſſe poſtmodum potuit; doloribus ventris & viſcerum cruciata defecit.“ Sequuntur alia exempla exanimationis quidem in infante, mortis vero item alterum in adulta. Iam memoravimus ex S. GREGORIO *Niſſeno* N. 26. T. III. Bibl. PP. 464. 465. in vita S. GREGORII *Taumaturgi*, dæmonem quemdam homicidam in balneo verſari ſolitum; cuius peſtifera vis poſt tenebras exercebatur adverſus eos, qui accedebant; ita ut *nemo eorum, qui unquam illa bora aquam ingredi auſi eſſent, inter vivos poſtea apparuiſſet.* Quibus accedit funeſtum admodum apud S. GREGORIUM lib. I. Dial. c. 10. quærente enim dæmone, T. II. pag. 196. qui a S. FORTUNATO fuerat excuſſus, ſeu expulſus, alium, quem obſideat, Add. L. II. c. 11. Caſar. Heiſterbac. de mirac. lib. V. c. 12. *quidam in boſpitio cum uxore ſua & parvulo filio ad prunas ſedebat, qui vocem eius audiens, & quid epiſcopus ei fecerit requirens, hunc invitavit boſpitio, ſedere ſecum iuxta prunas fecit. Cumque viciſſim aliqua confabularentur, parvulum eius filium idem malignus ſpiritus invaſit, atque in easdem prunas proiecit, ibique mox eius animam excuſſit.* CÆSARIUS a quodam abbate ſibi relatum refert, hominem quemdam iratum dixiſſe filio ſuo: *Vade diabole*; quem mox diabolus rapuerit; & nusquam comparuerit. Sed mitto alia ab eodem, aliisque ſequiore ævo innumera huiuscemodi tragica enarrata, quorum vero ego haud præſtem fidem.

S. HI.

Digitized by Google

S. Hilarion & in Bactro camelo *enormis magnitudinis, qui iam multos obtriverat*, diabolum agnovit. *Docebat autem ſenex*, pergit in eius vita S. Hieronymus, *hominum cauſſa diabolum etiam iumenta corripere: & tanto eorum ardere odio, ut non ſolum ipſos, ſed & ea, quæ ipſorum eſſent, cuperet interire. Huiusque rei proponebat exemplum, quod antequam beatum Iob tentare permitteretur, omnem ſubſtantiam eius interfecerit.* Hæc ille. Paſſim vero SS. Patres ad fidem hiſtoriæ B. Iob id adſtruunt, ſi permitteretur, brevi totum genus humanum internecione diabolum deleturum. Unum ex multis S. Chrysostomi locum ex hom. I. *Dæmones non gubernare mundum*, paullo ante retuli, ubi dicit, ſi permitterentur dæmones, *ita nos tractarent, ut porcos & armenta illa, ſic ut exiguo quidem temporis momento ſaluti noſtræ poſſent parcere.* T. IV. p. 82. T. II. pag. 256.

Eodem uſus porcorum exemplo, tum vero ex evangelio Io. VIII. 44. diabolum homicidam notans contra eos, qui ad incantamenta, veneficia ac præſtigias recurrunt lib. VIII. adverſus *Iudaos*: „Cum enim (inquit) Deus dicat, homicida eſt, iſti vero dicant, poteſt curare morbos, nimirum repugnantes ſententiæ divinæ: tu vero recipias horum maleficia illa, & incantamenta, nihil aliud ipſis factis tuis iudicas, quam iſtorum verbis potius habendam fidem, quam Chriſti: licet verbis id non dicas. Quodſi diabolus homicida eſt; manifeſtum eſt, quod illi ſervientes dæmones ſunt. Et hoc quoque te ipſis factis docuit Chriſtus, qui permiſit illos irruere in illum gregem porcorum, quem univerſum in mare præcipitarunt: ut intelligeres, quod eadem facturi fuerint hominibus, ſtatimque præfocaſſent, ſi Deus illis permiſiſſet. Nunc vero ipſe eos coercuit, prohibuitque, nec quidquam eis permiſit facere eiusmodi: quod quidem ipſi poteſtate in porcos accepta declararunt. Etenim ſi porcis non pepercerunt; multo minus a nobis abſtinuiſſent, ſi adverſus nos poteſtatem habuiſſent.“ T. I. p. 686.

Temerarium vero foret definire, ſeu etiam conijciendo tantum audacius quidquam velle aſſequi, quatenus Deus permittere aliquando cenſendus ſit eiusmodi dæmonibus poteſtatem veluti vitæ & necis directe, vel indirecte, atterendo corporis valetudinem in eius deſtructionem. In monumentis liturgicis nihil occurrit, quod provida mater Eccleſia hic antidotum oppoſuerit in ſuis exorciſmis; eſtque caute omnino ac circumſpecte agendum, proſpiciendumque legitima auctoritate circa illos, quos *probativos* vocant, ut ab humanæ imaginationis & phantaſiæ (cuius paſſim prodita eſt vis) ludibriis immunes ſatis præſtentur. Varia ſunt Spiritus ſancti chariſmata iuxta Apoſtolum *I. Cor.* 12, 28. caute ac religioſe diſcernenda, ſancteque tractanda in eccleſia, in qua *quosdam quidem po-*

Digitized by Google

ſuit Deus primum apoſtolos, ſecundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratia curationum, opitulationes &c. Nunquid omnes virtutes? Nunquid omnes gratiam habent curationum? Nec facile quisquam donum ſibi ſingulare diſcretionis ſpirituum arroget, uſurpetque, quod chariſma inter alia prius apoſtolus poſuerat, diſcretionis ſpirituum nempe bonorum & malorum, ac operationum eorundem, qualem hactenus variam explicavimus dæmonurgiam in animam & corpus: ex quibus illarum quidem frequentiam nemo catholicorum ſaltem hactenus negavit; ex his vero in exemplum ſtatim trahi hic non poſſunt, quæ rara ac extraordinaria leguntur in ipſa ſcriptura veteris teſtamenti; aut quæ ex profanis monumentis afferri queant, maleficiorum etiam mortalium, ex epocha paganiſmi genera.

Romanis legibus ultimo mulctantur ſupplicio, qui magicis artibus homines interficiunt; graviori adhuc pœna afficit antiquiſſimum concilium *Eliberitanum* can. 6. *ſi quis vero maleficio interficiat alterum, eo quod ſine idololatria perficere ſcelus non potuit, placuit nec in fine impertiendam eſſe illi communionem.* Alia lectione LABBÆUS ad marginem ponit *veneficio*, citatque Decret. *Ivo.* p. 10. c. 155. *Burch.* lib. 6. c. 26. Qua vero auctoritate ducti ſint, qui loco *maleficio* legendum putent *per malitiam* haud ſcio, nec, qua ratione ea lectio cum contextu canonis conciliari poſſit, aſſequor.

T. I. Conc. ed. Lab. p. 971.

Magia quidem ſoluta per Chriſtum iuxta SS. Patres.

1. Pet. 3, 22. Coloſſ. 2, 15.

XLVI. Ex hoc aliisque antiquiorum conciliorum canonibus palam fit non omni ſuperſtitione magica vacaſſe ipſos cœtus chriſtianos. Poſtquam iam Chriſtus *profectus in cœlum, ſubiectis ſibi angelis, & poteſtatibus, & virtutibus, Et exſpolians principatus, & poteſtates traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo*, principibus apoſtolorum PETRO & PAULO, ut ex actis apoſtol. conſtat, cum huiusmodi ſulphuris hominibus magis, habenteque ſpiritum pythonem negotia fuere, omnino quidem expedita ſecundum acceptam a Chriſto poteſtatem, deſtructoque diaboli regno, quod in huiusmodi ſuperſtitionibus operationibusque ſeu præſtigiis magicis maxime in gentiliſmo exeruerat, quarum vero vim omnem, quæcunque demum fuiſſe cenſenda ſit, deſtruxit, ac veluti lux tenebras diſſipavit Chriſti adventus & regnum: qua nempe comparatione ex ſtella Magis exoriente paſſim utuntur SS. PP. anteſignano S. IGNATIO, qui in epiſtola ad *Magneſianos:* „Quare (addit) ſoluta eſt omnis magia, & omne vinculum malitiæ eſt abolitum, ignorantia deſtructa eſt, vetus regnum eſt labefactatum: Deo humanitus manifeſtato, in novitatem vitæ æternæ. Principatum vero accepit id, quod a Deo omnibus ſuis partibus

T. II. PP. Apoſt. p. 16.

bus abſolutum erat.“ Rem illuſtrat ORIGENES, haud dubie ad hunc IGNATII locum reſpiciens, uti etiam homilia VI. in LUCAM, de latente principem huius mundi diabolum partu Viriginis iuxta ſupra allatam S. IGNATII ſententiam. *Contra Celſum lib. I.*

Iam audiamus ORIGENEM contra CELSUM ſeu Ἕλληνας, id eſt gentiles diſputantem: „*Græcis* quidem (inquit) dicam magos, qui cum dæmoniis commercium habent, quique illa ad ea, quæ volunt iuxta eas, quas didicerunt, artis ſuæ leges advocant, id ipſum efficere, quamdiu nihil divinius, nihilque dæmonibus, aut evocante illos incantatione fortius aut apparet aut nominatur: ſin autem aliqua ſe ſe vis divinior exerit, dæmoniorum virtutes peſſumdari, nec divinitatis poſſe ſuſtinere ſplendorem. Veriſimile ergo eſt, cum natus eſt IESUS, quoniam multitudo militiæ cœleſtis, ut LUCAS narrat, & ego credo, laudavit Deum his verbis: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax, in hominibus bona voluntas*, propterea dæmonia ſuas vires & potentiam defeciſſe, deprehenſis eorum præſtigiis, & irrita facta virtute. Atque id effecit non modo angelorum ad loca terræ vicina adventus, ſed & virtus IESU, & quæ in illo erat divinitas. Itaque magi, cum facere fruſtra tentaſſent, quæ prius per incantationes arcanaque magica facere ſolebant, huius rei cauſam non vulgarem eſſe coniicientes, quæſierunt: & viſo in cœlis prodigio, videre, quod illo ſignificabatur, voluerunt. Sic ergo mihi videtur: cum BALAAMI, qui & ipſe harum artium peritiſſimus fuit, haberent vaticinia a MOYSE quoque ſcriptis tradita, & illic de ſtella legiſſent iſtud: *Oſtendam ei, & non modo; beatum facio, & non appropinquabit;* coniecerunt hominem illum, qui cum ſtella prænuntiatus fuerat, in hanc lucem prodiiſſe: cumque iam inde animo præcepiſſent, illum eſſe dæmoniis & ſpiritibus, qui ipſis apparere & miniſtrare ſolebant, præſtantiorem, adorare ſtatuerunt.“ *T. I. n. 60. p. 374.* *N. XXIV. 17.*

Hæc ORIGENES, cuius ſententiæ ſubſtantia continetur in homilia in ſanctam Chriſti generationem, quæ hactenus S. BASILII credita, in noviſſima editione Patrum S. MAURI ceu dubia in appendicem eſt reiecta Tomi II. „Sunt igitur ei (dictæ homiliæ verba refero) genus *Perſicum* magi, vaticinationibus, incantationibusque, & naturalibus rerum affectionibus inter ſe oppoſitis intenti, ac rerum ſublimium contemplationi vacantes. Videtur autem, huius vaticinationis particeps fuiſſe & BALAAM, qui accerſitus eſt a BALAC, ut quibusdam ritibus dira *Iſraëli* precaretur: qui & in ſua parabola quarta, talia de Domino dicit: *Homo videns*, inquit, *audiens eloquia Dei, ſciens ſcientiam Altiſſimi, ac Dei viſionem in ſomnis videns: revelati oculi eius. Oſtendam ei, & non nunc, beatum prædico, & non ap-* *pag. 600.* *N. XXIV. 17.*

Digitized by Google

T.II.p.771. *propinquat. Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget homo ex Iſrael.* Quamobrem locum *Iudææ* cum inquirerent, recordati vaticinii veteris acceſſerunt, ut diſcerent, ubi eſſet, qui natus erat rex *Iudæorum.* Fortaſſe autem & adverſa poteſtate per Domini adventum iam debiliore effecta, vim agendi ſuam deſtrui ſentientes, potentiam magnam nato tribuebant.“ Breviſſime S. AMBROSIUS explicato eodem fallendi principis mundi conſilio, initio lib. II. in LUCAM n. 3. & deinceps iis, quæ ad conceptum partumque virgineum referunt evangelia de adoratione magorum exprobrans chriſtiano n. 48. *Magus ergo*, ſubdit, *intelligit ſuas ceſſare artes, non intelligis tua dona veniſſe?*

S. ATHANASIUS ex profeſſo hoc argumentum contra gentiles tractat in lib. *de Incarnat. Verbi*: Unum hic locum aliunde, ex homilia nimirum de paſſione & cruce Domini eiusdem S. Patris, adducimus, in quo ſicuti alias præſentaneum ſimul adverſus vim omnem magicam ſeu diabolicam, ſcutum inexpugnabile S. Crucis contra omnes dæmonum infeſtationes oſtenditur: „Ad hæc (inquit) omnia iam veneficia ceſſavere, omnis magia abolita, univerſa *Græcorum* infatuata ſapientia eſt. In divinis quippe, non verbis, ſed factis eſt opus: neque pronuntiatio linguæ, ſed animæ adfectus prodeſt. *Græci* igitur verbis non percipiunt ea, quæ fide Chriſtiani exhibent: & quæ verbis magi efficiunt, hæc, ſilentibus nobis ligno crucis evaneſcunt.“ Sic etiam alios SS. Patres locutos iam intelleximus, ac deinceps multo adhuc diſſertius, copioſiusque percipiemus capite ſequenti, de acciſo per Chriſtum diaboli regno, maliſque omnibus facile explodendis artibus. „Eam ob cauſam (ſunt S. BASILII, in homilia *Quod Deus non ſit auctor peccati*, verba n. 10.) *& Dominus ſatanam vidit ſicut fulgur de cælo cadentem*: hoc eſt, ex ſuo principatu prolapſum, & in imis iacentem; ut ab iis, qui in Chriſto ſpem poſuere, conculcetur. Nimirum *Dedit diſcipulis ſuis virtutem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici.* Proinde cum flagitioſa eius tyrannis eiecta ſit, locusque terræ circumiacens mundatus ſit, per ſalutarem paſſionem illius, qui pacificavit, quæ ſunt ſuper terram, & quæ in cœlis, tum demum regnum cœlorum nobis prædicatur.“ S. HIERONYMUS in illud *Iſaiæ* XLIV. 25. *Ego ſum Dominus faciens omnia: extendens cælos ſolus: ſtabiliens terram & nullus mecum. Irrita faciens ſigna divinorum, & hariolos in furorem vertens*, commentans: „In ſtabilitate quoque (inquit) terræ, quando illius fundamenta ſolidabat, nullus erat cum Deo, præter eum, qui erat in eo. Iſte igitur tantus ac talis, quum præfiniti myſterii tempus advenerit, ut cuncta idola deſtruantur, & Dei ſolius notitia prædicetur in mundo, omnia vaticinia divino-

rum

Margin notes: T. II. n. 30. p. 104. — T. II. p. 82.

Digitized by Google

rum, & pythonum & hariolorum ſigna, atque portenta, quibus humanum deceperunt genus, deſtruet atque ſubvertet."

XLVII. Eſt hoc, quod conſtanter opponunt, qui contra gentilitias ſuperſtitiones, idololatricasque abominationes pro Chriſtianæ religionis veritate ſanctitateque pugnarunt ab ineunte eccleſiæ ætate, editis primum apologiis a IUSTINO M. Is itaque utraque apologia nativitatem verbi divini exponens, brevi ſecundo loco hac rem complexus eſt ſententia: *Nam & homo factus eſt, ut antea diximus, de Dei & Patris voluntate partu editus pro credentibus hominibus ad dæmonum everſionem.* Viciſſim vero S. IRENÆUS in libris contra *de hæreſ.* hæreticos eos paſſim inſectatur, qui SIMONEM magum ſecuti magicis etiam ſuperſtitionibus fuerunt dediti MENANDER, MARCUS, SATURNINUS, BASILIDES, CARPOCRATES, eos nil niſi ludificare præſtigiis & impoſturis oſtendens, uti inter alios etiam CLEMENS *Alexandrinus* alibi contra pſeudognoſticos illos perinde ac gentiles, ſpeciatim vero in exhortatione ad gentes demonſtrat, TERTULLIANUS autem in apologetico contra gentes cap. 23. In libro de anima c. 57. ſic veluti ex communi ſententia definit magiam. „Quid ergo dicemus magiam? quod omnes pæne, fallaciam. Sed ratio fallaciæ ſolos non fugit Chriſtianos, qui ſpiritualia nequitiæ non quidem ſocia conſcientia, ſed inimica ſcientia novimus, nec invitatoria operatione, ſed expugnatoria dominatione tractamus: multiformem luem mentis humanæ, totius erroris artificem, ſalutis pariter animæque vaſtatricem ſcientiam magiæ; ſecundæ ſcilicet idololatriæ." Et S. CYPRIANUS *de idolorum vanitate*, „Horum autem omnium (inquit) ratio eſt illa, quæ fallit & decipit, & præſtigiis cæcantibus veritatem, ſtultum & prodigum vulgus inducit. Spiritus inſinceri & vagi, qui poſteaquam terrenis vitiis immerſi ſunt, & a rigore cœleſti terreno contagio receſſerunt, non deſinunt perditi perdere, & depravati errorem pravitatis infundere . . . Hi afflatu ſuo vatum pectora inſpirant, extorum fibras animant, avium volatus gubernant, ſortes regunt, oracula efficiunt, falſa veris ſemper involvunt. Nam & falluntur & fallunt, vitam turbant, ſomnos inquietant. Irrepentes etiam in corporibus mentes terrent, membra diſtorquent, valetudinem frangunt, morbos laceſſunt, ut ad ſui cultum cogant &c."

Eiusque demonſtrata fallacia.

p. 57 ſeq.

pag 93.

p. 305.

pag. 10.

Ad S. ATHANASII inſigne de incarnatione Verbi opus iam provocavimus, pluraque deinceps opportune ad præſens argumentum colligemus de deſtructo per Chriſtum diaboli regno detectisque fallaciis, quibus *prius quidem*, verba eius recito, *hominibus dæmones phantaſiis variis illudebant, fontes aut flumina, aut ligna aut lapides præoccupantes, atque ita præſtigiis*

Digitized by Google

giis inanibus fallebant ſtultos. Hac ac paullo ante allata ex S. Hieronymo auctoritate ſententiam ſuam inter alia firmant, qui magiæ omnem vim etiam ante Chriſtum demunt. Hos inter nuper ſingulari eruditione *de cultibus magicis eorumque perpetuo ad Eccleſiam & rempublicam habitu* libb. II. *Vindobonæ* edidit *Conſtantinus Fr. de* Cauz cum aliis in hoc a ſyſtemate ill. Maffei recedens, quod hic magiam ex Patrum traditione ante chriſti nativitatem extitiſſe, ac poſtea evanuiſſe contendat: ante Maffeium vero *Hier.* Tartarotti poſt *Io.* Weierum & alios a Cauzio citatos inter magos & ſagas diſtinguens, has non illos ſcelere abſolvit: adeoque etiam nunc magicam quamdam ope dæmonum obtinere artem admittit, definitque cognitionem rerum ſuperſtitioſarum, ut verborum, verſuum, characterum, imaginum, ſignorum aliarumque cerimoniarum, quibus mediantibus magus intentum obtineat; non quod hæ natura ſua aptæ ſint natæ effectum talem producere, ſed virtute pacti vel expreſſi aut taciti cum dæmonio. In apologia nihilominus huius libri declarat, ſe per iſta expreſſa vel tacita pacta nihil aliud intendiſſe exprimere, quam veram familiaritatem, aſſiſtentiam cooperationem dæmonum. Redit tamen ad pactorum doctrinam in eadem apologia, ut iam modo laudatus Cauzius notavit, ſyſtemaque hoc pactorum ad rationis & hiſtoriæ trutinam revocat lib. I. c. 5. a. Copioſius adhuc P. *Iordanus* Simon *Auguſtinianus*, lib. I. c. 4. & ſequentibus.

L. I. c. 2. n. 58. p. 59.

Congr. noct. lib. II. c. 13. §. 2.

a

Ac impia ſuperſtitio.

XLVIII. Capite octavo quidem, dum ad ritus eccleſiæ monumentaque liturgica provocat, tum ab aliis, cum etiam a Ven. Thomasio edita, haud ſcio an attenderit ad eam, quam paullo ante ex eodem Thomasio retulimus *Benedictionem aquæ exorciz. ad fulgura*, quæ extat in noviſſ. ed. Vezzosii T. VI. p. 211. *ad effugandos erraticos ſpiritus, omnemque vim diaboli pellendam, & omnes figuras & minas phantaſmatis ſatanæ exterminandas.* Ubi equidem haud contentioſe verba *& omnes figuras* de ſignis magicis accipiam, quæ tum alibi ex SS. Patribus, cum paullo ante ex S. Athanasio & Hieronymo notavi: quique in vita S. Hilarionis eorundem uſum magicum deſcribit, iuvenem memorans virginem Dei depereuntem: „Qui cum frequenter tactu, iocis, nutibus, ſibilis, & cæteris huiusmodi, quæ ſolent morituræ virginitatis eſſe principia, nihil profeciſſet, perrexit *Memphim*, ut confeſſo vulnere ſuo, magicis artibus rediret armatus ad virginem. Igitur poſt annum doctus ab *Aeſculapii* vatibus, non remediantis animas, ſed perdentis, venit præſumtum animo ſtuprum geſtiens, & ſuper limen puellæ portenta quædam verborum, & portentoſas figuras ſculptas in æris *Cyprii* lamina defodit. Illico

T. IV. p. 80.

a) Die Nicktigkeit der Hexerey und Zauberkunſt in zweyen Büchern entworfen von *Ardoino Ubidente* dell' Osa.

Digitized by Google

Illico inſanire virgo & amictu capitis abiecto, rotare crinem, ſtridere dentibus, inclamare nomen adoleſcentis. Magnitudo quippe amoris ſe in furorem verterat. Perducta ergo a parentibus ad monaſterium ſeni traditur: ululante ſtatim & confitente dæmone &c." Et mox: „Noluit autem Sanctus antequam purgaret virginem, vel adoleſcentem ſigna iubere perquiri: ne aut ſolitis incantationibus receſſiſſe dæmon videretur, aut ipſe ſermoni eius accommodaſſe fidem: aſſerens fallaces eſſe dæmones, & ad ſimulandum eſſe callidos; & magis reddita ſanitate increpuit virginem, cur feciſſet talia, per quæ dæmon intrare potuiſſet." Ita vero cautos reddere homines, atque abſterrere, ne talia faciant, *per quæ dæmon intrare*, iuſtoque Dei iudicio infeſtare permittatur in corpore vel anima, ſuperſtitioſum plane non fuerit.

Neque vero ita patrocinari volumus fabulis ac næniis, quæ vulgo circumferuntur de vi huiusmodi ſignorum, aut etiam pacti magorum, vel ſagarum cum dæmone. Quis enim in animum ſibi inducat, Deum permiſſurum, ut ad lubitum nebulonis cuiusque, perditæ, ac deliræ anus generi humano quævis inferantur damna, ac cumulentur maleficia, rerum ordo perturbetur, ac quodammodo miracula fiant? atque id quidem ex condicto & pacto, quo dæmones ſtringantur ſeſeque obligent hominibus ad nutum præſto eſſe, atque operam ſuam collocare pro cuiusque libidine, prout feruntur innumera præſtigiarum genera ſpecioſo artium magicarum titulo.

Sæpe in hoc argumentum excurrit S. AUGUSTINUS præſertim in grandi opere *de Civitate Dei* contra paganos pro inſtituti ratione: *Cum ſint*, ut id libr. II. *Retractat.* c. 43. explicat, *de utraque (quarum eſt una Dei, altera huius mundi) conſcripti, titulum tamen a meliore acceperunt, ut de civitate Dei potius vocarentur.* Speciatim lib. VIII. c. 19. inſcribitur *de impietate artis magicæ, quæ patrocinio nititur ſpirituum malignorum*: libro II. de doct. chriſt. poſtquam cap. 20. ſuperſtitioſum eſſe definiſſet, *quidquid inſtitutum eſt ab hominibus ad facienda & colenda idola. . vel ad conſultationes & pacta quædam ſignificationum cum dæmonibus placita atque fœderata, qualia ſunt molimina magicarum artium*, univerſim poſtea concludens c. 23. „Omnes igitur (inquit) artes huiusmodi vel nugatoriæ vel noxiæ ſuperſtitionis ex quadam peſtifera ſocietate hominum & dæmonum, quaſi pacta quædam infidelis & doloſæ amicitiæ conſtituta penitus ſunt repudianda & fugienda chriſtiano: *non quod idolum ſit aliquid*, ait apoſtolus, *ſed quia, quæ immolant, dæmoniis immolant, & non Deo: nolo autem vos ſocios dæmoniorum fieri.* Quod autem de idolis & de immolationibus, quæ honori eorum exhibentur, dixit apoſtolus,

T. III. p. 31.

N 36. p. 33.

lus. hoc de omnibus imaginariis ſignis ſentiendum eſt, quæ vel ad cultum idolorum vel ad creaturam eiusque partes tamquam Deum colendas trahunt, vel ad remediorum aliarumque obſervationum curam pertinent, quæ non ſunt divinitus ad dilectionem Dei & proximi tamquam publice conſtituta, ſed per privatas appetitiones rerum temporalium corda diſſipant miſerorum. In omnibus ergo iſtis doctrinis ſocietas dæmoniorum formidanda atque vitanda eſt, qui nihil cum principe ſuo diabolo niſi reditum noſtrum claudere atque obſerare conatur.“

Vid. Cauz de Cult. mag. lib. I c. 5. Matth. 4, 8. Luc. 4, 6.

Adhuc ſequenti capite 24. deſcribitur pernicioſa eiusmodi dæmonum ſocietas, ſeu pactum, quale quidem cum Chriſto inire tentavit, ceu contractum *do, ut facias*; ſunt vero qui putent, primum a Cæsario *Heiſterbacenſi* ex vulgi opinione tale commercium in lucem prolatum fuiſſe in libris illuſtrium miraculorum & hiſtoriarum memorabilium an. 1227. editis. Facile equidem tribuo, rem omnem magicam, atque præſtigias diaboli innumeris eſſe commentis ac impoſturis infartas, quæ a ſcriptoribus medii ævi popularibusque næniis poſteritati ad noſtra uſque tempora ſunt transmiſſa, propemodum memoriam fugiente ſaluberima illa Concilii *Turonenſis* III. lege anno 813. ſub Carolo M. eius etiam Capitularibus inferta, hac ſententia: „Admoneant ſacerdotes fideles populos, ut noverint magicas artes, incantationesque, quibuslibet infirmitatibus hominum nihil poſſe remedii conferre: non animalibus lanquentibus, claudicantibusque vel etiam moribundis quidquam mederi: non ligaturas oſſium, vel herbarum cuiquam mortalium adhibitas prodeſſe: ſed hæc eſſe laqueos & inſidias antiqui hoſtis, quibus ille perfidus genus humanum decipere nititur.“

T. VII. Conc. edit. Labb. pag. 1268.

Optarim, tum Cæsarium *Heiſterbacenſem*, cum etiam ſupparem Vincentium *Bellovacenſem* in *ſpeculo hiſtoriali*, atque ad finem eiusdem adhuc ſæculi *Iacobum de* Voragine in hiſtor. *Longobard.* quæ perinde ac aſinus aureus legendæ aureæ nomen commerita eſt, vellem, inquam, ut hi aliique nugivenduli Ioannem potius *Sarisberienſem* paullo ſuperiorem, ſæculi nimirum duodecimi ſcriptorem, eſſent ſecuti, qui lib. II. *de nugis curialium* cap. 27. hanc picem tangens mox in ipſo procemio *de aruſpicibus*, inquit, *auguribus, ſalliſatoribus, ariolis, pytbaricis, aruſpicibus & aliis, quorum præ multitudine tædioſa eſt enumeratio, productiorem ſermonem texere, cum nemo iam progrediatur in lucem, ſed in latibulis, ſi quis eſt, exerceat opera tenebrarum, ſupervacaneum eſt.*

Quod conſilium præſenti in argumento ſequi eo promtius eſt, quod in antiquitatibus eccleſiaſticis monumentisque liturgicis haud notentur eiusmodi portenta ſuperſtitionum, ac operationum magicarum, quas ſequior demum produxit, effinxitque ætas fallacia ludificationeque diaboli ad irre-

tien-

Digitized by Google

tiendas animas eorum ex infima fece hominum, qui nec rationem, nec religionem in conſilium vocare didicerunt, ſtupidi, obcæcati animo, & ſui ſimilibus impie imponunt, & ipſi decipiuntur, atque ab hoſte humani generis in errorem, ſuperſtitionem, idololatriam abducuntur, iure quidem luendam ob enormitatem ſceleris deſignati perverſitate mentis miſere deluſæ, atque in ſuam delirantis perniciem, inſanientisque.

XLIX. Quæ cum ita ſint, cui mirum videatur, ſolas mulierculas, quas ſagas ſeu ſtriges nominant, ita a dæmone dementari, ut nocturnis horis, dum nempe ſomniant, neſcio quos congreſſus agant per aerem ad conditum in furca translatæ locum. Quod rotunde ac recte *Frid.* Hoffmannus conſiliarius regis quondam *Boruſſiæ* intimus & archiater celebratiſſimus in ſupra laudata diſſert. *de diaboli potentia in corpora* §. 6. negat, in diaboli poteſtate eſſe poſitum, cum eſſet hoc verum miraculum: quale quidem a bonis angelis ope divina patratum alterum ex vet. teſtam. in propheta Habacuc, alterum ex novo in Philippo iam ſupra memoravimus; abſit autem, ut virtuti cacædomonis ac potentiæ ceu ſupernaturali tribuamus, quod anili imaginatione vel ſuapte vel diaboli ope in ſomnio fit; quod nempe (ut verbis concilii cuiusdam, quod apud Gratianum emendatum *Anquirenſe* dicitur, perperam autem apud Burchardum & Ivonem *Ancyranum* appellatur, utar) „quædam ſceleratæ mulieres retro poſt ſatanam converſæ dæmonum illuſionibus & phantaſmatibus ſeductæ credunt, & profitentur ſe nocturnis horis cum *Diana* dea paganorum, vel cum Herodiade, & innumera multitudine mulierum equitare ſuper quasdam beſtias, & multarum terrarum ſpatia intempeſtæ noctis ſilentio pertranſire, eiusque iuſſionibus velut dominæ obedire, & certis noctibus ad eius ſervitium evocari.“ Cum certa epocha huius concilii, cuius alias acta nulla habentur, ſtatui nequeat, nihil etiam quoad tempus definiri poteſt.

Strigum ludibria.

Conſ. XXVI. q. 5. c. 12.

Ab ovo, malo ſcilicet mali corvi, rem repetit Cauzius de cultibus magicis lib. I. c. 3. quomodo ſcilicet igne ferroque in ſagas ſemper animadverſum a *Romanis*, *Francis* & *Longobardis*. Teſte annaliſta *Corbeienſi* ad an. 914. *Multæ ſagæ combuſtæ ſunt in territorio noſtro.* Id quod proxima adhuc ætate quisque fere chroniſta de ſua patria, uti quidem egomet de mea, dicere ac merito ingemiſcere potuiſſet. Viderint hoc alii, ad meum vero nunc inſtitutum pertinet canon in Pœnitentiali lib. XIX. eiuſcemodi. „Credidiſti, quod multæ mulieres retro ſatanam converſæ, credunt & affirmant verum eſſe, ut credas in quiete noctis ſilentio, cum te collocaveris in lecto tuo & marito tuo in ſinu tuo iacente te, cum corporea ſis, ianuis clauſis exire poſſe, & terrarum ſpacia

Digitized by Google

cum aliis ſimili errore deceptis pertranſire valere, & homines baptizatos, & Chriſti ſanguine redemtos, ſine armis viſibilibus interficere, & decoctis carnibus eorum vos comedere, & in locum cordis eorum ſtramen aut lignum, aut aliquid huiusmodi ponere & comeſtis iterum vivos facere, & inducias vivendi dare. Si credidiſti quadraginta dies, id eſt carrinam in pane & aqua cum ſeptem ſequentibus annis pœniteas."

Ex his vero palam fit, fruſtra a nonnemine venditari, qui raptus dæmoniacos poſt SIMONEM magum (ut fertur magno quidem veterum, fide pſeudoclementinarum potiſſimum, conſenſu) in ſcenam produxerit, fuiſſe Cæſarium *Heiſterbacenſem*. Minus tamen nocue is literis tantum commiſit fabulas cum aliis promiſcue uſque ad finem fere ſæculi decimi quinti, quo mitius iudicari cœpit de ſagis ab auctoribus, quos adiunxit operi ſuo de præſtigiis dæmonum *Io.* WEIERUS paullo ſupra laudatus de diſcrimine magos inter & ſagas paullatim ingruente; cum non ita multo ante, vergente iam eodem decimo quinto ſæculo, in *Germania* noſtra etiam ad tribunal Inquiſitionis vocarentur cum cæteris magis ſagæ, ut oſtendit *Paul. Ioſ.* a RIEGGER in diſſert. *de Magia* §. 36. Additque poſtea §. 55: non ita pridem in vicinia noſtra puellam magiæ accuſatam, ac ſponte etiam quidem eſſe conſeſſam, quæ tamen poſtea opera medicorum ex morbo hypochondriaco, & paſſionibus hyſtericis ad ſanam mentem eſt revocata.

Vid. dell' Oſa lib. II. c. 4.

Somnia.

L. Quidquid vero demum diabolicum hic intercedere queat, meras eſſe illuſiones dudum laudata iam apud GRATIANUM ſynodus agnovit, atque *ſacerdotes per eccleſias ſibi commiſſas populo Dei omni inſtantia prædicare voluit, a maligno ſpiritu talia phantaſmata mentibus fidelium irrogari. Si quidem ipſe ſatanas transfigurat ſe in angelum lucis, cum mentem cuiuscunque muliérculæ ceperit, & hanc ſibi per infidelitatem ſubiugaverit, illico transformat ſe in diverſarum ſpecies perſonarum, atque ſimilitudines; & menten, quam captivam tenet, in ſomniis deludens, modo læta, modo triſtia, modo cognitas modo incognitas perſonas oſtendens per devia quæque deducit: & cum ſolus ſpiritus hæc patitur, infidelis mens non in animo ſed in corpore evenire opinatur. Quis enim non in ſomniis & nocturnis viſionibus extra ſe educitur, & multa videt dormiendo, quæ nunquam viderat vigilando? Quis vero tam ſtultus & hebes ſit, qui hæc omnia, quæ in ſolo ſpiritu fiunt, etiam in corpore accidere arbitretur?*

S. GREGORIUS lib. IV. Dial. c. 48. *an ſervanda ſint ſomnia, & quot ſint modi ſomniorum?* ſex omnino diſtinguit genera ſomniorum

quatuor

Digitized by Google

quatuor autem non proletaria ex ſacra ſcriptura deducens: „Somnia ete- *T. II. p. 458.*
nim (inquit) niſi plerumque ab occulto hoſte per illuſionem fierent,
nequaquam hoc vir ſapiens indicaret, dicens: *Multos enim errare ſe-* *Eccle.* 34,7.
cerunt ſomnia, & exciderunt ſperantes in illis. Vel certe, *Non augu-*
rabimini, nec obſervabitis ſomnia. Quibus profecto verbis cuius ſint de *Levit.* 19,
teſtationis, oſtenditur, quæ auguriis coniunguntur. Rurſum niſi aliquan- 26.
do ex cogitatione ſimul & illuſione procederent, vir ſapiens minime di-
xiſſet: *Multas curas ſequuntur ſomnia.* Et niſi aliquando ſomnia ex my- *Eccle.* 5,15.
ſterio revelationis orirentur, nec IOSEPH præferendum ſe fratribus vi-
deret; nec ſponſum MARIÆ, ut ablato puero in *Ægyptum* fugeret, per
ſomnium angelus admoneret. Rurſum niſi aliquando ex cogitatione ſi-
mul & revelatione procederent, nequaquam DANIEL propheta, NABUCHO- *Dan.* 2, 29.
DONOSOR viſionem diſſerens, a radice cogitationis inchoaſſet &c."

LI. S. AUGUSTINUS lib. XVIII. *de Civit. Dei* cap. 18. inquirens, *quid credendum ſit de transformationibus, quæ arte dæmonum hominibus videntur accidere*, etſi ad allata quædam exempla hærere videatur, ad id, *quod forte dæmones ex permiſſione Dei operentur ſecundum naturæ ſuæ potentiam*, addit: „Nec ſane dæmones naturas creant, ſi aliquid tale faciunt, de qualibus factis iſta vertitur quæſtio; ſed ſpecietenus, quæ a vero Deo ſunt creata, commutant, ut videantur eſſe, quod non ſunt. Non itaque ſolum animum, ſed nec corpus quidem ulla ratione crediderim dæmonum arte vel poteſtate in membra & lineamenta beſtialia veraciter poſſe converti; ſed phantaſticum hominis, quod etiam cogitando ſive ſomniando per rerum innumerabilia genera variatur, & cum corpus non ſit, corporum tamen ſimiles mira celeritate formas capit, ſopitis aut oppreſſis corporeis hominis ſenſibus, ad aliorum ſenſum neſcio quo ineffabili modo figura corporea poſſet perduci &c." Recenſet deinceps: quæ accidiſſe in fabulis narrentur metamorphoſes. *Neque enim ex eius ſententia dæmonibus iudicio Dei permiſſis huiusmodi præſtigia difficiles eſſe potuerunt.* Multa eam in rem in libello *Rhabani* MAURI *de magorum præſtigiis* accumulantur ex ipſo S. AUGUSTINO & ISIDORO unde non pauca a GRATIANO in ſuum decretum ſunt translata iam citata cauſa XXVI. q. 2. quæ etiam BURCHARDUS citat ex dictis S. AUGUSTINI.

Phantaſticæ metamorphoſes. *T. VII. pag.* 501.

pag. 502.

Nos vero poſt evangeliſtas, quomodo Chriſtus a diabolo tentatus ſit, narrantes, ſupra varias dæmonum apparitiones recenſuimus, factas viris ſanctiſſimis MARTINO, MACARIO, ANTONIO, qui ſuos etiam de iisdem cautos reddit in ſæpe laudata oratione ad monachos circa illas præſertim, quibus ſe, ut vidimus, transfigurat in angelum lucis, ut certis criteriis cœ-

Digitized by Google

T. IV. Bibl. PP. p. 646. &c. leſtes viſiones ab illuſionibus diabolicis diſcernere poſſint. „Malorum vero (inquit) incurſus & phantaſia, cum tumultu, ſtrepitu, ſono & clamore obvenit: qualis exempli cauſa fuerit illiberalium adoleſcentium vel latronum tumultus. Unde exoritur animi pavor, turbatio & confuſio cogitationum, triſtitia, aſcetarum odium, incuria, mœror animi, cognatorum recordatio, formido mortis, ac demum concupiſcentia malarum rerum, animus ad virtutem remiſſus, inordinati mores. Cum itaque quibusdam conſpectis, timore corrripiemini, ſi ſtatim timor auferatur, & eius loco mox conſequatur ineffabile gaudium, alacritas, fiducia, animi recreatio, cogitationum tranquillitas, & quæcunque alia ſuperius dicta ſunt, robur animi item, & Dei amor; confidite & orate: gaudium enim & ille animæ ſtatus, præſentis ſanctitatem indicat. Sic Abraham *Dominum videns exultavit*: ſic Ioannes edita a Deipara Maria voce exſultavit gaudens. Quodſi quibusdam apparentibus, tumultus fiat, externus ſtrepitus, mundanus apparatus, metus mortis & quæ ſuperius dixi; ſcitote malorum eſſe adventum. Et hoc item vobis indicio ſit, ſi anima timida perſeveret, inimicorum eſt præſentia, nequaquam enim dæmones metum auferunt, ut præſtitit magnus archangelus Gabriel Mariæ & Zachariæ, & qui in monumento apparuit mulieribus; quin potius ſi reformidantes cernant, phantaſias adaugent, maiorem ut incutiant terrorem, atque adorti demum irrideant dicentes, proſtrati adorate. Ita gentiles deceperunt: ſic ab illis falſe dii habiti ſunt. Nos vero Dominus non ſivit a diabolo circumveniri, cum ſimilibus phantaſiis ſe aggredientem increpavit his verbis: *Vade retro me, ſatana*; *ſcriptum eſt enim, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Quapropter magis magisque verſipellis iſte deſpiciatur a nobis. Quod enim illi hoc Dominus dixit, id noſtri cauſa factum eſt: ut has voces a nobis item audientes dæmones evertantur, propter Dominum, qui eos ipſis increpavit.“

An meris nobis dæmones illudant præſtigiis.

LII. S. Macarius aliud attingit præſtigiarum genus, quod late etiam patet, neque uno tantum modo opinionem vulgi hodieque ſuperſtitioſe detinet, tamque gravibus ſæpe magicas profeſſos ſuperſtitiones implicat peccatis, quam inanibus deludit fallaciis. S. Macarius autem ab ovo rem repetens, dum dominatu ſuo protoparentem noſtrum omnium viſibilium excidiſſe, ac prodidiſſe deceptori diabolo, memorat: „Propter quam cauſam (inquit) magi & præſtigiatores, & per adverſariam efficaciam mira, Deo ſic permittente, operantur, venenatis dominantes beſtiis, ignemque, & aquas ſine noxa ſubeuntes, ut Iannes & Mambres adverſarii Moſis: ut Simon principi apoſtolorum Petro ſe ſe auſus eſt opponere.“

De patientia & diſcretione c. 3. T. II. p. 52.

Mens

Mens mihi hic non eſt, nec inſtitutum diſcutere, quæ a Deo dæmon agere nonnunquam permiſſus ſit, aut permittatur, vel reipſa, vel ludificatione ſenſuum, deceptioneque hominum fabulis aut ſuperſtitioni nimis deditorum: S. Gregorius lib. II. Dial. c. 9. de ingenti ſaxo per viri Dei (S. Benedicti) orationem levato narrat, quadam die, dum fratres (S. Benedicti nempe monachi) in ædificanda cella monaſterii eſſent occupati, lapidem ita immobilem fuiſſe, *ut palam daretur intelligi, quod ſuper eum ipſe per ſe antiquus hoſtis ſederet, quem tantorum virorum manus movere non poſſent.* Mox vero caput ſequens de phantaſtico coquinæ igne inſcriptum meram diaboli illuſionem ob oculos ponit. „Tunc (verba ſunt S. Gregorii) in conſpectu viri Dei placuit, ut in eodem loco terram foderent. Quam dum fodiendo altius penetrarent, æreum illic idolum fratres invenerunt. Quo ad horam caſu in coquinam proiecto, exire ignis repente viſus eſt, atque in cunctorum oculis, quia omne eiusdem coquinæ ædificium conſumeretur, oſtendit. Cumque iaciendo aquam & ignem quaſi extinguendo perſtreperent, pulſatus eodem tumultu vir Dei advenit. Qui eundem ignem in oculis fratrum eſſe, in ſuis vero non eſſe conſiderans, caput protinus in orationem flexit, & eos, quos phantaſtico reperit igne deludi, revocavit fratres, ut oculos ſuos ſignarent, monuit, ut & ſanum illud coquinæ ædificium cernerent, & flammas, quas antiquus hoſtis finxerat, non viderent.“ *T. II. p. 234.* *Ib.*

At res phantaſtica non fuit, quam mox idem c. 11. narrat de puerulo monacho parietis ruina confracto, S. Benedicti autem oratione ſanato. „Cui (nempe in oratione conſtituto) antiquus hoſtis inſultans apparuit, & ei quod ad laborantes fratres pergeret indicavit. Quod vir Dei per nuntium celerrime fratribus indicavit dicens: *Fratres caute vos agite, quia ad vos hac hora malignus ſpiritus venit.* Is, qui mandatum detulit, vix verba compleverat & malignus ſpiritus eundem parietem, qui ædificabatur, evertit, atque unum puerulum monachum cuiusdem curialis filium opprimens ruina contrivit.“

En diverſi generis illuſiones, operationesque dæmoniacas, quas dum omnes iam illudunt multi, & ad chimeras relegant, utinam non incurios facerent homines, dum viri ſanctiſſimi, ut vidimus, ab iis cautos reddunt. Non equidem diffiteor nimium progreſſam credulitatem vulgi, ac plerorumque ſuperſtitionem, ut dæmonum virtuti, operationique multa tribuerent, quæ eorum ſphæram activitatis excedunt, nimisque amplam ac irreſtrictam dæmonibus graſſandi infeſtandique humanum genus conceſſam eſſe multis ſæculis facultatem; removendus autem exceſſus utrinque, neque ultra vires cuiusque rei creatæ dæmonibus aliquid in rebus natu-

Digitized by Google

naturalibus concedendum, neque contra nihil unquam ab eis Dei permiſſione funeſti accidere, eſt aſſeverandum.

Facile explodimus cum HOFFMANNO ſæpe citato, quidquid multi iactant de diaboli potentia in corpora §. 11. de cuti impenetrabili, ipſisque gladiis & globulis obluctante: item quod gladii aciem præſens diabolus obtundere ac recurvare, & globulos ad cutem protuſos repellere poſſe paſſim venditant. Largimur item in aliis etiam effectibus ſingularibus naturales perſæpe ſubeſſe cauſas, dum magica protenditur ars ac virtus diabolica; at nihil unquam a Chriſti adventu opera dæmonis mali hominibus etiam Chriſtianis accidiſſe, nec præſtigias quidem & faſcinationes, conſenſui omnium ſæculorum adverſatur, homineſque avocat, ne contra inſidias diaboli ea adhibeant præſidia, quæ nobis vera in Chriſtum fides ſuppeditat, ac ſemper in eccleſia ſalutaria ſunt habita, & fidelibus hominibus etiam doctiſſimis, ſanctiſſimisque credita, & uſitata, dum viciſſim ab eccleſia abuſus & ſuperſtitio, phantaſiæ ac imaginationes delirantium itemque inania ſomnia, ſunt reprobata: veluti in capitulis HERARDI *Turonenſis* an. 858. *de maleficis, incantatoribus, divinis, ſortilegis, ſomniariis tempeſtiariis, & brevibus pro frigoribus, & de mulieribus veneficis, & quæ diverſa fingunt portenta, ut prohibeantur, & publicæ pœnitentiæ multentur.*

Cap. 3. T. VIII. conc. p. 628.

Maleficia in corpore humano & alibi.

LIII. Etſi vero maleficorum maleficiorumque generale ſit nomen, ad ea omnia adhiberi ſolitum, quibus opera dæmonum mala quædam inferuntur nobis aut rebus noſtris, peculiariter tamen etiam pro ſignis magicis ſupra ex SS. PP. memoratis, deque illis rebus accipitur, quæ paſſim ex corpore humano prodire cernuntur, ſive id faſcinatione quadam, ſive phantaſiæ perturbatione contingat, quæ nunc non paucorum eſt ſententia, quam tamen reiicit ſæpe citatus HOFFMANNUS aſſerens, quod adſint corpora vera, quæ immenſos cruciatus pariant, cuiusmodi exempla affert, ipſeque *Io.* WEIERUS, *de præſtigiis dæmonum* lib. IV. c. 2. & 9. etſi omnia hiſtrionicæ potius ludificationi tribuat: quod quidem facile eſt dictu, probatu autem non item, in tanta factorum varietate, diverſitateque rerum ex humano corpore prodeuntium, aut etiam poſt mortem repertarum, quæ huiusmodi ſunt, ut generari, quæ aliorum recentiorum eſt ſententia, in humano corpore haud potuiſſent clavi e. g. cultra, ligna, ferra, vitra, aliaque, quæ WEIERO addit HOFFMANNUS, probatosque citat auctores, qui hiſtorias accuratiſſime deſcriptas collegerint cum omnibus circumſtantiis, tot teſtibus fide dignis, quibus multa alia recentiora adhuc addi poſſent multorum relatione; quæ tamen licet ſilentio

De diaboli potentia in corpora §. 24. & 25.

præ-

Digitized by Google

præterire, quod *monumenta* noſtra *liturgica* perinde ſileant; ut de aliis etiam iam annotavit P. *Iordan* Simon, expenditque notam, quæ in rituali *Romano de exorcizandis obſeſſis a dæmonio* habetur his ad rem præſentem verbis: „Aliqui oſtendunt factum maleficium, & a quibus ſit factum, & modum ad illud diſſipandum: ſed caveat, ne ob hoc ad magos, vel ad ſagas, vel ad alios, quam ad Eccleſiæ miniſtros confugiat, aut ulla ſuperſtitione, aut alio modo illicito utatur.“ Quæ tamen cautio nihil mihi adeo aſſerti de magicis operationibus habere videtur; certe vulgi opinionibus ſuperſtitionibusque, quas cum aliis plerisque iam explodimus, non patrocinantur, perinde ac ea, quæ paullo poſt de maleficiis, de quibus nunc agimus dicuntur: „Dum exorcizat (utatur) ſacræ ſcripturæ verbis potius, quam ſuis, aut alienis. Iubeatque dæmonem dicere, an detineatur in illo corpore ob aliquam operam magicam, aut malefica ſigna, vel inſtrumenta, quæ ſi obſeſſus ore ſumpſerit, evomat: vel ſi alibi extra corpus fuerint ea, revelet, & inventa comburantur.“

Lib. II. c. 6.
Rituale Rom. Pauli V. P. M. iuſſu edit. Venet. an. 1693. p. mihi 227.
Ib. p. 228.

LIV. Maleficio conciliandi amorem antiquiſſima habentur exempla in monumentis noſtris eccleſiaſticis, veluti in actis ſinceris ſanctorum Luciani & Marciani ex magis martyrum Chriſti ſub Decio an. 200. „Hi enim (ut eorum ordiuntur apud Ruinartum acta) cum in errore gentilitatis tenerentur, ita dæmonibus tum erant dediti, ut pæne omnem animam ad ſuam ſectam ſacrilegam perſuadentes adducerent. Nam & magicis artibus & maleficiis omnes coinquinabant adulteriis. Erant primi in ſubverſione auctores, in magicis veneficiis ſubverſores; ita ut omnes quærentes voluntates ſuas perficere, vel quibusdam nocere: ad eos concurrerent. Sed Deus, qui ingratis tribuit gratiam, & non cognoſcentes eum ad cognitionem nominis ſui perducere dignatus eſt, in iſtis oſtendit eſſe converſus (converſos). Famula quædam erat Dei caſta & fidelis, nuptias contemnens; forma ſpecioſa, & anima tamen pulcrior, non aliud niſi Deum diligebat: petebat autem nullo perſuadente, ſed perſeveranter, ut eam cuſtodire dignaretur. Lucianus & Marcianus hanc concupierunt; & cum non haberent, quo genere cupiditatis ſuæ impudicitiam obtinerent, converſi non aliter ſe niſi magicis dæmonicis ſuperantes hanc iudicaverunt, & maleficiis obtinere. Cum ergo omnia artibus ſuis oſtendiſſent, nihilque ſibi prodeſſe viderent; converſi in furias, fremebant quod in nullo poterant prævalere. Illa vero ſerviens Deo pernoctabat in vigiliis & oratione. At illi quædam magica phantaſmata facientes affligebant deos ſuos, ut eis reſponderent. Et dæmones eis reſponderunt: *Quascunque animas non cognoſcentes Deum, qui eſt in* *cælo*

Philtra.
Acta ſincera pag. mihi 165.

cœlo voluiſtis ſubvertere, invocantes nos, facillimum nobis fuit vobis præſtare. Sed quia ad hanc caſtiſſimam animam certamen nobis eſt; multa quidem fecimus, ſed nihil potuimus proficere adverſus eam. Hæc vero virginitatem illibatam ſervat Iesu *Chriſto, Domino ſuo & Deo omnium, qui crucifixus eſt pro ſalute omnium: ipſe eam cuſtodit, & nos affligit.*" Exponitur deinceps hæc converſionis horum martyrum occaſio, uti etiam de S. Cypriano iisdem artibus miniſterio dæmonis ad corrumpendam S. Iustinam uſo, S. Gregorius *Naz.* orat. 18. Prudentius, Eudoxia teſte Photio cod. 184. aliique perhibent, qui non raro hunc cum S. Cypriano *Carthaginenſi* perperam confundunt. Varia item ad rem refert S. Epiphanius cum aliis de Iosepho *Iudæo*, tempore Constantini M.

Hæreſ. 30.

Theodoretus vero in hiſtoria religioſa in Palladio aliam narrat rem de muliere quadam ſtirpe illuſtri viro intemperanti iuncta, quæ „ad beatum virum venit, deplorans calamitatem ſuam. Aiebat enim pellici addictum magicis quibusdam præſtigiis fuiſſe incantatum, & odio habere ſe legitimo coniugio ſibi iunctam. Hæc autem ad atrienſem ianuam ſtans mulier dicebat. Ibi enim feminas alloqui ſolebat, neque ullam intra ianuam recepit unquam. Mulierem ergo eiulantem miſeratus, præſtigiarum vim precibus repreſſit, & allatum ab ea vaſculum olei divina invocatione ſanctificans, eo virum inungi iuſſit. Quod illa cum feciſſet, viri amorem in ſe transtulit, eique perſuaſit, ut illegitimo toro legitimum anteponeret." In antiquiſſima benedictione nuptiarum, quæ olim in ſacratiſſima liturgiæ parte poſt orationem dominicam fiebat, generatim rogatur: ut, *avertantur ab eis inimici omnes inſidiæ* iuxta ſacramentar. *Gelaſ.* lib. III. n. 53. Prolixiorem formulam eadem continentem (qualis hodie paſſim obtinet) in monum. liturg. ex ſacrament. *ſan-Gall.* dabimus, aliis recentioribus ſtudioſe prætermiſſis.

T. III. Opp. p. 818.

T. VI. Opp. V. Thomaſ. p. 196.

Teſte S. Gregorio M. lib. I. Dial. c. 4. Basilium magum, monachum ſimulantem, ſanctoque Equitio, qui viris & fœminis præfuit, a Castorio *Amiternina* civitatis epiſcopo commendatum ſtatim ut intuitus eſt vir ſanctus, in eo diabolum recognovit, ſuſcepit tamen inſtante epiſcopo. „Non poſt multos dies idem Dei famulus pro exhortandis ad deſideria ſuperna fidelibus, paullo longius a cella digreſſus eſt. Quo diſcedente contigit, ut in monaſterio virginum, in quo eiusdem Patris cura vigilabat, una earum, quæ iuxta carnis huius putredinem ſpecioſa videbatur, febricitare inciperet, & vehementer anxiari, magnisque iam non vocibus, ſed ſtridoribus clamare: *Modo moritura ſum, niſi* Basilius *monachus veniat, & ipſe mihi per ſuæ curationis ſtudium ſalutem reddat.* Sed in tanti Patris abſentia accedere quisquam monachorum in congregationem virginum non audebat; quanto minus ille qui novus advenerat, cuiusque

T. II. pag. 164. *ſeq.*

adhuc

adhuc vitam congregatio fratrum neſciebat. Miſſum repente eſt, & Dei famulo EQUITIO nuntiatum, quod ſanctimonialis illa immenſis febribus æſtuaret, & BASILII monachi viſitationem anxie quæreret. Quo audito vir ſanctus, dedignando ſubriſit, atque ait: *Numquid non dixi, quod diabolus eſſet iſte, non monachus? Ite & eum de cella expellite. De ancilla autem Dei, quæ anxietate febrium urgetur, nolite eſſe ſolliciti: quia ex hac hora neque febribus laboratura eſt, neque* BASILIUM *quæſitura.*" Studioſe prætereo, quæ in *Rhabani* MAURI epiſtola ad HERIBALDUM epiſc. *Altiſiodorenſem* c. 30. etiam a BURCHARDO & REGINONE relata in decreto deſcribuntur ſpurca philtra. Quid natura in philtris agat, medici diſquirunt.

LV. Amoribus ſociatur plerumque, utut ſuapte natura contraria, invidia ſeu livor, cui magnam vim ad nocendum olim tribuebant, cenſebantque ipſo afflatu & contagione maleficam & venenatam, uti PAMELIUS ad ſequentem TERTULLIANI locum de faſcino adnotat: „Nam eſt aliquid etiam apud ethnicos metuendum, quod faſcinum vocat, infeliciorem laudis & gloriæ enormioris eventum. Hoc nos interdum diabolo interpretamur: ipſius eſt enim boni odium." Cavebant autem a faſcino pueris infantibus imprimis, quod in ipſis etiam Chriſtianis reperit exprobrandum S. Io *Chryſoſtomus:* „Quid vero (inquit) & alia ridicula commemorem? Cinerem, fuliginem, & ſalem, & rurſus vetulam in medium productam? Revera ridiculum & dedecus. At oculis quisquam, inquis, faſcinavit puerum. Quousque ſatanica iſta? Quomodo non ſubſannabunt?" Patet hinc, cur concilium *Cabilonenſe* faſcinum ad incantationem quandam retulerit: *Si quis præcantaverit ad faſcinum, vel qualescunque præcantationes, excepto ſymbolo & oratione dominica: qui cantat, & cui cantatur, tres quadrageſimas in pane & aqua pœniteat.* Ad rem ſunt, quæ cap. ſeq. afferemus, ex cit. *ſan-Gall.* Sacram. *orat. ſuper aquam & ſal ad animalia.* Legi etiam poteſt GRETSERUS lib. IV. de cruce c. 44. quod inſcribitur *faſcinum ſigno crucis avertendum.*

Faſcinationes.

De Virginibus velandis c. 15. p. 181.

Hom VIII. *in c.* 3. *ad Coloſſ.*

Can. 5.

T. I. Opp. p. 997. *ſeq.*

LVI. His adiungi poſſunt, quæ idem poſt libros duos *de benedictionibus*, lib. III. *de maledictionibus* capite ſeptimo præſertim & octavo differit, ubi earum effectus refert a diabolo præſtitos, reſpondentes maledictionibus imprecationibusque eius nomine factis tum per alios, cum per ſeipſum etiam: cuius generis unum hic exempli & cautelæ loco ex S. GREGORII M. lib III. Dial. cap. 20. *de Stephano presbytero provinciæ Valeriæ, cui diabolus caligas e tibiis traxit*, recenſebo, prout rem a quibusdam *Qui*, inquit, *nunc nobiſcum ſunt*, teſtatam accepit: „Qui quadam die de itinere domum regreſſus, mancipio ſuo negligenter loquens præcepit, dicens: *Veni, diabole, diſcalcea me.* Ad cuius vocem cœperunt ſe caligarum corrigiæ in ſumma

Imprecationes.

T. V. P. II. p. 296. *ſeq.*

T. II. pag. 325.

Digitized by Google

velocitate diſſolvere, ut aperte conſtaret, quod ei ipſe, qui nominatus fuerat, ad extrahendas caligas diabolus obediſſet. Quod mox ut presbyter vidit, vehementer expavit, magnisque vocibus clamare cœpit, dicens: *Recede, miſer, recede: non enim tibi, ſed mancipio meo locutus ſum.* Ad cuius vocem protinus receſſit, & ita ut inventæ ſunt, magna iam ex parte diſſolutæ corrigiæ remanſerunt. Qua in re colligi poteſt, antiquus hoſtis, qui tam præſto eſt factis corporalibus, quam nimiis inſidiis, noſtris cogitationibus inſiſtat."

Neque vero ſuperſtitioſum fuerit, ſed pium ſane, atque etiam neceſſarium omnino, ut ſalutaris incutiatur timor, in tanta maledicendi, imprecandique conſuetudine, id genus maxime, quod ex S. Gregorio notavimus; quodque frequentiſſimum eſt in diaboli hoſtis noſtri irreconciliabilis nomine, ut quisque merito ſibi imputet, ſi ad nefanda, continuo inſidias ſtruens, vota adeſſe a Deo iuſto permittatur iudicio: quod enimvero niſi tanta foret temperatum benignitate, quot quæſo non detineret adverſarius noſter diabolus, qui *tanquam leo rugiens circuit, quærens, quem devoret!*

Incantationes, ligaturæ, philacteria.

LVII. Incantationum paſſim in ſcripturis veteris teſtamenti fit mentio, fuitque frequens, fato quodam ac piaculo primorum parentum, per ſerpentes, ut notatur pſal. LVII. Tertullianus *ad martyres* de diabolo *Fugiat*, inquit, *conſpectum veſtrum, & in ima ſua deliteſcat, contractus, & torpens, tanquam coluber excantatus aut effumigatus.* S. Augustinus de *Geneſi ad litteram* lib. XI. c. 28. de tentatione diaboli per ſerpentem quæſtionem movens, an ſerpens verba diaboli in ſe loquentis intellexerit? „Nam (addit) & quod putantur audire & intelligere ſerpentes verba *Marſorum*, ut eis incantantibus proſiliant plerumque de latebris, etiam illic diabolica vis operatur ad cognoſcendam ubique providentiam, quam rem cui rei naturali ordine ſubiiciat, & quid etiam voluntatibus malis ſapientiſſima poteſtate permittat, ut hoc magis habeat uſus, ſerpentes moveri carminibus hominum, quam ullum aliud genus animantium. Etiam hæc enim non parva teſtatio eſt, naturam primitus humanam ſerpentis ſeductam eſſe colloquio. Gaudent enim dæmones, hanc ſibi poteſtatem dari, ut ad incantationem hominum ſerpentes moveant, ut quolibet modo fallant, quos poſſunt. Hoc autem permittuntur ad primi facti memoriam commendandam, quod ſit eis quædam cum hoc genere familiaritas."

Cap. 2. p. 137.

T. III. pag. 288.

Genus hoc ſuperſtitionis chriſtianiſmum etiam invaſiſſe ex concilio *Carthag.* IV. an. 398. can. 89. conſtat, ubi decernitur, auguriis vel incantationibus ſervientem a conventu eccleſiæ ſeparandum. Addatur concilii

T. II. Conc. p. 1208.

cilii

cilii *Agathenſis* can. 68. &, quem iam ſupra attulimus, conc. *Turonenſis* III. can. 42. relatus in capitular. CAROLI M. & LUDOVICI *Pii*, itemque in decreto BURCHARDI, IVONIS, & GRATIANI cauſa XXVI. q. 7. cap. 15. S. AUGUSTINUS lib. II. de doctr. Chriſt. de ſuperſtitionibus & artibus magicis agens: „Ad hoc genus (inquit) pertinent omnes etiam ligaturæ, atque remedia, quæ medicorum quoque diſciplina condemnat, ſive in præcantationibus, ſive in quibusdam notis, quas characteres vocant, ſive quibusdam rebus ſuſpendendis, atque illigandis, vel etiam aptandis quodammodo non ad temperationem corporum, ſed ad quasdam ſignificationes aut occultas, aut etiam manifeſtas: quæ mitiore nomine phyſica vocant, ut quaſi non ſuperſtitione implicare, ſed natura prodeſſe videantur: ſicut ſunt inaures in ſummo aurium ſingularum, aut de ſtruthionum oſſibus anſulæ in digitis, aut cum dicitur tibi ſingultienti: dextra manu ſiniſtrum pollicem teneas.“ Ipſum clerum quibusdam ſuperſtitionibus olim infectum fuiſſe, eluceſcit ex Concilio *Laodiceno* c. 36. ſtatuente: *Quod non oporteat ſacris officiis deditos, vel clericos, magos, aut incantatores exiſtere, aut facere phylacteria, quæ animarum ſuarum vincula comprobantur. Eos autem, qui his utuntur, ab eccleſia pelli præcipimus.* Hoc tamen ſpecie quadam pietatis factum, ex laudato mox canone concilii *Cabilonenſis* colligitur. Id quod S. CHRYSOSTOMUS in amuletis & phylacteriis, quorum alias facit mentionem, non tulit: „Amuleta (inquit) etſi de iis millies philoſophentur, qui ex iis rem faciunt, dicentes: Deum invocamus, & nihil amplius facimus, chriſtiana & fidelis eſt mulier, & quæ ſunt eiusmodi, ea res eſt idololatria.“ Libro VIII. adverſus *Iudæos* chriſtianos vehementer inceſſit ad *Iudæos* recurrentes, ad IOBUM, paralyticum, & LAZARUM in evangelio provocans: „Haud tamen (ſubdit) quærebat incantatorem, non petala circumligavit, non expertus eſt præſtigias, non veneficos ad ſe vocavit, nec aliud quidquam vetitarum artium tentavit; ſed prius habuit illis immori malis, quam ulla ex parte deſerere pietatem. Quam igitur veniam nos impetrabimus, qui, cum illi in tantis malis perdurarint, ob febriculam, aut leve vulnus procurrimus ad ſynagogas, veneficos, ac impoſtores in ædes noſtras accerſimus?“ Et paullo poſt: „Itaque ne tantam nos provocemus iram. Etiamſi enim videantur aliqui febrem incantamentis ſedare, non enim vere eam ſedant: tamen aliam vehementiorem in conſcientiam inducunt febrem. . . . Hæc, ſtimulis quotidie pungens te ratio, flagellansque conſcientiam, dicet. Quæ igitur eſt hæc ſanitas, cum intus tam multas habeamus cogitationes accuſatrices? Quodſi perduraveris pauliſper, eosque qui vel incantationem aliquam canere voluerint, vel liga-

T. III. c. 20. p. 31.

T. I. Conc. p. 1513.

Hom VIII. in Ep. ad Coloſſ.

T. I. p. 682.

pag. 683 ſq.

ligamina applicare corpori, nihil feceris, multa etiam cum contumelia tuis ex ædibus eieceris, protinus ab ipſa conſcientia refrigerationem accipies. Etiamſi millies exurat febris; anima tua quovis liquore, quovis rore meliorem, utilioremque mitigationem adducet. Sicut enim poſtquam incantationem receperis ſanus licet, miſerius affectus es iis, qui febre laborant, dum tecum reputas peccati magnitudinem, ſic nunc quoque, etiamſi febricites, innumeraque patiaris mala; repulſis impiis illis, quovis ſano homine melius, mente exultante eris affectus, anima gaudente, & exhilarata, conſcientia laudante te, probante &c.“

Necromantia.

pag. 22.

LVIII. Tertullianus poſt varia ſuperſtitionum gentilium genera offuciasque dæmoniacas in apologetico capite 22. recenſita, caput mox ſequens de necromantia, qua mortui, dii manes evocabantur, umbræ & imagines reſponſa dabant, ſic orditur: „Porro ſi & magi phantaſmata edunt, & iam defunctorum infamant animas, ſi pueros in eloquium oraculi elidunt, ſi multa miracula circulatoriis præſtigiis ludunt, ſi & ſomnia immittunt, habentes ſemel invitatorum angelorum & dæmonum aſſiſtentem ſibi poteſtatem, per quos & capræ & menſæ divinare conſueverunt &c.“ S. Augustinus „ſive hydromantia (inquit) ſive necromantia id ipſum eſt, ubi videntur mortui divinare.“ Pertinet huc locus conſultationum Zachæi chriſtiani, & Apolonii philoſophi lib. I. c. 13. quo
a Zachæus chriſtianus Apolonio a) philoſopho miraculis chriſti magorum peritiores, qui & mortuos ſuſcitant, opponenti, ſic reſpondet: „Nec me præterit magicis carminibus non mortuorum, ſed dæmonum ſpiritus evocari, eosdemque per phantaſiam pauliſper ſimulare, quod non eſt: conditionem præterea addere falſitati, ut aut non viſi reſpondeant, aut ſi videntur, obticeant: ut imprudentium vota debilia umbrarum illudat effigies. Defunctorum autem animæ reſolutis corporibus ad ſedes debitas perducuntur, ac pro meritis usque ad futuri iudicii diem vel in locis beatorum morantur, & ſubiectæ magorum invocationibus non ſunt; aut quibusdam clauſæ carceribus venire ad ſuperna prohibentur: ita fit ut iisdem venire vel dedignantibus, vel retentis, eorum ſimilitudinem dæmones fingant, ut & fallaciæ, quam diligunt, ſemper interſint, & credentes talibus veri imitatione fruſtrentur.“

Fuit hæc vexatiſſima olim inter chriſtianos doctores quæſtio I. *Reg.* XXVIII. de pythoniſſa Samuelem evocante, quam imprimis copioſe Origenes in eum locum diſceptavit, adverſarium poſtea nactus S. Euſtatium *Antiochenum* epiſc. & confeſſorem; amborum vero diſſertationes

a) De hoc aliisque veteribus magis pluribus tractat dell' Osa lib. II. c. 9.

nes ſunt infertæ T. IV. *Bibl. PP.* ed. novæ *Venetæ* p. 541. &c. de engaſtrimytho ſeu ventriloqua. *Hoc eſt*, ut interpretatur S. Basilius in *Iſ.* VIII. 19. *qui in Pythone futura prædicunt, per ventrem obſeſſi, ipſo ſpiritu loquente, qui & de terra loquuntur, inania quædam effutientes.* Sic LXX. Intt. nominant Pythoniſſam in *Endor*, & S. Augustinus mulierem illam, quæ in actis apoſt. legitur habuiſſe ſpiritum pythonem. „Non enim (inquit) quia imago Samuelis mortui Sauli regi vera prænuntiavit, propterea talia ſacrilegia, quibus imago illa præſentata eſt, minus execranda ſunt: aut quia in actibus apoſtolorum ventriloqua femina verum teſtimonium (perhibuit) apoſtolis Domini, idcirco Paulus apoſtolus pepercit illi ſpiritui, ac non potius feminam illius dæmonii correptione atque exclusione mundavit.“ *De doctrina chriſt. lib. II. n. 35. TIII. p. 33.*

LIX. Pertinent huc arioli, ad quos vel magos, qui declinaverit interfecturum ſe Deus de medio populi ſui, *Lev.* XX. 6. denuntiavit. Et v. 27. *Vir ſive mulier, in quibus pythonicus, vel divinationis fuerit ſpiritus, morte moriantur: lapidibus obruant eos: ſanguis eorum ſit ſuper eos.* Sic *Deuter.* XVIII. *Non inveniatur in te, qui ariolos ſciſcitur, & obſervet ſomnia atque auguria, nec ſit maleficus, nec incantator, nec qui pythones conſulat, nec divinos, aut quærat a mortuis veritatem.* Hæc omnia ſibi impietate coniuncta noverat mulier Pythoniſſa a Saule expetita ſic reſpondens I. *Reg.* XXVIII. 9. *Ecce tu noſti, quanta fecerit* Saul, *& quomodo eraſerit magos & bariolos de terra.* S. Petrus *Chryſologus* ad iſtud etiam genus necromantiæ reſpicit, dum ſerm. XVIII. a variis huiusmodi diabolicis ſuperſtitionibus fideles avocat. *Modo eſt,* ait, *fratres, ne nos infidelitas ad eorum revocet ſervitutem: non laqueemur auguriis, non divinatione fallamur, non capiamur ſortibus, non a manibus inducamur, non ſeducamur mortibus, non peſtibus anhelantibus captivemur.* In concilio *Ancyrano* an. 314. pœnitentia quinque annorum, *ſecundum regulas antiquitus conſtitutas*, decernitur c. 23. in eos, *qui auguria vel auſpicia, ſive ſomnia vel divinationes quaslibet ſecundum morem gentilium obſervant, aut in domos ſuas huiusmodi homines introducunt, in exquirendis aliquibus arte malefica, aut ut domos ſuas luſtrent.* *Divinationes, obſervationes vanæ. pag. 33. T. I. Conc. pag. 1475.*

Reliquias eiuſcemodi paganiſmi proclivius erat adhuc tunc ſerpere, cum neque ad hodiernum diem penitus omnes eiusmodi ſuperſtitiones valuerint aboleri, ſpecie quadam veritatis, aut etiam religionis deceptis plerumque hominibus: quod de quodam ſuperſtitionis genere adhucdum graſſante, res ſc. occultas per ſpecula aliasque res pellucidas aqua e. c. dete-

Digitized by Google

detegendi, obſervat Io. *Sarisberienſis* lib. II. *de nugis curialium* c. 27. „Fruſtra ſibi (inquit) ſpecularii blandiuntur, quod nihil immolant, nulli nocent, ſæpius proſunt, dum furta detegunt, maleficiis purgant orbem, & ſolam utilem aut neceſſariam appetunt veritatem.“ Diſputat deinceps ad mentem antiquorum Patrum, quod maligni ſpiritus interdum futura T. VII. Bibl. PP. p. 643. prænoſcunt. *Nihil enim norunt*, ut loquitur S. ANTONIUS apud S ATHANASIUM in oratione ſæpius citata, *quod nondum extet: ſolusque Deus novit omnia, antequam fiant. Illi vero ſiqua viderint, quaſi fures concitato curſu referunt.* Et poſtea: *Ita exorta olim ſunt gentilium oracula, & ita illi olim a dæmonibus decepti ſunt: ſed fallacia invenit finem. Venit enim Dominus, qui dæmones cum vafritie illa ſua de medio ſuſtulit. Nihil quippe illi a ſe ipſis norunt; ſed quaſi fures, quæ apud alios cernunt, hæc loquuntur: potius coniecturare dicendi ſunt, quam prævidere.* Lib. II. de Geneſi ad lit. c. 17. Aliam fallaciam detegit S. AUGUSTINUS, *aliquando iidem nefandi ſpiritus*, inquit, *etiam quæ ipſi facturi ſunt, velut divinando prædicunt.*

Libro II. *de doctrina Chriſt.* poſtquam capite vigeſimo primo, & ſequenti, multa diſſeruiſſet S. AUGUSTINUS de illo genere pernicioſæ ſuperſtitionis, quo obſervatione, conſtellationeque ſiderum ad cognoſcendam vitæ ſeriem paſſim ſunt abuſi etiam ad noſtra uſque tempora, *qui genethliaci propter natalium dierum conſiderationes, nunc autem vulgo mathematici vocantur*, ſic concludit n. 34. & 35. T. III. p. 33. „Quare iſtæ quoque opiniones quibusdam rerum ſignis humana præſumtione inſtitutis ad eadem illa quaſi quædam cum dæmonibus pacta & conventa referendæ ſunt. Hinc enim fit, ut occulto quodam iudicio divino cupidi malarum rerum homines tradantur illudendi & decipiendi pro meritis voluntatum ſuarum, illudentibus eos atque decipientibus prævaricatoribus angelis, quibus iſta mundi pars infima ſecundum pulcherrimum ordinem rerum divinæ providentiæ lege ſubiecta eſt. Quibus illuſionibus & deceptionibus evenit, ut iſtis ſuperſtitioſis & pernicioſis divinationum generibus multa præterita & futura dicantur, nec aliter accidant, quam dicuntur, multaque obſervantibus ſecundum obſervationes ſuas eveniant, quibus implicati curioſiores fiant, & ſeſe magis magisque inſerant multiplicibus laqueis pernicioſiſſimi erroris.“

Quod perinde dici poteſt de innumeris vulgi obſervationibus ſeu vana obſervantia in ſe quidem futili ac inani, ut tamen nil obſtet quo minus Deus iuſto iudicio eventum, malumque omen, quod ſuperſtitioſe præſagiebatur, quandoque permittat, ac detur locus diabolo ad temporale & ſpirituale animæ detrimentum: ab hoc ſiquidem ſimpliciores ignoran-

tia

Digitized by Google

tia excuſet, non tamen rerum cauſas doctos, quales ex officio eſſe animarum paſtores, aliosque dedocere errorem debent. S. Augustinus, poſtquam varia huiusmodi in medium attuliſſet, lepido Catonis concludit dicto, qui cum eſſet conſultus a quodam, qui ſibi a ſoricibus eroſas caligas diceret (quæ res erat mali ominis) reſpondit, non eſſe illud monſtrum, ſed vere monſtrum habendum fuiſſe, ſi ſorices a caligis roderentur. *Ibid. n. 31. p. 32.*

LX. Multa Gratianus in ſuo decreto P. II. cauſa XXVI. ex veteribus conciliis, collectionibusque canonum, ac ſummorum Pontificum reſcriptis q. 5. congeſſit, imprimis etiam contra temerarias & ſuperſtitioſas ſortes, ſub nomine fictæ religionis, quas Sanctorum ſortes vocant concilia *Agathenſe* can. 42. & *Aurelianenſe* I. can. 9. reprobantque; *Petrus* Pithæus vero formulas precum ex mſc. *Pariſ.* collectioni canonum adiecit hoc exordio: *Incipiunt ſortes ſanctorum apoſtolorum, quæ nunquam fallentur aut mentientur &c.* Variæ enimvero poſſunt eſſe divinatoriæ ſortes, de quibus aliisque ſuperſtitionum magicarum generibus Canoniſtæ ad titulum Decretalium *de Sortilegiis* tractant; eoque paſſim etiam reducunt illum VII. *Decretal.* lib. V. tit. 12. *de maleficis & incantatoribus.* Sortilegia.

LXI. Supereſt demum illa tentationis diabolicæ ratio, qua maxime allectat cacodæmon rerum cupidum genus humanum, quove ariete tertio non horruit ipſum Chriſtum dominum aggredi. „Bis iam victus erat (ſunt S. Irenæi verba) de ſcriptura diabolus, cum eſt traductus, contraria præcepto Dei ſuadens, & ſecundum ſententiam ſuam Dei hoſtis oſtenſus. Qui & magne confutatus, & quaſi ſemetipſum colligens univerſam, quam habebat virtutem, in mendacio ordinans, tertio oſtendit ei ſæculi regna omnia dicens, quemadmodum meminit Lucas: *Hæc omnia tibi dabo, quoniam mihi tradita ſunt, & cui volo, do ea, ſi procidens adoraveris me.*" *In mendacio* dicit; hinc capite mox ſequenti „Deinde (ſubdit) nec illa itaque quæ promiſit, præſtabit. Quomodo enim præſtabit ei, qui cecidit? Deinde, quoniam dominatur hominibus, & ei ipſi Deus, & nolente Patre noſtro, qui eſt in cœlis, neque paſſer cadet in terram. Illud igitur quod ait: *Hæc omnia mihi tradita ſunt, & cui volo, do ea;* ut in ſuperbiam elatus ait. Neque enim conditio ſub eius poteſtate eſt: quandoquidem & ipſe unus de creaturis eſt. Neque ipſe hominum regnum attribuet hominibus; ſed ſecundum ordinationem Dei Patris, & cætera quæque, & quæ ſunt erga homines, diſponuntur. Dominus autem ait: *Quoniam diabolus mendax eſt ab initio, & in veritate non ſtetit.* Si itaque mendax eſt, & non ſtans in veritate, videlicet non

Incaſſum prorſus ad theſauros eruendos. *Lib. V. contra hæreſes c. 21. pag. 318. ſeq.* *Luc. 4, 6. 7.* *Ib. p. 320.* *Ioan. 8, 44.*

verum dicebat: *Quoniam hæc omnia mihi tradita ſunt, & cui volo, do ea*; ſed mendacium loquens." Add. c. 24. n. 3. Perinde etiam patrem mendacii ob idem inceſſit S. Gaudentius *Brixienſis* ſerm. XVIII. *de vil-*
pag. 133. *lico iniquitatis.* „Qui (inquit) Chriſti rerum omnium conditori auſus eſt regna mundi promittere, ſua illa eſſe impudenter aſſerendo. *Hæc omnia mea ſunt*, inquit, *& cui volo, do ea. Tu itaque ſi procidens adoraveris me, erunt tua omnia.* O inenarrabilis Chriſti patientia, quæ idcirco tentatorem loqui permittit, ut ſuſcepto homini artem prœliandi, atque vincendi, in ſemetipſo demonſtraret! O effrenis diaboli mendacis audacia! Deum ſentit, & tentat: Dominum novit univerſæ creaturæ, cui ſua eſſe mundi regna mentitur, & ei ſe largiturum poſſeſſionem creabilium pollicetur, per quem creata eſſe omnia non ignorat. Ab initio *enim, ſicut ſcriptum eſt, homicida fuit diabolus, & in veritate non ſtetit, quia veritas non eſt in eo.*"

Innumeros enimvero deluſit, deluditque mendax ſpiritus, quotquot ab eo aliquid accipere poſſe ſperant rerum huius mundi paupere nimirum
T. IV. Bibl. diabolo. Commode opportuneque huc adplicatur S. Macarii *Ægyptii*
PP. p. 229. *apophthegma* XXIV. qui aliquando præteriens per *Ægyptum* unacum fra-
T. II. opp. p. 255. tribus, audivit puerum ita matri ſuæ loquentem: *Mater, quidam dives diligit me, & odi eum, pauper vero odit me, ac eum diligo. Quo audito ſermone admiratus eſt abbas* Macarius. *Dicunt ei fratres: quid hoc verbi eſt, Pater, quod affectus ſis admiratione? Reſpondit illis ſenex: Revera Dominus noſter dives eſt, diligitque nos, nec volumus illi obtemperare; inimicus autem noſter diabolus pauper eſt, odioque nos proſequitur, & diligimus eius impuritatem.*

Multiplici autem hic homines decipit fallacia, dum pauper promittit, quod non habet; deinde ſpecie religionis fallit, oratione nempe, quam *Chriſtophori* vocant: &, quis credat? paſſim dementat homines, ut per eam divitias a diabolo ſe ſe accepturos ſperent novo, putido, anilique mendacio, ac ſi Christophorus Chriſtum infantulum per mare transportans, theſauros omnes in naulum a Chriſto acceperit in mari deliteſcentes. Tota autem fabula ex pictura ſymbolica accepit originem, qua Christophori etymon explicatur, quemadmodum Ignatius M. utitur nomine θεοφόρος in inſcriptione epiſtolarum, idemque ei tribuitur in martyrio & vita illius, itemque actione I. concilii generalis VIII. & alibi, ut annotat Cotelerius, variaſque eius appellationis rationes examinat not. 2. in epiſtolam S. Ignatii I. ad *Epheſios.* Frequens admodum, ſi uſpiam alibi in noſtris terris eſt hoc ſuperſtitionis genus ac impietas, peccatumque in diœceſi *Conſtantienſi,* late per *Alemanniam* patente, epiſcopo a non multis annis reſervatum.

LXII.

Digitized by Google

LXII. Cum vero ſemper in eccleſia agnitum ſit, ſuperſtitioſum eſſe omnem illum rerum uſum, qui ſine verbo Dei & eccleſiæ doctrina fit, ſi in præſcriptis aliquibus ritibus, & obſervantiis, quarum rationabilis cauſa reddi non poteſt, fiducia collocatur, certo aliquem exſpectandi eventum, quem res illa nec ex natura ſua, nec ex inſtitutione divina, nec ex ordinatione aut approbatione eccleſiæ producit, locum habere poteſt regula illa TERTULLIANI iam allata, *nihil non diaboli eſſe, quidquid Dei non eſt*: non quod diabolus aut poſſit aut velit præſtare quidquam hominibus, ſed eo tantum, ut fallat, in errorem deducat, & ſuperſtitionem, ſicque ſibi obnoxios reddat, ac ſecum in perditionem abducat mortales, quos peſſime odit, nihilque non in eorum perniciem tentat, fideles etiam a ſe alienos; unde omni modo ab eius inſidiis cavendum eſt. „Quantum ille (monet S. GAUDENTIUS *Brixienſis* Serm. XVIII. *de villico iniquitatis*, quem diabolum interpretatur) in opere iniquitatis ſuæ nocendi peritus eſt, tantum nos ſtudiis ſalutaribus eruditi, & ab omni prudentia inſtructi, atque armati eſſe debemus, *induentes* nos ipſos *loricam fidei*, & *galeam ſalutis*, & *gladium Spiritus*, & *ſcutum inexpugnabile æquitatis*, *in quo poſſimus*, ut hortatur apoſtolus, *omnia nequiſſimi ardentia extinguere*, ne nos incautos ſuggeſtionum ſuarum ſpiculis ubicumque configat, ne inermes opprimat, ne interficiat dormientes, ne & vigilantes & armatos, ſi uſum belligerandi neſciamus, interimat. Prudentiores enim reperiuntur interdum ſpiritus immundi, quos filios ſæculi, id eſt *tenebrarum filios* Dominus nuncupat, *quam filii lucis*."

Cum diabolus nocere tantum intendat impia ſuperſtitione.

De Spect. c. 24. p. 83. De cultu feminæ c. 7. p. 153.

p. 186.

LXIII. Quod quidem uti de omnibus recte dicitur, qui ſe fallacia maligni ſpiritus abduci ſinunt, de illis tamen potiſſimum valet ſimplicioribus plerumque ac obtuſioris ingenii, aut ſexus debilioris hominibus, qui variis his modis in aberrationem ducuntur. Vitio temporum multi medio ævo, ac deinceps ob reconditiorem ſcientiam, vel artem pro magis ſunt habiti e. c. GERBERTUS ex archiepiſcopo *Remenſi* SILVESTER II. Pontifex *Romanus*; *Ioannes* FAUSTUS inter primos artis typographicæ inventores, *Pariſiis*, ut perhibent, dum exempla typographica pro manuſcriptis venditaret, in ſuſpicionem magiæ atque examen vocatus. Sed his miſſis, eos hic petimus, qui inani ducti perſuaſione, ac ſpe, magicis ſeſe ſuperſtitionibus dedentes, in laqueum incidunt diaboli, quo nullum infeſtius eſt religioni malum: quod quidem ex opinione vulgi eximendum omnino eſt; ne occaſio relinquatur deſperatis & malitioſis ad diabolum recurrendi, atque ab eo aliquid magicis præſtolandi artibus & ſuperſtitionibus.

A qua tantopere cavendum.

Vid. Naudæi Apolog. virorum de magia falſo ſuſpectorum.

Quare, licet nunquam ſatis nobis ab eius infeſtationibus caveamus, timeamusque, viciſſim tamen in alterum extremum labi proclive eſt, ut

Digitized by Google

timeamus, ubi non eſt timor, nimia anilique credulitate, ac perſuaſione de phantaſticis ſomniis, imaginationibusque ſtrigium ſtrigonumque, ſeu præſtigiatorum, eorumque veneficiis ac faſcinationibus: ut ſi etiam non iam nihil omnino eſſe concedatur magia, ea certe vis minime tribuatur, quæ ad nutum libidinemque cuiusque a diabolo exagitatæ vetulæ, aut ipſius diaboli nocendi cupiditatem, præſto ſit, atque orbem maleficiis, veneficiisque impleat: tametſi non negemus, Deum iuſto iudicio, ut olim, ita etiamnum permittere a) poſſe infeſtationes huiusmodi & faſcinamenta: effectusque veneficos, & præſtigioſos, quibus ſenſibus & imaginationi illudunt, cuius cum ſuapte natura tantæ ſint vires, ut Muratorius oſtendit, aliique, eo magis etiam dæmonum impoſturis offuciisque obnoxia eſt, fraudibus & fallaciis unice genus humanum in præceps agere laborantium, contrariis etiam ſtudiis, ut factum animadvertere licet hac ipſa in re: dum veritatem ſuæ nocendi libidinis mendaciis ac falſitate, ſuperſtitionis fovendæ cauſa obfuſcarunt ſemper, ex gentiliſſimo ſemina ſuarum præſtigiarum ac ſuperſtitionum magicarum in ipſum Chriſtianiſmum ſpargentes, falſa etiam veris miſcentes, atque confundentes tempora ipſasque divinas ſcripturas, diverſas item narrationes & opiniones hominum.

Concione de Lazaro T. I. p. 728.

„Decipiunt enim auditores (ut cum S. Io. *Chryſoſtomo* loquar) quapropter & Paulus ipſis tametſi vera dicentibus impoſuit ſilentium, ne ex veris nacti occaſionem, poſt admiſcerent mendacia, fidemque ſibi conciliarent. Cum enim dixiſſent, *Iſti homines ſervi Dei altiſſimi ſunt*, *annuntiantes vobis viam ſalutis*, dolens apoſtolus increpavit pythonem, atque exire iuſſit. Et tamen quid mali dicebant? *Iſti homines ſervi Dei altiſſimi ſunt:* ſed quoniam plerique ſimpliciores non norunt ſemper diiudicare, quæ a dæmonibus dicuntur, ſemel eos excluſit a fide. Ex infamium numero es (inquit) non eſt tuum libere loqui, tace, obmuteſce; non eſt tuum prædicare, apoſtolorum iſta eſt auctoritas. Quid uſurpas, quod tuum non eſt? Sile, infamis es. Sic & Chriſtus dicentes ipſi dæmones, *Novimus te*, *qui ſis*, increpavit multa cum acrimonia: nobis præſcribens, ne quo pacto dæmoni fidamus, etiamſi tibi aliquid veri loquatur, fugiamus eum & averſemur. Nam ſana dogmata ſalutiferaque non a dæmonibus, ſed ex divina ſcriptura licet exacte diſcere.“

Ne tamen in alterum incredulitatis extremum prolabamur.

LXIV. At noſtro demum ævo diabolus hyperaſpiſtas hic hominum illud genus invenit, qui, quod omnia pernegent, explodantque ceu vulgaria, ſibi ſuffeni, ſublimes ſpiritus haberi amant: nempe iuxta S. Augustinum

a) Vid. P. *Iordan.* Simon die Nichtigkeit der Hexerey und Zauberkunſt p. 287. 288. edit. 2.

Digitized by Google

GUSTINUM *vulgo etiam magnos ſpiritus ſuperbi habere dicuntur; & recte, quandoquidem ſpiritus etiam ventus vocatur.* Ecquis vero crederet, qui ita turgidi ſunt ſpiritu, ut potiſſimum materialiſmo eſſe infectos, atque in hoc etiam eidem patrocinari, dum dæmones e rerum natura tanquam non entia, & a commercio ſocietateque humana penitus excludunt: nec verentur dæmonologiam ceu præiudicium *Iudaicum* exſibilare, cui ſe CHRISTUS & apoſtoli accommodarint, duro ſcilicet & ſuperſtitioſo populo. Quæ certe a blaſphemia nihil abeſt, Chriſto, qui eſt ipſa veritas, aut eius apoſtolis & evangeliſtis imputata ſimulatio; imo quod animus horret dicere, aperta foret contradictio in Chriſto, dum *Sadducæos*, qui *dicebant non eſſe reſurrectionem, neque angelum, neque ſpiritum Matth.* XXII. 23. palam impugnat, PAULUS autem publice ſe *Phariſæum*, qui *utraque confitentur*, declarat.

De ſermone Domini in monte lib. I. n. 3. T. III. P. II. p. 166.

Act. 23. 8.

Haud procul adeo abeſſe videtur, etiam ex Catholicis non nemines eo tandem opinione abduci, ut dæmonologiam omnem ipſaque dæmonia infeſta hominibus inter entia rationis cum *I. Sal.* SEMLERO profeſſore *Halenſi* reponant, qui, quidquid in ſacra ſcriptura de dæmonibus dæmoniacisque legitur, in allegoriam detorquet, modumque ac notionem clamat ex ſuperſtitione gentilitia, *Iudaica*que aſſumtam, ut nuperrime iterum mentem ſuam SEMLERUS expoſuit, atque a *Io. Caſp.* LAVATERO celebratiſſimo orphanotrophii *Turicenſis* eccleſiaſte provocatus in cauſa *Gaſſneriana* arbiter, non tantum detrectavit conditionem, ſed etiam novis conatibus ſuam aſſeruit ſententiam, ob quam aliaque paradoxa apud ſuos etiam male audit, conciliavitque ſibi odia, de quibus in reſponſoriis ad cl. LAVATERUM ipſe conqueritur; omnia vero ſuſque deque habet, nec latum cedens unguem; neque obteſtationibus concedit amiciſſimi LAVATERI, etſi eius cum bonis omnibus ſuſpiceret ſinceritatem, æquanimitatemque coniunctam cum ſingulari ſtudio religionis, quo adductus accurato, rigidoque examini ſubiicienda exiſtimavit, quæ fama ferebantur tam crebra, tot ac tantis teſtimoniis, relationibusque aſſerta, quibus tam facile fidem detrectare haud liceret, de rebus ſtupendis geſtis in nomine IESU: ita eius nominis virtutem perſpectam LAVATERUS reveritus ex promiſſione Chriſti toties in evangelio, ut paullo poſt videbimus, teſtata verbis & opere contra dæmones omnemque virtutem inimici, nec quidquam ſe in transverſum agi paſſus eſt a SEMLERO in alia omnia eunte, ſuisque obſtinate inhærente præiudiciis, ac adoptatis erroribus, quos mundo ſua opinione faſcinato, perinde ac ſuperiore ſæculo BEKERUS, ut obtrudat, nihil non molitus eſt, amice quidem adverſus LAVATERUM modeſtiſſimum ac SEMLERI imprimis ſtudioſum, ut legere eſt in litteris

Digitized by Google

ac ſcriptis, quæ amœbæa in hoc argumento ab ipſo Semlero *Halæ Magdeb.* edita anno ſuperiore proſtant.

Alii dum contra Dei ſapientiam, bonitatem & iuſtitiam pugnare clamant, ſiquidem permittere dicatur homines a diabolo ad mala induci, aut male haberi, ipſi potius *Manichæiſmo* aliiſque monſtris opinionum & errorum circa originem mali locum dant, pugnamque inter divina attributa, ut nuper Bælius, conſtituunt: perinde enim ſapientiæ & bonitati repugnare diceretur permiſſio mali generatim in rerum natura, ſive illud ab homine, ſive a dæmone, ſive utrinque, prout rem prima mox vet. teſt. pagina *Gen.* III. pandit, oriatur. Nihilominus ſemper & ubique fieri coram cernimus, ut homo homini mala inferat, mutuoque igne, ferro arctiſſima naturæ ſocietate coniuncti homines graſſentur, invicemque bello concidant; a diabolo autem genus humanum tentari infeſtarique in anima vel corpore ſanctitati Dei repugnet, ac divina inter ſe committat attributa? Dum nihil penſi habetur, auctoritatem divinæ ſcripturæ, atque adeo Dei veritatem fundamentumque religionis chriſtianæ in lapſu hominis, a Chriſto e ſervitute Diaboli redemti, labefactari. Sic dum ſuperſtitioni aditus clauditur, impietati irreligionique aperitur ianua; vulgi credulitate prætexta, fides in diſcrimen vocatur.

Nec dicant poſt Chriſtum igitur ſaltem, qui *exſpolians principatus*
Col. 2, 15. *& poteſtates traduxit confidenter, palam triumphans in ſemetipſo*, ceſſent infernalis hoſtis inſidiæ: quandoquidem nobis Chriſtus non ſolum exemplum, ſed vires etiam & præſidium pariter de eo ad immarceſſibilem gloriæ coronam triumphandi conceſſit. Satius igitur eſt ac omnino neceſſarium, armare ad prœlium, cautoſque reddere adverſus inſidias, quam incurios ac veluti ſecuros, quaſi vero nullus immineat, aut in inferno religatus ſit hoſtis, a quo nihil adeo timendum.

Ex toto tractationis huius noſtræ complexu elucefcet, quam aliena ſit hæc perſuaſio a ſententia eccleſiæ, aſſerta, ac comprobata in S. liturgia ac SS. Patrum traditione: iuxta eam quam ſemper eccleſia catholica inviolabilem tenuit regulam, tenetque ſecundum præſcriptum concilii *Tridentini*. ac formulam iuramenti fidei interpretandi S. ſcripturam (in qua a principio veteris teſtamenti, usque ad finem novi dæmonurgia manifeſtatur) iuxta unanimem SS PP. conſenſum, quem non tot teſtimoniis comprobatum damus, quin multo adhuc plura afferre in promptu eſſet. Scio equidem hanc accumulatis auctoritatibus ſcribendi methodum, theologicam ſcilicet, nauſeaturos illos, qui depravatæ ſuæ labe originali indulgentes rationi, philoſophari in hoc argumento amant. Edicant vero hi tales, quid ſuapte natura, omnem cognitionem noſtram ſenſuum adminiculo

culo

Digitized by Google

culò percipientibus nobis, ſanæ pneumatologiæ ſuppetat ſine revelatione? qua remota, illi mihi multo minus immortalitatem animæ, ac ſpiritualem eius naturam ab animabus brutorum diſtinctam demonſtrabunt, quam ego illis ex conſtanti eccleſiæ ac SS. Patrum traditione perſuaſero dæmonurgiam, quam explicare allaboro, eccleſiæ equidem iudicio relinquens, ut definiat, an a blaſphemia abſit illa, quæ cancri inſtar ſerpit, ſententia, non SS. Patres tantum ſed & apoſtolos Chriſti, ipſumque Chriſtum verbum Dei in dæmonologia errori vulgari *Iudæorum*, gentilium, ac philoſophorum ſeſe accommodaſſe, ne ob rem parvi, ut dictitant, momenti, animos a ſe alienarent.

Exiſtimandum eſt hoc maximum hoſtis, noviſſimis appropinquantibus temporibus, ſtratagema, ut dum procul abeſſe creditur, eo tutius, ex improviſo ſine omni obſtaculo pro lubitu graſſetur; locumque hic cum primis habet, quod ſtrenuus contra diabolum pugil S. MACARIUS dudum poſt S ANTONIUM, integro ſermone ſuos commonendos duxit: „ut enim (inquit) præcedens ſermo monſtravit, ars hæc eſt ſatanæ; quodam tempore de induſtria ſe abſcondere, ac quaſi receſſiſſet, intermittere operari, quæ ſolebat; hoc ſpectantis, ut arrogantem ſui fiduciam parum cautis ſpiritualibus ingeneret.“ Quis enim vero ſibi a technis calidiſſimi ſerpentis, quam acutus etiam ſibi videatur, ſatis caveat? *Serm. de charitate c. 31. T. II. p. 179.*

Cum nobis, ut vidimus, ſacræ ſcripturæ ac omnis retro antiquitas hoſtis quaquaverſum imminentis inſidias prodant, ſuperſedendum eſt a curioſis quæſtionibus, quomodo dæmon intima noſtra penetret, atque infeſtet: quæ præciſe ſint, quave ratione effectum eat, quibus nos inceſſit, mala ſive quoad animam, ſive quoad corpus. S. AUGUSTINUS lib. III. de *Trinit.* n. 18. illum *Exodi* VIII. locum præ oculis habens *Digitus Dei eſt hoc*, ubi nempe magi alia potuerunt, permittente Deo, alia non potuerunt effingere, quæ MOYSES coram PHARAONE fecit portenta: „Quid autem (inquit) poſſint per naturam, nec poſſint per prohibitionem, & quid per ipſius naturæ ſuæ conditionem facere non ſinantur, homini explorare difficile eſt, imo vero impoſſibile, niſi per illud donum Dei, quod apoſtolus commemorat dicens: *Alii diiudicatio ſpirituum &c.*“ *T. VIII. p. 802.*

Id nobis certum eſſe debet, qualeſcunque ſint ſatanæ infeſtandi vires, ac quicunque modi, poteſtatem Chriſtum reliquiſſe eccleſiæ ſuæ ſuper omnem virtutem inimici; neque vero orthodoxis dubia eſſe poteſt, aut debet, quæ hactenus viſibilis eccleſiæ nota contra diaboli operationes in obſeſſis corporibus conſpicua conſtanter fuit, fruſtra reclamantibus eccleſiæ hoſtibus, uti olim *Iudæis* Chriſto: ad quod exemplum provocat PAULINUS in vita S. AMBROSII n. 15. deridentibus *Arrianis* „tantam Dei gratiam,„ *T. IX. Bibl. PP. p. 25.*

tiam,„

tiam, quam eccleſiæ ſuæ catholicæ Dominus Iesus meritis martyrum ſuorum conferre dignatus eſt: venerabilemque virum Ambrosium narrabant pecunia comparaſſe homines, qui vexari ab immundis ſpiritibus mentirentur, atque ita ab illo, ſicut & a martyribus ſe torqueri dicerent. Sed hoc *Iudaico* ore loquebantur *Arriani*, ſuppares ſcilicet eorum. Illi enim de Domino dicebant: *Quoniam in Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia.* Iſti de martyribus, vel de Domini ſacerdote loquebantur, quod non Dei gratia, quæ per ipſos operabatur, immundi ſpiritus pellerentur, ſed accepta pecunia ſe torqueri mentirentur. Clamabant enim dæmones, ſcimus vos martyres. Et *Arriani* dicebant: Neſcimus eſſe martyres. Iam hoc & in evangelio legimus, ubi dixerunt dæmones ad Dominum Iesum: *Scimus te, quia ſis Dei filius.* Et *Iudæi* dixerunt: *Hic autem unde ſit, neſcimus.* Sed non heic teſtimonium accipitur dæmonum, ſed confeſſio. Unde miſeriores *Arriani* vel *Iudæi*, ut quod confitentur dæmones, illi negent." Abſit, ut his ſe filii veræ matris eccleſiæ conſocient, temere eludentes argumentum hoc, quo ipſo tam ſæpe ad demonſtrandam veritatem miſſionis ſuæ uti voluit Chriſtus Iesus, atque *Geraſenum* illum a legione dæmonum liberatum ſe ſequi volentem
Marc. 5, *non admiſit eum, ſed ait illi: Vade in domum tuam ad tuos, & annuntia*
19. *Luc.* 8, *illis, quanta tibi Dominus fecerit, & miſertus ſit tui &c.*
39.

CAP.

CAPUT ALTERUM.

De exorciſmorum in eccleſia virtute, variisque excludendi dæmones ac eorum infeſtationes modis.

I.

De dæmonurgia communis SS. Patrum ſententia.

Siqui adhuc ſint, qui ad ea, quæ de dæmonurgia hactenus non tam operoſa quidem dicta ſunt diſquiſitione, ut non multa plura colligi potuiſſent, fidem detrectent, eos nos ad Abaelardum inſignem ſæculi duodecimi novatorem relegabimus, qui negavit, diabolum unquam ius aliquod in homine habuiſſe, licet, ut de eo S. Bernardus teſtatur, confeſſus, „quod omnes doctores noſtri poſt apoſtolos in hoc conveniunt, quod diabolus dominium & poteſtatem habebat ſuper hominem, & iure eum poſſidebat, ideo ſcilicet, quod homo ex libertate arbitrii, quam habebat, ſponte diabolo conſenſit. Aiunt namque, quod ſi quis aliquem vicerit, victus iure victoris ſervus conſtituitur. Ideo, (inquit) ſicut dicunt doctores, hac neceſſitate incarnatus eſt filius Dei, ut homo, qui aliter liberari non poterat, per mortem innocentis iure liberaretur a iugo diaboli.“ SS. Patrum eam in rem ſententias, quæve S. Bernardus l. c. contra Abaelardum communem illam Patrum traditionem floccipendentem diſputavit, collegit *Dionyſ.* Petavius *de Incarnat.* lib. II. c. 5. ſeq.

Contra quædam capitula errorum Abaelardi ad Innoc. II. c. 5. T. II. p. 650.

Poteſtas eiiciendi dæmones iuxta evangelium.

II. Atqui vero SS. Patres S. ſcripturæ veſtigiis inhærent, uti hactenus vidimus, Chriſtum & apoſtolos diaboli tyrannidem in genus humanum verbis & operibus demonſtraſſe, coercuiſſeque, palam etiam & publice eiectis tot ex corporibus dæmonibus; ut de Chriſto omnis fere apud evangeliſtas pagina teſtimonium præbeat, quid & ipſe fecerit, qualemque ſuis poteſtatem dederit: veluti *Matth.* X. 1. ſolemni quodam ritu *convocatis duodecim diſcipulis ſuis dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum, ut eiicerent eos &c.* Sic etiam dum apoſtolis prædicandi munus committit *Marc.* XVI. 17. primo loco notatur inter ſigna eos, qui Crediderint, ſecutura: *in nomine meo dæmonia eiicient &c.* Nempe ut iuxta apoſto-

lum *in nomine* Iesu *omne genu flectatur cœleſtium*, *terreſtrium & inferno-rum*: uti revera legimus dæmonia *Luc.* IV. 41. exiiſſe a multis clamantia & dicentia: *Quia tu es filius Dei*: *& increpans non ſinebat ea loqui*, *quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum*: quod etiam *Marc.* I. 34. habetur. Dumque ſic dæmones *credunt & contremiſcunt*, *Iudæi* blaſphemant, in *Beelzebub* eum eiicere dæmonia: nec deinceps defuere ex gentilibus, uti de Celso teſtatur Origenes mox libro I. contra eundem, qui magicis artibus tribuerunt miracula a Chriſto patrata; Iulianus autem apoſtata, teſte S. Cyrillo *Alexandrino* omnes, quotquot unquam extiterunt incantatores, ſuperaſſe effutit, Paulum, Petrum item, alibi tum omnes apoſtolos, ac ipſum Iesum ſic blaſphemans.

T. I. p. 356. n. 38.

Lib. III. contra Iul.

Neque vero ſoli apoſtoli donis, cum quibus poteſtas eiiciendi dæmones ſemper coniuncta fuit, pollebant: apud Lucam X. 17. reverſi leguntur ſeptuaginta duo cum gaudio dicentes: *Domine etiam dæmonia ſubiiciuntur nobis in nomine tuo. Et ait illis: videbam ſatanam ſicut fulgur de cælo cadentem*: confirmata iterum poteſtate *ſuper omnem virtutem inimici.* Quin imo prohibentibus apoſtolis, ut *Marc.* IX. 37. narratur, quemdam in nomine Iesu eiicientem dæmonia, id improbat Chriſtus.

Nihilominus dum, ut in *Actis* XIX. 13. legitur: „Tentaverunt quidam & de circumeuntibus *Iudæis* exorciſtis invocare ſuper eos, qui habebant ſpiritus malos, nomen Domini: Reſpondens ſpiritus nequam dixit eis: *Ieſum novi*, *& Paulum ſcio*; *vos autem qui eſtis?* Et inſiliens in eos homo, in quo erat dæmonium peſſimum, & dominatus amborum, invaluit contra eos, ita ut nudi, & vulnerati effugerent de domo illa.“ Nempe erant filii ſeptem *Iudæi* Scevæ principis ſacerdotum Chriſtianis adeoque adverſi; ſecus ac ille *Marc.* IX. ut palam fit ex verbis Chriſti v. 38. 39.

Teſtimoniis a primis eccleſiæ ſæculis demonſtrata.

. III. Ut autem ex ſuperiore capite intelleximus, quam ſint variæ & innumeræ inimici inſidiæ, ſupereſt, ut iam deinceps de præſenti ac promta per Chriſtum medela explicare pergamus argumentum, quemadmodum D. Paulus ad *Romanos* ſcribens in epilogo epiſtolæ precatur: *Deus autem pacis conterat ſatanam ſub pedibus veſtris velociter.* Hac fiducia animatus S. Ignatius ad *Romanos* item ſcribens, quorſum ad martyrium ibat, Traiano iubente, confidenter cum cæteris tormentis, *mala*, petit, *diaboli tormenta in me veniant*, *tantummodo ut* Iesum *Chriſtum nanciſcar.* Generatim etiam Iustinus M. ſæculo poſt Chriſtum II. in dial. cum Tryphone, „Chriſti (inquit) nominis potentiam, dæmones tremunt, & reformidant, & hodie quoque illi per nomen Iesu Chriſti cru-

Patr. apoſt. T. II. p. 29.

pag. 247.

cifixi

cifixi ſub Pontio Pilato, qui *Iudæis* procuratorem egit, adiurati nobis parent." Et poſtea: „Et nunc nos, qui in Iesum Chriſtum credimus, dæmonia cuncta, ſpiritus malignos adiurantes ſub poteſtate eos noſtra habemus." Haud abſimiles ſententias legere eſt in eiusdem oratione ad gentes, utraque item *Apologia*, I. ad Antoninum *Pium*, alteraque ad ſenatum *Romanum*: „Quos (hic addit) alii adiuratores, & incantatores & venefici veſtri non ſanaverunt, plurimi ex noſtris Chriſtianis per nomen Iesu Chriſti ſub Pontio Pilato crucifixi adiurantes ſanaverunt, & adhucdum ſanant, exarmantes atque exigentes ab hominibus eos, qui illos obſederunt dæmones." Ex eodem adhuc ſæculo S. Irenæus lib. II. adv. hæreſes cap. 20. „*Aſcendens enim*, inquit, *in altitudinem* Dominus per paſſionem, *captivam duxit captivitatem*, *dedit dona hominibus*, *& contulit credentibus in ſe ſuper ſerpentes & ſcorpiones calcare*, *& omnem virtutem inimici*, id eſt principis apoſtaſiæ." Et cap. 32. „Alii enim (inquit) dæmones excludunt firmiſſime, & vere, ut etiam ſæpiſſime credant ipſi, qui emundati ſunt a nequiſſimis ſpiritibus, & ſunt in eccleſia."

pag. 302. pag. 93. pag. 145. pag. 166.

Eodem argumento Pionius M. ad erigendos lapſos in perſecutione Chriſtianorum uſus eſt apud Ruinart. in actis ſinceris: *Dicite quæſo*, inquit, *cuius hominis diſcipuli*, *qui ſit per vim mortuus*, *dæmonas tot per annos eiecerunt*, *facturique ſunt*? S. Vincentius vero Dacianum iudicem compellans, diabolumque indigitans: „Iſte eſt (inquit) quem cum ſatellitibus ſuis e corporibus humanis divina invocatione eiicimus; cui vos ſub vaniſſimis figmentis ritum profani cultus exſolvitis, & nova dementia creatori creaturam præfertis. Exarſit ergo diabolus adverſus chriſtianam fidem, & dum contemni ſe ac deſpici videt, ingemuit." Hæc in S. Martyris actis referuntur ad annum Chr. 304. SS. Pionii vero & ſociorum ad an. 250. ante hæc vero ad finem ſæc. II. ineunteque ac adoleſcente ſæculo III. primus ſcriptorum *Latinorum* Tertullianus in Apologetico adverſus gentes c. 23. palam & publice provocat: *Edatur hic aliquis ſub tribunalibus veſtris*, *quem dæmone agi conſtet*, *iuſſus a quolibet Chriſtiano loqui*, *tam ſe dæmonem confitebitur de vero*, *quam alibi Deum de falſo..... niſi ſe dæmones confeſſi fuerint*, *Chriſtiano mentiri non audentes*, *ibidem illius Chriſtiani procaciſſimi ſanguinem fundite. Quid iſto opere manifeſtius? quid hac probatione fidelius? &c.* Et poſtea c. 43. de ipſa dæmonum expulſione frequenti: *Quanti*, inquit, *habetis*, *non dico iam*, *qui de vobis dæmonia excutiant*, *non dico iam*, *qui pro vobis quoque vero Deo preces ſternant*, *ſed a quibus nihil timere poſſitis.* Et in ſequentis operis eiusdem argumenti ad Scapulam *Africæ* præſidem exordio ſtatim

pag. 146. Ib. p. 368. pag. 22. pag 34.

Digitized by Google

pag. 69. *Dæmones autem*, inquit, *non tantum reſpuimus, verum & revincimus, & quotidie traducimus, & de hominibus expellimus, ſicut plurimis notum eſt*, Hæc referuntur capite ſecundo, plura mox capite quarto, & alibi paſſim, ut frequenter de omnis generis machinationibus dæmoniacis iam eius auctoritate ſupra uſi ſumus, perinde ac S. Cypriani, quem Tertulliano mox iungimus eodem adhuc ſæculo illuſtrem *Africæ* præſulem ac martyrem, qui ad Donatum ſcribens (quod primum inter eius opera ſcript. circa an. 246. legitur) „De Gratia Dei (hoc inter alia eius „donum recenſet) immundos & erraticos ſpiritus, qui ſe expugnandis ho„minibus immerſerint, ad confeſſionem minis increpantibus cogere; ut re„cedant duris verberibus urgere; conflictantes, eiulantes, gementes, in„cremento pœnæ propagantis extendere: flagris cædere, igne torrere. Res „illic geritur, nec videtur, occulta plaga, pœna manifeſta &c." Et poſtea p. 133. ad Demetrianum: „O ſi audire eos velles & videre, quan„do a nobis adiurantur & torquentur ſpiritalibus flagris, & verberum tor„mentis de obſeſſis corporibus eiiciuntur, quando eiulantes & gementes „voce humana, & poteſtate flagella & verbera ſentientes venturum iudi„cem confitentur. Veni & cognoſce vera eſſe, quæ dicimus." Ante S. Cyprianum Minucius *Felix* in ſuo Octavio palam ad ipſum Gentilium provocat teſtimonium n. 27. „Hæc omnia ſciunt (ait) plerique pars veſtrum, ipſos dæmonas de ſemetipſis confiteri, quoties a nobis tormentis verborum, & orationis incendiis de corporibus exiguntur. Ipſe *Saturnus*, & *Serapis*, & *Iupiter*, & quidquid dæmonum colitis, victi dolore, quod ſunt, eloquuntur: nec utique in turpitudinem ſui, nonnullis præſertim veſtrum aſſiſtentibus, mentiuntur. Ipſis teſtibus eſſe eos dæmones, de ſe verum confitentibus credite. Adiurati enim per Deum verum & ſolum, inviti, miſeri corporibus inhorreſcunt, & vel exſiliunt ſtatim, vel evaneſcunt gradatim, prout fides patientis adiuvat, aut gratia curantis aſpirat. Sic Chriſtianos de proximo fugiunt, quos longe in cœtibus per vos laceſſebant. Ideo inſerti mentibus imperitorum odium noſtri ſerunt occulte per timorem &c." Origenes in ſimili argumento contra Celsum lib. I. n. 46. hæc inter alia etiamnum ſuo tempore, medio nempe tertio ſæculo, apud Chriſtianos donorum ſpiritus ſancti veſtigia agnoſcit: „Num (inquit) dæmonia eiiciunt, morbos curant, & volente verbo futura prævident? Irrideat licet Celsus, aut *Iudæus*, quem introduxit, quod dicetur, dicam nihilominus multos ad religionem Chriſtianam acceſſiſſe velut invitos: ſpiritu quodam repente ſive per uſum ſive per ſomnium in illorum animos agente, atque ita illos immutante, ut, quod in illam conceperant, odium deponerent, & pro illa mortem oppetere ſtatuerent, multa

Marginalia: pag. 3. (beside "lem ac martyrem"); Bibl. PP. T. II. p. 397. (beside "Cyprianum Minucius" / "provocat"); T. I. p. 361. (beside "lib. I. n. 46.")

multa eiuſmodi novimus, quæ ſi ſcriberemus, tametſi illorum oculati teſtes fuerimus, benignam riſus materiam præberemus incredulis, qui nos ex eorum ingeniis, quos talia finxiſſe norunt, iudicantes, hæc etiam a nobis conficta eſſe exiſtimarent.“ Ad rem præſentem nihil hic opus eſt iis addere, quæ paſſim ex eodem auctore referimus, brevi excepta ſententia ex eodem opere contra Celsum lib. VII. „Non pauci (inquit) Chriſtiani eiiciunt ex obſeſſis corporibus, idque ſine omni curioſitate magorum & veneficorum, ſed ſolis precibus, adiurationibusque ſimplicibus.“

Lactantius, quem ex ſæc. IV. primum nominamus lib. V. divin. inſtitut. c. 22. *de furore dæmonum in Chriſtianos* eandem, quam iam ex aliis attigimus cauſam, proferens „Non enim (inquit) ipſi homines perſequuntur, qui cauſam, cur iraſcantur innocentibus, non habent: ſed illi ſpiritus contaminati ac perditi, quibus veritas & nota eſt & inviſa, inſinuant ſe mentibus eorum, & inſtigant impios in furorem. Hi enim, quamdiu pax eſt populo Dei, fugitant iuſtos & pavent; & cum corpora hominum occupant, animasque divexant, adiurantur ab his & nomine Dei veri fugantur. Quo audito tremunt, exclamant, & uri ſe verberarique teſtantur; & interroganti, qui ſint, quando venerint, quomodo in hominem irrepſerint, confitentur. Sic extorti, excruciatique virtute divini nominis, exſulantur. Propter hæc verbera & minas ſanctos & iuſtos viros ſemper oderunt. Et quia per ſe nocere his nihil poſſunt, publicis eos odiis proſequuntur, quos ſibi graves ſentiunt.“ S. Antonius abbas in ſæpe laudata oratione ad monachos, quæ in eo verſatur argumento, ut ſuis Panicum timorem, quem dæmones variis aggreſſibus & monſtris incutiebant, eximeret animo, tum etiam ex poteſtate eiiciendorum dæmonum vanam gloriam; „Neque porro (inquit) decet eiiciendorum dæmonum virtute gloriari, neque de morborum curationibus extolli: nec eum, qui dæmonia eiicit, admirari, eum, qui non eiicit, deſpicere; ſed ſingulorum exercitationem quivis ediſcat, & vel imitetur, æmuleturque, vel corrigat. Nam ſigna facere non noſtrum, ſed Salvatoris opus eſt: quare diſcipulis ait: *Nolite gaudere, quia ſpiritus vobis ſubiiciuntur: gaudete autem, quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis.* Nam quod nomina noſtra in cœlis ſcripta ſunt, virtutis vitæque noſtræ teſtimonium illud eſt; eiicere autem dæmonia, Salvatoris donum.“

T. IV. Bibl. PP. p. 323.

Ib. p. 647.

In progreſſu eiusdem ſæc. IV. S. Athanasius *de Incarnatione Verbi Dei* hoc etiam divinitatis eius argumentum extollit n. 18. „Nam illum dæmonibus imperare, eosque fugare non humanum, ſed divinum opus eſt.“ Et poſtea n. 25. „Præterea ſi diabolus noſtri generis hoſtis e cœlo delapſus

T. I. P. I. p. 62.

pag. 68.

Digitized by Google

lapſus circa hunc infimum aerem vagatur, ubi aliis dæmonibus utpote in contumacia ſui ſimilibus imperans, eorum opera homines ſeducit, & his, qui ſurſum ſunt, obſtare nititur: qua de apoſtolus: *ſecundum principem poteſtatis aeris, ſpiritus, qui nunc operatur in filiis contumaciæ.* Si inſuper venit Dominus, ut diabolum proſternat, aerem purget, ac nobis viam in cœlum per velamen, id eſt, carnem ſuam, ut ait apoſtolus, aperiat: denique ſi id morte faciendum fuit, quanam amabo, alia morte hæc potuiſſent peragi, niſi ea, quam in aere in cruce pertulit Dominus? Solus enim ille in aere moritur, qui in cruce vitam ponit. Quapropter huiusmodi mortem convenienter ſubiit Dominus. Hoc enim modo ſurſum elatus, aerem a diabolicis omnibusque dæmonum inſidiis purgavit, uti his verbis teſtatus eſt: *videbam ſatanam ſicut fulgur cadentem.*"

Libenter utor huius *de Incarnatione Verbi Dei* operis teſtimonio, cuius paſſim alii abutuntur quibusdam ſententiis, quibus poſt mortem Chriſti recte quidem, ut ſupra declaravimus, omnem virtutem diabolicam proſtratam aſſerit: „Nam (ut n. 32. loquitur) ſi Chriſtus mortuus iaceret, certe dæmones non fugaret, nec idola exſpoliaret; nec enim mortuo obtemperarent dæmones. Sed ſi eius nomine prolato palam fugantur, mortuum illum non permanere certiſſimum hoc indicium fuerit, præſertim cum dæmones, qui ea, quæ ab homine non videntur, ipſi vident, cognoſcere facile poſſent, an vere Chriſtus mortuus iaceret, nec proinde illi morem gererent. Nunc autem illum ipſum, cui impii non credunt, vident dæmones Deum eſſe, eamque ob cauſam fugiunt, ac coram eo procidunt; eadem, quæ olim, cum in corpore eſſet, dicentes: *Novimus te quis ſis &c.*" Adhuc apertius vero, quomodo per Chriſtum dæmones cum ſuis portentis magicis, præſtigiis, & veneficiis propulſentur, poſtea explicat n. 48. „Veniat & quisquis ea, quæ diximus, experiri cupit, atque in mediis ipſis dæmonum præſtigiis, & oraculorum fallaciis, ac magiæ prodigiis, ſigno crucis, quæ apud ipſos ludibrio eſt, utatur, ſolumque Chriſtum nominet: mox videbit, quomodo per ipſum fugentur dæmones, ceſſent oracula, ars omnis magica veneficaque evaneſcat... Quodſi magum eum eſſe dicant, qui fit, ut a mago omnis ars magica deſtruatur, & non potius confirmetur? Namque ſi dumtaxat homines magos viciſſet, vel uno tantum fuiſſet ſuperior, non immerito ſuſpicarentur, eum arte quadam præſtantiori fuiſſe victorem. Si vero de univerſa arte magica eiusque nomine crux Chriſti triumphavit; perſpicuum ſane inde fuerit, Salvatorem magum non fuiſſe, utpote quem dæmones, quos alii magi invocant, tanquam Dominum fugiunt."

pag. 74. *pag. 48.*

Unum

Digitized by Google

Unum adhuc brevem eiusdem S. Doctoris locum aliunde, nempe *de paſſione & cruce Domini* adſcribam: „Nam qui hactenus idololatræ fuere, *T. II. p. 104.* atque Chriſtum ut hominem calumniati ſunt, eum deinceps idolis abnegatis, Deum agnoſcunt: & quos in idolis dæmones reformidabant, ipſos agnito Domino demum deſerunt, atque ex aliis pellunt: quam item, idololatræ dum eſſent, voluptatem metuebant, eam in Chriſto deſpiciunt: peccatumque, a quo pridem ſuperabantur, iam ſigno crucis vincunt, ludibrioque habent." Sic Eusebius *Cæſareenſis* in opuſculo a Sirmondo edito ma- *T. I. Opp.* iorem poſt reſurrectionem Domini virtutem in dæmones agnoſcit: „Sub *p. 197.* præſentia (inquit) Domini unum dæmonem eiicere non poterant apoſtoli: poſt reſurrectionem autem eius non ſolum illi, ſed & hi, qui ab illis ſtius virtutis ſemen acceperunt, eiiciunt." S. Hilarius vero Divinitatis Verbi in Occidente, ut S. Athanasius in Oriente invictus aſſertor, tempora ante & poſt Chriſtum comparans in illud Pſal. LXIV. 8. *Qui conturbat fun- p. 167. dum maris*; dæmonia fundum maris interpretatur: „In harum enim, inimicarum virtutum fiducia ſæculum conſiſtebat, & hæc in inviſibilibus ſæculi huius profundis latebant. Sonus autem fluctuum cum fundo maris perturbatur. Turbato enim diabolo, omnia terroris ſui miniſteria turbantur: & ipſe, quo gentes pavebant, adverſantium poteſtatum ſonus trepidat. Recordamur vatum murmura, & inconditos bachantium fremitus, & nonnunquam confuſo audientium ſenſu incertum, neſcio quid, ſimulacrorum æra ſonuiſſe, omnem denique profano cerimoniarum cantu mundum reſultantem. Nunc vero Domino Chriſto prædicato, ſilere omnia confutata & trepida, cum hi templorum & gentium dii virtute fidelium ſubiiciuntur ad pœnam: cum credentium verbis torquentur, laniantur, uruntur, & inviſibiles nobis, atque incomprehenſibiles naturæ verbo continentur, puniuntur, abiguntur, cum vates ſilent, cum muta ſunt templa."

S. Ioannes *Chryſoſtomus* etiam argumento hoc corruptos atque excuſſo metu ſenſuque æternarum rebus præſentibus deditos Chriſtianos ſtringit Hom. XIII. in Matthæum: „Si enim (ait) nulli alii credis, dæmo- *T. VII. p.* nibus ſaltem adſta, dum verberantur, iis ſcilicet, qui in perniciem no- *175.* ſtram nihil non dicunt & agunt. Neque enim hoc negaturus es, ipſos nempe nihil non agere, ut deſidiam noſtram augeant; gehennæ metum auferant, efficiantque, ut futuro iudicio fidem negemus. Attamen, qui hæc cupiunt, clamantes & ululantes ſæpe tormenta illic adhibita prædicant. Unde igitur hæc dicunt, &, contra quam volunt, loquuntur? Non alia de cauſa, quam quod maiori cruciatu cogantur. Neque enim vellent ſponte confiteri, vel ſe a mortuis hominibus torqueri, vel ſe omnino

nino

nino grave quidpiam pati. Qua ergo de cauſa hæc a me dicta ſunt? Quia dæmones, qui nolunt credi gehennam, tamen gehennam confitentur: tu vero, qui tanto dignaris honore, quique ineffabilium conſors es myſteriorum, nec illos imitaris, ſed etiam illis deterior factus es. *Ecquis,* inquies, *ab inferno venit, & hæc nunciavit? Sed & de cœlis quis venit, dixitque Deum eſſe, qui omnia creavit?* "

Noſtro proh dolor! hoc ævo non unum eſt ſcepticorum incredulorumque genus, quos hæc S. Chrysostomi argumentatio petit: quique cum magno numero eorum, quorum retulimus in eandem rem teſtimonia, ætatem illam excedit, quam paſſim neoterici acatholicique donis illis extraordinariis, quæ *gratiæ gratis datæ* vocantur, ſtatuunt ſuo ex ingenio, definiuntque, modum divinæ ponentes largitati. Signa infidelibus data eſſe, non fidelibus aiunt, apoſtoli ad ſuam infidelitatem abuſi auctoritate contra conſenſum omnium veterum ſcriptorum ac hiſtoriam temporum, experientiamque innumeris documentis, teſtimoniiſque aſſertam, atque in eccleſia & ab eccleſia comprobatam,-ſemperque conſpicuam in hoc præſertim, quod tractamus, argumento, poteſtate, inquam, eccleſiæ in dæmones conſtanter exercita, hodieque non ſpernendo, ad revocandam, aut roborandam vacillantem fidem, effectu, quod certis mihi indiciis, ſpontaneaque confeſſione quorumdam conſtat: ut adeo non fruſtra benigniſſimum Numen hæc invicta veritatis Chriſtianæ argumenta; firmamentaque nobis reliquerit, noſtris fortaſſe temporibus, ſi unquam alias, a quo tempore orbis in Chriſtum credidit, ſalutaria. Inſcribit S. Augustinus lib. XXII. caput octavum *de miraculis, quæ, ut mundus in Chriſtum crederet, facta ſunt, & fieri mundo credente non deſinunt.* Inter ea vero, quæ cumulate recenſet, non pauca ſunt, quæ ad noſtrum hunc pertinent tractatum de poteſtate in dæmones, quæ in vera Dei eccleſia conſpicua eſt, ac ſemper erit, tam certo, quam indubitato ex divina promiſſione *portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.*

T. VII. p. 663.

Neque enim falſo eam ſibi adſcribit, omnium tractu ſæculorum, ex quo illam apoſtoli acceperunt a Chriſto, præſcriptam confirmatamque poteſtatem. „Sancta eccleſia (inquit S. Gregorius M. cuius auctoritate toties iam ad dæmonurgiam demonſtrandam ſumus uſi, utemurque porro) quotidie ſpiritualiter facit, quod tunc per apoſtolos corporaliter faciebat. Nam ſacerdotes eius, cum per exorciſmi gratiam manus credentibus imponunt, & habitare malignos ſpiritus in eorum mente contradicunt, quid aliud faciunt, niſi dæmones eiiciunt?" Quam ſententiam poſtea Ven. Beda lib. IV. in cap. 16. Marci his verbis expreſſit: „An non habemus de his ſignis atque virtutibus, quæ adhuc ſubtilius conſiderare debea-

Hom. XXIX. in evang.

T. V. p. 173.

beamus? ſancta quippe eccleſia quotidie ſpiritualiter facit, quod bene per apoſtolos corporaliter faciebat. Nam ſacerdotes eius cum per exorciſmi gratiam manum credentibus imponunt, & habitare malignos ſpiritus in eorum mente contradicunt, quid aliud faciunt, niſi dæmonia eiiciunt?"

IV. Perſpicuum eſt, hic agi de exorciſmis aliis, quam quorum uſus eſt in obſeſſos a dæmone corporaliter, imo quoad utrumque hominem: ſiquidem Gelasius P. in iam laudata epiſtola ad epiſcopos per *Lucaniam* conſtitutos c. 21. in energumenis proprie ſeu ſtricte ſic dictis mentis abreptionem ſpectat, dum eos a ſacris miniſteriis arcendos ſciſcit: „Poſtremo (inquit) ſi corpore fortaſſis aut debilem, nequaquam ſancta contingere lex divina permiſit; quanto magis doni cœleſtis diſpenſatores eſſe non convenit (quod eſt deterius) mente percuſſos." Sunt hi duo illi celeberrimi Pontifices *Romani* Gelasius & Gregorius M. quorum nomine etiamnum extant liturgiæ, ex quibus compoſitæ ſunt noſtræ *Alemannicæ*. Continent vero diverſi generis exorciſmos ſeu adiurationes rerum etiam inanimatarum ſalis, aquæ, olei &c. hodieque uſitatas; quarum exordium quoddam (ſc. *Exorcizo te per Deum verum*) in antiquiſſimis ſcriptoribus *Latinis* notatur. Sic S. Cyprianus *de idolorum vanitate* dæmonia homines obſidentia perſtringens: *Hi tamen*, ait, *adiurati per Deum verum a nobis ſtatim cedunt, & fatentur, & de obſeſſis corporibus exire coguntur*. Item iam laudatus Minutius *Felix*: *Adiurati per Deum verum & ſolum inviti & miſeri corporibus inhorreſcunt.* Et Lactantius lib. IV. *divin. inſtitut.* c. 27. *Iidem dæmones adiurati per nomen Dei veri protinus fugiunt.* Voce tamen *Græca* (iam Iustino aliisque, quos modo citavimus, *Græcis* auctoribus frequentata) his omnibus vetuſtior antiquiſſimus ſcriptorum *Latin.* Tertullianus utitur in lib. *de Idol.* c. 11. „Quo ore (inquit) Chriſtianus thurarius, ſi per templa tranſibit, fumantes aras deſpuet, & exſufflabit, quibus ipſe proſpexit? Qua conſtantia exorcizabit alumnos ſuos, quibus domum ſuam cellarium præſtat? Ille quidem, ſi excluſerit dæmonium, non ſibi placeat de fide."

Exorciſmi. T. IV. Bibl. PP. p. 505.

Alio ſenſu occurrit ea vox apud Optatum *Milevitanum* lib. II. *de ſchiſmate Donatiſt. Exorcizaſtis*, ait, *& laviſtis ſine cauſa parietes: ut hoc nequitiæ genere ſubrueretis ſimpliciſſimorum hominum mentes.* Et paullo poſt: *Quid iniquius, quam exorcizare Spiritum ſanctum? altaria frangere? Euchariſtiam animalibus proiicere?* Quibus verbis oſtendit, ut pluribus explicat abb. Duguet, quam inique templa Catholicorum, ac perſonas ſacras violaverint ceu prophanatas, lavando parietes, capita ſacerdotum radendo, rebaptizando præſertim, ut lib. IV. n. 6. obiicit: „Vos re-

pag. 41. pag. 55. Diſſ. ſur les Exorciſmes p. 86. ſeq.

rebaptizando exorcizaſtis fidelem, & dicitis Deo habitanti: *Maledicte exi foras*; ut compleatur, quod a Deo dictum eſt per prophetam Ezechielem: *Et maledicebant mihi in populo meo.*" Verba illa etiamnum in exorciſmo catechumenorum habentur, de quo S. Augustinus in lib. I. *de peccat. merit. & remiſſ.* c. 34. & paſſim alibi contra *Pelagianos* argumentum petit: „Vellem (inquit) aliquis iſtorum, qui contraria ſapiunt, mihi baptizandum parvulum afferret. Quid in illo agit exorciſmus meus, ſi in familia diaboli non eſt? Ipſe certe mihi fuerat reſponſurus pro eodem parvulo, quem geſtaret, quia ille pro ſe reſpondere non poſſet. Quomodo ergo dicturus erat, eum renunciare diabolo, cuius in eo nihil erat? In veritate itaque non in falſitate poteſtas diabolica exorcizatur in parvulis."

Exorciſtæ.

V. Vox ἐξορκίζω paſſim in novo teſtamento adhibetur, eaque Pontifex maximus erga Chriſtum uſus *Adiuro te*, inquit, *per Deum vivum*: ſic & *Iudæi* exorciſtæ tentaverunt invocare ſuper eos, qui habebant ſpiritus malos dicentes: *Adiuro vos per IESUM, quem Paulus prædicat.* (*Act.* 19, 13.) Exorciſtarum apud *Iudæos* originem & modum admodum fabuloſum deſcribit Iosephus lib. VII. *belli Iudaici* & lib. VIII. antiq. *Iudaic.* c. 2. Extat S. Hippolyti Epiſc. & Mart. poſt initia ſæc. III. *de Chariſmatibus. Traditio apoſtolica*, ut inſcribitur, relata in *Conſtitut. Apoſt.* lib. I. c. 1. & 2. (*T. II. Bibl. PP. p.* 509.) intelliguntur autem ſigna eos, qui crediderint, ſecutura: *In nomine meo dæmonia eiicient &c.* „Quæ chariſmata (ita ibi) ſeu dona prius quidem nobis apoſtolis tradita ſunt, qui omni creaturæ prædicaturi eramus evangelium; poſtea vero neceſſario iis, qui per nos crediderunt, præbentur; non ad utilitatem ea operantium, ſed ad infidelium aſſenſionem; ut quibus non perſuaſit ſermo, hos virtus ſignorum flectat ac pudore afficiat. Signa enim non nobis fidelibus eduntur, ſed infidelibus, cum *Iudæorum* tum *Græcorum.* Neque enim dæmones eiicere noſtrum emolumentum eſt, ſed eorum, qui per Domini operationem purgantur; ſicut ipſe Dominus nos erudiens oſtendit, dicendo: *Nolite gaudere*; *quia ſpiritus vobis obediunt*; *ſed gaudete, quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cælo*: quando illud quidem ipſius virtute fit; hoc autem noſtro affectu & ſtudio, nobis videlicet ab eo adiutis. Non ergo neceſſe eſt, ut omnis fidelis dæmones expellat, aut ſuſcitet mortuos, aut linguis loquatur; ſed is, qui chariſmate dignatus eſt propter aliquam cauſam utilem ad ſalutem infidelium, qui ſæpe non ſermonum demonſtratione, ſed ſignorum operatione commoventur, quippe digni ſunt ſalute; non enim omnes impii miraculis convertuntur."

De

Digitized by Google

De exorciſtis eadem omnino leguntur in *Conſtitutionibus Apoſtol.* lib. VIII.c. 25. item: „Exorciſta non fit ordinatione. Animi enim plane voluntarii certamen eſt, ac gratiæ Dei per Chriſtum ex adventu Spiritus ſancti. Qui enim accipit donum ſanationum per revelationem declaratur a Deo; omnibus ſiquidem manifeſta eſt gratia huiusmodi. Si autem opus eo fuerit, epiſcopus aut presbyter aut diaconus ordinetur." Unde ad hodiernum uſque diem eccleſia *Græca* caruit peculiari hoc ordine. Qui apud EUSEBIUM in libello *de martyribus Palæſtinis* memoratur *Cæſareenſis* in *Palæſtina* eccleſiæ exorciſta ROMANUS, ſimul diaconus dicitur. PROCOPIUS autem, qui primus inter martyres *Palæſtinos* notatur, tria in eccleſia *Scythopolitana* miniſteria præbuiſſe perhibetur in eius paſſione inter acta ſincera apud RUINARTUM, unum in legendi officio, alterum in *Syri* interpretatione ſermonis, & tertium adverſus dæmones manus impoſitione conſummans. Acta hæc ad annum 303. referuntur: dum circa medium iam ſæc. III. CORNELIUS P. in epiſtola ad FABIUM *Antiochenum* exorciſtas cum reliquo *Romano* clero connumerat apud EUSEBIUM: *exorciſtas & lectores cum oſtiariis quinquaginta duos.* Eodem tempore S. CYPRIANUS ad MAGNUM ſcribens: „Quod hodie (ait) etiam geritur, ut per exorciſtas voce humana & poteſtate divina flagelletur, & uratur, & torqueatur diabolus, & cum exire ſe & homines Dei dimittere ſæpe dicat, in eo tamen quod dixerit, fallat."

Cap. 2. n. 5. apud Ruinart. p. 318.

pag. 353.

Hiſt. eccl. lib. VI. c. 43.

Ad eundem vero S. CYPRIANUM FIRMILIANUS perſcribens de ſupra memorata pſeudoprophetiſſa a dæmone incantata inter epiſtolas eius 75. „Subito (pergit) apparuit illi unus de exorciſtis vir probatus & circa religioſam diſciplinam bene ſemper converſatus, qui exhortatione quoque fratrum plurimorum, qui & ipſi fortes ac laudabiles in fide aderant, excitatus, erexit ſe contra illum ſpiritum nequam revincendum, qui ſubtili fallacia etiam hoc paullo ante prædixerat, venturum quendam adverſum & tentatorem infidelem. Tamen ille exorciſta inſpiratus Dei gratia fortiter reſtitit, & eſſe illum nequiſſimum ſpiritum, qui prius ſanctus putabatur, oſtendit." Occurrit exorciſtæ nomen in vulgata *Brixienſi* inſcriptione FL. LATINO epiſcopo, qui fuerit prius presbyter annis XV. & exorciſta annis XII. S. MARTINUS, qua ratione exorciſta primum eccleſiæ *Pictavienſis* a S. HILARIO fuerit factus, in eius vita *Sulpitius* SEVERUS his enarrat verbis: „Tentavit autem idem HILARIUS, impoſito diaconi officio, ſibi eum arctius implicare, & miniſterio vincire divino; ſed cum ſæpiſſime reſtitiſſet, indignum ſe eſſe vociferans, intellexit vir altioris ingenii, hoc eum modo poſſe conſtringi, ſi id ei officii imponeret, in quo quidam locus iniuriæ videretur. Itaque exorciſtam eum eſſe præcepit.

pag. 323.

Cap. 5.

Quam ille ordinationem, ne deſpexiſſe tanquam humiliorem videretur, non repudiavit."

Hoc tamen non obſtante in iſto ordine ob officii genus & chariſma ſpectanda imprimis virtus & probitas fuit. Quemadmodum S. PAULINUS epiſt. V. ad AMANDUM, *prorſus*, ſcribit, *per omnia* CARDAMUS *nobis tam bellus apparuit, ut clericum probabilem hominibus, & exorciſtam dæmoniis terribilem videremus.* S. AMBROSIUS, *alius*, inquit, *diſtinguendæ lectioni aptior, alius pſalmo gratior, alius exorcizandis, qui malo laborant ſpiritu, ſollicitior.* Faciunt huc preces, quas in eorum ordinatione fundit eccleſia, breviſſimæ quidem in ſacramentario *Gelaſiano*, eædem ac in miſſali *Francorum*, *ut ſit ſpiritalis imperator ad abiiciendos dæmones de corporibus obſeſſis cum omni nequitia eorum multiformi.* Et mox: *ut per impoſitionis manuum & oris officium eum eligere digneris: & imperium habeat ſpirituum immundorum coercendorum, & probabilis ſit medicus eccleſiæ tuæ, gratiæ curationum virtute confirmatus.* In antiquiſſimis ſacramentariis *Gelaſiano* & aliis eadem ordinationis forma, quæ hodieque obtinet, præſcribitur, qualis iam in concilio *Carthaginenſi* IV. Can. 7. habetur: „Exorciſta cum ordinatur, accipiat de manu epiſcopi libellum, in quo ſcripti ſunt exorciſmi, dicente ſibi epiſcopo: *Accipe & commenda memoriæ & habeto poteſtatem imponendi manus ſuper energumenum ſive baptizatum, ſive catechumenum.* can. 90. „Omni die exorciſtæ energumenis manus imponant. can. 92. Energumenis in domo Dei aſſidentibus victus quotidianus per exorciſtas opportuno tempore miniſtretur."

L. I. de Off. cap. 44.

Lib. I. n. 95.

T. II. Conc. p. 1200.

VI. Ex allatis paullo ante teſtimoniis SS. IUSTINI, IRENÆI & aliorum antiquiſſimorum doctorum elucеſcit, quando de poteſtate excludendi dæmones, ut paſſim loquebantur, erat ſermo, indiſcriminatim fere eos loqui: tum quod necdum ſtatim ab eccleſia certis perſonis in clerum aſſumtis id muneris aſſignaretur, cum etiam quod ex Chriſti promiſſione ac gratia communis in devictum iam diabolum virtus fide pollentibus ſuper omnem virtutem inimici, tunc præcipua eſſet, ac promiſcuum chariſma. Sic S. IUSTINUS M. quem ipſum non conſtat ſacri miniſterii quodam gradu fuiſſe inſignitum, generaliter loquitur in dialogo cum TRYPHONE n. 76. *Et nunc, qui in crucifixum ſub Pontio Pilato* IESUM *Dominum noſtrum credimus, dæmonia omnia & malos ſpiritus adiurando poteſtati noſtræ ſubiicimus.* TERTULLIANUS provocat gentiles in apologetico c. 27. „Edatur hic aliquis ſub tribunalibus veſtris, quem dæmone agi conſtet. Iuſſus a quolibet Chriſtiano loqui ſpiritus ille, tam ſe dæmonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falſo." Paſſim alibi hinc petito argumento

Promiſcuus a primis ſæculis exorcizandi uſus fidelium.

Pag. 173.

gumento inceſſit eos ex Chriſtianis, qui ſe, ut tunc proclive erat, ſuperſtitionibus quibusdam abripi ſinerent. „Quo ore Chriſtianus, (ſcribit in libro *de idololatria*) thurarius, ſi per templa tranſibit, fumantes aras deſpuet, & exſufflabit, quibus ipſe proſpexit? Qua conſtantia exorcizabit alumnos ſuos, quibus domum ſuam cellarium præſtat?" Et in libro *de corona militis*: „Et quos interdiu exorciſmis fugavit, noctibus defenſabit."

Quæ alibi iam relata ſtudioſe hic repeto, ſuntque probe obſervanda ad exſtimulandum fidelium ſtudium contra quotidianos etiam dæmonum inſultus in utrumque hominem, inſidiasque inimici occultas & manifeſtas in anima & corpore: cum adverſus ea omnia, ut mox videbimus, invicta nobis ſint arma, ac divina virtus cuique perinde contra dæmones ac alios ſalutis noſtræ hoſtes neceſſaria. „Perſuaſum enim nobis eſt (ſunt ORIGENIS verba) facta corporis, & ortas a prudentia carnis cum Deo inimicitias divino ſpiritu mortificari. Si autem extra ſe rapitur, ſi ſui compos non eſt Pythia, dum vaticinia edit, cuiusnam alius generis cenſeri oportet ſpiritum illum, qui menti & rationi tenebras offundit, præterquam illorum dæmonum, quos ex obſeſſis profligant e Chriſtianis multi, idque ſine ullo inutili magiæ aut incantationis auxilio, ſed ſolis precibus, ſimplicibusque adiurationibus, & quales vel ſimplicior homo poſſit adhibere? Hoc enim plerumque faciunt idiotæ. Quo quidem ea, quæ doctrinæ noſtræ ineſt gratia Chriſti, manifeſte prodit, cum, ut vincantur, cedant, & ex animo corporeque hominis fugentur, non opus ſit ſapiente & in probandis fidei rebus verſato."

Lib. VII. contra Celſ. n. 4. p. 696.

Diſtinctione hic multiplici opus eſt quoad circumſtantias rerum, locorum, atque adeo etiam perſonarum; exorcizandi item uſum publicum in eccleſia aut privatum: prout exempli cauſa a TERTULLIANO notantur *de præſcriptionibus hæreticorum c. 41. ipſæ mulieres hæreticæ quam procaces, quæ audeant docere, contendere, exorciſmos agere, curationes repromittere, forſitan & tingere.* Ubi manifeſtum eſt, de ſtatis ſolemnibus ante baptiſmum in eccleſia agi exorciſmis, qui a miniſtris utique ad id ordinatis debet fieri; cum econtra chariſma expellendi dæmones uſu privato potuerit eſſe aliis etiam conceſſum, quam clericatui addictis, ſicut S. GREGORIUS *Taumaturgus* teſte SOCRATE, dum adhuc laicus eſſet, *multa fecit miracula nunc ægrotos ſanans, nunc dæmonas per epiſtolam fugans.*

Hiſt. eccl. lib. IV. c. 27.

VII. Cum primum vero ſuus eſſe cœpit in cœtibus Chriſtianorum peculiaris energumenorum locus, ac ſtatio, ſtatique circa eos ritus, opus etiam fuit certis formulis ſeu orationibus pro energumenis, qualem iam

Statæ exorciſmorum formulæ.

Digitized by Google

Lib. VIII. c. 7. ſuo loco ex conſtitutionibus apoſtolicis, aliisque monumentis eccleſiaſticis notavimus. In paullo ante citato Conc. *Carthaginenſi* can. 91. ſtatuitur: ut *omni die exorciſtæ energumenis manus imponant:* fit autem canone mox antecedenti mentio libelli, in quo ſcripti ſunt exorciſmi. Invenimus nonnunquam eiusmodi libellos peculiares MſT. præterquam quos ex ipſis ſacramentariis antiquis iam notavimus.

Diſcimus autem ex Origene impoſturam tunc temporis a *Iudæis* Chriſtianis factam, formulis illis incantationum, quas Iosephus *Iudæus* a Salomone compoſitas tradit, de quibus Origenes: „Quæret aliquis (ait) ſi convenit vel dæmones adiurare: & qui reſpicit ad multos, qui talia facere auſi ſunt, dicet, non ſine ratione fieri hoc. Qui autem aſpicit Iesum imperantem dæmonibus, ſed etiam poteſtatem dantem ſuis diſcipulis ſuper omnia dæmonia, & quod infirmitates ſanarent, dicet, quoniam non eſt ſecundum poteſtatem datam a ſalvàtore adiurare dæmonia, *Iudaicum* eſt enim. Hoc etſi aliquando a noſtris tale aliquid fiat, ſimile ſit ei, quod a Salomone ſcriptis adiurationibus ſolent dæmones adiurari. Sed ipſi qui utuntur adiurationibus illis, aliquoties nec idoneis conſtitutis libris utuntur: quibusdam autem & de *Hebræo* acceptis adiurant dæmonia."

Lib. VIII. antiq. Iudaic. c. 2. Serm. 35. in Matth.

S. Ioannes *Chryſoſtomus* Hom. LXXI. in Matthæum n. 4. varias, quæ in liturgia præmitti ſolent, orationes notans, *Et prima*, inquit, *precatio, quam pro energumenis adhibemus, miſericordiæ commemoratione plena eſt.* Alibi rationem reddens: „Qua de cauſa hæc oratio cætera præcedat, & cur dæmoniacos ac mente captos tunc diaconus induci, & capita inclinare iubeat: Mala (ait) gravisque catena eſt agitatio dæmonum; catena, inquam, ferro validior. Quemadmodum igitur iudice prodituro, ut in excelſo tribunali ſedeat, carceris cuſtodes, detentos omnes eductos domicilio, ante cancellos & tribunalis vela collocant, ſquallidos, ſordentes, paſſis capillis, ſciſſis pannis indutos; ita Patres faciendum ſtatuerunt, quando futurum eſt, ut Chriſtus ceu in excelſo tribunali ſedeat, in ipſisque myſteriis appareat, ut ſcilicet dæmoniaci, quaſi vincti quidam inducantur; non ut pœna ſupplicioque afficiantur; ſed ut populo urbeque tota intus præſente communes ſupplicationes fierent, omnes animo uno communem Dominum illorum gratia precantibus, magnaque voce miſericordiam poſcentibus."

T. VII. pag. 699.

Hom. IV. de incompreh. Dei natura. T. I. p. 477.

Pro brevi quadam formula haberi poteſt apoſtoli *Rom.* XVI. 20. votum ac pro fidelibus oratio: *Deus autem pacis conterat ſatanam ſub pedibus veſtris velociter*, ſiquidem continuas illas tentationes, ac infeſtationes diabolicas, quibus obnoxii ſumus, pie conſideremus, affertque

ſpe-

Digitized by Google

ſpecimen illud inter alia abbas DUGUET in ſæpe citata diſſertatione, qua probandum ſuſcepit, quam recte & ſalubriter exorciſmi etiam adhibeantur poſt baptiſmum, ſi forte antea omiſſi fuiſſent; tum vero parte quarta effectus exorciſmorum poſt baptiſmum explicans, optat, ut ſæpius etiam promiſcue inter fideles repeterentur. a) Olim, quando in quotidiano ſacro publice orationes ſuper energumenos fundebantur, poterant fideles ſua etiam coniungere vota ac ſuſpiria „ *ut quidquid communis hoſtis ac inſidiator adhuc reſidui habet tyrannidis, deiiciatur: tentationes omnes infeſtationesque diſcedant, ac latentes inſidiæ inimici: increpetque malos ſpiritus Deus ac liberet opera manuum ſuarum ab alieni ſpiritus vexatione,* ut habet formula conſtitut. apoſtol. *Gabriel.* ALBASPINÆUS perinde ac catechumenos, & energumenos ita etiam pœnitentes in tertio gradu exorciſmis purgatos fuiſſe probat. b) pag. 132. a *De l'Eucharistie lib. I. c. 15. p. 220.* b

VIII. Probandum equidem ibi ſuſcipit, energumenos ab ipſo etiam aſpectu ſacræ Euchariſtiæ fuiſſe remotos, quod porro explicat initio capitis ſequentis nempe 16. eiusdem libri; mutatam vero poſtea eam ſeveriorem diſciplinam, conceſſamque communionem & euchariſtiam, de energumenis, *qui non perpetuo vexarentur*, intelligi vult not. ad Can. 14. Concilii *Arauſicani* I. huiuscemodi: „Energumeni iam baptizati, ſi de purgatione „ ſua curent, & ſe ſollicitudini Clericorum tradant, monitisque obtemperent, „ omnimode communicent, vel muniendi ab incurſu dæmonum, quo infe- „ ſtantur, vel purgandi, quorum oſtenditur iam vita purgatior."

Varia diſciplina circa SS. Euchariſtiam contra dæmonurgiam.

Apud

a) „ Les plus Saints & les plus juſtes, feroient ceux qui les recevroient avec plus de foi & plus de ſentiment de leur miſere. Car ils ſavent bien qu'ils ne ſont remplis de l'Eſprit de J. C. qu'imparfaitement ; que ſon ennemi retient encore en eux pluſieurs choſes uſurpées ; & qu'il n'appartient qu'a celui qui l'a vaincu de dire ces paroles : *Le prince de ce monde va venir. Mais il n'a aucun droit ſur moi.* Tous les autres ont quelque choſe, qui eſt au prince du monde ; & par conſequent le prince du monde a quelque choſe dans leur perſonne qui eſt a luy."

b) „Car combien qu'ils ne fuſſent demoniaques ils etoient toutefois exorciſez & purgez, comme etants en quelque façon en la poſſeſſion du diable, comme les catechumens. Les preuves s'en trouvent dans les canons de SIRICIUS, COELESTINUS, LEON, FELIX, au Concile de *Vaiſon*, d'*Ilerde* & autres, qui tous uſent de ce mot de purger ou de purgation & ordonnent, que les Penitens ſeront purgez par l'impoſition des mains, qui eſt a dire, qu'ils ſeront exorciſez par les oraiſons. Car purger a la meme ſignification dans les auteurs *Latins*, que exorciſer dans les *Grecs* comme nous avons montré cy deſſus par le Concile de *Carthage*. Un paſſage de Saint LEON ſuffira pour tous les autres. Il écrit a l'Eveque de *Narbonne* ces paroles: Ceux qui ont usé de viandes immolées peuvent etre purgez par les Jeunes & par les impoſitions des mains. Cette coutume qu'ils avoient des faire des exorciſmes particulieres, & des inſufflations, quand ils ſe ſentoient tentez, montre bien, qu'ils tenoient les pecheurs en la puiſſance du diable, puiſqu'ils le tenoient actuellement preſent aux tentations, & qu'ils les chaſſoient par les ſufflemens."

Digitized by Google

Apud CASSIANUM Collat. VII. c. 29. *de his, qui ſpiritibus vexantur immundis*, hanc GERMANUS inſtituit quæſtionem: „Quomodo non ſolum „eos deſpici ab hominibus vel horreri, ſed etiam a communione dominica „in noſtris provinciis perpetuo videmus abſtinere ſecundum illam evangelii „ſententiam: *Nolite dare Sanctum canibus, neque mittatis margaritas ve-„ſtras ante porcos*, cum de illis, quemadmodum dicis, ita credendum ſit, „quod eis purgationis vel utilitatis obtentu huius tentationis humiliatio „tribuatur?" Reſpondet vero SERENUS, communionem eis ſacroſanctam a ſenioribus noſtris nunquam ſe meminiſſe interdictam „quin imo ſi poſſi-„bile eſſet (addit) etiam quotidie eis impertiri eam debere cenſebant. Nec „enim ſecundum evangelii ſententiam, quam incongrue huic ſenſui coapta-„ſtis, *Nolite Sanctum dare canibus*, ad dæmonis eſcam ſacroſancta commu-„nio, & non potius ad purgationem ac tutelam corporis animæque per-„venire credenda eſt: quæ ab homine percepta, eum, qui in membris „eius inſidet, ſpiritum, ſeu in ipſis latitare cognoſcitur, velut quoddam „exurens fugat incendium. Hoc namque modo curatum & abbatem AN-„DRONICUM nuper aſpeximus, aliosque quamplures. Magis namque ac „magis inimicus inſultabit obſeſſo, cum eum a cœleſti medicina viderit „ſegregatum, tantoque dirius ac frequentius attentabit, quanto eum a ſpi-„ritali remedio longius ſenſerit abdicatum."

C. 6. Opp. S. Proſperi Appendic. pag. 125.

Circa CASSIANI tempora accidit, quod ſupra ex auctore *de promiſſionibus & prædictionibus Dei* de iuvencula *Araba* ancillæ Dei habitum geſtante in balneo a dæmone obſeſſa narravimus, nunc opportune perſecuturi, quomodo liberata ſit. „Accidit autem (ſcribit) ut quintus decimus dominicus illuceſceret dies. Aſcendente nobiscum ſacerdote, ut matutinum illic ſacrificium ſolito offerretur; puellam præpoſitus ad altare perduxit, eo inceſſu & habitu, quo ſolent rubore perfuſæ ex epulis poculisque mulieres advenire. Sed ut ſe illa proſtravit altari, clamore fletus ſui cunctis adſtantibus gemitus lacrymasque induxit, quibus tantum malum auferendum præſens plebs Dominum exorabat. Erat enim iam indecens murmur in populo. Peracto itaque ſacrificio, cum eadem inter ceteras brevem particulam Corporis Domini tinctam a ſacerdote perciperet, ſemihora mandens traiicere non valuit, nondum illo fugato, de quo dicit apoſtolus: *Quæ conſonantia Chriſti ad Belial?* Et iterum: *Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. Non poteſtis menſæ Domini participare, & menſæ dæmoniorum.* Manu igitur faciem eius ſuſtentante ſacerdote, ne Sanctum proiiceret, a quodam diacono ſuggeſtum eſt, ut calicem ſalutarem gutturi eius pontifex applicaret. Quod ut factum eſt, ſtatim ut locum illum, quem diabolus obſederat, Salvatoris im-

Digitized by Google

imperio reliquit, ſacramentum, quod ore geſtabat cum laude redemtoris transglutiſſe puella clamavit. Hinc lætitia, hinc voces in gloriam Dei, quod poſt octoginta & quinque dies, diabolo expulſo, puella de poteſtate fuerit eruta inimici, oblatio itaque rurſum gratiarum actionis pro ea fit, Sacrificiique percipiens certam partem, priſco eſt reddita uſui. Tunc etiam, dum hæc aguntur, ſpiritu divino actus diaconus eiusdem tituli ſtatuam illam (*Veneris*) ſublatam confregit in pulverem, omnemque inſidiantis aſtutiam ſuperavit divina maieſtas."

De S. Bernardo Ernaldus in eius vita lib. II. c. 2. narrat, cum ex concilio *Piſano* redux *Mediolani* ad eccleſiam S. Ambrosii divina celebraturus proceſſiſſet, exſpectante innumera populi multitudine inter ipſa miſſarum ſolemnia, dum clericis canentibus ipſe ſecus altare ſederet, puellam ei parvulam eſſe oblatam, quam vehementi impetu vexabat diabolus, cuius compaſſus ætati & vehementiæ anxietatis, „patenam calicis, in quo divina celebraturus erat myſteria, accipit: & digitis latice ſuperfuſo, orans intra ſe, & Domini virtute confidens ori puellæ ſalubrem potum applicat, & corpori eius ſtillam medicinalem infundit. Nec mora, quaſi ureretur ſatanas, infuſionis illius virtutem ferre non potuit, ſed urgente intrinſecus crucis antidoto, feſtinanter egrediens, vomitu ſordidiſſimo tremebundus erupit. Sic purgata perſona, diabolo profugo & confuſo, laudes debitas Deo canit eccleſia." *T. II. pag. 1092.*

Mox ſequenti capite refertur, quomodo *Mediolani* item dæmonem in obſeſſa muliere ipſum pede percutientem ſit aggreſſus ſub ipſa immolatione hoſtiæ ſalutaris: „Quoties eandem ſacram hoſtiam ſignat, toties ad mulierem quoque converſus, eodem ſigno crucis edito ſpiritum nequam athleta fortis impugnat. Nam & ille malignus, quoties adverſus eum ſignum crucis intenditur, percuſſum ſe indicans, acrius ſævit, & recalcitrans contra ſtimulum, quidnam toleret, prodit invitus. Expleta autem oratione dominica, efficacius hoſtem aggreditur vir beatus. Patenæ ſiquidem calicis ſacrum Domini corpus imponens & mulieris capiti ſuperponens, talia loquebatur: *Adeſt, inique ſpiritus, iudex tuus, adeſt ſumma poteſtas. Iam reſiſte ſi potes. Adeſt ille, qui pro noſtra ſalute paſſurus*, Nunc, *inquit*, princeps huius mundi eiicietur foras. *Hoc illud corpus, quod de corpore Virginis ſumtum eſt, quod in ſtipite crucis extenſum eſt, quod in tumulo iacuit, quod de morte ſurrexit, quod videntibus diſcipulis aſcendit in cœlum. In huius ergo maieſtatis terribili poteſtate tibi, ſpiritus maligne, præcipio, ut ab hac ancilla eius egrediens contingere eam deinceps non præſumas.* Cumque eam invitus deſerens, & manere ultra non valens atrocius affligaret, tam magnam iram, quam modicum tempus ha- *pag. 1097.*

bens, rediens Pater ſanctus ad altare, fractionem hoſtiæ ſalutaris rite complevit, diffundendamque in populum pacem miniſtro dedit, & confeſtim pax & ſalus integra reddita eſt mulieri."

Quomodo S. UDALRICUS *Cluniacenſis* monachus arreptitium Corpore dominico vi refecerit, legitur in eius vita apud MABILLONIUM *Act. O. S. B.* ſæc. VI. T. II. n. 23. Teſte S. AUGUSTINO lib. XXII. *de Civit. Dei* c. 8. n. 6. „Vir tribunitius HESPERIUS, qui apud nos (inquit) eſt, habet in territorio *Fuſſalenſi* fundum, *Cubadi* appellatum: ubi cum afflictione animalium & ſervorum ſuorum, domum ſpirituum malignorum vim noxiam perpeti comperiſſet, rogavit noſtros, me abſente, presbyteros, ut aliquis eorum illo pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit unus: obtulit ibi ſacrificium Corporis Chriſti, orans quantum potuit, ut ceſſaret illa vexatio: Deoque protinus miſerante ceſſavit." Sed hæc ſingularia ſunt & extraordinaria, nec facile in exemplum trahenda, niſi altiore quodam afflatu ſeu auctoritate.

T. VII. pag. 666.

IX. Id vero in eccleſia Chriſti ſemper & ubique obtinuit, ut ſancto & terribili nomine eius maligni ſpiritus cum eorum infeſtationibus revincerentur per veros Dei cultores; quos veritate victi dæmones confiteri coguntur, veluti in Actis Apoſt. XVI. 17. legimus ſpiritum pythonem clamantem: *Iſti homines ſervi Dei ſunt, qui annuntiant vobis viam ſalutis.* Hoc tamen nihil morante exire iuſſus in nomine IESU Chriſti a PAULO, confeſtim obtemperavit. Sicque ſemper in eccleſia Dei, eiusque nomine ad confeſſionem veritatis, & obediendum ſunt compulſi dæmones, qui & quales ipſi ſint haud diffeſſi, quod olim ad abolendam idololatriam plurimum iuvit. „Iuſtos autem (inquit LACTANTIUS) id eſt cultores Dei metuunt: cuius nomine adiurati de corporibus excedunt, quorum verbis tanquam flagris verberati, non modo dæmonas ſe eſſe confitentur; ſed etiam nomina ſua edunt, illa, quæ in templis adorantur, & quod plerumque coram cultoribus ſuis faciunt, non utique in opprobrium religionis, ſed honoris ſui: quia nec Deo, per quem adiurantur; nec iuſtis, quorum voce torquentur, mentiri poſſunt. Itaque maximis ſæpe ululatibus editis, verberari ſe & ardere, & iam iamque exire proclamant, tantum habet Dei cognitio ac iuſtitia poteſtatis. S. THEOPHILUS lib. II. ad AUTOLYCUM ut demonſtret HOMERUM & HESIODUM vero Numine non fuiſſe afflatos, quod ſuis in carminibus venditant poetæ illi, inde argumentum petit: *Quod qui a dæmonibus interdum corripiuntur, ii etiamnum adiurentur per nomen veri Dei, tuncque fallaces illi ſpiritus dæmones ſe eſſe fateantur, qui etiam olim in iſtis ſcriptoribus operabantur.* Paullo ante alia SS. Patrum

Exorciſmus in nomine Dei,

Lib. II. Inſtitut. div. c. 15.

Poſt opera S. Iuſtini p. 354.

loca

Digitized by Google

loca citavimus, in quibus formula adiurationis *per Deum verum*, ut hodieque ſolemne eſt, exprimitur. S. Irenæus lib. II. *contra hæreſes* c. 6. quo contra *Valentinianorum* deliria demonſtrat, ab angelis, aut a demiurgo, ſeu mundi fabricatore, quem illi fingebant, ſupremum Deum ignorari nunquam potuiſſe: „Et propter hoc (inquit) Altiſſimi & Omnipotentis appellationi omnia ſubiecta ſunt: & huius nominis invocatione etiam ante adventum Domini noſtri ſalvabantur homines, & a ſpiritibus nequiſſimis, & a dæmoniis univerſis. . . . Et propter hoc *Iudæi* uſque nunc hac ipſa adſatione (*advocatione*) dæmones effugant, quando omnia timeant invocationem eius, qui fecit ea.“ *pag.* 127.

Clarius hanc rem explicat S. Iustinus M. in Dialogo cum Tryphone *Iudæo*: *Sin vos*, ait, *per nomen quodvis, qui vobis fuere, regum, aut virorum iuſtorum, aut prophetarum, aut patriarcharum adiuratis, non ſubiicietur vobis dæmonium aliquod: Cæterum ſiquis veſtrum adiuret per Deum Abrahæ, & Deum Iſaac, & Deum Iacob, forte ſubiicietur.* De hoc adiurationis ſeu exorciſmi genere, quo Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob etiamnum in variis exorciſmis, quorum uſus eſt quotidianus in eccleſia, invocatur, non ſemel mentionem facit Origenes in libris contra Celsum, ac ſi etiam ab aliis gentibus adhiberetur. „Multis etiam eorum (ſcribit lib. I. num. 22.) qui incantant dæmonia, uſurpatur illud: *Deus Abrahami*; hincque indicant, qua cum Deo vir ille iuſtus fuerit familiaritate coniunctus. Quocirca Deum Abrahami invocant, etiamſi neſciant, quis ille fuerit Abrahamus. Quod idem de Isaac, de Iacob, de Israel dicendum: quæ nomina, licet, ut in confeſſo eſt, *Hebraica* ſint, in ſuis tamen ritibus adhibent *Ægyptii*, cum aliquid mirabile pollicentur.“ Et libro IV. n. 33. „Manifeſtum eſt *Iudæos* ortos eſſe a tribus illis patribus Abraham, Isaac, & Iacob: quorum nomina, ſi cum Dei nomine coniunguntur, tantam vim habent, ut non ſolum *Iudaica* gens in ſuis ad Deum precibus, & in excantandis dæmoniis uſurpet iſtud: *Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob;* ſed etiam quotquot fere incantationibus & magicis artibus operantur. Sæpe enim in libris magicis invenitur hæc Dei appellatio, & Dei nominis uſurpatio, ut quæ arctam habeat cum illis hominibus neceſſitudinem contra dæmones. Arbitror igitur hæc, quæ *Iudæi* & Chriſtiani adhibent ad probandum Abraham, Isaac, & Iacob *Iudaicæ* gentis patres fuiſſe viros ſanctitate inſignes, Celso non fuiſſe incomperta: & quod illa non perſpicue propoſuit cauſam fuiſſe vim eorum, quam frangere poſſe deſperabat.“ Ubi vides Origenem uſum horum nominum in exorcizando etiam apud Chriſtianos agnoſcere.

Abraham, Isaac, & Iacob, Israel, Sabaoth, Adonai.

T. I. p. 339. *pag.* 526.

Xx xx 2 At

At vero ſuperſtitioſa ſunt, quæ idem lib. V. n. 45. 46. de his aliisque nominibus *Hebraicis* in exorciſmis adhiberi ſolitis diſſerit: „Nomina Abraham (ait) Isaac, & Iacob in *Græcum* converſa aliquid ſignificant: & qui aut in cantando aut in iurando nominaverit Deum Abraham, & Deum Isaac, & Deum Iacob, quædam per naturam vel poteſtatem illorum nominum efficiet, adeo ut etiam dæmones victi ipſius iuſſis obtemperent. Sin autem dixeris: Deus *patris electi ſoni*, & Deus *riſus*, & Deus *ſupplantatoris*, nihilo magis efficies his nominibus, ac ſi illa pronunciares, quæ nulla poteſtate ſunt. Item nomen Israel ſi in *Græcam* aliamque linguam convertatur, nullius roboris erit: ſervatum vero & coniunctum cum iis, quibuscum periti coniungere ſolent, efficiet: id incantatores ex quarumdam vocum pronuntiatione ſperandum eſſe prædicant. Idem dicendum & de voce *Sabbaoth* in incantationibus frequenter uſurpata. Nam ſi pro ea dicatur, Dominus virtutum, aut Dominus exercituum aut omnipotens (diverſe enim illam interpretes explicant) nihil proficitur, quod ſecus accidet, ut affirmant harum rerum artium conſulti, ſi propria ſua lingua pronuncietur. De Adonai idem quoque dicere licet." Uti vero legitimus fuit ſemper horum aliorumque Dei in S. ſcripturis notatorum nominum uſus, ita etiamnum ſuperſtitionibus variis inſervit more a *Iudæis* tracto.

pag. 612.

In nomine Chriſti Domini

X. Nobis autem præ omnibus aliis adeſt Chriſti nomen, ac virtus verbi divini, per quam omnis diaboli poteſtas, & ſuperſtitio, qua mundum & in eo homines obſidebat in cultu idolorum, diſſoluta eſt. „Sic (ut cum Iulio *Firmico* loquar) apud nos Deos veſtros, cum hominibus nocere cœperint, religioſi ſermonis flagella caſtigant. Sic in corpore hominum conſtituti Dei veſtri, verbo Dei ſpiritualium flammarum igne torquentur." Et S. Petrus *Chryſologus* in illud *Matth.* VIII. 16. *& eiiciebat ſpiritus verbo*: „Quia ad nos Chriſtus (inquit) carne non venit, venit verbo: ubi ergo venit fides ex auditu, auditus per verbum, nos fecit liberos dæmoniaca ſervitute: dæmones reddidit ex impia dominatione captivos. Hinc eſt, quod dæmones ſub manibus noſtris torquentur imperantibus nobis, qui nos ſubiiciebant, & vacuas quotidie per figuras inani timore vexabant."

De errore & falſitate profan. relig. c. 14.

Ser. XVIII. pag. 33.

Opus illud Chriſtus in terris exiſtens aggreſſus eſt per ſe ac ſuos diſcipulos dæmonia ex obſeſſis eiiciendo corporibus. *Reverſi ſunt autem ſeptuaginta duo cum gaudio dicentes: Domine etiam dæmonia ſubiiciuntur nobis in nomine tuo.* Luc. X. 17. Perſpicua eſt Chriſti Domini promiſſio, dum ſuos ad prædicandum in univerſum mundum miſit *Marci* ultimo v. 17. *In*

nomine

nomine meo dæmonia eiicient. Palam ſemper de hac facultate gloriatus eſt Chriſtianorum cœtus, atque per continuam ſucceſſionem inde ab apoſtolicis temporibus poſteritati tranſmiſit hanc poteſtatem ex virtute nominis Chriſti verbi incarnati. „Per nomen ipſius Dei (S. IUSTINUS TRYPHONEM *Iudæum* alloquitur) & primogeniti creaturæ omnis, dæmonium omne adiura, tum vincitur, & in ditionem redigitur.“ Et TERTULLIANUS gentiles in Apolog. c. 23. „Atqui omnis hæc noſtra in illos dominatio, & poteſtas de nominatione Chriſti valet, & de commemoratione eorum, quæ ſibi a Deo per arbitrum Chriſtum imminentia exſpectant. Chriſtum timentes in Deo, & Deum in Chriſto, ſubiiciuntur ſervis Dei & Chriſti.“ *pag. 23.*

Modo laudatus IULIUS *Firmicus* non ita multo poſtquam a gentiliſmo ad Chriſtianam religionem tranſivit ſub CONSTANTIO & CONSTANTE, cum iam totus pæne orbis eſſet Chriſtianus: „Ecce (inquit) dæmon eſt, quem *L. cit. c. 25.* colis, cum Dei & Chriſti eius nomen audierit, contremiſcit: & ut interrogantibus nobis reſpondeat verba trepidantia, vix ſe colligit: adhærens homini laceratur, uritur, vapulat, & ſtatim de commiſſis ſceleribus confitetur.“ S. ATHANASII *de incarnatione Verbi* opus inſigne cumprimis in hoc verſatur argumento, ut per Chriſtum artes magicas, præſtigiasque dæmonum in nihilum redactas declaret, ut iam ſupra eum loquentem induximus, demum *Quis igitur*, concludit, *& quantus eſt hic Chriſtus, qui ſolo ſui nominis vocabulo præſentia omnia adobruit & otioſa reddit.* S. GREGORIUS *Nazianzenus* in carm. ad NEMESIUM ethnicum ad propriam provocat experientiam de virtute nominis Chriſti contra cacodæmones: „Ipſe (inquit) qui Chriſto nomen dedi, auguſtum illud nomen vix plerumque pronuntiavi, cum ſtatim dæmon non ſine ſtridore graviſſimoque dolore longiſſime ſe proripuit, Dei immortalis vim ac potentiam clamans.“ Add. Carm. iamb. 18. ad DEM. Sic in orat. I. Apologetica n. 144. „Ac *T. I. p. 52.* dæmones quidem (ait) etiamnum vocato Chriſto contremiſcunt, nec ob noſtram improbitatem huius nominis vis imminuta & extincta eſt: nos vero rem nomenque adeo venerandum contumelia afficere non veremur: idque, cum aperte propemodum, ac ſingulis diebus clamantem eum audiamus: *Nomen meum propter vos inter gentes blaſphematur.*“

S. GAUDENTIUS *Brixienſis* ſerm. XVIII. *de villico iniquitatis*, hunc diabolum interpretatus: „Qui (inquit) idcirco ob correptionem generis humani ſæculo iſto dimiſſus eſt, ut immanitatem crudeliſſimi huius villici fugientes, ad pietatem Dei ſuppliciter concurramus, cuius miſericordia atque virtute contra omnes infeſtationes eius defenſi eſſe poſſimus: quando-

Digitized by Google

quidem & ipſe villicus ſub poteſtate conſtitutus eſt Domini Dei, illius vere divitis, qui, ſicut docet apoſtolus, *dives eſt in omnes, & ſuper omnes, qui invocant eum. Omnis enim qui invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.* Diſſipat autem diabolus facultatem Domini ſui, quando in perniciem generis humani graſſatur, id eſt in noſtram necem, qui poſſeſſio Dei ſumus."

T. III. P. II. pag. 144. Huc vero cumprimis facit, quod S. AUGUSTINUS Tract. VII. in Cap. I. IOANNIS n. 6. vehementer dolet, ipſum Chriſti nomen ad ſuperſtitiones dæmonicas a Chriſtianis adhiberi: „Fingunt enim (inquit) ſpiritus mali umbras quasdam honoris ſibimetipſis, ut ſic decipiant eos, qui ſequuntur Chriſtum. Uſque adeo, fratres mei, ut illi ipſi, qui ſeducunt per ligaturas, per præcantationes, per machinamenta inimici, miſceant præcantationibus ſuis nomen Chriſti: quia iam non poſſunt ſeducere Chriſtianos, ut dent venenum, addunt mellis aliquid, ut per id, quod dulce eſt, lateat, quod amarum eſt, & bibatur ad perniciem. Uſque adeo, ut ego noverim aliquo tempore illius PILLEATI ſacerdotem ſolere dicere: *Et ipſe* PILLEATUS *Chriſtianus eſt.* Ut quid hoc fratres, niſi quia aliter non poſſunt ſeduci Chriſtiani?"

Poſt opera S. Leonis pag. 166. S. MAXIMUS *Taurinenſis* epiſcopus in ſermone 67. *de defectione lunæ*, eccleſiam lunæ comparans: „Quoties eam (inquit) ſicut lunam putatis magorum carminibus laboraſſe? quoties eam malæ artes de cœli regno, deducere voluerunt? Nam primum utique IANNES & MAMBRES magi cum MOYSE ſignis prodigiisque reſiſterent, eccleſiam ſubvertere cupiebant; ſed ſacris vocibus veneficorum carmen nocere non potuit. Nihil enim in-
pag. 185. cantationes valent, ubi Chriſti canticum decantatur &c." Et infra Homil. II. *de ieiunio quadrageſ.* explicata Chriſti per ſatanam tentatione. „Triumphus ille (inquit) quantæ ſit gloriæ, obſequia nos docent angelorum. Nec mirum ſane, ſi eius angeli miniſteriis occurrerunt, cuius victoriam mirabantur. Et ideo, fratres, ſi nolumus a diabolo ſuperari, inhæreamus ei, qui diabolum triumphavit. Adhærere autem eſt Chriſto credere, & paternæ illi Deitatis eſſe naturam, & materni corporis veritatem. Vincere autem diabolum ipſo ſuffragante Domino poterit, quicunque ſalutaria Dei præcepta ſuſpirans, ſtuduerit exoſam cunctis tumidæ mentis ſuæ inclinare ſuperbiam &c." Et ſic per ſingula it, quorum in nobis inimicus homo ſemina ſparſit eradicanda omni ſtudio a veris Chriſti cultoribus, diaboli in eius nomine & virtute triumphatoribus.

Et Salvatoris IESU. XI. Sanctum hoc nomen quam ipſis terribile eſſet, ſtatim ſenſiſſe viſi ſunt dæmones. Siquidem animadverſum eſt, primum apud Evangeli-

ſtas

ſtas pronuntiatum legi illis clamantibus; ex homine qui dæmonium habe-
bat immundum, voce magna: *Sine, quid nobis & tibi IESU Nazarene?* Marc. 1, 23.
Veniſti perdere nos? Scio te, quis ſis, ſanctus Dei. Inceperat tunc pri- Luc. 4, 34.
mum vocatis apoſtolis, prædicandi officium, itaque innoteſcebat tum pri-
mum nomen Iesu, *quod vocatum eſt ab angelo, priusquam in utero con-*
ciperetur: iuſſo nimirum per angelum Ioseph *Math.* I. 21. vocare *no-*
men eius IESUM: ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eo-
rum: quod nimirum ipſum etymon nominis eſt conveniens cum re, ut
Petrus ſignificat principibus ſacerdotum & populo, poſtquam in nomine Act. 4, 10.
Iesu primum miraculum in claudi curatione fecerat: *Notum ſit omnibus* ſeq.
vobis, & omni plebi Iſrael: quia in nomine Domini noſtri IESU Chriſti
Nazareni, quem vos crucifixiſtis: quem Deus ſuſcitavit a mortuis, in hoc
iſte adſtat coram vobis ſanus. Hic eſt lapis, qui reprobatus eſt a vobis æ-
dificantibus, qui factus eſt in caput anguli. Et non eſt in alio aliquo ſalus.
Nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos
ſalvos fieri. Sic Paulo poſtea præcipiente pythoni ſeu cacodæmoni puel- Act. 16, 18.
lam obſidenti, *In nomine IESU Chriſti exire ab ea: exiit eadem hora.* Fa-
ctum hinc, ut tentarent & quidam ex *Iudæis* exorciſtis adiurare ſpiritus
malos *per IESUM, quem Paulus prædicat.* Act. 19.

Hanc vim nominis Iesu S. Iustinus M. in Apologia ſua pro Chri-
ſtianis ad ſenatum *Romanum* opportune exponens: „Iesus autem (ait) n. 6. p. 93.
& hominis & Salvatoris nomen & ſignificationem habet. Nam & ho-
mo factus eſt, ut antea diximus, de Dei & Patris voluntate partu editus Apol. I. n.
pro credentibus hominibus, & ad dæmonum everſionem. Id profecto 23. & 33.
ex his, quæ in omnium oculis geruntur, perſpicere poteſtis. Plurimos
enim dæmoniis agitatos in toto orbe & in urbe veſtra, multi ex noſtris
Chriſtianis, cum per nomen Iesu Chriſti ſub Pontio Pilato crucifixi
adiurarent, ab aliis adiuratoribus, incantatoribus & veneficis non ſanatos
ſanaverunt, atque etiamnum ſanant, fractis & eiectis dæmonibus homi-
nes detinentibus.“ Neque abludunt plerique ex *Græcis* doctoribus, qui
originationem *Græcam* etiam conſectati, ab ἰάσασθαι, *Ionice* ἰήσασθαι *ſana-*
re, curare derivant, anteſignano S. Ignatio *Martyre*, quoad rem ipſam
recte quidem; melius tamen ad linguam originalem inter alios poſt Iu-
stinum S. Hilarius in illud Pſalmi: *Et exſpectabo nomen tuum, quo-*
niam bonum eſt in conſpectu Sanctorum tuorum, commentatus, „Huius er-
go (inquit) nomen exſpectat Iesum ſcilicet videre, id eſt, ſalvatorem
ſuum noſſe, Angelo dicente: *Et cognominabis nomen eius IESUM: ipſe* Tract. in
enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis. Chriſtum conſpicere ut per pſal. LI. p.
profeſſionem generoſæ familiæ ſit Chriſtianus, exſpectat. Bonum autem 82.

hoc

hoc nomen eſt, quod angeli atque archangeli adorant, quod dæmones tremunt, & ferre non poſſunt, quod ad ſalutem homines aſſumunt: quia ſcriptum eſt: *Et omnis qui invocaverit nomen eius, ſalvus erit.*" S. Cy-
pag. 143. rillus *Hieroſ.* Catech. X. *de uno Domino IESU Chriſto* n. 13. „Iesus itaque (ait) iuxta *Hebræos* ſalvatorem ſonat, in lingua vero *græca* eum, qui ſanat. Quandoquidem animarum eſt & corporum medicus, & ſpirituum curator: eos quidem, qui ſenſibilibus oculis cæci ſunt, ſanans, mentibus vero etiam lumen inducens: claudorum viſibilium medicus, peccatorumque pedes ad pœnitentiam dirigens, qui dicit paralytico: *Ne amplius pecces.* &: *Tolle grabatum tuum, & ambula.* Quoniam enim propter animæ peccatum paralyſi traditum corpus fuerat; prius curavit animam, ut deinde corpori quoque adferret medicinam. Si cuius igitur mens peccatorum ægritudine teneatur, medicum habet, ſi quis hic eſt modicæ fidei, dicat illi: *Adiuva incredulitatem meam.* Si quis etiam corporeis occupatus eſt morbis, ne diffidat, ſed accedat (his enim etiam medetur) & noverit, quod Iesus eſt Chriſtus." Quæ hic citat *Marc.* IX. 23. verba ſunt patris, qui filium diriſſime a dæmone habitum ad Chriſtum attulit liberandum. S. Ambrosius in expoſitione Evangelii ſecundum Lucam lib. IV. in illum, quem modo attulimus locum Luc. IV. quo expulſus dæmon nomen Iesu acclamans narratur, ceu primum
T. II. p. 844. hoc ex operibus Chriſti id notans: „A minoribus (ait) incipit, ut ad
n. 59. ſeq. maiora perveniat. Liberare a dæmone & homines, ſed in verbo Dei poſſunt, reſurrectionem mortuis imperare divinæ ſolius eſt poteſtatis. Nec quemquam movere debet, quod Iesu *Nazareni nomen* in hoc libro diabolus dixiſſe primus inducitur. Nec enim ab eo Chriſtus nomen accepit, quod de cœlo angelus ad Virginem detulit." Idem lib. I. de pœnitentia c. 13. expendens, quod S. Paulus *Corinthium* iuſſerit tradere ſatanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit, Iobumque in exemplum
T. III. pag. adducens: „Manducet ergo (inclamat) terram meam ſerpens, dentem car-
515. ni infigat, conterat corpus, dicat Dominus & de me: *Trado tibi eum,*
Iob 2, 6. *tantummodo animam eius cuſtodi.* Quanta vis Chriſti, ut cuſtodia hominis imperetur etiam ipſi diabolo, qui ſemper vult nocere. Dominum ergo Iesum nobis propitiemus: imperante Chriſto & diabolus ipſe ſit prædæ ſuæ cuſtos, vel invitus mandatis obſecundat cœleſtibus: & quamvis immitis, tamen manſuetis ſequitur imperiis. Sed quid ego commendo obſequium eius! Sit ille ſemper malus, ut ſit bonus Deus ſemper, qui malitiam eius in gratiam convertit. Vult nocere ille, ſed non poteſt, ſi Chriſtus obſiſtat: carnem ulcerat, ſed cuſtodit animam; terram devorat, ſed reſervat ſpiritum."

Egregie

Digitized by Google

Egregie hoc facit ad id, quod ſuperiore capite diximus de malis corporeis a dæmone advenientibus: quod S. Doctor ſequenti capite porro explicat de inſidiis, quas idem immundus ſpiritus puritati corporis ſtruit, Ieſu Chriſti virtute pariter in nihilum redigendis, ſic auſpicatus: *Hanc terram ſerpens manducat, ſi propitius eſt Dominus IESUS, ut non* pag. 516. *compatiatur anima carnis debilitati, non accendatur vapore carnis, & calore membrorum.*

Sic Origenes intelligi poteſt, dum lib. I. contra Celsum virtutem T. I. p. 343. nominis Ieſu explicat: „Quod innumeros ex animis corporibusque dæ- n. 25. mones palam omnibus fugavit, vim exerens ſuam in eos, e quibus eiecti ſunt illi dæmones.“ Sic poſtea: „Et hodieque Ieſu nomen perturbatos Ib. n. 67. animos componit, exigit dæmones, medetur morbis: miram quoque Pag. 382. manſuetudinem inſerit, mores in officio continet, humanitatem, comitatem, ſuavitatem inſpirat iis, qui non propter vitæ commoda, humanasque neceſſitates ſe Chriſtianos ſimulant, ſed, quo par eſt, animo traditam de Deo, Chriſto, futuroque iudicio doctrinam amplexantur.“ Inceſſit ibidem Celsi calumniam blaſphemiamque, qua Chriſti opera cum præſtigiis magorum confert. Arnobius lib. I. contra gentiles eorum exceptionem prævertens: „Ieſu nomen auditum (inquit) fugat noxios ſpiritus, imponit ſilentium vatibus, haruſpices inconſultos reddit, arrogantium magorum fruſtrari efficit actiones, non horrore, ut dicitis, nominis, ſed maioris licentia poteſtatis.“ Laudatus modo Origenes eodem lib. I. contra Celsum tantam vim nomini Ieſu contra dæmones ineſſe profitetur, *ut nonnunquam etiam a malis nominatum ſit efficax;* toto autem fere libro III. virtutem potiſſimum nominis Ieſu extollit, atque contra exempla eiusmodi ex fabulis & hiſtoria Paganiſmi tuetur a conditore omnium rerum Iesum dignum declaratum, aſſerens alicubi, „qui coleretur non ab Ib. n. 36. p. 471. iis modo, qui vitam emendare ſuam vellent: ſed etiam a dæmonibus, aliisque poteſtatibus, quæ ſub ſenſus non cadunt. Quo fit, ut illæ adhuc videantur aut formidare Ieſu nomen tanquam ſe potentioris, aut legibus eius tanquam Domini reverenter obtemperare. Niſi enim ſic a Deo conſtitutus fuiſſet, dæmones, ſolo eius pronunciato nomine non exirent e corporibus, quæ obſidebant.“

Sic teſte S. Athanasio in vita S. Antonii ab eo *increpatus dæmon* T. I. P. II. *in nomine Domini IESU Chriſti exiit: ſanusque fuit homo.* S. Hieronymus n. 63. pag. 843 vero narrat, quomodo S. Hilarion integram etiam legionem ex Orione Vita S. Hi- viro primario, & ditiſſimo urbis *Ailæ*, invocato nomine Ieſu, expulerit: lar. T. IV. *Domine*, inquit, *IESU ſolve miſerum, ſolve captivum. Ut unum, ita &* P. 79. *plures vincere tuum eſt.* „Rem loquor inauditam (pergit S. Hieronimus)

ex uno hominis ore diverſæ voces, & quaſi confuſus populi clamor audiebatur. Curatus itaque & hic, non poſt multum temporis cum uxore & liberis venit ad monaſterium plurima, quaſi gratiam redditurus, dona afferens. Cui Sanctus: *Non legiſti*, inquit, *quid* GIEZI, *quid* SIMON *paſſi ſint, quorum alter accepit pretium, alter obtulit: ut ille venderet gratiam ſpiritus ſancti, hic mercaretur?* Quumque ORION flens diceret: *Accipe*, & *da pauperibus*, reſpondit: *Tu melius potes tua diſtribuere, qui per urbes ambulas, & noſti pauperes. Ego qui mea reliqui, cur aliena appetam! Multis nomen pauperum occaſio avaritiæ eſt: miſericordia vero artem non habet. Nemo melius erogat, quam qui ſibi nihil reſervat.* Triſti autem & in terra iacenti: *Noli*, inquit, *contriſtari fili: quod facio pro me, & pro te facio. Si enim hæc accepero, & ego offendam Deum, & ad te legio revertetur.*" Breviter expedivit dæmoniacum, qui ex *Francia* in *Palæſtinam* ad S. Virum opis cauſa advenerat, dæmone „multas incantationum occaſiones & neceſſitates magicarum artium obtendente, *non curo*, ait, *quomodo intraveris, ſed ut exeas in nomine Domini noſtri IESU Chriſti, impero.* Quumque curatus eſſet, ſimplicitate ruſtica decem auri libras offerens, hordeaceum ab eo panem accepit: audiens, quod qui tali cibo alerentur, aurum pro luto ducerent."

Iam ſupra memoravimus, quæ ei obiecerint dæmones ſpectra: cuiusmodi ut ſemel clamores tantum audivit, „Intellexit (narrante S. HIERONYMO) dæmonum ludibria, & provolutus genibus Chriſti crucem ſignavit in fronte: talique armatus caſſide & lorica fidei circumdatus iacens fortius præliabatur, quodammodo videre deſiderans, quos horrebat audire, & ſollicitis oculis huc illucque circumſpiciens. Quum interim ex improviſo ſplendente luna cernit rhedam ferventibus equis ſuper ſe irruere: quumque inclamaſſet IESUM, ante oculos eius repentino terræ hiatu, pompa omnis abſorbta eſt. Tunc ille ait: *Equum & aſcenſorem proiecit in mare.* Et: *Hi in curribus, & hi in equis; nos autem in nomine Dei noſtri magnificabimur.*"

pag. 76.

Crucifixi,

XII. Intime cum nomine IESU coniunctum eſt crucis myſterium, quod S. BARNABAS in ſua epiſtola explicat, combinatque utrumque ex decem & octo & trecentis viris, quos ABRAHAM circumcidit: „In ſpiritu (inquit) proſpiciens in filium. Quæ ergo (pergit) illi in hoc data eſt cognitio? Diſcite primo decem & octo; dein trecentos: decem autem & octo exprimuntur per *Iota* decem, *Eta* octo: habes initium nominis Ιησῦς: quia vero crux in figura T quæ deſignat numerum CCC. habitura erat gratiam; ideo ait & trecentos. Oſtendit itaque IESUM in duabus litteris;

T. I. PP. Apoſt. p. 28. ſeq.

Digitized by Google

litteris; & crucem in tertia. Scit hoc, qui inſitum donum doctrinæ ſuæ poſuit in nobis.“ S. Iustinus vero earundem rerum myſteria conſectatur in Moyse & Iosue in dialogo cum Tryphone. „Alter enim (inquit) expanſis manibus in colle ad veſperam uſque permanſit, cum manus eius ſuſtentarentur, quod ſane nullam aliam, niſi crucis figuram exhibet. Alter autem Iesu nomine cognominatus, dux erat pugnæ, & *Iſrael* vincebat. Illud etiam in ambobus illis ſanctis viris & Dei prophetis factum intelligere eſt, nempe duo illa myſteria neutrum illorum portare ſolum potuiſſe, id eſt, crucis, & cognominis impoſiti ſignum. Eſt enim, & erat, & erit unius ac ſolius iſta vis, cuius vel nomen principatus omnis reformidat, tabeſcens, quod per illum evertendus ſit.“ Et poſtea idem myſterium ſeu revelationem *in nos factam* (gentiles intelligit) quoque explicat: „Qui (inquit) in Chriſtum ſummum ſacerdotem, hunc crucifixum, credimus: qui cum in ſtupris ac omni prorſus ſordida actione verſaremur, per gratiam a noſtro Iesu, ſecundum voluntatem ipſius Patris conceſſam ſordida omnia, quibus induti eramus, mala exuimus: quibus diabolus inſtat ſemper adverſans, ac omnes ad ſe trahere volens; ſed angelus Dei, id eſt, virtus Dei nobis per Iesum Chriſtum immiſſa, increpat eum, & a nobis diſcedit. Ac tanquam ex igne extracti ſumus, cum in prioribus peccatis expurgati, tum ex tribulatione eruendi, & ex incendio nobis a diabolo eiusque omnibus miniſtris admoto; ex quibus nos etiam rurſus ſe extracturum Iesus Dei filius, ac præparatis veſtibus nos induturum, ſi mandata eius obſervamus, & regnum æternum proviſurum, promiſit.“ Demum poſt multa in eandem ſententiam ac allegoriam „Porro (inquit) Amalechi memoriam etiam poſt filium Nave manere liquet; at futurum, ut per Iesum crucifixum, cuius etiam res omnes his ſymbolis præſignificabantur, dæmones exterminarentur, eiusque nomen formidarent, eumque pariter omnes principatus & regna metuerent, & ex omni hominum genere pii & pacifici oſtenderentur, qui in illum credunt, ſcriptura declarat, idque etiam demonſtrant, quæ iam a me, Trypho, commemorata ſunt.“

Pag. 204.

N. 116. pag. 209.

N. 131. pag. 224.

Iſtis vero, quæ nos breviter ſelegimus ex S. Martyris ſermone, explicatur totum illud, qua late patuit, diaboli imperium, quo genus humanum devictum tenuit ſub peccato, ſuaque poteſtate ante Chriſtum ſalvatorem, qui per crucem inimicum deiecit, nobiſque ſalutare nomen ſuum & crucis trophæum reliquit: quæ non dubitat S. Chrysostomus *divinas* appellare *incantationes*: „ſi & in diabolum (inquit) divinas incantationes canere noveris, ſtatim vulnerabitur. Sunt enim nobis, ſunt inquam nobis incantationes ſpirituales ipſum nomen Domini noſtri Iesu Chriſti,

Hom. VIII. in cap. 4. ad Rom. n. 6. 7. T. IX. pag. 507.

tum ipſius crucis potentia. Huiuſmodi incantatio non ſolum draconem a latibulo eiicit, & in ignem coniicit, ſed & vulneribus quoque medetur. Quodſi multi hoc dicentes ſanati minime fuerint, accuſent illi modicam ſuam fidem, non dicti infirmitatem. Nam ipſum IESUM multi pellebant, & premebant, nec quidpiam lucrabantur. At quæ ſanguinis fluxu laborabat, nec tacto quidem corpore, ſed tantum fimbria, diuturnos ſanguinis fontes cohibuit. Hoc nomen & dæmonibus terribile eſt, & perturbationibus, & ægritudinibus ſalutare. Hoc igitur ornemur ipſi, hoc tanquam muro nos muniamus.“ Concordat S. ANTONIUS apud S. pag. 854. ATHANASIUM, a quo invocato nomine IESU, cum vitale ſignum in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis preſſiſſet in frontibus philoſophorum, cum expulſis dæmonibus præſentium ſimul philoſophorum confutata eſt ſapientia. *Nos*, inquit, *Chriſtum crucifixum nominantes omnes fugamus dæmones, quos ut deos timetis, & ubi ſignum crucis formatur, magica ars vires amittit, atque veneficia nihil virtutis habent.* Sic diaconus S. GREGORII *Taumaturgi* teſte S. GREGORIO *Niſſæno* in eius vita n. 26. balnei locum, in quo *dominabatur dæmon quidam homicida* intrepide eſt ingreſſus, *ſe ſigno crucis muniens, & Chriſti nomen invocans:* ulteriusque ad interiora progreſſo eadem *arma fuere ſignaculum crucis & Chriſti nomen, & quod per magiſtri preces adferebatur auxilium.* Experimento ſuo id didicit IOSEPHUS ille ſub CONSTANTINO ex *Iudæo* Chriſtianus, de quo S. Hæreſ. 30. EPIPHANIUS, oſtenditque „quod prius in viſione perceperat, in inſano quodam homine, qui nudus per urbem circuibat, & cum ſæpe veſtis ei indueretur, eam dilaniabat, ut tales facere ſolent. IOSEPHUS igitur volens experiri viſionem, dubitans autem adhuc, verecundia detinebatur. Aſſumit itaque hunc intro, & præcluſis foribus, acceptaque aqua in manu, eaque crucis ſignaculo ſignata inſanum hominem aſperſit ac dixit: *In nomine IESU Nazareni crucifixi egredere dæmonium ab iſto, & ſanus fiat.* Homo vero magno clamore edito, humi prolapſus, & multa ſpuma ab ore emiſſa, lancinatus ad multum tempus, immotus permanſit; poſtea autem ſanus, & a dæmone liber ſurgens, domum abiit, multis gratiis IOSEPHO actis.“ Necdum tamen hoc miraculo fractum eſt IOSEPHI obduratum pectus, donec novo iterum contra incantationes ſuorum contribulium *Iudæorum* igni vim ſuam reſtituit ad lateres coquendos pro ædificanda in *Tiberiade* eccleſia. Nempe vaſi aquæ „magna voce crucis ſignaculum proprio digito impoſuit, & invocato nomine IESU ſic dixit: *In nomine IESU Nazareni, quem crucifixerunt patres mei, & omnium circumſtantium, fiat virtus in hac aqua ad reprobationem omnis incantationis & magiæ &c.*“

Exper-

Expertus id etiam, quem ſupra commemoravi, S. Gregorius *Nazianzenus*, id de nominis Chriſti Iesu virtute teſtatur, additque: *quod etiam mihi ſæpe uſuvenit, cum crucem ne in tabula quidem, ſed in medio tantum aere deſcripſiſſem.* Sic S. Martinus *In nomine*, ait, *Domini IESU, ſigno crucis, non clypeo protectus, aut galea, hoſtium cuneos penetrabo ſecurus:* militem vero Chriſti indutus militiam ſub Iuliano apoſtata detrectavit, ut perhibet Sulpicius *Severus* de vita S. Martini c. 4. In hoc ergo divinam adoramus providentiam, & grato agnoſcimus animo, quomodo Chriſtus iuxta apoſtolum *Phil. II.* 8. &c. *humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: ut in nomine IESU omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.*

XIII. Quid vero dignius divina ſapientia, quid providentia illa mirabilius, quam dum nos cum eodem apoſtolo *prædicamus Chriſtum crucifixum: Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam*, patibulum crucis terrorem eſſe infernorum, maſtigiam dæmonum, in quo eorum illuſa eſt ſuperbia, deiecta potentia. *Quid timent dæmones? Quid tremunt? Sine dubio crucem Chriſti, in qua triumphati ſunt; in qua exuti ſunt principatus eorum, & poteſtates. Timor ergo, & tremor cadent ſuper eos, cum ſignum in nobis viderint crucis fideliter fixum, & magnitudinem brachii illius, quod Dominus expandit in cruce.... Non te ergo aliter timebunt, nec aliter tremor tuus veniet ſuper eos, niſi videant in te crucem Chriſti.* Crucis ſigno pelluntur dæmones. *1. Cor. 1, 23.* *Origenes hom. VI. in Exod.*

Lactantius lib. IV. Inſtitut. divin. caput 27. inſcriptum *de mirandis per crucis virtutem effectis, ac de dæmonibus*, ſic orditur: „Nunc ſatis eſt, huius ſigni potentia quantum valeat, exponere. Quanto terrori ſit dæmonibus hoc ſignum, ſciet, qui viderit, quatenus adiurati per Chriſtum de corporibus, quæ obſederunt, fugiant. Nam ſicut ipſe cum inter homines ageret, univerſos dæmones verbo fugabat, hominumque mentes emotas, & malis incurſibus furiatas in ſenſus priſtinos reponebat; ita nunc ſectatores eius eosdem ſpiritus inquinatos de hominibus, & nomine magiſtri ſui, & ſigno paſſionis excludunt.“ Eusebius *Cæſareenſis* „ſi non (ait) increpantur nomine crucis eorum dii & dæmones, non reſurrexit, qui his, qui non ſunt, terribilis habetur. Confitentur enim & dæmones reſurrectionem Chriſti. Qui enim exorciſant, crucem Domini nominant, & reſurrectionem; & nomine eius, qui mortuus eſt & reſurrexit, increpantes, non ut inobedientes aut contradicentes habent dæmones, ſed obedientes & conſentientes reſurrectionem.“ Appoſita ſimili- *Apud Sirmondum T. I. p. 62.*

Hom. IV. in Matth. militudine S. Io. *Chryſoſtomus* utitur, *ſi*, inquit, *ingenti horrore concutimur, cum ſolummodo videmus loca, in quibus capite damnati pœnas perſolvunt, quid paſſurum putas diabolum, cum haſtam viderit, qua lethale vulnus accepit?* Quis vero omnia enumeret eiuſcemodi teſtimonia, aut etiam exempla fugatorum per ſignum ſanctæ crucis dæmonum; præſertim ex corporibus obſeſſorum, & quidem, quod de S. Gregorio *Lingonenſi* ſpecialiter Gregorius *Turonenſis* notat, *ſine ullo tactu, facto tantum ſigno crucis.*

De Vit. SS. PP. c. 7. In eum finem idem etiam ſignum in catechumenis adhibetur, eosque S. Bonifacius *Germanorum* apoſtolus tanquam eccleſiæ hoſtes apud Zachariam P. detulit: *qui nec quærunt ab eis, quos baptizare ſtudent, abrenuntiationes ſatanæ, ſed neque ſignaculo crucis Chriſti eos muniunt,* ut legitur in epiſt. Zachariæ ad S. Bonifacium. Solemnes id loquuntur eccleſiaſticæ formulæ, quæ dæmonibus imperant, ne unquam audeant violare ſignum hoc, *quod nos fronti eorum*, quos baptizamus, *damus*: tum etiam erga baptizatos energumenos hoc cum impreſſione ſigni S. Crucis præceptum iuxta ſacramentarium *Gregorianum: Triumphatus recede in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti: & da locum Spiritui ſancto per hoc ſignum crucis IESU Chriſti.* Iterum: *Imperat tibi ſacramentum crucis.*

Phantaſmata fugantur. XIV. Paullo ante retulimus de diacono S. Gregorii *Taumaturgi*, quomodo in balneo dæmonibus infeſtato ſe invocato Chriſti nomine ſigno crucis munierit, atque incolumis evaſerit: de ipſo porro S. Gregorio *Taumaturgo* perhibetur, quemadmodum ex templo quodam idolorum crucis ſigno dæmones fugaverit ibi pernoctans. „Erat illud templum *T. III. Bibl. PP. p. 449.* inſigne, in quo, qui colebantur dæmones, ad æditos aperte ventitabant, ut qui illic divinarent, & reſponſa dabant. Cum igitur templum unacum ſociis ſubiiſſet, dæmones quidem confeſtim exterruit Chriſti nominis invocatione; figura autem crucis aere expiato, qui nidoribus inquinatus erat, ibi manſit totam noctem in orationibus & hymnis decantandis vigilans... diluculo autem rurſus iter ſuum cœpit progredi. Cum autem æditus mane conſuetum dæmonibus cultum exhibuiſſet, apparentes ei dæmones dicunt, clamantes non licere eis templum ingredi propter eum, qui illuc manſerat.“ Eſt hic ipſe æditus, qui poſtea diaconus, de quo ſupra, ad fidem, & quidem tantam, quam in eo vidimus, converſus, cum cerneret permiſſu S. Gregorii iterum reverti dæmones his ſchedulæ inſcriptis verbis: Gregorius *ſatanæ, ingredere:* iterumque pro arbitratu expelli.

In

In vita S. Pauli primi eremitæ narrat S. Hieronymus, quomodo oculis S. Antonii, eum inviſuri, in itinere obiectus eſt homo equo mixtus, cui opinio poetarum *Hippocentauro* vocabulum indidit, quo viſo ſalutaris impreſſione ligni armarit frontem. Idem de S. Hilarione perhibentem paullo ſupra audivimus. Plura autem horribilia ſpectra dæmonum faſcinationibus S. Antonio exhibita S. Athanasius in eius vita deſcribit, quos ille intrepidus ſic aliquando eſt allocutus: *Siquid valetis, ſi vobis in me poteſtatem Dominus dedit, ecce praſto ſum, devorate conceſſum; ſi vero non poteſtis, cur fruſtra nitimini? Signum enim crucis & fides ad Dominum inexpugnabilis nobis murus eſt.* „Multa (pergit S. Athanasius) contra S. Antonium minantes fremebant dentibus ſuis, quod nullus eorum tentamenta ſequeretur effectus, ſed maxime e contrario gigneretur illuſſus.“ Ea propter poſtquam S. Antonius ipſe in ſæpe laudata oratione apud eundem S. Athanasium multa eiuscemodi adumbraſſet phantaſmata, ac formas varias enumeraſſet mulierum, ferarum, reptilium, prægrandium corporum, militarium turmarum, „Sed (ſubdit) neque hæ illorum phantaſiæ nobis ſunt pertimeſcendæ: nihil enim cum ſint, ſubito evaneſcunt, ſi maxime fide & ſigno crucis ſe quis munierit.“ Et poſtea: „Cum ergo noctu vos adibunt, volentque futura loqui, ac dicent: *ſumus angeli;* ne fidem habeatis, mentiuntur quippe. Si aſceticum veſtrum laudent inſtitutum, vosque beatos prædicaverint; ne audiatis eos, nec advertere quidem videamini, ſed potius obſignate vos domumque & precemini, videbitisque eos evaneſcere: timidi quippe ſunt, & ſignum dominicæ crucis admodum pertimeſcunt: illo quippe ipſos Salvator ſpoliatos palam traduxit.“ His porro conformiter ipſe S. Athanasius: „Olim dæmones variis ſpectris hominum mentes decipiebant (inquit) iam vero poſt divinum Verbi adventum evanuerunt huiusmodi fallaciæ. Siquidem ſolo crucis ſigno adhibito omnes illæ dæmonum fraudes repelluntur.“

T. IV. p. 70.

De Incarnat. Verbi T. I. p. 88.

In vita S. Martini, eadem Paulinus, & Sulpitius *Severus* paſſim narrant, frequenter diabolum, dum mille nocendi artibus ſanctum virum conabatur illudere, viſibilem ſe ei formis diverſiſſimis ingeſſiſſe. „Nam interdum in *Iovis* perſonam plerumque etiam *Mercurii*, perſæpe etiam ſe *Veneris* & *Minervæ* transfiguratum vultibus offerebat. Adverſus quem ſemper interritus ſigno crucis, & orationis auxilio ſe protegebat.“ Sancti Martini nomen in memoriam revocat, quod Gregorius *Turonenſis* narrat, quomodo dæmon Landulphum quemdam, epilepticum, qui diabolicas inſidias iam ſæpe crucis ſigno diſpulerat, in fraudem inducere tentarit, nempe „componens ſe in ſpecie veterani venit ad eum dicens:

De Gloria Confeſſ. c. 24.

Ego

Ego ſum Martinus, quem invocas: Surge & adora coram me, ſi vis recipere ſanitatem. Cui ille ait, *S. tu es Martinus, fac ſuper me ſignum crucis, & credam.* At ille, audito nomine ſigni ſibi ſemper contrarii, tanquam fumus evanuit. Poſt hæc autem ſtans ad pedes glorioſi Domini, factus eſt in ſtu[pore] mentis, & vidit beatam baſilicam novo lumine effulgere: ex qua egrediens Sanctus, dixit ad eum: *Exaudita eſt oratio tua, & ecce eris ſanus ab infirmitate, quam pateris.* Poſtea beatæ crucis ſignaculum ſuper caput eius faciens abſceſſit. Ille vero ad ſe reverſus amotis omnibus inſidiis ſalutem ſe ſenſit integram recepiſſe.“ Formidandum eſt, quod Theodorus lector & Nicephorus Gennadio patriarchæ *Cpolitano* accidiſſe narrant; nempe cum noctu ad altare ſacrificii orans ſtaret, ſpectrum quoddam dæmoniacum ei apparuiſſe, quod ille protinus ſigno crucis, velut immiſſo telo fugavit, cumque recederet, hæc eſt humana voce locutum: *Abeo & te vivente quieſcam, reverſurus poſt obitum tuum, & modis omnibus everſurus eccleſiam.* Tragicum imprimis eſt, quod S. Gregorius M. narrat de Theodoro puero in monaſterio non ſatis religioſe ad regulam monaſticam vivente, cui, cum extremum ſpiritum ageret, horribilis draco veluti devoraturus apparuit. „*Caput meum*, aiebat, *iam ore ſuo abſorbuit: date locum, ut non me amplius cruciet, ſed faciat, quod facturus eſt. Si ei ad devorandum datus ſum, quare propter vos moras patior?* Tunc fratres cœperunt ei dicere: *Quid eſt, quod loqueris frater? ſignum tibi S. Crucis imprime.* Reſpondit ille dicens: *Volo me ſignare, ſed non poſſum, quia ſquamis huius draconis premor.* Cumque hoc fratres audirent, proſtrati in terram cum lacrymis cœperunt pro ereptione illius vehementius orare. Et ecce ſubito cœpit æger clamare dicens: *Gratias Deo. Ecce draco, qui me ad devorandum acceperat, fugit, orationibus veſtris expulſus ſtare non potuit.*“ De S. Martino monacho, cui tribus annis dæmon in forma draconis adhæſerit, alia occaſione fecimus mentionem ex eodem S. Gregorio lib. III. Dial. cap. 16. Prætereo alia exempla crucis ſigno interemptorum draconum apud eundem S. Gregorium, & Theodoretum in hiſtoria religioſa, quæ aliaque multa collegit *Iac.* Gretserus lib. IV. *de Cruce.*

Theodor. lib. I. coll. Niceph. lib. XV. c. 24.

Lib. II. dial. c. 57.

Nihil his addam, qui ægre hæc modo attuli, facile in animum mihi inducens, fore, ut multi narrata ſubſannent, non obſtante gravitate, ſanctitateque auctorum, qui hæc litteris mandarunt: quibus ſi imponi potuiſſe in iis, quæ ex aliorum fide ſibi imparium relatione acceperunt, concedatur, tam facile tamen nimia credulitate ſe decipi ſiviſſe haud magis cenſendi ſunt, quam fallere in animo habuiſſe. Quæ cum ita ſint, nemo in dubium ea vocet, quorum viri ſanctiſſimi de ſeipſis ſuisque fidem faciunt, veluti

veluti S. ANTONIUS luculentus nobis teſtis eſt in ſæpe citata oratione, quam S. ATHANASIUS nobis in eius vita deſcriptam reliquit, atque alia præterea de eo nobis expoſuit cum illo converſatus, uti etiam SULPITIUS *Severus* cum S MARTINO; S. HIERONYMUS autem nec loco nec tempore remotus etſi ſugillatus de iis, quæ in vita S. PAULI primi eremitæ ſcripſit, in vita nihilominus S. HILARIONIS plura adhuc nobis deſcripſit monſtra diabolica.

Quæ quod ſanctiſſimis illis viris obiecta ſint, non inde vulgi fabulæ de ſpectris confirmantur, anileſque phantaſiæ illuſiones. Rationem ſupra attulimus ex S. ANTONIO, cur ſui ſimiles potius ſtrenuos athletas, qui monaſterii probatione diuturna, ut verbis S. BENEDICTI utar, didicerunt contra diabolum pugnare, ſic quaſi eminus aggrediatur ſpectris evanidis & phantaſiis, non iam auſus propius appropinguare longius propulſatus, taleſque nactus adverſarios, qui veluti levi brachio, unoque crucis ſignaculo dæmonum præſtigias procul abigant ac eludant, veluti muſcas, aut parvas aviculas, ut de S. BENEDICTO S. GREGORIUS perhibet lib. II. Dial. c. 2. *S. Reg. c. 1.*

XV. Neque vero hic ſe continuit ſalvificæ crucis virtus, tum maxime reſplendens, cum adhuc operam ſuam abominationibus idololatrici cultus præſtabant dæmones. „Nam (ut teſtatur LACTANTIUS ſcriptor ſuppar) cum diis ſuis immolant, ſi aſſiſtat aliquis ſignatam frontem gerens, ſacra nullo modo litant, *Exploſæ magicæ præſtigiæ. Lib. IV. Divinar. inſtitut. c. 27.*

Nec reſponſa poteſt conſultus reddere vates.

Et hæc ſæpe cauſa præcipua iuſtitiam perſequendi malis regibus fuit. Cum enim quidam miniſtrorum noſtrorum ſacrificantibus dominis aſſiſterent, impoſito frontibus ſigno, deos illorum fugaverunt, ne poſſent in viſceribus hoſtiarum futura depingere. Quod cum intelligerent aruſpices inſtigantibus iſtis dæmonibus, quibus proſecant, conquerentes profanos ſacris intereſſe, egerunt principes ſuos in furorem, ut expugnarent Dei templum, ſeque ſacrilegio contaminarent, quod graviſſimis perſequentium pœnis expiaretur.“ Exemplum profert in libro de mortibus perſecutorum c. 10. ipſum DIOCLETIANUM ad finem ſæc. III. „Cum ageret (inquit) in partibus Orientis, ut erat pro timore ſcrutator rerum futurarum, immolabat pecudes, & in pectoribus eorum ventura quærebat. Tum quidam miniſtrorum ſcientes Dominum, cum aſſiſterent immolanti, impoſuerunt frontibus ſuis immortale ſignum. Quo facto, fugatis dæmonibus, ſacra turbata ſunt. Trepidabant aruſpices, nec ſolitas in extis notas videbant, & quaſi non litaſſent, ſæpius immolabant; verum identidem mactatæ hoſtiæ nihil oſtendebant, donec magiſter ille aruſpicum TAGIS, ſeu ſuſpicione, ſeu viſu, ait, idcirco non reſpondere ſacra, quod re-

rebus divinis profani homines intereſſent.“ Geminum eſt, quod de Iu-
Lib. V. c. 2. LIANO apoſtata in *hiſtor. eccleſ.* SOZOMENUS, & THEODORETUS narrant,
Lib. III. c. 3. fuſiusque ante hos coævus GREGORIUS *Nazianzenus* oratione III. invectiva in IULIANUM: eum magicis ſacris operam dantem ſubito terrore conſternatum ad crucem confugiſſe, eaque ſe adverſus terrores conſignaſſe, & quem perſequebatur, in auxilium adſciviſſe. „Valuit ſignaculum (addit) cedunt dæmones, pelluntur timores. Quid deinde? reviviſcit malum, rurſus ad audaciam redit, rurſus aggreditur, rurſus iidem terrores urgent, rurſus obiecto ſignaculo dæmones conquieſcunt, perplexusque horret diſcipulus.“ PRUDENTIUS in *apotheoſi* eandem rem latius circumſcribit.

Orat. 18. In vulgus apud nos notum, quod S. GREGORIUS *Nazianzenus*, & PHOTIUS in bibliotheca cod. 183. recenſent ex EUDOXIÆ, THEODOSII iunioris uxoris poematibus de SS. CYPRIANO, & IUSTINA, CYPRIANUM nempe *Antiochenum* (quem *Nazianzenus* perperam cum celebri *Carthaginenſi* confundit) omnes magicæ artis rationes incaſſum tentantem, violentiſſimos quosque ac pernicioſiſſimos dæmones oppugnandæ virginis caſtitati immiſiſſe; hos vero pudore ſuffuſos, victosque ſacro-ſanctæ crucis ſigno reiectos fuiſſe; uti etiam in confeſſione S. CYPRIANI habetur, quæ ad calcem quarundam editionum S. CYPRIANI *Carthaginenſis* legitur. Ipſeque poſtea CYPRIANUS a dæmone correptus Deo IUSTINÆ invocato, crucis ſigno immundum a ſe ſpiritum excluſit. Eiusdem argumenti eſt, quod S. EPIPHANIUS hær. 30. narrat ex ore IOSEPHI comitis, cuius iam meminimus, de iuvene quodam, qui ad labefactandam Chriſtianæ feminæ pudicitiam, cum nihil proficerent ſua allicimenta, illa ſignante ſe in nomine Chriſti, veneficorum operam fruſtra adhibuit, incantationes nempe & eiurationes in monumento quodam ſeu ſepulchro. „Poſt exitum igitur (ſunt verba EPIPHANII) ſceleratiſſimorum ex monumento ingreſſus eſt IOSEPHUS, ac deprehendit etiam alia quædam curioſitatis ſtudia humi proſtrata. Cognovit autem inſidias, ob qualem fœminam hæc ab ipſis malefice perpetrata eſſent, & obſervabat, an prævalerent. Ubi igitur non prævaluerunt præſtigiatores (nam per ſignaculum Chriſti & fidem, mulier auxilium percepit) cognovit per tres noctes tolerare ac exſpectare fœminæ acceſſum. Deinde vero pugnare adverſus eos, qui hanc curioſitatem fecerant, quod aſſecutus illam non eſſet. Hoc tertium inſtructionis ad fidem opus IOSEPHO contigit, quod non valuit incantationis vis, ubi erat nomen Chriſti, & ſignaculum crucis; non tamen perſuaſus eſt, ut Chriſtianus fieret.“

CASSIANUS Collat. VIII. c. 18. SERENI abbatis narrationem de S. AN-

Digitized by Google

TONIO refert, nempe eum a gentilibus quibusdam magicis incantationibus aliquando vexatum fuiſſe immiſſis illi nequiſſimis ſæpe dæmonibus: „Cumque illo (verba SERENI recito) nunc quidem imprimente pectori ſuo frontique ſignaculum crucis, nunc vero orationi ſuppliciter incumbente, ne approximare quidem diriſſimi dæmones eidem prorſus auderent, atque ad eos, qui illos direxerant, abſque ullo reverterentur effectu, & alios illi in nequitiam vehementiores rurſus immitterent, itidemque ipſis incaſſum ſuarum nequitiarum expendentibus vires, atque inaniter redeuntibus, potentiores nihilominus adverſus militem Chriſti victorem iterum deſtinati nihil penitus prævalerent &c." Addit tandem ad S. ANTONIUM venientes Chriſtianos fieri popoſciſſe. Nec illud prætereundum, quod venientibus ad ſe atque dæmonum cum ipſo certamina audientibus, dicebat: *Signate vos*, & *abite ſecuri*, ut S. ATHANASIUS refert in eius vita, aliaque ipſius S. ANTONII verbis a nobis iam allata; qui etiam hoc conſilium dat in lib. de Incarnatione Dei: *Nam*, inquit, *ſolo crucis ſigno utens homo fraudes illius repellit.* T. I. p. 74.

Iam paſſim uſus ſum, libenterque utor in hac re S. ATHANASII auctoritate, præſtantiſſimi præſertim operis illius de incarnatione Verbi Dei, quo nempe incarnati Verbi divinitatem demonſtrandam ſuſcepit hoc imprimis etiam argumento contra gentiles artem magicam demiratos: „Nempe illa quidem (inquit) ante verbi Dei adventum apud *Ægyptios* & *Chaldæos* maxime valebat & vigebat, ſpectanteſque miro afficiebat ſtupore; verum veritatis præſentia, & verbi adventu ipſa quoque convicta ac prorſus deſtructa eſt." Provocat poſtea quemque, ut ſupra attulimus, „qui in mediis ipſis dæmonum præſtigiis, & oraculorum fallaciis, ac magiæ prodigiis ſigno crucis, quæ apud illos ludibrio eſt, utatur, ſolumque Chriſtum nominet." Et non ita multo poſt n. 55. „Neminem quoque iam (inquit) dæmones præſtigiis, oraculis, aut incantationibus decipiunt; ſed vel id ſolum tentantes & aggredientes, ſigno crucis confunduntur. Et, ut ſummatim dicam, attende, quomodo Salvatoris quidem doctrina per totum terrarum orbem diffundatur; contra autem univerſa idololatria, & quidquid Chriſti fidei adverſatur, quotidie decreſcat, debiliteturque, & cadat. Quæ cum vides, Salvatorem omnium Dominum & potentiſſimum Dei Verbum adora: eos autem, quos ille deficere, & evaneſcere cogit, ſperne & reiice." T. I. P. I. p. 88. Ibid. p. 95.

In fragmentis T. V. Bibl. PP. *Veneta* ed. *de amuletis* hæc leguntur: „Si quis in ægritudinem curatu difficilem lapſus ſit, pſallat: *Ego dixi Domine miſerere mei: ſana animam meam, quia peccavi tibi;* precibus ſcilicet intentus, ac miſericordiam implorans, cœleſti ſapientiæ obſequens pag. 214.

dicenti: *Fili in tempore infirmitatis tuæ ne deſpicias; ſed ora Dominum & ipſe curabit te.* Amuleta enim & præſtigiæ, vana ſunt auxilia. Siquis vero iis utatur, is clare diſcat, quod ſeipſum effecerit pro fideli infidelem, pro Chriſtiano ethnicum, pro prudenti imprudentem, pro rationabili irrationabilem. At enim vetula viginti obolorum, aut quartariæ vini pretio ſerpentis incantationem tibi exhaurit: tuque ſtas hianti ore tanquam aſinus, quadrupedum ſordes a collo geſtans, repulſo ſalutaris crucis ſigillo. Quod ſigillum non morbi tantum reformidant, ſed etiam omnis dæmonum cohors pertimeſcit, & horret. Quamobrem omnis præſtigiator huiusmodi ſigillo vacuus eſt." Nemo S. Chrysostomo frequentius contra omnis generis magicas ſuperſtitiones, imprimis amuletorum uſum perorat. Supra retulimus locum ex lib. VIII. contra *Iudæos*, ad quos ipſi Chriſtiani impium habebant recurſum ſynagogas etiam adeundo: hinc lo-
T. I. p. 687. co citato: „Et quomodo (inquit) ingredieris ſynagogam? ſi namque ſignaveris frontem tuam, illico fugiet prava poteſtas ſynagogam inhabitans. Si vero non ſignaveris, in ipſis foribus protinus arma abieciſti, mox nudum, & inermem abreptum te diabolus malis innumeris afficiet." Quod amuleta attinet, notat, inceſſitque inter alia etiam aurea Alexandri *Macedonis* numiſmata (quorum paſſim ideo tanta hodieque occurrit copia) circumligantes capiti vel pedibus Chriſtianos ſic allocutus Hom. 21. ad *Antioch.* *Tu in cruce non confidis;* Et ibidem Chriſtianos item inceſſit. *Non ligaturas tantum, ſed etiam incantamenta tibi inducis, vetulas ebriasque & titubantes domum ducens.* Excuſationem ibidem atque
T. XI. pag. 887. etiam alibi, veluti homilia VIII. in epiſt. ad *Coloſſ.* c. 3. prævertit, dum uſi huiusmodi ſuperſtitionibus dicunt: „Deum invocamus & nihil amplius facimus, & quæ ſunt huiusmodi: & Chriſtiana eſt, vetula & fidelis: ea eſt idololatria. Es fidelis, ſigna te, dic, hæc arma habeo ſola, hoc medicamentum; aliud autem neſcio." Et mox: „Dictitantibus hic autem non eſt idolololatria, ſed ſolum incantatio: Hæc eſt (ſubdit) cogitatio ſatanica, hæ ſunt diabolicæ inſidiæ; tegere errorem, & in melle dare venenum. Quoniam novit ſe illa hac via non perſuaſurum, ingreſſus eſt ad amuleta, & aniles fabulas. Et crux quidem affecta eſt ignominia; litteræ autem in maiori honore ſunt habitæ. Chriſtus fuit eiectus, & introducitur anus ebria & delirans, conculcatum eſt noſtrum myſterium, & choros ducit fraus diaboli." Et poſt pauca: „Quousque hæc ſatanica? Quomodo non ridebunt *Græci*? Quomodo non ſubſannabunt? Dicemus magnam eſſe virtutem crucis? Quomodo id eis perſuadebitur, cum videant nos opus habere iis, quæ ipſi irrident?" In epiſtolam I.
Tom. X. p. 107. 108. ad *Corinth.* Hom. XII. „Quid dixeris (inquit) de ligaminibus, & de cre-

crepitaculis manui appenſis, & de ſtamine coccineo, deque aliis multis inſania plenis; cum oporteret nihil aliud puero circumponere, quam crucis cuſtodiam?“

Mox aliam inceſſit ſuperſtitionem, dum lutum mulieres in balneo accipientes, nutrices & ancillæ, digito tingentes in pueri fronte imprimebant. „Certe (ſubdit) quod apud *Græcos* talia fiant, mirum non eſt; quod autem apud eos, qui crucem adorant, & myſteriorum arcanorum participes ſunt, & tanta philoſophantur, id certe multis lacrymis eſt dignum. Deus te unguento ſpirituali honoravit, & tu luto filium deturpas? Deus te decoravit, & tu teipſum dedecoras? Et cum oporteret in fronte crucem adſcribere, quæ inſuperabilem tutelam præbet, tu his dimiſſis in ſatanicam amentiam decidis?..... Quomodo precaris, ut presbyteri manu ſignaculum in fronte apponatur, ubi luto unxiſti? Ne, fratres, ne hæc faciatis; ſed ab ineunte ætate pueros ſpiritualibus armis munite, & docete eos manu frontem ſignare; etiam priusquam poſſint hoc manu facere, vos ipſi eis crucem imprimite. Quid dixeris de aliis ſatanicis obſervationibus in doloribus uteri, & in partu adhibitis, de iis item, quæ in morte, & cum corpus effertur, adhibentur: eiulatus nempe, planctus inſani, ſtulta in ſepulcris admiſſa, circa monumentum ſtudium, intempeſtivum & ridiculum præficarum agmen, dierum obſervationes, nec non ingreſſus & exitus?“ S. Augustinus, qui in libris de doctrina Chriſtiana & alibi magicas ſuperſtitiones vanasque obſervantias *In pſal. 93.* paſſim pro merito reprehendit ac damnat, alicubi vero, quid pii Chriſtiani ad ſolum nomen eiusmodi faſcinationum agant, edicit: *Quare* (inquit) *non remedia & ligaturas adhibes? Quare non mathematicos, & aruſpices conſulis, ſicut & alii? Et tu ſignas te, & dicis: Chriſtianus ſum, ut repellas iſtos neſcio quos.*

XVI. Prætereo alia ſtupenda miracula, crucis munimine in quibusvis malis nullo non tempore diverſisque occaſionibus facta, *quippe hoc ſignum*, iuxta S. Cyrillum *Hieroſ.* Catech. XIII. *hodieque morbos ſanat, dæmones pellit, veneficiorum, & incantationum præſtigias evertit.* Eusebius uſum quemdam conſuetudinemque piorum Chriſtianorum teſtatum reliquit, ad ipſa etiam loca, ubi dæmonum cultores, gentiles habitabant, ſignandi ſeſe ſancta cruce: „Cum quis (inquit) ingreditur civitatem gentilium, & religione expoſcente fronti imponere ſignaculum crucis confuſus fuerit, qui ingreditur, ſuam glorificationem, & virtutem crucis in fronte non oſtenderit, iſte etiam ſine tormentis negabit & ſacrificabit.“ Nemini dubium, agitantibus gentiles dæmonibus, in Chriſtianos ſæviiſſe

Crucis munimen in confeſſione chriſtiana.

Vid. Gretſ. libb. de Cruce, & de bened.

 tam

Digitized by Google

tam diris perſecutionibus, mortibusque; unde etiam cruce ſe muniebant, ingreſſuri ſtadium.

S. Thecla incendio damnata, teſte Basilio *Seleucienſi* in eius vita, ſigno in ſe crucis expreſſo in rogum inſiliit. „ Unde & ignis naturæ ſuæ „oblitus ob crucis metum, ac reverentiam virgini thalami loco potius „fuit, quam camini." Aliud eſt exemplum, quod apud Ruinart legitur in actis S. Theodoti, & ſeptem virginum auctore Nilo teſte oculato: „Cum vero (inquit ille) perveniſſent ad locum, in quo ſolent rei cruciari, locum horribilem, & quem nemo poſt Solis occaſum audebat intrare (quia iſtic præciſa capita, aut contis infixa ſtabant, aut diſperſa iacebant igne combuſta) horrore non modico correpti etiam ipſi ſunt: ſed vocem audierunt dicentem: *Fidenter accede Theodote.* Rurſus ergo perterrefacti crucis ſignum ſuæ quisque impreſſit fronti, & mox apparuit eis crux illuſtris, quæ videbatur ex parte orientali radium ignitum emittere:. ad quam apparitionem mixtus gaudio timor fuit, & genibus flexis adoraverunt verſus locum, unde crux apparebat." Idem paullo poſt ſanctus martyr dicitur, *totum corpus ſuum ſigno crucis muniens in ſtadium* proceſſiſſe *animo imperterrito.* De S. Gordio martyre S. Basilius, cum ultimum retuliſſet ſermonem: *Hæc*, inquit, *cum dixiſſet*, *crucisque ſigno ſe circumſcripſiſſet*, *ibat ad ictum*, *nihil immutato colore*, *nihil alterata faciei alacritate.*

Act. ſinc. p. 144.

Hom. 16. in S. Gordium p. 148.

Iulianus *Apoſtata*, ut vel ignaros imprudentesque Chriſtianos induceret ad thus diis immolandum, altare poſuit, ubi militibus aurum diſtribuebat; „Fertur autem quosdam (ut narrat Sozomenus) ex iis, qui iſtud „ſceleris imprudentes admiſerant, cum in convivio, ut fieri ſolet, ſibi „mutuo propinarent, benevolentiæ teſtificandæ cauſa Chriſtum ad ſingula „pocula nominaſſe." Addit Theodoretus: „Horum unus ſumpto po„culo, non prius bibit, quam ſalutare lignum imprimeret." Sic cum S. Paulino in *Natali* VIII. S. Felicis canere licet:

Lib. V. hiſt. eccl. c. 17.

Lib. III. c. 13.

Nos crucis invictæ ſignum, & confeſſio munit,
Armatique Deo mentem non quærimus arma
Corporis: & quamquam membris videamur inermes
Arma tamen gerimus: quibus & ſub pace ſerena
Contra incorporeos animis decernimus hoſtes.

In tentationibus variis.

XVII. In comparatione autem horum, quos commemoravimus, athletarum SS. MM. recte nos etiam tangit, quod *Hebr.* XII. 4. dicit D. Paulus: *Nondum uſque ad ſanguinem reſtitiſtis*: dum interim facile nobis eſt trophæum crucis contra externum illud tentationum genus erigere, de quo idem

Digitized by Google

idem apoſtolus: *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus principatus & poteſtates, adverſus principes tenebrarum harum*, qui ut olim gentiles contra Chriſtianos, ita nunc Chriſtianos inter ſe committunt, bella, oppreſſiones, inimicitias ferunt, nihilque magis curant, quam vinculum pacis & charitatis inter homines rumpere. De hoc S. Chrysostomus illud D. Pauli *Epheſ.* IV. 27. *Nolite locum dare diabolo* interpretatur: „Itaque (inquit) bellum ſibi mutuo inferre, eſt locum „dare diabolo. Nam cum oporteret omnes ſimul eſſe conſtipatos & con-„denſatos, & adverſus illum ſtare, ſolutis, quæ ſunt nobis cum illo, ini-„micitiis, iubemus, ut alter in alterum convertamur. Nunquam enim „locum ſic habet diabolus, ut in inimicitiis.“ Homilia paullo ante citata 21. ad populum *Antioch.* nobis eadem arma, quæ modo ex S. Paulino audivimus, dat: „Ne ipſe (inquit) diabolus te quicquam lædere poterit, „cum his te cernens armis ubique apparentem. Et hæc te ipſum iam doce, „ut cum ſignum ceperis, ſis miles paratus, & contra diabolum trophæum „erigens, iuſtitiæ coronam capias.“ *Hom. XIV. n. 1. T. XI. p. 104.*

Eſt hæc igitur panoplia noſtra, qua ſi ea utamur fide, quam idem nobis alibi inculcat S. Pater, omnes diabolicos inſultus tentationumque laqueos facile eludemus. „Crucem (inquit) non ſimpliciter digito in corpore, ſed magna profecto fide in mente prius formare oportet. Nam ſi hoc modo eam faciei tuæ impreſſeris, nullus ſceleſtorum dæmonum, cum haſtam videat, qua lethale vulnus ſuſcepit, congredi tecum audebit.“ S. Cyrillus *Alex.* Commentar. in Isaiam columnam interpretatur ſanctæ crucis ſignum, quo obſepiri credentes ſolent & communiri. „Uſi enim ſemper ſumus hac re, cum omnem diaboli inſultum evertimus, & dæmonum impetus infringimus. Murus enim infractus eſt nobis crux & in ea gloriatio vere ſalutem afferens.“ S. Ephrem, qui in *paræneſi* I. ad eos, qui in relig. rud. ſe exercent, breviter dicit: *ſtrenuus cruce Chriſti, laqueos fugat diabolicos.* in *paræneſi* II. ad monachos iam profectiores *Crucem*, inquit, *fronti impreſſam tenentes ſpectaculum diabolo tremendum habebitis, honorantes iuſtitiam, caſtimoniamque ſervantes iam incolæ paradiſi evaſiſtis.* Cassianus Coll. VII. c. 23. cum animadvertiſſet, non tanta tunc feritate atrocitateque dæmones in cœnobiis quam olim graſſatos, „aut virtute crucis (ſubdit) etiam deſerta penetrante, & ubique eius gratia coruſcante, retuſa eſt nequitia dæmonum, aut negligentia noſtra illos ab impugnatione priſtina reddit lentiores, dum dedignantur adverſum nos illa intenſione confligere, qua tunc contra illos probatiſſimos Chriſti milites ſæviebant, hac ſcilicet nos fraudulentia inviſibilium tentationum dirius elidentes.“ *Hom. 55. in Matth.* *Lib. II. t. 4. T. II. p. 294.*

XVIII.

Digitized by Google

Frequens S. Crucis uſus privatus & publicus in eccleſia.

XVIII. Ea vero res (cum temporibus perſecutionum tantopere ſæviret cacodæmon impatiens veluti attriti ſui regni per Chriſtum) in cauſa fuerit, quod apud fideles tunc longe maior quam nunc, deprehendatur ſignandi ſe cruce frequentia, ut latere ob id Ethnicos non poſſent: *Latebiſne*, ad uxorem ſcribit Tertullianus, *tu, cum lectulum, cum corpuſculum tuum ſignas?* In libro autem de corona milit. c. 3. *Ad omnem progreſſum*, inquit, *atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad veſtitum & calceatum, ad lavacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quæcunque nos converſatio exercet, frontem crucis ſigno terimus. Harum & aliarum eiusmodi disciplinarum ſi legem expoſtules ſcripturarum, nullam invenies: traditio tibi prætendetur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſervatrix.* Perinde S. Basilius lib. de ſpiritu S. c. 27. *Si*, inquit, *conſuetudines, quæ ſcripto proditæ non ſunt, tanquam haud multum habentes momenti, reiicere conemur; imprudentes & ea damnabimus, quæ in evangelio neceſſaria ad ſalutem habentur, imo potius ipſam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus: quod genus eſt, ut eius, quod primum eſt, & vulgatiſſimum, primo loco mentionem faciam, ut ſigno crucis eos, qui ſpem collocarunt in Chriſtum, ſignemus, quis ſcripto docuit?*

Cap. 5. — Pag. 102.

Intelligi hoc poteſt de celebri initiandos cruce ſignandi ritu. Ad hos vero verba faciens ad communem etiam ac promiſcuum uſum hortatur fideles S. Cyrillus *Hieroſol.* cum forte iam tunc ſalutaris ille mos remitteret: „Crucifixum annuntiamus & tremunt dæmones, multi diverſis temporibus cruci affixi ſunt: verum cuiusnam alterius in crucem acti invocatio dæmones usquam effugavit? Nec ergo Chriſti crucem erubeſcamus. Sed etiam ſi alter abſcondat, tu palam in fronte obſigna, ut dæmones regium ſignum intuentes, procul fugiant tremebundi. Fac vero hoc ſignum, dum manducas, & bibis, ſedes, recubas, exſurgis, loqueris, ambulas, verbo dicam, omni in negotio.“ Sic etiam S. Gaudentius *Brixienſis*: „Sit ſermo Dei & ſignum Chriſti in corde, in ore, in fronte: inter cibos, in lavacris, in cubilibus, & in ingreſſu & egreſſu, in lætitia, in mœrore.“ Eadem ac plura adhuc alia recenſet ex S. Ephrem imprimis *Iac.* Gretserus lib. IV. *de cruce* cap. 10. *veteres Chriſtianos omnibus rebus crucis ſignum adhibuiſſe.* Diutius hunc uſum in cœtibus monaſticis perſeveraſſe colligimus ex Gregorio *Turonenſi de vit. SS. PP. c. 5. Veniat benedictus, veniat religioſus, qui orare non deſinit, qui crucem auribus & oculis ſemper imponit, qui viis ſuis itineris ſui ſalutaria vexilla præmittit.*

Catech. IV. p. 58. — Tract. I. de lect. Evang. — T. I. Opp. p. 351.

Eccleſia porro hactenus in publicis ſuis ritibus antiquam illam celebri-

britatem conſervat, de qua antiqui SS. PP. teſtantur, veluti S. Chrysostomus: „Omnia per illud adminiſtrari, quæ apud nos transiguntur myſteria. Sive enim regenerari oportet; adeſt crux: ſive myſtica illa nutriri oportet alimonia: ſive ordinibus initiari, ſive quid aliud facere, ubique ſalutis hoc adeſt ſignum: ac propterea & in ædibus, & in parietibus, & in feneſtris, & in fronte, & in mente magno ſtudio illud inſcribimus." Et S. Augustinus: „Quod ſignum niſi adhibeatur ſive frontibus credentium, ſive ipſi aquæ, qua regeneramur; ſive oleo, quo chriſmate unguntur; ſive ſacrificio, quo aluntur, nihil eorum rite perficitur." Et in append. T. V. Ivo *Carnotenſis*: „Huius crucis Myſterio rudes catechizantur: eodem Myſterio fons regenerationis conſecratur: eiusdem crucis ſigno per manus impoſitionem baptizati dona gratiæ accipiunt: cum eiusdem crucis charactere baſilicæ dedicantur, altaria conſecrantur, altaris ſacramenta cum interpoſitione dominicorum verborum conficiuntur: Sacerdotes & Levitæ per hoc idem ad ſacros ordines promoventur: & univerſaliter omnia eccleſiaſtica ſacramenta in huius virtute perficiuntur."

Hom. 54. in Matth. *Tract. CXVIII in Ioan. T. III. P. II. p. 801.* *Serm. 25. de diverſis.*

XIX. S. Ambrosius in libro *de initiandis* cap. 3. de aquæ conſecratione ad ſolemnem in eccleſia baptiſmum agens „*Merrha* (inquit) fons amariſſimus erat: miſit in eum Moyses lignum, & dulcis eſt factus. Aqua enim ſine prædicatione dominicæ crucis ad nullos uſus futuræ ſalutis eſt: cum vero ſalutaris fuerit crucis myſterio conſecrata, tunc ad uſum ſpiritualis lavacri & ſalutaris poculi temperatur: ſicut ergo in illum fontem Moyses miſit lignum, hoc eſt, propheta; ita & in hunc fontem ſacerdos prædicationem dominicæ crucis mittit, & aqua fit dulcis ad gratiam." De conſecratione huius aquæ baptiſmalis diximus alibi: eam exorcizari, ac purgari, in concilio *Carthaginenſi* ſub S. Cypriano non unus ex epiſcopis ceu rem aſſertam accipit. Conveniuntque antiquiſſimæ liturgiæ, ac in Miſſali *Gothico* quidem hæc leguntur. *Exorcizo te creatura aquæ. Exorcizo te omnis exercitus diaboli, omnis poteſtas adverſaria, omnis umbra dæmonum &c.* Habetur in aliis præterea veluti in *Gelaſiano* ſacramentario peculiaris *benedictio aquæ ad ſuccurrendum*, infirmo ſcilicet, ſicque incipit: *Exorcizo te creatura aquæ per Deum vivum &c.* Et altera: *Exorcizo te creatura aquæ in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine IESU Chriſti Filii eius, & ſancti Spiritus. Omnis virtus adverſarii, omnis incurſio diaboli, omne phantaſma eradicare & effugare ab hac creatura aquæ &c.* Et poſtea in *benedict. aquæ ſpargendæ in domo* eadem ad verbum leguntur, quæ hodieque in benedictione aquæ benedictæ habentur iuxta Miſſale *Romanum*: *ut creatura*

Exorciſmus aquæ. *T. III. pag. 411.* *Lib. I. n. 73. ſeq.* *N. 75.* *Lib. III. n. 75. & 76.*

myſteriis tuis ſerviens ad abiiciendos dæmones, morbosque pellendos divinæ gratiæ ſumat effectus &c. Et mox in oratione, quæ dicitur, *Exorciſmus aquæ: Omnis virtus adverſarii, omnis incurſio diaboli, omne phantaſma, omnem inimici poteſtatem eradicare, & effugare ab hac creatura aquæ &c.* Item orat. pro aſperſione aquæ rogatur Deus, *ut nullam ſævienti adverſario tribuat poteſtatem; ſed propria Deo dicta ſit domus, ut nullam in ea inimicus licentiam habeat nocendi.*

Libro VIII. *Conſtitutionum apoſtol.* c. 19. *de benedictione aquæ & olei,* Matthæo ea apoſtolo tribuitur; in decretalibus, Anastasio item bibliothecario, Walafrido, aliis etiam recentioribus Alexandro I. P.

Sæc. VII. Lib. I. de Gloria Martyrum c. 24. Communi iam uſu domum portatam fuiſſe ex Gregorio *Turonenſi* diſcimus: *Omnis*, ait, *populus pro devotione haurit, & vas plenum domi pro ſalvatione reportat, agros vineasque aſperſione ſaluberrima tutaturus.* Conſtat eam tam in Oriente quam Occidente hauſtam pro potu fuiſſe: eoque ſenſu ſunt etiam, qui Gregorium *Turonenſem* interpretentur.

Aquam in vigilia Epiphaniæ hodieque ſolemni imprimis ritu conſecrari ſolitam, qui *Græcis* μέγας ἁγιασμὸς dicitur, iam S. Chrysostomo memoratur, quæ domi integro anno, atque adeo biennio & triennio ſæpe ſervata ab omni corruptione immunis: *ac poſt tantum temporis cum iis, quæ nuper fuerint e fontibus eductæ, certat.* Ut loquitur in hom. de baptiſmo Chriſti.

Apud *Edm.* Martenium T. II. *de rit.* lib. III. c. 9. p. 994. legitur ritus & *ordo conficiendi aquam benedictam tempore mortalitatis, ſeu etiam furoris hominum, vel rabiei beſtiarum celebrandam, ut quicunque ex ea guſtaverit, mentis & corporis recipiat ſanitatem:* ubi præter ordinarium exorciſmum ſequitur alius, *ut per hanc creaturam aquæ ſævi artis inimici tota vis comprimatur, omnes fugentur diaboli exercitus, retundanturque ſatanæ incurſiones.*

Singularis eſt formula iam laudati Iosephi, qui ex *Iudæo* Chriſtianus a Constantino M. facultatem nactus ædificandorum templorum, cum tale apud *Tiberiadem* moliretur, ignis vero artibus magicis *Iudæorum* impeditus calcem non excoqueret: „Commotus (ut rem ex ipſius ore narrat Epiphanius) & zelo erga Dominum correptus accurrit: & ubi *Hæreſ. XXX. n. 12.* aquam in vaſe afferri iuſſiſſet, accepto vaſe coram omnibus (multitudo enim ingens *Iudæorum* confluxerat ad ſpectaculum, eventum videre cupidi, & quid Ioseph facturus eſſet) magna voce crucis ſignaculum digito vaſi impoſuit, & invocato nomine Iesu ſic dixit: *In nomine IESU Nazareni, quem crucifixerunt patres mei, & omnium horum circumſtantium fiat virtus in hac aqua ad reprobationem omnis incantationis ac magiæ,* quam

quam hi fecerunt, & ad efficaciam potentiæ ignis ad perficiendam domum Domini: & ſic accepit aquam in manum & de aqua ſingulas fornaces aſperſit; & diſſoluta ſunt incantamenta, & ignis coram omnibus emerſit."

In vita S. HILARIONIS narrat S HIERONYMUS, ITALICI *Gazenſis* equis maleficio impeditis in curſu, ineptum quidem viſum eſſe venerando ſeni, in huiusmodi nugis orationem perdere; „Rogatus tamen a fratribus, qui aderant, ſcyphum fidelem, quo bibere conſueverat, aqua iuſſit impleri, eique tradi. Quem cum ITALICUS accepiſſet, ſtabulumque & equos & aurigas ſuos, & rhedam, carcerumque repagula aſperſiſſet, ſublatum ſubito eſt omne impedimentum. „Clamor fit vulgi nimius (ſubdit) ita ut ethnici quoque ipſi concreparent: *Marnas victus eſt a Chriſto.* Porro furentes adverſarii HILARIONEM maleficum Chriſtianum ad ſupplicium popoſcerunt. Indubitata ergo victoria & illis, & multis retro Circenſibus plurimis fidei ocaſio fuit." *T. IV. p. 80.*

Supra nonnulla exempla addidimus ex THEODORETI hiſtoria religioſa aquæ a viris ſanctis oratione ſignoque crucis ſacratæ in huiusmodi maleficiis ſalutaris. Ex eodem etiam THEODORETO refertur in hiſtoria tripartita lib. IX. MARCELLUM *Apameæ* epiſcopum iuſſiſſe fanum *Iovis* diruendum aſpergi: *quod dum fuiſſet factum, dæmon effugit, non ferens aquæ virtutem.* Plura ad rem collecta leges apud GRETSERUM lib. II. *de benedictionibus* cap. 11. *Per aquam benedictam diabolicas machinationes, fraudes, incantationes, atque praſtigias infringi ac deiici.* Et cap. 14. *Loca dæmonibus infeſta per aquam benedictam purgata.* Cap. 15. *Dæmones aqua benedicta ab obſeſſis exacti.*

XX. Aquæ exorcizatæ miſceri ſolet ſal (ut de orientali etiam eccleſia ex nono canone conſtat) ſimiliter exorcizatum *ad expellendas & excludendas omnes dæmonum tentationes* iuxta ſacramentarium *Gelaſianum.* Ubi ſequitur rubrica: „Deinde mittis ipſum ſal in aqua, & exſufflas in ea, dicis: *Deus qui ad ſalutem humani generis maxima quæque ſacramenta in aquarum ſubſtantia condidiſti.* Et cætera ſicut ſuperius ſcriptum eſt. Hic „mittis vinum in ipſa aqua." In oratione autem ſolius aquæ fit mentio ad rem his verbis: *Ut ubicumque adſperſæ fuerint, ſtatim arreptus effugiat: & ſit illi, Domine, hæc aqua adſperſionis velut clibanus ardens ignis inextinguibilis.* Cætera vitiata ſunt: ubi iterum diaboli fit mentio. In benedictione ſeu exorciſmo aquæ & ſalis in vigilia Epiphaniæ haud abſimilia leguntur. Sacramentarium *San-Gallenſe* ſæc. circ. X. in orat. *Super aquam & ſal ad animalia,* defendi rogantur *per hanc creaturam ſalis & aquæ*...

Cum ſale, pulvere, oleo.
Apud Coteler. T. I. p. 90.
Lib. III. n. 76.

a laqueis diaboli, *ab infirmitate*, *& a temptatione* (nempe ut ſequens oratio habet, *ab omni temptatoris incurſu*) *& ab invidia*, *& a malitia*, *a malis hominibus*, *a malo loquente*, *a malis oculis*, *a veneficiis*, *& ab aruſpicibus &c.* Quam ſupra ex eodem *Gelaſiano* ſacramentario retulimus benedictionem ſalis & aquæ ad fulgura, ea ad verbum continetur in *San - Blaſiano*, & *San - Gallenſi* modo citato ſacramentario, quod ex *Gelaſiano*, *Gregoriano*, & *Ambroſiano* compoſitum eſt. In eodem codice in ordine baptiſmi ſal benedicitur *ad effugandum inimicum*: veluti in ordinaria apud nos benedictione ſeu exorciſmo exprimitur pluribus. Exorciſmum ſalis & aquæ *ad ſuccurrendum ei*, *qui a dæmonio vexatur*, legere eſt apud Martenium T. II. *de Ritibus* lib. III. c. 9. p. 979. Ex vita
T. II Opp. p. 1098. S. Bernardi auctore Ernaldo lib. II. c. 3. diſcimus tunc, ſæc. XII. nimirum, energumenos eccleſiam ingreſſos *ſalibus exorcizatis aſpergi* ſolitos, ad quod dæmon perinde, ac ad crucis ſignum, evangelium, vel S. liturgiam puerum vexabat, quem S. Bernardus aqua benedicta ori eius infuſa confeſtim expulit.

Mos porro antiquitus fuit tam in Oriente, quam Occidente ſepulchra Sanctorum lavare, aut pulverem ſepulchrorum radere, eoque aquam ſalutarem reddere: quarum rerum exempla apud Gregorium *Turonenſem* ſunt notata in *Annalibus Francorum* & alibi. De pulvere, in quem effuſa fuit a-
Lib. III. hiſt. Angl. c. 11. qua, qua B. Oswaldi oſſa fuerunt abluta, perhibet V. Beda, quod dæmoniacum liberaverit, apud quem nihil profecerunt exorciſmi. Idem in illud Lucæ: *Interrogavit autem illum IESUS dicens: Quod tibi nomen eſt? At ille dixit Legio*; ex plurium fidei dignorum relatione ſe intellexiſſe dicit, fruſtra perdi operam, niſi circumſtantiæ obſeſſionis cogni-
Lib. III. in Luc. c. 8. tæ ſint: „Quæ (ſubdit) mendacio ſimillima res, ſed adeo vera & plurimorum atteſtatione notiſſima, ut quidam vicinus mihi presbyter retulerit, ſe quandam ſanctimonialem feminam a dæmonio curare cœpiſſe; ſed quamdiu res latebat, nihil apud eam proficere potuiſſe. Confeſſo autem, quo moleſtabatur phantaſmate, mox & ipſum orationibus, cæteriſque, quæ oportebat, purificationum generibus effugaſſe, & eiusdem feminæ corpus ab ulceribus, quæ dæmonis tactu contraxerat, medicinali ſtudio adiuncto, ſale benedicto curaſſe &c." Lib. VIII. c. 29. *Conſtitut. apoſt.* in benedictione aquæ & olei ſic rogatur: *Da vim effectricem ſanitatis*, *morborum expultricem*, *dæmonum fugatricem*, *omnium inſidiarum profligatricem per Chriſtum &c.*

Unctio Olei. XXI. Tertullianus in libro, quem ad Scapulam *Africæ* præfectum pro chriſtiana religione ſcripſit, ad beneficia provocans, quibus a Chriſtia-

nis

his ethnici etiam ſunt affecti: „Nam (ait) & cuiusdam notarius, cum a dæmone præcipitaretur, liberatus eſt: & quorundam propinquus & puerulus. Et quanti honeſti viri (de vulgaribus enim non dicimus) aut a dæmonibus, aut valetudinibus remediati ſunt. Ipſe etiam SEVERUS, pater ANTONINI, Chriſtianorum memor fuit. Nam & PROCULUM Chriſtianum, qui *Torpacion* cognominabatur, EUHODIÆ procuratorem, qui eum per oleum aliquando curaverat, requiſivit, & in palatio ſuo habuit uſque ad mortem eius.“ In exordio libri, quem contra *Gnoſticos* latenter venenum ſuum inſinuantes, *Scorpiace* inſcriptum, edidit „In remediis (ſcribit) naturalia plurima, aliquid & magia circumligat... Nobis fides præſidium, ſi non & ipſa percutitur diffidentia ſignandi ſtatim & adiurandi, & urgendi beſtiæ calcem.“ Ita legitur in *Pariſienſi* RIGALTII editione an. 1674. cum notis *Ph.* PRIORII, quæ talis eſt ad hunc locum: *In Agobardino legitur unguendi:* quod & in editis obſervare licet, atque contextui apprime congruit, alibique a TERTULLIANO de ſalutari apud Chriſtianos olei unctione dicitur, quo in Baptiſmi & Confirmationis ſacramento inungimur; atque ante baptiſmum quidem oleo exorcizato, de quo S. CYRILLUS *Hieroſolymitanus Catech.* XX. *myſtagog.* II. *de baptiſmi cærimoniis* n. 3. ſic effatur: „Igitur exorcizatum oleum ſymbolum erat communicationis pinguedinis Chriſti, quod quidem omne adverſariæ poteſtatis veſtigium extemplo fugat. Quemadmodum enim inſufflationes Sanctorum & invocatio nominis Dei flammæ inſtar vehementiſſimæ dæmones urit, & effugat; ita & exorcizatum iſtud oleum, per invocationem Dei & orationem tantam vim adſumit, ut non modo urendo peccatorum veſtigia depurget, verum etiam omnes inviſibiles Mali (ſpiritus) poteſtates in fugam agat.“

Cap. 4. p. 71. *pag. 487.* *pag. 487.* *pag. 312.*

De oleo exorcizato inter canones ſynodi *Romani* ad *Gallos* epiſcopos a SIRICIO P. miſſos hic legitur: „De oleo ſane exorcizato capiendus ne brevis numerus dierum, multum in hoc proficit ſermo. Fide enim quis ſua plena purgatur. Si enim chriſma infuſum capiti gratiam ſuam toti corpori impertit, nihilominus & tertio ſcrutinio ſcrutatus ſi oleo fuerit contactus non ſæpe ſed ſemel, virtute ſua Deus operatur in tempore.“ Exiſtimo autem vexatum illum INNOCENTII I. locum in epiſtola ad DECENTIUM, de his, qui poſt baptiſmum a dæmonio corripiuntur, commode intelligi poſſe de oleo exorcizato, cuius uſus eſt contra dæmoniacas infeſtationes ante baptiſmum, etiam poſt baptiſmum adhiberi poſſe cum impoſitione manuum. Sic vero habet: „De his vero baptizatis, qui poſtea a dæmonio, vitio aliquo aut peccato interveniente, corripiuntur, quæſivit dilectio tua, ſi a presbytero vel diacono poſſint aut debeant conſignari. Nam ei manus imponenda omnino non

Siricii P. epiſt. 8. n. 11. *T. II. Conc. edit. Labb. p. 1247.*

Digitized by Google

eſt, niſi epiſcopus auctoritatem dederit ita efficiendi." P. Coustant in editione epiſtolarum ſummorum Pontificum ponit poſt Quesnellum ad fidem codicum Mſſ. *deſignari* pro *conſignari*, adnotatque etiam vocem *adſignari* reperiri in Mſc. regio Dionisii, in cæteris autem libris extare *conſignari*: quæ mihi etiam retinenda videtur lectio *Labbeana*, atque in pleriſque monumentis antiquis pro unctione accipitur: In ſacramentario *Gelaſiano* feria quinta Cœnæ Domini in prima miſſa, quæ *chriſmalis* inſcribitur, poſt benedictionem olei ad ungendos infirmos, expletoque Canone notatur a diacono oblatum, ad benedicendum, oleum, quod in iam laudato cod. *ſan-Gallenſi*, ubi eadem habentur, vocatur oleum pro infirmis vel pro populo: rogatur autem in benedictione: *Ut ſi quæ illis adverſantium ſpirituum inhærere*, inhæſere, *reliquiæ, ad tactum ſanctificati olei huius abſcedant. Nullus ſpiritalibus nequitiis locus, nulla refugis virtutibus ſit facultas, nulla inſidiantibus malis latendi licentia relinquatur.* Et in altera, quæ mox ſequitur, *Olei exorcizati confectione: omnis nequiſſima virtus adverſarii, omnis inveterata malitia diaboli, omnis violentiæ incurſio, omne confuſum & cæcum phantaſma eradicare, & effugare, & diſcede a creatura huius olei.* Infra lib. III. n. 76. in Bened. *aquæ ſpargendæ in domo*, hæc legitur rubrica: *Poſt hac mittis oleo ſanctificato in aqua, & ſic aſpergis ea cum hyſopo per domus.* Sequitur in cod. *ſan-Gall. Benedictio olei Ambroſ.* cum exorciſmo; demum *Exorciſmus olei ad omnem languorem* ubi hoc ad rem: „*Impetum quoque dæmonum, vel incurſiones ſpirituum immundorum, atque legionum malignarum vexationes, umbras, & impugnationes, & inveſtationes, malignorum artes quoque maleficiorum, Chaldæorum, auguriorum & divinorum incantationes, & venena promiſcua, quæ ſpirituum immundorum, & virtute nefanda, & exercitio diabolico conficiuntur, iubeas Domine per hanc invocationem tuam ab imis viſceribus eorum omnia expelli venena, ut exiens inimicus de corporibus famulorum famularumque tuarum omnium confuſus & excruciatus, & nullam in eis maculam relinquens, a tuis ſanctis angelis conſtringatur, & in infernum, ſicut eum exſpectat digna ſententia, gehennæ ignibus mancipetur, nec ultra habeat ad eos ingrediendi locum, ſed ſalvatio famuli tui ab his omnibus malis, referant honori tuo laudes in perpetuum.* Sed ſua ſe ſimplicitate maxima commendat, quæ hodieque eſt in rituali *Rom.* benedictio olei ſimplicis, hocque exorciſmo orditur: *Exorciſo te creatura olei per Deum Patrem † omnipotentem, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia, quæ in eis ſunt. Omnis virtus adverſarii, omnis exercitus diaboli, & omnis incurſus, omne phantaſma ſatanæ eradicare, & effugare ab hac creatura olei &c.* Conciſior eſt hic in ſuo fonte, quam

Lib. I. n. 40.

Digitized by Google

quam prior ille exorciſmus, ſeu benedictio olei ad omnem, cuiusmodi ampla ibi ſit recenſio, languorem, quem in uſum paſſim a viris ſanctis fuit adhibitum oleum.

SULPITIUS *Severus* in vita S. MARTINI c. 16. de puella ab eo a paralyſi ſanata agens „ac primum (inquit) quæ erant illius familiaria in huiusmodi rebus arma, ſolo proſtratus oravit. Deinde ægram intuens, dari ſibi oleum poſtulat: quod cum benedixiſſet, in os puellæ vim ſancti liquoris infudit, ſtatimque vox reddita eſt &c.“ In dialogo autem III. „itidem de virtutibus B. MARTINI c. 2. dicitur, puſillum olei cum exorciſmi præfatione benedixiſſe, atque ita in os puellæ ſanctificatum liquorem, cum & linguam illius digitis teneret, infudiſſe.“ Teſte PALLADIO in hiſtoria *Lauſiaca* S. MACARIUS puerum energumenum oleo benedicto liberavit. S. AUGUSTINUS lib. XXII. *de civ. Dei* c. 8. *Hipponenſem* quandam virginem *ſcio*, inquit, *cum ſe oleo perunxiſſet, cui pro illa orans presbyter inſtillaverat lacrymas ſuas, mox a dæmonio fuiſſe ſanatam.* Apud THEODORETUM in hiſtoria religioſa legitur, parvo lecytho oleo pleno ad *T. III. p.*
MARCIANI cellam depoſito dæmonem ex ore puellæ itinere quatuor die- *786.*
rum diſtantis, eiicientis ſe virtutem teſtatum fuiſſe. Et APHRAATES mulierem, de qua ſupra, eiulantem miſeratus *præſtigiarum vim precibus re-* *Ib. p. 818.*
preſſit, & allatum ab ea vaſculum olei divina invocatione ſanctificans, eo virum inungi iuſſit. Quod illa cum feciſſet, viri amorem in ſe transtulit, eique perſuaſit, ut illegitimo thoro legitimum anteponeret.

XXII. Conveniunt omnia hæc exorcizata, ſal, aqua, oleum ſacrum **Campanæ.**
in benedictione campanarum a multis retro ſæculis ſolemni admodum ritu, ut ſuo loco vidimus, fieri ſolita. In aquæ autem, qua perfunditur, conſecratione orat pontifex: *Ubicumque ſonuerit hoc tintinnabulum procul recedat virtus inſidiantium, umbra phantaſmatum, incurſio turbinum &c.* poſt primam autem in modum S. Crucis factam unctionem olei: *Proſternat aereas poteſtates dextera tua virtutis; ut hoc audientes tintinnabulum contremiſcant, & fugiant ante ſancta crucis filii tui in eo depictum vexillum, cui flectitur omne genu, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum:* poſt alteram unctionem conſimilem, ex chriſmate etiam, pariter rogatur: *Ut ante ſonitum eius longius effugentur ignita iacula inimici, percuſſio fulminum, impetus lapidum, læſio tempeſtatum.*

XXIII. Quemadmodum vero IOBI exemplum, aliæque a nobis ſupra **Thymiamata ac diverſarum rerum exorciſmi.**
recenſitæ auctoritates circa dæmonurgiam generatim ſuperſtitionis ſuſpicionem auferunt, ita quæ *Tob.* VI. de fugando extricandoque omni genere dæmoniorum fumo incenſi iecoris piſcis leguntur, indicium præbent, in rerum natura eſſe quædam ad propulſandos dæmones a divina providentia deſti-

Digitized by Google

deſtinata, quod imitari ſolet fidelium cura in fumo ſeu thymiamate ex rebus nonnullis benedictione ſacratis, aut ad uſum eccleſiæ adhibitis.

Pertinet huc in actione baptiſmi uti halitus ſeu exſufflatio miniſtri baptiſmi, ita etiam ſal cum terra ſeu cinere mixtum, atque in ſæpe laudato ſacramentario *San-Gallenſi* ritu *Ambroſ. Benedictio S. Ambroſii ad cinerem & cilicium, de ieiunio, vel ad competentes. Exorcizo te cinis &c.* Obtinet adhucdum ex veteris pœnitentiæ diſciplina benedictio cinerum fer. IV. in capite ieiunii, atque etiam in pontificali *Romano* benedictio cilicii impoſiti in expulſione publice pœnitentium ab Eccleſia in fer. IV. Cin. Sed ſine exorciſmo, qualis in laudato cod. ſub nomine S. Ambrosii habetur. Ad eundem ritum *Ambroſianum* pertinet in eodem cod. *Exorciſmus floris vel frondium dom. indulgentiæ: id eſt in palmis. Exorcizo te omnis creatura florum & frondium in nomine Patris omnipotentis, & nomine IESU Chriſti filii eius, omnis virtus adverſarii, omnis exercitus diaboli, omnis ſpiritus inimici, omnis incurſio dæmonum eradicare & explantare ab hac creatura florum &c.* Et iterum: *Unde ſupra, alia benedictio ſuper olivas. Ambroſiana.* Suntque variæ eiusmodi benedictiones ac exorciſmi creaturarum, quæ per peccatum dæmonibus obnoxiæ ſunt redditæ, eccleſiæ autem poteſtas eſt data, inſtaurandi omnia in Chriſto. Facit huc imprimis *benedictio pomorum* in Sacrament. *Gelaſ.* lib. III. n. 39. *Ut qui eſu interdictæ arboris lethalis pomi in protoparente iuſtæ funeris ſententiæ multati ſumus, per illuſtrationem unici Filii tui redemptoris Dei ac Domini noſtri IESU Chriſti, & Spiritus Sancti benedicti nunc ſanctificata omnia, atque benedicta, depulſis atque abiectis vetuſti hoſtis, atque primi facinoris inſidiis ſalubriter ex huius diei anniverſaria ſolemnitate diverſis terræ edendis germinibus ſumamus. Qui vivis &c.*

Ad ea, quæ de thymiamate modo diximus, pertinet benedictio incenſi in laudato ſacrament. *Ut ſit ſervulis tuis vel ancillis tuis, munimentum tutelaque defenſionis, ne intret hoſtis in viſcera eorum, aditumque & ſedem habere non poſſit &c.* Sicque eccleſia in benedictione cereorum, ad lumen ſc. quo nihil magis poteſtatibus tenebrarum oppoſitum dici poteſt, *talem benedictionem ſignaculo crucis* impertitur: *ut quibuscunque locis accenſæ ſive poſitæ fuerint* (candelæ benedictæ) *diſcedant principes tenebrarum, & contremiſcant, & fugiant pavidi cum omnibus miniſtris ſuis ab habitationibus illis: nec præſumant amplius inquietare aut moleſtare ſervientes ſibi omnipotenti Deo &c.*

Ennodius *Ticinenſis* huc etiam reſpicit in benedictione cerei paſchalis: *Adverſus flabra ventorum, adverſus ſpiritus procellarum tua iuſſa faciens, ſit illi (ſi quis hinc ſumſerit) ſingulare perfugium, ſit murus ab hoſte*

fide-

Digitized by Google

fidelibus. Ordo *Romanus* vulgatus *de cereo paſchali extra urbem* verba faciens, plebi diſtribui dicit *ad fumigandum ſcilicet in domibus ſuis, ſeu ponendum in agris vel in vineis propter illuſiones diabolicas, ſive contra fulgura & tonitrua.* Iuxta eundem vero ordinem *Romanum* intra civitatem *Romanam non ſic benedicitur, ſed mane primo ſabbato ſancto venit archidiaconus in eccleſiam & fundit ceram in vas maius & miſcitat ibidem oleum, & benedicit ceram, & ex ea fundit ſimilitudinem agnorum. In octava paſcæ,* ut poſtea habetur, *dantur agni cerei ab archidiacono in eccleſia poſt miſſam & communionem populo, & ex eis faciunt intra domos ſuas incenſum accendi ad fumigandum in domibus ſuis pro quacunque neceſſitate.* Refert hæc etiam GRETSERUS lib. II. *de benedict.* poſtquam multa de eulogiis dixiſſet, quorum inſtar quoddam ſunt hi agni cerei.

XXIV. Iam notavimus ex BURCHARDI decreto canonem quemdam concilii *Nannetenſis* cum ſubiecta oratione ad eulogias benedicendas ſeu panem benedictum: *Ut ſit omnibus ſalus mentis & corporis, atque contra omnes morbos & univerſas inimicorum inſidias tutamentum.* Quæ verba hodieque leguntur in *Rituali Romano* ad benedictionem panis: *ut ſit omnibus ſumentibus &c.* In vita S. PACHOMII legitur dæmoniacus per panem benedictum liberatus; alia nonnulla profert laudatus GRETSERUS c. 25. Quibus adiungi poteſt prolixa, quam refert Fr. *Benin.* CASA eccleſiæ *Piſanæ* canonicus in vita RAYMUNDI *Piſani*, ſæc. XII. ſolitarii ſanctitate celebris in *Hetruria*, formula aquæ & panis benedicendi: *ut omnis per eum infirmitas tollatur, & omnis phantaſia ſive diabolica præſentia, ſive etiam illuſio procul pellatur.* Ut inter alia habet. Eulogiæ T. V. P. II. p. 250. ſeq.

XXV. Nihil frequentius, ut ROSWEIDUS in vitis Patrum adnotavit, in Sanctorum geſtis dæmonum exſufflatione, inſufflatione, inſputatione. Rei utriusque iam meminit TERTULLIANUS in lib. *de idololatria* a nobis iam citatus; *Quo ore Chriſtianus thurarius, ſi per templa tranſibit, fumantes aras deſpuet, & exſufflabit, quibus ipſe proſpexit?* In apologetico: *ita,* ait, *de contactu, deque afflatu noſtro contemplatione & repræſentatione ignis illius correpti, etiam de corporibus noſtro imperio excedunt inviti, & dolentes, & vobis præſentibus erubeſcentes.* Quod de igne dicit, lucem accipit ex S. CYRILLO *Hieroſolymitano* iam etiam citato ita *Catech. II. myſt.* loquente: *Nam ut inſufflationes, ſanctorum & nominis Dei invocatio tanquam vehementiſſima quædam flamma urit dæmones & in fugam convertit.* Agit de Catechumenis, quos inſufflare ritus eſt, eadem de cauſa abigendi dæmones. Sufflatio, inſputatio. pag. 1019. Cap. 23.

De S. GREGORIO *Taumaturgo* ſcribit S. GREGORIUS *Niſſenus* in eius vita, quod anhelitu oris ſui velum afflarit, & obſeſſo illud imponens dæ- T. III. Bibl. PP. p. 461.

monem expulerit. „Eſt quidem (addit) ſane etiam hoc ex magnis illius miraculis, quod non aliqua curioſa excogitatione miracula ſanationum efficeret; ſed & ad dæmones expellendos, & ad corporis ſanandas infirmitates ſufficeret oris eius anhelitus, qui per linteum ægrotanti admovebatur. S. Antonius abbas ipſe de ſe narrat apud S. Athanasium, dæmonem ſibi conſpicuum admodum excelſum, dicere auſum, ſe virtutem Dei eſſe & providentiam. *At ego tum magis*, inquit, *in illum inſufflavi, prolato Chriſti nomine.*

Verberibus pulſi dæmones.

XXVI. Mox addit: *Atque verberare conatus ſum, ac re ipſa verberaſſe viſum mihi eſt: ſtatimque ille tantus, cum omnibus ſuis dæmonibus, in nomine Chriſti evanuit.* Narrat Sozomenus Apellem quemdam monachum circa *Achorim*, in monaſterio *Ægypti* multa edidiſſe miracula, & aliquando cum noctu operas fabriles feciſſet, ſpectrum dæmonis forma pulcræ & exornatæ mulieris ei apparuiſſe, & ad libidinem incitaſſe. Sed Apellem candens ferrum ex camino arreptum, in faciem dæmoni impegiſſe, atque ita ſpectrum illud fugiſſe, ſtridore & lamentatione ſuum dolorem teſtatum. Sic vero malignus ille etiam in hominibus, quos infeſtabat, aut obſidebat, meritas ſuas pœnas (*Germani* uſu loquendi dicerent *ſeine heilige Schläg*) accepit.

Lib. VI. hiſt. eccl. c. 18.

Qua ratione S. Benedictus vagantem monachum virga percuſſum a dæmone liberaſſe apud S. Gregorium perhibetur: Nempe *expleta oratione vir Dei Oratorium egreſſus, ſtantem foris monachum reperit, quem pro cæcitate cordis ſui virgâ percuſſit: qui ex illo die nil perſuaſionis ulterius a nigro illo puerulo pertulit, ſed ad orationis ſtudium immobilis permanſit: ſicque antiquus hoſtis dominari non auſus eſt in eius cogitatione, ac ſi ipſe percuſſus fuiſſet ex verbere.* Idem poſtea cap. 30. narrat, quadam die dum ad beati Ioannis oratorium, quod in ipſa montis celſitudine ſitum eſt, pergeret idem S. vir, ei antiquum hoſtem obviam factum cornu & tripedicam ferentem. „Quem cum requiſiſſet dicens: *Quo vadis?* Ille reſpondit: *Ecce ad fratres vado potionem eis dare.* Itaque perrexit venerabilis Pater Benedictus ad orationem, qua completa concitus rediit. Malignus vero ſpiritus unum ſeniorem monachum invenit aquam haurientem, in quem ſtatim ingreſſus eſt, eumque in terram proiecit, & vehementiſſime vexavit. Quem cum vir Dei ab oratione rediens tam crudeliter vexari conſpiceret, ei ſolummodo alapam dedit, & malignum ab eo ſpiritum protinus excuſſit, ita ut ad eum redire ulterius non auderet.“ Sic Leontius *Neapolis Cypri* epiſcopus in vita Simeonis *Salis* refert, Simeonem inflicta alapa dæmonicum curaſſe.

Lib. II. dial. c. 4. T. II. p. 221.

pag. 261.

Aut increpando.

XXVII. Reſplendet ex his, iisque, quæ porro dicturi ſumus, exſors

ſors quædam ac ſingularis poteſtas, iis eximio Dei beneficio, qui fide præpollent, conceſſa, ad extorquendos, excludendoſque dæmones, veluti de primis Chriſtianis de magia tractans TERTULLIANUS perhibet, „qui (inquit) ſpiritualia nequitiæ, non quidem ſocia conſcientia, ſed inimica ſcientia novimus, nec invitatoria operatione, ſed expugnatoria dominatione tractamus multiformem luem mentis humanæ." Nempe iuxta S. CYPRIANUM, „quantum illuc fidei capacis afferimus, tantum gratiæ inundantis haurimus. Inde iam facultas datur caſtitate ſobria, mente integra, voce pura, virtute ſincera, in medelam dolentium poſſe venenorum virus extinguere, animorum deſipientium labes, reddita ſanitate, purgare, infeſtis iubere pacem, violentis quietem, ferocientibus lenitatem: immundos & erraticos ſpiritus, qui ſeſe expugnandis hominibus immerſerint, ad confeſſionem minis increpantibus cogere; ut recedant, duris verberibus urgere; conflictantes, eiulantes, gementes, incremento pœnæ propagantis extendere, flagris cædere, igne torrere. Res illic geritur, nec videtur; occulta plaga, pœna manifeſta." Quam dire in evangelio vociferatos legimus in obſeſſis hominibus dæmones ad ſolam præſentiam Chriſti, veluti MARCI I. 24. &c. „*Quid nobis & tibi eſt IESU Nazarene: veniſti perdere nos? Scio qui ſis, Sanctus Dei.* Et comminatus eſt „eis IESU dicens: *obmuteſce, & exi de homine.*" Qui MARCI & LUCÆ IX. MATTH. XVII. memoratur dæmoniacus, quem liberare non potuerunt diſcipuli, ſolummodo *increpavit illum IESUS, & exiit ab eo dæmonium, & curatus eſt puer ex illa hora.* MARCI I. 34. & LUCÆ IV. 41. dicuntur exiiſſe *dæmonia a multis clamantia & dicentia: Quia tu es filius Dei: & increpans non ſinebat ea loqui.*

De anima c. 57.

Matth. 17, 17.

Locum hunc S. ANTONIUS verſans in oratione ad monachos, qua id potiſſimum agit, ut ſuis timorem dæmonum excutiat, utpote *invalidorum, Dominus ergo*, ait n. 12. *utpote Deus os dæmonibus obturabat: nos vero a ſanctis eruditos par eſt imitari illos, & illorum æmulari fortitudinem.* THEODORETUS huc gladium ſpiritus, qui eſt verbum Dei *Eph.* VI. 17. interpretatus, *Increpat enim*, ait, *homo ſpiritualis diabolum, & aufugit.* Illuſtria huius rei proſtant in vitis SS. PP. ſpecimina ipſius cumprimis S. ANTONII a S. ATHANASIO, in vita item S. PAULI tum S. HILARIONIS a S. HIERONYMO, S. MARTINI a SULPITIO *Severo* & aliis ſcripta: in hiſtoria religioſa THEODORETI &c. dictis demum apophthegmatibusque S. MACARII & aliorum apud ROSWEIDUM & alios, ex quibus paſſim quædam in medium attulimus.

T. IV. Bibl. PP. p. 640.

LACTANTIUS, qui libri II. Inſtitut. *de origine erroris* caput 17. inſcribit: *dæmones nihil poſſe in eos, qui in fide ſolidati ſunt*, initio mox

Digitized by Google

obiectioni, quæ poſſet obrepere menti, occurrit: „Dicat fortaſſe aliquis, colendos eſſe ne noceant, ſiquidem poſſunt nocere. Nocent illi quidem, ſed iis, a quibus timentur, quos manus Dei potens & excelſa non protegit, qui profani ſunt a ſacramento veritatis. Iuſtos autem, id eſt, cultores Dei, metuunt; cuius nomine adiurati, de corporibus excedunt: quorum verbis tanquam flagris verberati non modo dæmonas ſe eſſe confitentur, ſed etiam nomina ſua edunt.“

At niſi vi adigantur ad dicendam veritatem, & ſeſe, qui & quales ſint, prodendos, omni ſtudio agunt, ut lateant, ſuasque tegant infeſtationes ſub cauſis etiam malisque naturalibus, uti iam in lunatico aliisque evangelicis energumenis vidimus. Neque adeo mirum videri debet, ſicubi gentium ignorentur, tutique deliteſcant, ubi aut nulla eſt, aut certe non exeritur in eos poteſtas, quam formidoloſi tantopere exhorrent, ac refugiunt ipſi: tantum abeſt, ut timeri debeant, audacter potius provocandi, excutiendique a ſuis latibulis, atque palam faciendi: quod in evangelio actisque apoſtolorum ſola præſentia, aut præcepto factum in dæmoniacis, ac ſpiritu pythone legimus *act.* XVI. 16. huiusmodi etiam exemplum in vita S. Hilarii *Arelatenſis* a S. Honorato *Maſſilienſi* diſcipulo relatum legimus cap. 14. „Præcepit, ut abiret malignus ſpiritus. Tum, quia videbat ſe aperte proditum, nec poſtmodum decipiendis animabus clandeſtina fraude valiturum: *Quo*, inquit, *vadam?* Et Sanctus advertens, quantum Dei gratia ſuo miniſterio effeciſſet, lætus exclamat: *Maximum purgati orbis indicium eſt, neſcire quo redeas.*“ Nempe ſanctus epiſcopus ſuos *neceſſaria inſtructione* tum iam præmunierat, ut ibidem narratum eſt.

Cum indignatione iuſta. pag. 261.

XXVIII. Apud S. Gregorium lib. II. dialog. cap. 30. de monacho a dæmone liberato ſolummodo inflicta alapa, ut modo retulimus, quærit Petrus: „Velim noſſe, ſi hæc tanta miracula virtute ſemper orationis impetrabat, an aliquando etiam ſolo voluntatis exhibebat nutu?“ Reſpondet S. Gregor. „Qui devota mente Deo adhærent, cum rerum neceſſitas expoſcit, exhibere ſigna modo utroque ſolent, ut mira quæque aliquando ex prece faciant, aliquando ex poteſtate. Cum enim Ioannes dicat: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Qui filii Dei ex poteſtate ſunt, quid mirum ſi ſigna facere ex poteſtate valeant? Quia enim utroque modo miracula exhibeant, teſtatur Petrus, qui Tabitham mortuam orando ſuſcitavit, Ananian vero & Saphiram mentientes morti increpando tradidit. Neque enim oraſſe in eorum extinctione legitur, ſed ſolummodo culpam, quam perpetraverant, increpaſſe.“

Exem-

Exemplum lib. I. dialog. cap. 4. de Equitio abbate provinciæ *Valeria* attulerat, moniali in horto, dum oblita ſigno crucis benedicere lactucam momordit, dæmone obſeſſa, *hic gravi indignatione vir Dei præcepit, ut diſcederet, & locum in omnipotentis Dei famula non haberet. Qui protinus abſceſſit, nec eam ultra contingere prævaluit.* Idem lib. III. c. 4. narrat de Datio *Mediolanenſi* epiſcopo in itinere *Conſtantinopolim Corinthi* ſibi hoſpitium ſeligente domum a maligno ſpiritu infeſtatam, ut incolæ præmonebant; is vero nihilominus „ſecurus illam, antiqui hoſtis certamina toleraturus intravit. Itaque intempeſtæ noctis ſilentio, cum vir Dei quieſceret, antiquus hoſtis, immenſis vocibus, magniſque clamoribus cœpit imitari rugitus leonum, balatus pecorum, ruditus aſinorum, ſibilos ſerpentium, porcorum ſtridores, & ſoricum. Tunc repente Datius tot beſtiarum vocibus excitatus ſurrexit, vehementer iratus, & contra antiquum hoſtem magnis cœpit vocibus clamare dicens: *Bene tibi contigit, miſer, tu ille es, qui dixiſti: Ponam ſedem meam ad aquilonem & ero ſimilis altiſſimo: ecce per ſuperbiam tuam porcis & ſoricibus ſimilis factus es: & qui imitari Deum indigne voluiſti, ecce, ut dignus es, beſtias imitaris.* Ad quam eius vocem, ut ita dicam, deiectionem ſuam malignus ſpiritus erubuit. An non erubuit, qui eandem domum ad exhibenda monſtra, quæ conſueverat, ulterius non intravit?" Hæc S. Gregorius. Utriusque generis exemplum una ſermonis reique geſtæ ſerie S. Bernardus in vita S. Malachiæ c. 20. enarrat. „Erat (inquit) mulier in civitate *Culratim* dæmonium habens. Vocatus eſt Malachias: orat pro addicta, urget invaſorem, exit. Sed nondum exſaturata nequitia eius, miſeram invadit mulierculam, quæ forte prope aſſiſteret." Et Malachias, „*Non ad hoc*, inquit, *tibi illam tuli, ut hanc pervaderes; exi ab ea.* Paret, ſed repetit priorem. Qua denuo pulſus, recurrit in alteram. Ita per aliquod ſpacium alternatim vexabat illas, hinc inde refugiens. Tunc ſanctus indignans ſibi illudi a dæmone colligenſque ſpiritum infremuit, & totis viribus fidei facto impetu in adverſarium, ab utraque fugavit, & quidem non minus vexatum his, quam vexaverat ipſe."

pag. 165. *pag. 281.* *T. I. p. 677.*

S. Athanasius vero in vita S. Antonii n. 64. in uno homine a dæmone vexato utrumque nobis oſtendit. „Et (ut rem narrat S. doctor) tam furioſus erat dæmon ille, ut ignarus eſſet ſe ad Antonium adduci, imo ſui corporis comederet excrementa. Rogabant itaque, qui ipſum adduxerant, Antonium, ut oraret pro illo. Antonius adoleſcentem miſeratus, precabatur, totamque noctem cum eo duxit inſomnem. Iuveniſque circa auroræ tempus de repente in Antonium irruens, impulit eum. Quod *T. I. p. 845.*

Digitized by Google

cum indigne ferrent comites eius, *Ne ſuccenſeatis*, ait Antonius, *adoleſcenti, neque enim illud agit ipſe, ſed qui in ipſo eſt dæmon.* Increpatus autem dæmon, atque iuſſus in loca arida aufugere, id, furore percitus, aggreſſus eſt . . Domino itaque gloriam referte. Nam quod ille ſic impetum in me fecerit, dæmonis exitus ſignum vobis fuit. Hæc loquente Antonio, ſtatim ſanatus eſt iuvenis: atque ad ſanam rediens mentem, agnovit, quo eſſet loco, ſenemque amplexatus eſt gratias agens Deo."
Alterum ex Paralipomenis ad vitam S. Pachomii de SS. Pachomio & Theodoro Abb. addam, ut a *Bollandianis* refertur T. III. *Maii* append. ad diem XIIII. ubi cap. 3. dæmon utrique in ſpecie formoſæ fœminæ illu-
a dens, ad varias interrogationes S. Pachomii reſpondet, a) ſanctos viros fruſtra ſollicitans, & facile exploſus.

Iam

a) „Contigit quodam tempore, ut, dum Pachomius unacum dilecto ſibi Theodoro nocturnis horis intra monaſterii ſepta deambularet, ſubito & a longe viſum utrique non levis momenti obiiceretur, quod in magnum ſane errorem incautos erat natum inducere. Species porro obiiciebatur mulieris ſupra modum formoſæ, ita ut Theodorus eam ſpectans, haud parum animo commoveretur & turbaretur vultu. Quem ut B. Pachomius adeo turbatum ac paventem aſpexit, hoc modo affatus eſt: *Confortare in Domino, Theodore, neque angaris animo.* Quo dicto, Sanctus orationi vacare cœpit, ut illam horrore pleniſſimam viſionem a ſe abigeret. Illis vero orantibus, magis etiam magisque viris ſanctis appropinquabat impurum ſpectrum. Mulier ergo inverecunda, cum per orationem non repelleretur, magna dæmonum caterva eam præcedente, ad viros ſanctos propius acceſſit, & hoc modo affata eſt; *Fruſtra eſtis; non enim quidquam modo adverſum me poteſtis efficere: facultas ſiquidem mihi ab omnipotente Deo facta eſt, ut quoscunque voluero, tentare valeam; nec parum impendi temporis, hoc ut a Deo obtinerem.* Cum vero Sanctus ex ea quæreret: *Tu autem unde es, aut quæ? & quosnam ſuſcepiſti tentandos?* illa reſpondens dixit: *Ego filia ſum diaboli, & virtus eius univerſa; mihi namque omnis dæmonum multitudo ſervitium præſtat. Ego ſum, quæ præcipua inter Sanctos luminaria in terram deieci. Ego ſum, quæ Iudam ex apoſtolorum cœtu deturbatum rapui. Poteſtatem ergo accepi, o Pachomi, tecum ut bello contendam: neque enim perpeti potui tantum dæmonum opprobrium. Nemo ita vires noſtras imminuit, ac tu: hoc quippe agis, ut pueris me ac ſenibus & adoleſcentulis calcandam obiicias. Cumque tantam adverſus me multitudinem concites, muro illos inexpugnabili circumdas, timore Domini, ſic ut miniſtrorum meorum nullus appropinquare ulli veſtrum libere audeat. Hoc autem infortunii poſt Verbi divini incarnationem mihi contigit; per hanc namque poteſtas vobis data eſt omnem noſtram conculcandi potentiam, nobisque illudendi.*

Interrogante eam deinde S. Pachomio: *Mene ſolum, an alios ut tentares veniſti?* Reſpondit: *Te enimvero, & omnes qui tecum ſunt.* Rurſus ad illam Pachomius: *Nonne & Theodorum? Tam contra te,* ſubiicit illa, *quam contra Theodorum agendi poteſtatem habeo, ſed propius vobiscum congredi minime valeo.* Quærentibus illis, *Quam ob cauſam?* Reſpondit: *Si enim vos aggrediar, cauſa exiſtam veſtri potius lucri quam detrimenti, quoniam digni eſtis reperti, qui gloriam Dei propius intueamini. Verumtamen non omni cum eis tempore verſabimini, quos modo veſtris precibus ſic quaſi muro protegitis atque defenditis. Tempus ſiquidem veniet, poſtquam vos, qui illos nunc a mea violentia cuſtoditis, mortem obieritis, quo plenis inter eos lætitiis verſabor. Vos nempe illi eſtis, qui a tanta monachorum multitudine obrui me & conculcari feciſtis.*

Iam ex S. Hieronymo S. Hilarionis attulimus verba, hominum *T. IV. p. 82.* cauſa diabolum etiam iumenta corripere, ubi exemplum narratur Bactri immanis cameli, qui iam multos contriverat, quem vero vilipendens ſanctus cicuravit: „*Non me*, aiebat, *terres diabole*, *tanta mole corporis*: & *in vulpecula*, & *in camelo unus atque idem es*. Et interim porrecta ſtabat manu. Ad quem dum furens, & quaſi eum devoratura bellua perveniſſet, ſtatim corruit &c.“ Sulpitius *Severus* narrat dial. II. c. 9. S. Martino *Treviris* revertenti, ſe præſente tunc, obviam factam vaccam,

Cumque S. Pachomius quæreret: *Unde autem noſti, eos, qui ſucceſſuri nobis ſunt, commiſſos ſibi ſubditos, non æque ac nos facimus, in DEI timore eſſe conſervaturos, quantum quidem in ipſis futurum eſt?* Tum illa: *Probe equidem novi.* Ac rurſus magnus Pachomius: *Mendacium hoc ex impio tuo cerebro comminiſceris, cum nihil omnino, quod futurum eſt, absque errore cognoſcere valeas; Deo ſiquidem ſoli tantum prærogativæ competit.* Tum illa reſpondens dixit: *Per præſcientiam quidem, ut vere dicitis, nihil omnino novi, quod ſoli Deo proprium; ſed coniectando præſcire me, quæ deinde ſecutura ſunt, aſſerui.* Quærente porro Pachomio: *Quam enim in coniectando rationem obſervas? Ex iis*, reponit illa, *quæ facta aliquando novi, de futuris coniecturam facio. At quomodo?* interrogat Pachomius: Tunc illa: *Novi*, inquit, *quod omnis rei principium intenſo deſiderio feratur in id, quod propoſitum eſt, maxime ubi de hominis cum Deo coniunctione & cœleſti vocatione agitur; quam Dei voluntate, per ſigna & prodigia, & varias virtutes firmatam, ſibi quaſi murum circumdant, qui ad eamdem contendunt. Primum porro iſtud ac vehementiſſimum deſiderium poſtquam temporis tractu ad quandam veluti ſenectutem pervenerit, creſcere mox atque augeri deſinit: quod cum fit, tandem vel longitudine temporis plane interit, vel vitiis ita ut morbis, paulatim corrumpitur, vel neglectu atque contemptu hebes redditur.*

Quid igitur eſt, quæſivit rurſum Pachomius, *quod ut tute dicebas, ad viros ſanctitate magnos, ac non ad omnes potius fratres tentandos veneris? quoniam, ut modo etiam fatebare, proprium hoc tibi eſt, ut animas peſſumdes, & tantis ſupra dæmones omnes viribus polles, ut cum viris adeo præclaris congredi minime dubites.* Ad quem illa: *Iam nunc tibi dixi, quod ex quo tempore gratia ac virtus Servatoris in terra apparuit, viribus admodum debiles ſumus redditi, ita, ut paſſerit in morem a viris Deo ſervire volentibus conſtricti, a ſpiritualibus præſertim hominibus ludibrio habeamur. Attamen quantumvis fracti viribus, non tamen quantum in nobis eſt adverſari vobis, ac malitia nobis inſita ſemen in eius, qui ſe nobis opponit, animum ſpargere ceſſamus. Quod quidem ab eo recipi cum videmus, & locus nobis datur hominem expugnandi, tum ſane omnes ad voluptatem illecebras magis accendimus: econtra autem, ſi, quod iacimus ſemen, admittere per Dei gratiam & fidem recuſet; non aliter ac fumus in aera reſolvitur, ita & ipſi nos evaneſcimus. Hanc igitur ob rem permiſſum nobis non eſt, omnes indiſcriminatim aggredi, quod non omnes ea ſint virtute & perfectione conſpicui. Etenim ſi adverſus omnes depugnare nobis daretur, haud ſane paucos, qui veſtra nunc cuſtodia proteguntur, in fraudem impuliſſem* Tum ad eam Sanctus: *O veſtram ſopiri neſciam perverſitatem! non ceſſatis humanum genus impugnare, donec divinæ gratiæ vis veſtros conatus omnino diſſipet.* Quo dicto, viſionem omnem eo, quo voluerat modo, fecit ut deſineret, iniungens impuro ſpiritui, ut numquam deinceps monaſterii ſeptis appropinquaret. Facto deinde mane, fratrum præcipuos in unum convocat, & quæcunque obiecta ſibi fuerant, quæque a tentatore dæmone audiverat, exponit. Quin etiam ad reliquorum omnium monaſteriorum rectores litteras exarans, propoſita ob oculos univerſa rei, ut geſta erat, ſerie, in Dei illos timore conſervavit.“

cam, quam dæmon agitabat: „Quæ relicto grege ſuo, in homines ferebatur, & iam multos petulca confoderat. Verum ubi nobis cœpit eſſe contigua, hi, qui eam eminus ſequebantur, prædicere magna voce cœperunt, ut caveremus. Sed poſtquam ad nos torvis furibunda luminibus propius acceſſit, MARTINUS, elevata obviam manu, pecudem conſiſtere iubet: quæ mox ad verbum illius ſtare cœpit immobilis. Cum interea videt MARTINUS dorſo eius dæmonem ſuper ſedentem: quem increpans, *Diſcede*, inquit, *funeſte*, *& innoxium animal agitare deſiſte.* Paruit nequam ſpiritus & receſſit. Nec defuit ſenſus in bucula, quin ſe intelligeret liberatam: ante pedes Sancti recepta quiete proſternitur: deinde iubente MARTINO gregem ſuum petit, ſeque agmini cæterarum, ove placidior, immiſcuit."

Soloque imperio. XXIX. MATTH. VIII. 16. legimus, oblatos Chriſto veſpere quodam multos dæmonia habentes: *Et eiiciebat ſpiritus verbo.* TERTULLIANO teſte idcirco magus ac præſtigiator habebatur Chriſtus, quod etiam ex EUSEBIO confirmatur, qui lib. III. demonſtrat. evang. c. 8. hanc blaſphemiam copioſe refellit. pag. 20. TERTULLIANI in *Apologetico*, qui eadem lib. III. contra MARCIONEM notat, hæc ſunt cap. 21. „Quem igitur ſolummo„do hominem præſumſerant de humilitate, ſequebatur, ut magum æſtima„rent de poteſtate, cum ille verbo dæmonia de hominibus excuteret &c." pag. 3. Et S. CYPRIANUS *de gratia Chriſti* ad DONATUM: „Quantus (inquit) hic animi potentatus, quanta vis eſt? non tantum ipſum (Chriſtianum) eſſe ſubtractum pernicioſis contactibus mundi, ut qui expiatus & purus, nulla incurſantis inimici labe capiatur; ſed adhuc maiorem, & fortiorem viribus fieri: ut in omnem adverſarii graſſantis exercitum imperioſo iure dominetur." Omnia complectitur ARNOBIUS lib. I. contra gentes de eadem facultate donisque, quæ vocantur gratis data, argumentum faciens in hæc verba: „Quid? quod virtutes, quæ ſunt a nobis ſummatim (non ut poſcebat magnitudo) depromtæ, non tantum ipſe perfecit vi ſua, verum (quod erat ſublimius) multos alios experiri, & facere ſui nominis cum adfectione permiſit. Nam cum videret, futuros vos eſſe geſtarum ab ſe rerum, divinique operis abrogatores, ne qua ſubeſſet ſuſpicio, magicis ſe artibus munera illa beneficiaque largitum, ex immenſa illa populi multitudine, quæ ſuam gratiam ſectabatur admirans, piſcatores, opifices, ruſticanos atque id genus delegit imperitorum, qui per varias gentes miſſi, cuncta illa miracula ſine ullis fucis atque adminiculis perpetrarent. Verbo ille compeſcuit verminantium membrorum cruces, & illi verbo compeſcuerunt furialium vermina paſſionum. Imperio ille uno exturbavit a corporibus dæmonas, & exanimatis ſuos reſtituit,

Digitized by Google

ſtituit f●ſus: ſub eorum tortantes & illi ſe caſibus, iuſſione non alia ſanitati & conſtantiæ reddiderunt." Sic ille. *T. IV. Bibl. PP.* ed. *Ven.* p. 143.

Neque vero primis tantum illis naſcentis adoleſcentisque eccleſiæ ſæculis, nec penes eos tantum, qui ab eccleſia ſpecialiter eam rite ordinati acceperunt poteſtatem, eam ſtetiſſe, exemplo demonſtrabo ex S. Gregorio lib. III. *Dial.* c. 21. de puella converſa, cuius ſolo imperio *pag.* 328. homo eſt a dæmone liberatus, a ſanctimoniali nempe femina, quæ dæmoni „irato vultu magnis clamoribus imperavit dicens: *Exi ab eo, miſer, exi ab eo, miſer.* Ad cuius vocem mox per os vexati diabolus reſpondit, dicens: *Et ſi ab iſto exeo, in quem intrabo?* Caſu autem iuxta porcus parvulus paſcebatur. Tunc ſanctimonialis femina præcepit, dicens: *Exi ab eo, & in hunc porcum ingredere.* Qui ſtatim de homine exivit, porcum, quem iuſſus fuerat, invaſit, occidit, & receſſit." Ne vero de veritate dubium ſupereſſe queat, dicit S. Pontifex, rei, quam narrat, virum ſanctiſſimum Eleutherium ſenem Patrem, de quo iam cap. 14. præclaram mentionem fecerat, teſtem extitiſſe, ſibique hoc intimare curaſſe. Id vero ſingulare prorſus præſtigium eſt, quod Adamannus in vita S. Columbæ narrat, dum *quidam, qui maleficus erat, a Sancto iuſſus, de bove maſculo, qui prope erat, lac arte diabolica expreſſit.* *Lib. II.* „Quod (addit) Sanctus, non ut illa confirmaret maleficia, fieri iuſſit, quod abſit: ſed ut ea coram multitudine deſtrueret. Vir itaque beatus vas, ut videbatur, tali plenum lacte, ſibi ocyus dari popoſcit: & lac cum ſententia benedixit dicens: *Modo probabitur non eſſe verum, quod putabatis lac, ſed dæmonum fraude ad decipiendos homines decoloratus ſanguis:* & continuo lacteus ille color in naturam propriam, hoc eſt, in ſanguinem verſus eſt. Bos quoque, qui per unius horæ momentum turpi macie tabidus & maceratus erat, morti proximus, benedicta a Sancto aqua ſuperfuſus, mira ſub celeritate ſanatus eſt." Narrat poſtea, quomodo idem vir ſanctus fontem a veneficio expiarit, ex quo *bibentes aut in eo manus vel pedes de induſtria lavantes dæmoniaca, Deo permittente, percuſſi arte variis infirmitatibus revertebantur.*

XXX. De S. Martino ceu rem ſingularem refert Sulpitius *Severus* Dial. III. c. 7. „Si quando autem (ait) exorcizandorum dæmonum Martinus operam recepiſſet, neminem manibus attrectabat, ſicut plerumque per clericos rotatur turbo verborum; ſed admotis energumenis, ceteros iubebat abſcedere, ac foribus obſeratis in medio eccleſiæ cilicio circumtectus, cinere reſperſus, ſolo ſtratus orabat. Tum vero cerneres miſeros diverſo exitu perurgeri hos ſublatis in ſublime pedibus quaſi de *Contactu.*

Digitized by Google

nube pendere, nec tamen veſtes defluere ſuper faciem, ne faceret vere-cundiam nudata pars corporum. At in parte alia videres ſine interrogatione vexatos & ſua crimina confitentes: nomina etiam nullo interrogante prodebant, ille ſe *Iovem*, iſte *Mercurium* fatebatur. Poſtremo cunctos diaboli miniſtros cum ipſo cerneres auctore cruciari. Ut iam in MARTINO illud fateamur impletum, quod ſcriptum eſt: *Quoniam Sancti de Angelis iudicabunt.*" Hæc SULPITIUS.

De oratione dicemus poſtea; *de contactu* veró perinde *deque afflatu* paullo ante teſtimonium publicum TERTULLIANI gentilibus exprobratum in apologetico audivimus, quomodo dæmones *de corporibus noſtro imperio excedunt inviti*: libenter autem teſtes etiam adhibemus graves ac idoneos poſteriorum temporum, quibus huiusmodi virtutes ceſſaſſe dictitant, quales a Chriſto tactu ſubinde factas fuiſſe teſtantur evangeliſtæ, imo etiam in veteri iam teſtamento legitur; modum vero illum haud raro ſecuti ſunt ſervi Dei. Talem nobis præſentat S. GREGORIUS M. ISAAC nomine
pag. 304. lib. III. Dialog. c. 14. Quem ſuperbiæ ſpiritu inflatus quidam alapa cum percuſſiſſet „hunc repente ultor ſpiritus invaſit, & ad viri Dei veſtigia ſtravit, ac per os illius clamare cœpit: ISAAC *me eiicit.* Vir quippe peregrinus, quo cenſeretur nomine, neſciebatur; ſed eius nomen ille ſpiritus prodidit, qui ſe ab illo poſſe eiici clamavit. Mox autem ſuper vexati corpus vir Dei incubuit, & malignus ſpiritus, qui eum invaſerat, abſceſſit." Ad Chriſti vero inſtar eſt, quod S. GREGORIUS *Turonenſis*
pag. 1199. de S. PATROCLO abbate narrat in vit. PP. c. 9. „Ingreſſus (ait) altas ſilvarum ſolitudines venit ad locum, qui dicitur *Mediocantus*, ibique conſtructa cellula in opere Dei vacabat. Atque inibi cum multos energumenos manu impoſita per ſignum crucis effugatis dæmonibus mente integra reddidiſſet, unus ad eum rabidus adductus eſt, qui rictibus patulis dentibusque cruentis, quod attingere poterat, dentibus propriis laniabat, pro quo per triduum in oratione proſtratus obtinuit ad illam divinæ miſerationis potentiam, ut mitigato furore leto obnoxius mundaretur, immiſſisque in os eius digitis, fugato feralis atrocitatis ſpiritu, perſonam reſtituit incolumitati . . . per crucis ſanctiſſimæ virtutem."

S. MARTINUS, ut in eius vita narrat SULPITIUS, ingreſſus *Treviris* patrisfamilias cuiusdam domum in limine ipſo reſtitit, dicens: „Horribile in atrio domus dæmonium ſe videre. Cui cum, ut diſcederet, imperaret, quemdam e familia, qui in interiore parte ædium morabatur, arripuit: ſævire dentibus miſer cœpit, & obvios quoscunque laniare. Commota domus, familia turbata, populus in fugam verſus. MARTINUS ſe furenti obiecit, ac primum ſtare ei imperat. Sed cum dentibus fremeret, hian-

Digitized by Google

hiantique ore morſum minaretur, digitos ei Martinus in os intulit : *Si habes aliquid poteſtatis, hos devora.* Tum vero, ac ſi candens ferrum faucibus accepiſſet, longe reductis dentibus, digitos beati viri vitabat attingere : & cum fugere de obſeſſo corpore pœnis & cruciatibus cogeretur, nec tamen exire per os liceret, fœda relinquens veſtigia fluxu ventris egeſtus eſt. Interea (pergit c. 18. atque ad rem perſequi licet) cum de motu atque impetu barbarorum ſubita civitatem fama turbaſſet, dæmoniacum ad ſe exhiberi iubet : imperat, ut, an verus eſſet hic nuntius, fateretur. Tunc confeſſus eſt, ſedecim dæmones fuiſſe, qui rumorem hunc per populum diſſeminaſſent, ut hoc ſaltem metu ex illo Martinus oppido fugaretur, barbaros nihil minus quam irruptionem cogitare."

XXXI Ante hæc narraverat Sulpitius eodem tempore, eademque **Impoſitione manuum.**
in urbe Tetradii cuiusdam proconſularis viri ſervum dæmonio correptum, dolendo exitu eſſe cruciatum. „Rogatus ergo Martinus, ut ei „manum imponeret, deduci eum ad ſe iubet; ſed nequam ſpiritus nullo „proferri modo ex cella, in qua erat, potuit : ita in advenientes rabidis „dentibus ſæviebat. Tum Tetradius ad genua beati viri advolvitur, o„rans, ut ad domum, in qua dæmoniacus habebatur, ipſe deſcenderet. „Tum vero Martinus negare, ſe profani & gentilis domum adire poſſe. „Nam Tetradius eodem tempore adhuc gentilitatis errore implicitus te„nebatur. Spondet igitur ſe, ſi de puero dæmon fuiſſet exactus, Chri„ſtianum fore. Ita Martinus impoſita manu puero, immundum ab eo „ſpiritum eiecit." De S. Ambrosio perhibet Paulinus in eius vita num. *T. IV. Opp. p. VIII.*
28. „In civitate *Florentinorum*, cum in domo clariſſimi quondam viri „Decentis, & quod eſt amplius Chriſtiani, maneret, filius eius Panso„phius nomine, admodum parvulus, cum ſpiritu laboraret, frequenti o„ratione, & impoſitione manus ſacerdotis ipſius eſt ſanatus." Quomodo hunc ipſum Pansophium mortuum poſt aliquantos dies ad vitam revocarit, *Ib. p. XII.*
ad noſtrum nunc inſtitutum non pertinet; id vero quod poſt multa n. 43. idem præſens ſpectator eius vitæ auctor memorat : „Multos diebus illis, „imponente illo manus & imperante, ab ſpiritibus immundis vidimus eſſe „purgatos." De S Germano epiſcopo *Pariſienſi* refert in eius vita Fortunatus *Pictavienſis* epiſcopus coætaneus, quod obſeſſæ mulieri manum impoſuerit, & crucem impreſſerit, dæmon vero per nares in forma muſcæ cum ſanguine copioſo exiverit.

Libenter vero & peropportune hos in exemplum adduximus, quorum ille, S. Ambrosius ſc. liturgiæ *Mediolanenſis*, quæ a ſuo nomine appellationem accepit, auctor; S. Germanus autem ex primoribus habetur li-

turgiæ *Gallicanæ* inſtauratoribus, ut adeo ſtatum in eccleſia ſuis temporibus ritum impoſitionis manuum ſecuti fuiſſe cenſendi ſint, quomodo etiamnum in ordinatione exorciſtarum poteſtas datur *imponendi manus ſuper energumenos ſive baptizatos, ſive Catechumenos.* Apud MARTENIUM de ritib. lib. III. c. 9. de arreptitiorum ſeu energumenorum adiurationibus leguntur ordines ex codd. Reg. & *Vindocinenſi*, in quibus præſcribitur, ut ſacerdos, ad quem ductus fuerit energumenus, omnium peccatorum eius confeſſionem excipiat, *ponat manum in ſummitate capitis,* ac poſt multas preces ſignet eum ad frontem, ad oculos, ad aures, ad nares, ad pectus, ad os, ad pedes, ad ambas manus.

Hoc argumento utitur P. COUSTANT in not. ad iam laudatam INNOCENTII I. ad DECENTIUM epiſtolam: ubi de unctione paullo ante olei agentes, vocem *deſignari*, ſeu *conſignari* de unctione accipi poſſe cenſuimus, P. COUSTANTIO vero neutram aliud ſonare debere videtur, quam ſimplex *ſignare*, nec me refragante, ſi de ſigno S. Crucis accipitur, quod perinde adhibitum oſtendimus, ac etiam nunc manus impoſitionem adhiberi conſtat: de qua in illa INNOCENTII epiſtola hæc adduntur: „Nam eis (energumenis) manus imponenda omnino non eſt, niſi epiſcopus auctoritatem dederit id efficiendi. Ut autem fiat, epiſcopi eſt imperare, ut manus eis vel a presbytero, vel a ceteris clericis imponatur. Nam quomodo id fieri ſine magno labore poterit, ut longe conſtitutus energumenus ad epiſcopum deducatur; cum ſi talis ei caſus in itinere acciderit, nec perferri ad epiſcopum, nec referri ad ſua facile poſſit."

Sola etiam præſentia Sanctorum, aut rerum ad eos pertinentium.

XXXII. EUSEBIUS H. E. lib. VII. c. 10. partem nobis epiſtolæ S. DIONYSII *Alexandrini* conſervavit, in qua cauſam exponit perſecutionis ſub VALERIANO imperatore, qui initio principatus Chriſtianis impenſe faverat, „totaque eius familia (ſunt verba EUSEBII) piis hominibus abundabat, ac Dei eccleſia eſſe videbatur. Verum magiſter & archiſynagogus magorum *Ægypti* ei tandem perſuaſit, ut ab hoc inſtituto deſciſceret; iubens, ut caſtos quidem & ſanctos viros perſequeretur atque occideret, quippe qui ſceleſtis ac deteſtandis incantationibus adverſarentur atque obſtarent. Erant enim & ſunt etiamnum eiusmodi, qui vel præſentia atque aſpectu ſuo, & inſufflantes dumtaxat ac vocem edentes, dæmonum præſtigias diſturbare poſſint." Meminimus iam S. GREGORII *Taumaturgi*, qui tunc temporis circa medium ſæc. III. vixit, ac teſte SOCRATE dæmones abſens etiam per epiſtolam fugavit.

Lib. IV hiſt. eccl. c. 27.

Neque vero eiusmodi virtus Sanctis defuit, poſtquam eccleſia ſub imperatoribus chriſtianis principatum tenuit, eiusmodi quidem, qualis *Act.* XIX, 12.

12. de S. Paulo memoratur, *ita ut etiam ſuper languidos deferrentur a corpore eius ſudaria, & ſemicinctia, & recedebant ab eis languores, & ſpiritus nequam egrediebantur.* Sulpitio dial. II. c. 8. femina memoratur, quæ partem ſtraminis, in quo S. Martinus quieverat, ſibi pro benedictione collegerat, energumeno, quem ſpiritus erroris agitabat, de cervice ſuſpendit. *Nec mora, dicto citius eiecto dæmone, perſona purgata eſt.* Et dial. III. c. 6. „Monaſterium (inquit) beati viri duobus a civitate erat millibus diſparatum: ſed ſi quoties venturus ad eccleſiam, pedem extra cellulæ ſuæ limen extulerat, videres per totam eccleſiam energumenos rugientes, & quaſi adveniente iudice agmina damnanda trepidare, ut adventum epiſcopi clericis, qui venturum eſſe neſcirent, dæmoniorum gemitus indiceret. Vidi quemdam appropiante Martino in aere raptum, manibus extenſis in ſublime ſuſpendi, ut nequaquam ſolum pedibus attingeret.“ Et poſtea cap. 14. „Vidi præterea ad pſeudothyrum (poſticum) monaſterii ipſius adductum energumenum, & prius quam ad limen attingeret, fuiſſe curatum.“ *Vid. Ioan. Vorſtii not. ad hunc locum.*

En oculatum teſtem Sulpitium S. Martini diſcipulum. Cuiusmodi alterum producere licet Paulinum vitæ S. Ambrosii ſcriptorem. Is poſtquam narraſſet, mortua Iustina haruſpicem Innocentium nomine, cum pro cauſa maleficiorum a iudice torqueretur, aliud quam interrogaretur, fateri cœpiſſe. „Clamabat enim (pergit n. 20.) ab angelo maiora tormenta ſibi adhiberi eo, qui cuſtodiret Ambrosium: quoniam temporibus Iustinæ ad excitanda odia populorum in epiſcopum, cacumen tecti eccleſiæ conſcendens, medio noctis ſacrificaverit. Sed quanto inſtantius & ſollicitius opera maligna exercebat, tanto magis amor populi circa fidem catholicam, & Domini ſacerdotem convaleſcebat. Miſiſſe etiam ſe dæmones, qui illum necarent, fatebatur: ſed dæmones renuntiaſſe, ſe non ſolum ad ipſum appropinquare minime poſſe, verum etiam nec ad fores domus, in qua manebat epiſcopus: quia ignis inſuperabilis omne illud ædificium communiret, ut etiam longe poſiti urerentur: atque ita ceſſaſſe artes ſuas, quibus adverſus Domini ſacerdotem ſe aliquid poſſe arbitrabatur.“ Hæc, inquam, poſtquam narraſſet, „Per idem tempus (ſubdit) cum vir illuſtris Grobus puerum ſuum notarium, qui ſpiritu immundo graviter vexabatur, direxiſſet ad epiſcopum, egreſſum ex urbe dimiſit diabolus, timens ad virum ſanctum perduci. Atque ita puer, quamdiu *Mediolani* apud epiſcopum fuit, nulla comminatio diaboli apparuit. Sed ubi egreſſus *Mediolano* eſt, & prope urbem pervenit, idem ſpiritus, qui illum antea habuerat, vexare eum cœpit. Qui cum interrogaretur ab exorciſtis, cur, quamdiu *Mediolani* fuiſſet, non in illo ap-

 paruiſſet,

paruiſſet, confeſſus eſt diabolus timuiſſe ſe Ambrosium, & ideo receſſiſſe ad tempus, atque exſpectaſſe in illo loco, ubi ab illo receſſerat, donec reverteretur: quo revertente, vas, quod deſeruerat, repetiſſe.“ Narrat poſtea n. 33. rem, cui ipſe aderat, translationi nimirum S. Celsi M. ad baſilicam apoſtolorum, ubi „cum tractaret epiſcopus, quidam de populo repletus ſpiritu immundo clamare cæpit, ſe torqueri ab Ambrosio. At ille converſus ad eum ait: Obmuteſce diabole; quia non te torquet Ambrosius, ſed fides Sanctorum, & invidia tua, quoniam illo vides aſcendere homines, unde tu deiectus es: nam Ambrosius neſcit inflari. Quo dicto, ille, qui clamabat, obmutuit, proſtratusque in terram eſt, nec amplius vocem, qua obſtrepere poſſet, emiſit.“ Quodſi hæc energumenum ad captandum præſentis tunc & adhuc viventis S. Paſtoris favorem finxiſſe, ſimulaſſeque forte quis in animum inducat, audiat, quid acciderit mortuo ſancto paſtore: „cum (ut idem refert n. 48.) corpus illius peractis ſacramentis divinis de eccleſia levaretur portandum ad baſilicam *Ambroſianam*, in qua poſitus eſt, ita ibi dæmonum turba clamabat, ſe ab illo torqueri, ut eiulatus eorum ferri non poſſet. Quæ gratia ſacerdotis non ſolum in illo loco, verum etiam in plurimis provinciis uſque in hodiernum diem manet.“

Ad Sanctorum lipſana. XXXIII. Præſens vero his omnibus aderat Paulinus clericus eccleſiæ *Mediolanenſis* ſub S. Ambrosio, eiusque plerumque, ut ex ſermonis ſerie coniicitur, adhærens lateri. Conveniunt etiam Paulini dicta cum iis, quæ ſcribit S. Ambrosius, exempli cauſa, de ſolemni elevatione corporum SS. Gervasii & Protasii, quando inter alia miracula „obſeſſa etiam corpora a ſpiritibus immundis curata, ſumma cum gratia domum repetebant, ringente tum Iustina cum *Arianis* in palatio,“ contra quos dæmones ipſi teſtimonium reddere compellebantur. „Unus itaque (ſunt Paulini verba) ex ipſa multitudine ſubito arreptus a ſpiritu immundo clamare cæpit, ita torqueti eos, ut ipſe torquebatur, qui negarent martyres, vel qui non crederent in Trinitatis unitatem, quam docet Ambrosius.“ Verba eadem fere S. Ambrosius in epiſtola ad ſororem ſuam habet, ſubditque n. 22. „Non accipio a diabolo teſtimonium ſed confeſſionem. Invitus dixit diabolus, ſed exactus & tortus.... Dicebant hodie & ſuperiore die vel nocte dæmones: *Scimus, quia martyres eſtis.* Et *Ariani* dicunt: *Neſcimus, nolumus intelligere, nolumus credere.* Dicunt dæmones martyribus: *Veniſtis perdere nos; Ariani* dicunt: *Non ſunt dæmonum vera tormenta, ſed ficta & compoſita ludibria.* Audivi multa componi, hoc nemo unquam fingere potuit, ut dæmonem ſe „eſſe

Claſſ. I. ep. 22. T. III. p. 934.

„ eſſe ſimularet. Quid illud, quod ita exagitari eos videmus, quibus „ manus imponitur? Ubi hic locus fraudi eſt? ubi ſuſpicio ſimulandi?“ Qui his aderat præſens tunc *Mediolani* S. Augustinus lib. IX. Confeſſ. c. 7. eadem confirmat. „Cum enim (inquit) propalata, & effoſſa digno „ cum honore transferrentur ad *Ambroſianam* baſilicam, quos immundi „ vexabant ſpiritus, confeſſis eisdem ſpiritibus ſanabantur.“ Addantur, quæ narrat lib. XXII. *de civitate Dei* c. 8. *de miraculis, quæ, ut mundus in Chriſtum crederet, facta ſunt, & fieri mundo credente, non deſinunt.* Paulinus vero poſtea iterum, cum S. Ambrosius in civitate *Florentia* reliquias SS. Martyrum Vitalis & Agricolæ, quorum corpora in *Bononienſi* civitate levaverat, deponeret, magnam totius plebis lætitiam, *pœnam vero dæmonum confitentium martyrum merita* commemorat. Et S. Ambrosius in ſermone de his SS. Nazario & Celso, *Cur autem*, inquit, *non honorent corpus illud fideles, quod reverentur dæmones?* Argumento hoc utitur S. Hieronymus contra Vigilantium eiusque ſectatores: etiam in cap. 65. Isaiæ. *N. 29.*

In epitaphio Paulæ eadem etiam de ſepulchris prophetarum ex ore ipſius Paulæ cum viveret, affirmat: „Namque (inquit) cernebat variis dæmones rugire cruciatibus; & ante ſepulcra Sanctorum ululare homines more luporum, vocibus latrare canum, fremere leonum, ſibilare ſerpentum, mugire taurorum: alios rotare caput, & poſt tergum terram vertice tangere, ſuſpenſisque pede feminis, veſtes (non) defluere in faciem.“ Eſt hic particula negativa addenda, ut in locis ſynonymis aliorum SS. PP. Sic S. Hilarius in libro contra Constantium n. 8. „Plus crudelitati veſtræ (inquit) Nero, Deci, Maximiane, debemus. Diabolum enim per vos vicimus. Sanctus ubique beatorum martyrum ſanguis exceptus eſt, & veneranda oſſa quotidie teſtimonio ſunt: dum in his dæmones mugiunt, dum ægritudines pelluntur, dum admirationum opera cernuntur, elevari ſine laqueis corpora, & ſuſpenſis pede feminis, veſtes non defluere in faciem, uri ſine ignibus ſpiritus, confiteri ſine interrogatione vexatos, agere omnia non minus cum profectu examinantis, quam incremento fidei.“ His, quæ ſupra ex Sulpitio *Severo* dial. 3. de S. Martino retulimus, congruunt. Eadem etiam leguntur in Nat. VII. S. Felicis apud Paulinum. Idem in Nat. VI. S. Felicis ſic canit: *Epiſt. 86. T. IV. pag. 677.* *pag. 1243.*

Quis tantos agit huc populos! quænam manus urget
Dæmonas, invitosque rapit, fruſtraque rebelli
Voce reclamantes compellit ad uſque ſepulchrum
Martyris, & Sancto quaſi fixos limine ſiſtit?

Facit

Facit ad rem S. VICTRICII *Rothomagenſis* epiſcopi circa finem ſæculi IV. liber *de Laude Sanctorum*, quem haud pridem abb. LE-BEUF ex mſc. cod. S. GALLI annorum plus mille edidit, recuſusque extat T. VIII. Bibl. PP. edit. novæ *Venetæ*. Ubi ſic etiam perorat de ſacris reliquiis, quas ex *Britannia* attulerat: „Ecce incumbit immundi pollutique ſpiritus tortor, nec venit ſub aſpectu illius, qui torquet. Nulla ſunt vincula, & ligatur ille, qui patitur. Equuleum aeris habet ira cœleſtis Nulla ungula eſt, & tanta ſunt crimina confitentium: nullum vulnus apparet, & dentium ſtridor auditur: nulla interrogatio diſceptantis, & ſequitur permiſſio recedentis.“ Addit mox votum: „Sed nunc nobis, amantiſſimi, orandum eſt, non perorandum (orandum) inquam, ut a nobis omnis diaboli impetus repellatur, qui clandeſtino lapſu noſtrum pectus ingreditur. Firmate igitur Sancti, veſtros firmate cultores, ac petra angulari pectus inſtruite. Periculoſus eſt hoſtis: omnes aditus, omnes explorat egreſſus. Sed nihil eſt verendum, grandis eſt occurrentium multitudo Sanctorum.“ Nec illud omittendum, quod ante hæc omnia idem n. 8. *pag. 231.* dixerat: „Ecce nobis velut prælato Reliquiarum ſuarum lumine tramitem veritatis oſtendunt. Docent reverentiam, fidem, prudentiam, iuſtitiam, fortitudinem, concordiam, continentiam, caſtitatem, dum in obſeſſis corporibus, his quæ ſunt contraria puniunt, & vitiorum amovent labes.“

Ex *Græcis* SS. Patribus argumento hoc prima in IULIANUM invectiva & alibi veluti carmine iambico T. II. p. 216. uſus eſt S. GREGORIUS *Naz.*

Quid ſi commemorem illud, quod morborum ac dæmonum
Purgatio inde oritur incredibilis, vel ex tumulis ipſis,
Qui corpora quondam recipere meruerunt pretioſa,
Quæ ſpirituum malorum incurſionibus reſtiterunt.

Lib. I. T. I. pag. 155. Rememoranda hic ſunt, quæ ſupra ex S. CHRYSOSTOMI ſermone ad STAGIRIUM dæmone vexatum attulimus, ac imprimis arreptitio illi ſcrupulum illum eximere animo allaborat: „Cum tantum (inquit) tempus in ieiuniis ac pernoctationibus, & reliqua vitæ auſteritate contriveris, nullam ærumnarum tuarum liberationem hactenus inveneris. Tertio: quod cum ſanctus ille vir tantam in reliquis viris potentiam oſtenderit, nihil eiusmodi potuerit in tua dilectione perficere, neque ipſe, neque ii, qui cum illo erant, illo etiam in hoc genere potentiores, verum omnes re infecta abs te cum rubore diſceſſerint.“ Loquitur hic de ſancto viro adhuc in vivis exiſtente, qui fruſtra operam ſuam, Deo ita in ſalutem haud dubie STAGIRII volente, impenderit, cum in aliis tantam potentiam oſtenderit.

Alibi

Digitized by Google

Alibi contentionem fidelium declarat ad Sanctos recurrendi, ut obſeſſi liberentur: „Rurſus (inquit) a dæmone ſi correptum videas, ad omnes Sanctos curris, & eos, qui cacumina montium incolunt, interpellas, ut illum eiusmodi furore liberent.“ In S. Iulianum dum oſtendit, quam dæmones martyrum ſepulchra formident, ſic argumentatur: „Quodſi nunc tanto poſt tempore, cum pulvis & cinis eſt factus, ſuſpicere in monumentum non audent, nec in nuda Sancti oſſa; minime dubium eſt, quin tum quoque, cum illum ſanguinem purpuratum videbant, vulneribus undique amplius, quam ſolem radiis refulgentem, perculſi fuerint, & oculis læſi receſſerint.“ Homilia XIII. in Matthæum hinc dæmonum cruciatus ac vim, quam patiuntur, ac ipſi ad ſepulchra Sanctorum clamantes, & ululantes fatentur inviti, expendens, „Unde igitur (inquit) hæc dicunt, & contra, quam volunt, loquuntur? Non alia de cauſa, quam quod maiori cruciatu cogantur. Neque enim vellent ſponte confiteri, vel ſe a mortuis hominibus torqueri, vel ſe omnino grave quidpiam pati.“ Hom. XXVI. in ep. II. ad *Cor.* „Sanctorum oſſa (inquit) dæmones ſiſtunt & excruciant, acerbiſſimisque illis vinculis eos, qui adſtricti ſunt, ſolvunt. Quid hoc tribunali terribilius fingi poteſt? Cum nemo cernatur, nemo dæmonis lateri incumbat, voces & dilacerationes, verbera & cruciatus, linguæ conflagrantes audiuntur, dæmone admirabilem potentiam minime ferente. Atque iſti, qui corpora geſtarunt, virtutes corpore vacantes ſuperant, pulvisque, oſſa, & cinis naturas illas inviſibiles dilacerant. Ideo nemo eſt, qui peregrinationem unquam inire ſuſtineat, ut imperatorum aulas videat; contra multi plerumque imperatores peregre profecti ſunt, ut hoc ſpectaculo fruerentur. Siquidem ſanctorum martyrum templa futuri iudicii veſtigia & ſigna exhibent, dum dæmones flagris cæduntur, hominesque caſtigantur, ac liberantur.“

T. III. pag. 321.

T. II. p. 674.

T. VII. pag. 175.

Hæc paſſim ſpectacula ac beneficia alibi, tum alii etiam SS. PP. extollunt, ſermonibus publicis ad ipſa martyrum lipſana rem profeſſi, veluti Maximus *Taurinenſis* hom. de natali *Tauricorum* martyrum. „Cernimus enim (inquit) ab iis frequenter obſeſſos immundiſſimis dæmonibus homines liberari; ita ut cœleſti medicina & captiva anima de diaboli laqueis eruatur; & ipſe diabolus vinculis igneis alligatus producatur de ſua captivitate captivus: ut qui prædam paullo ante ceperat, ipſe ſubdatur in prædam. Hæc & alia potiora mirabilia per ſanctos fieri omnibus notum eſt.“ Et S. Gregorius M. Homil. XXXII. „Ad ſanctorum martyrum corpora conſiſtimus, fratres mei. Nunquid iſti carnem ſuam in mortem darent, niſi eis certiſſime conſtitiſſet, eſſe vitam, pro qua mori debuiſſent? Ecce qui ita crediderunt, miraculis corruſcant. Ad extincta

Digitized by Google

namque eorum corpora viventes ægri veniunt, & a dæmonio vexantur, dæmoniaci veniunt, & liberantur. " De SS. Apoſtolorum præſertim Petri & Pauli non ſolum martyriis, verum etiam S. Petri vinculis ſimilia memorantur ab aliis etiam poſterioris ætatis ſcriptoribus, dum occaſio ſe offert, veluti Sigebertus teſtatur, quemdam Othonis imp. comitem a dæmone tam dire vexatum, ut ſe ipſum dentibus dilaniaret, ad catenarum S. Petri contactum ſubito ab omni vexatione liberum remanſiſſe. Sic apud Gaufridum in vita S. Bernardi dæmon ubi de capillis, & barba, dens item unus S. Patris pectori energumeni imponeretur, *Germanica* lingua per os eius cæpit horrendis vocibus nequam ſpiritus exclamare: *Tollite, tollite, amovete* Bernardum: & dicebat: *Heu quam ponderoſus factus es* Bernarde, *quam gravis, quam intolerabilis factus es mibi?* Cumque hæc & ſimilia aliquamdiu clamitans loqueretur, factum eſt breve ſilentium, & ſubito frater idem Domino miſerante purgatus &c.

Lib. IV. c. 4. T. VI. pag. 1140.

Angelorum cuſtodia.

XXXIV. Quæ ſupra de duobus geniis, ſive bono & malo angelo, homini adhærente ex antiquiſſimis SS. Patribus attulimus, abunde nobis etiam præſidium illud, quod nobis angelus cuſtos contra cacodæmonem continuo inſidiantem infeſtantemque præſtat, declarant; noſtraque ſolum culpa accidit, ut maligno locus ſit. Origenes Hom. XXXV. in Lucam, & contra Celsum ad allatum a nobis Hermæ *Paſtoris* locum provocat de duobus aſſiſtentibus cuique homini geniis, bono profligante conatus maligni, niſi ſecus culpa noſtra accidat; quod nec S. Prosper contra Collatorem ſeu Cassianum ad eundem Pastorem Collat. VIII. c. 17. & Coll. XIII. c. 12. provocantem fieri negat, ſi illorum maleficio obnoxios nos reddamus. „Neque enim (inquit Origenes) etiamſi non ipſis benevoli „ ſint dæmones, quidquam ab illis pati poſſunt. Hos quippe cuſtodit ſum„ mus Deus ipſorum pietati benevolus, qui & divinos angelos eorum cu„ ſtodiæ præficit, quos cuſtodia dignos videt, ut nihil illis dæmones no„ ceant." Et poſtea: „ Chriſtianus (ait) verus inquam Chriſtianus, qui ſo„ lius Dei verbique imperio ſe ſubdit, cum dæmonibus præſtantior ſit, ni„ hil a dæmoniis pati poteſt. Cuius rei cauſa eſt, quia caſtra metabitur an„ gelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos, & eius ange„ lus, qui ſemper videt faciem Patris cœleſtis, eius preces per ſolum Sacer„ dotem magnum ſemper univerſorum Deo offert, & ipſe precatur cum „ eo, cuius ipſi commiſſa cura eſt. Ne igitur nos inanibus larvis terrefa„ ciat Celsus, minitans, nos dæmonibus, quos nihili ducimus, luituros „ pœnas. Nihil enim ſpreti dæmones nocere poſſunt nobis, qui conſecra„ ti.

Lib. VIII 27. T. I. p. 761.

Ib. n. 36. pag. 769.

Contra Celſum.

Digitized by Google

„tl ſumus illi, qui ſolus omnes ſuo auxilio dignos adiuvare poteſt, qui„que præterea ſuos piis in illum angelos præficit, ut nec adverſarii angeli, „nec eorum princeps, vocatus huius ſæculi princeps, facere quidquam „poſſint adverſus eos, qui Deo conſecrati ſunt."

Idem lib. III. de Princip. c. 3. illud D. Petri verſans: *Quia adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* „Pro„pter quod (ait) die noctuque cor noſtrum omni cuſtodia ſervandum eſt, „& locus non eſt dandus diabolo, ſed omnia agenda ſunt, quibus miniſtri „Dei, hi videlicet ſpiritus, *qui ad miniſterium miſſi ſunt eorum, qui ad „hæreditatem ſalutis vocati ſunt*, inveniant in nobis locum, & delectentur „ingredi hoſpitium animæ noſtræ, & habitantes apud nos conſiliis ſuis re„gant; ſi tamen habitaculum cordis noſtri virtutis & ſanctitatis cultu inve„nerint exornatum." S. Gregorius *Niſſ.* in lib. ſeu Theoria de Vita Moysis ad veterem traditionem de duobus angelis provocat, aſſerens: „Deum ia„pſum noſtrum providentia ſua minime deſtituiſſe; ſed angelum quem„dam ex iis, qui naturam corporis expertem ſortiti ſunt, adhibuiſſe ad „uniuſcuiusque vitæ tutelam, ac præſidium. At ex adverſo naturæ cor„ruptorem pari machinatione contra niti, & pravo quodam, ac malefico „adiuncto dæmone, humanæ vitæ perniciem afferre: porro hominem in am„borum medio conſtitutum, alterutrius adiunctum ſcopum ac propoſitum, (τὸν ἑκατέρȣ τῶν παρεπομένων σκοπὸν) alterius propoſitum contrarium ſuopte momento valentius reddere." Vid. Petav. *de Angelis.* lib. II. c. 8. proximeque antecedentibus & conſequentibus, in quibus de cuſtodia humano generi ab angelis impendi ſolita copioſe tractat. Referri huc etiam poſſunt, quæ capite primo n. 39. *de dæmonibus aereis poteſtatibus* diximus deſcripſimusque viſionem S. Antonii ex S. Athanasio in eius vita n. 65. T. I. opp. P. II. p. 843.

T. I. p. 149. T. I. p. 195. ed. Pariſ. 1638.

XXXV. Familiaris a prima eccleſiæ ætate SS. Patribus fuit Evæ & Mariæ antitheſis, quam non uno tantum ediſſerit loco S. Irenæus M. his autem diſſertis verbis lib. V. c. 19. n. 1. quo *cum EVA inobediente & prævaricante comparatur B. Virgo MARIA, illius advocata.* „Quemadmodum enim (ait) illa per angeli ſermonem ſeducta eſt, ut effugeret Deum, prævaricata verbum eius; ita & hæc per angelicum ſermonem evangelizata eſt, ut portaret Deum, obediens eius verbo. Et ſi ea inobedierat Deo, ſed hæc ſuaſa eſt obedire Deo, uti virginis Evæ virgo Maria fieret advocata. Et quemadmodum adſtrictum eſt morti genus humanum per virginem, ſalvatur per virginem: æqua lance diſpoſita, virginalis inobedientia, per virginalem obedientiam. Adhuc enim protoplaſti peccatum per correptionem primogeniti emendationem accipiens, & ſerpen-

B. Dei genitricis Mariæ tutela. Pag. 516.

tis prudentia devicta in columbæ ſimplicitate, vinculis autem illis reſolutis, per quæ alligati eramus morti &c.“ Poſteriorem hanc periodum affert S. Augustinus lib. I. contra Iulian. c. 3. Sententiam vero conformiter ad lectionem vulgatæ *Gen.* III. 15. *Ipſa conteret caput tuum* expreſſit altero poſt Irenæum ſæculo, Chriſti tertio, martyr item ac epiſcopus *Patarenſis* S. Methodius in ſermone *de* Simeone & Anna, *quo die Domino in templo occurrerunt*, *ac de ſancta Deipara*, ſic beatam virgi-
T. III. Bibl. PP p. 815. *num.* 10. nem devoto compellans affectu: *Tu potentem illum decora corporis armatura induiſti, qua & is mihi redditus eſt oculis aſpectabilis, ipſeque, ut libere intuiturus poſſim accedere, accepi, qua etiam omnia Mali illius ignita tela extingui habent.* Quam vero beata virgo mater ſtudioſa ſemper fuerit rerum, quæ ad ſalutem noſtram attinent, ſatagendi, illuſtre exemplum ante S. Methodium exhibet S. Gregorius *Niſſanus* in vita S. Gre-
a gorii *Taumaturgi.* a) Extat etiamnum fidei expoſitio, quam per revelationem a beato Ioanne *Evangeliſta* mediante Dei genitrice Maria V. accepit, cum adverſus petram eccleſiæ portæ inferi impingerent. Huc
Ibid. p. 385. & 447. cumprimis facit, quod S. Gregorius *Nazianz.* orat. XVIII. de S. Iustina M. commemorat, quomodo tum S. Crucis ſigno, cum etiam invocatione B. Mariæ Virginis a Cypriano caſtitati ſtructas magicis artibus inſidias infregerit: *Virginem*, inquit, *MARIAM ſupplex obſecrans, ut periclitanti virgini ſuppetias ferret, ieiunii & chameuniæ pharmaco ſe ſe communit.*

In editione operum S. Gregorii *Naz.* extat tragœdia *Chriſtus patiens* inſcripta, cuius auctor concilio *Ephеſino* antiquior habetur: ibi autem frequens eſt ad B. M. V. ſupplicatio certa cum fiducia contra malignum av. 2609.

Ne

a) „Hic enim, cum per totam aliquando de ratione atque ſermone fidei ſpecularetur, variasque ſecum cogitationes agitaret (erant enim & tunc aliqui, qui piam religionis doctrinam adulterarent, per probabiles argumentationes ſæpe etiam intelligentibus ac doctis veritatem ambiguam reddentes) pro qua tunc ei vigilanti, & ſolicite noctem agenti quidam evidenter apparet in forma humana . . & ex adverſo eius, quod prius apparuerat, aliud quoddam excellentius, & auguſtius, quam pro humana conditione, ſpectaculum in figura muliebri conſpexit. Rurſus autem perterritus, & facie averſa vultum in ſeipſum inclinans, dubio ac plane perplexo fuit animo propter ſpectaculum, ut qui oculis apparitionem ferre nequiret. Etenim in hoc potiſſimum conſiſtebat miraculum viſionis, quod, cum profunda nox eſſet, lumen una cum illis, qui ei apparuerant, velut lucida aliqua fax reſplendebat. Cum igitur oculis ferre apparitionem non poſſet, audivit ſermocinationem quandam eorum, qui a ſe viſi fuerant, explicantium inter ſeſe rationem eius rei, de qua ambigebatur: per quos, non ſolum veram fidei cognitionem accepit, verum etiam nominatim eos, qui apparuerant, cognovit, utroque eorum propria appellatione alterum compellante, & alloquente. *T. III. Bibl. PP. p.* 447.

Ne me ergo tradi tu ſinas tanquam ad crucem,
Ludibrioque illius exponi, omnium
Iuratus hoſtis qui ſit, & mortalium
Peſtis, tuere me.

A S. Cyrillo *Alexand.* homilia *Epheſi* in Nestorium habita, *quando ſeptem ad ſanctam MARIAM deſcenderunt*, pie ſalutatur, depredicaturque *per quam dæmones fugantur, per quam tentator diabulus cælo decidit &c.* Balsamon in Can. 83. epiſtolæ Basilii ad Amphilochium contra pythonicos, veneficosque inducentes, *Eos ergo*, ſcribit, *qui vaticinantur, & non credunt per invocationem nominis Domini, & Dei, & Servatoris noſtri IESU Chriſti, Dei matris, & omnium Sanctorum omnem morbum & omnem ægritudinem curari, omneque veneficium & impoſturam ſatanicam virtute, & præſentia precioſæ & vivificæ Crucis a fidelibus expelli, ſed potius miraculorum oſtentatores, præſtigiatoresque & gentium conſuetudines ſequuntur, & eos in ædes ſuas introducunt ad purgandam forte ægritudinem, quæ ex veneficio oritur, dicit Sanctus, eſſe ſexennio puniendos.* Silentio prætereo, quæ apud Cæsarium & alios ſequiori ævo narrantur portenta.

T. III. Conc. edit. Labb. pag. 586.

XXXVI. Origenes Celsum, qui Chriſtianorum poteſtatem incantandi expellendique dæmones ex quorundam dæmonum nominibus & incantationibus eſſe cavillabatur, confutans, „Neque enim (inquit) huiusmodi incantationibus poteſtatem habere videntur, ſed pronuntiando nomine Iesu recitandisque evangeliis: hæc enim ſæpe ex hominibus dæmones extruſerunt: idque maxime, cum ii, qui recitant, pro animo recitant & integra fide. Quinimo tanta nominis Iesu contra dæmones vis eſt & potentia, ut eos aliquando vincat etiam ab improbis pronuntiatum. Quod nobis Iesus ipſe prænuncians ait: *Multi dicent mihi in illa die, in nomine tuo dæmonia eiecimus, & virtutes fecimus.* Quod neſcio ſpontene ac maligne præterierit Celsus, an prorſus ignoraverit. Accuſat poſtea & ipſum Salvatorem, quod magicis artibus fecerit ea, quæ facere viſus eſt; & quod, cum præſciret multos poſtea futuros, qui earundem artium periti eadem ac ipſe efficerent, iactarentque ſe divina effeciſſe potentia, illis ſua ſocietate interdixerit: illum enim, ſi iuſte alios reiecit, improbum eſſe, cum eorundem criminum ſit reus; aut ſi, cum hæc facit, extra culpam eſt, abeſſe etiam a culpa eos, qui eadem faciunt. Verumtamen licet, qua virtute Iesus hæc fecerit, demonſtrari poſſe non videretur, nihilominus evidens eſt, nullam a Chriſtianis incantationum artem adhiberi, ſed Iesu nomen, aliaque nonnulla, quæ ſcripturæ divinæ cre-

Evangelia.

Digitized by Google

Ib. p. 461. denda eſſe docent.“ Et lib. III. n. 24. in curatione mirifica iterum evangelium indigitat, dum nihil invocari dicit quam „ſupremum Deum, Ieſuque nomen adiuncta de iſto hiſtoria. His & nos vidimus multos gravibus incommodis liberatos, alienatione mentis, inſania, aliisque ſexcentis, quæ neque homines neque dæmonia ſanaverunt.“ Idem videtur Iulius *Firmicus* innuere his verbis: „Sic apud nos Deos veſtros, cum hominibus nocere cæperint, religioſi ſermonis flagella caſtigant. Sic in corpore hominum conſtituti Dei veſtri, verbo Dei ſpiritualium flammarum igne torquentur.“ Hinc mos ille haud dubie inolevit, de quo S. Io. *Chryſoſt.* Hom. XIX. ad populum *Antioch.* „Non cernis (inquit) ut mulieres & parvi pueri pro magna cuſtodia collo evangelia ſuſpendunt, & ubique circumferunt, quocunque abierint? Tu evangelii mandata & leges mente deſcribas: non auro nec argento hic eſt opus & pecuniis, nec librum emere: voluntate ſola vobis eſt opus, & affectu animæ expergefactæ, & ſecurius habebis evangelium non circumferens extrinſecus, ſed in animæ penetralibus ipſum reponens.“ Alibi de more etiam mentionem faciens ad lectum ſuſpendendi: „Non eſt (inquit) minus, eleemoſynam reconditam eſſe, quam evangelium ſuſpenſum eſſe ad lectum. Nam ſi evangelium quidem ſuſpenderis, & tu nihil feceris, non adeo magnam accipies utilitatem. Hanc autem habens arculam, habes arma adverſus diabolum, precationem reddis alatam, ſanctam domum conſtruis, quæ habet alimenta regis intus recondita. Ideo & iuxta lectum ſit arcula, noxque nullis perturbabitur viſis & inſomniis.“ S. Hieronymus poſt S. Chrysost. in illud *Matth.* XXIII. *dilatant enim philacteria ſua &c.* „Hoc apud nos (inquit) ſuperſtitioſæ mulierculæ in parvulis evangeliis & in crucis ligno, & in iſtiusmodi rebus (quæ habent quidem zelum Dei, ſed non iuxta ſcientiam) usque hodie factitant: culicem liquantes, & camelum glutientes.“ S. Augustinus Tr. VII. in Ioannem *Evang.* c. 1. „Cum caput (inquit) tibi dolet, laudamus, ſi evangelium ad caput tibi poſueris, & non ad ligaturam cucurreris. Ad hoc enim perducta eſt infirmitas hominum, & ita plangendi ſunt homines, qui currunt ad ligaturas, ut gaudeamus, quando videmus hominem in lecto ſuo conſtitutum, iactari febribus & doloribus, nec alicubi ſpem poſuiſſe, niſi ſibi evangelium ad caput poneret: non quia ad hoc factum eſt, ſed quia prælatum eſt evangelium ligaturis.“ S. Gregorius Adulouvaldo regi tranſmittit *phylacteria: id eſt crucem cum ligno ſanctæ crucis Domini, & lectionem ſancti evangelii theca Perſica incluſam.* Alia phylacteria Conc. *Laodic.* c. 36. damnat.

Cap. 25.

T. II. pag. 597.

Hom. 43. in epiſt. 1. ad Cor.

Hom. 43. in Matth.

T. III. pag. 346.

Lib. XIV. epiſt. 12. add lib. III. ep. 33. lib. IX. ep. 123.

Facile ſuperſtitioni in huiusmodi rebus fit locus, ſemperque a ſpiritu evangelii alienum eſt ſic his hærere, ut in hoc iam ſatis præſidii eſſe exiſtime-

Digitized by Google

ſtimetur, neque ab externis ſymbolis ad id, quod repræſentant, abducatur conſideratio. Quæ tamen ideo non penitus ſunt abiicienda, quemadmodum reliquus omnis exterior religionis cultus, ipſaque ſacramenta, ſigna viſibilia coniuncta cum inviſibili gratia. S. Augustinus in libro *de ſymbol.* c. 1. huiusmodi etiam contra diabolum munit armis: „Noverint (inquit) cum ſymboli ſacramento, & crucis vexillo debere occurri, ut talibus armis indutus, facile vincat chriſtianus, de cuius oppreſſione male ante triumphaverat nequiſſimus."

XXXVII. Lucæ & Marci capite nono deſcribitur ſævum dæmonii genus, quod fruſtra eiicere diſcipuli Chriſti tentaverunt. Poſtquam autem illud eieciſſet Chriſtus: „Et cum introiſſet in domum, diſcipuli eius ſecreto interrogabant eum: *Quare nos non potuimus eiicere eum?* Et dixit illis: *Hoc genus in nullo poteſt exire, niſi in oratione & ieiunio.*" Iam nonnulla exempla protulimus, veluti S. Antonii abbatis, qui cum eiusmodi dæmoniaco iuvene antequam eum aggrederetur, totam noctem duxit inſomnem; nihilominus circa auroræ tempus de repente in Sanctum irruens, impulit eum. Apud Cassianum legitur Coll. 8. c. 18. duos philoſophos magicis præſtigiis, immiſſis etiam nequiſſimis dæmonibus expellere S. Antonium de ſua cella conatos: *Cumque* Antonius *nunc crucis ſignaculum imprimeret fronti ſuæ ac pectori, nunc Deum ſuppliciter exoraret, diriſſimi dæmones nequaquam audebant appropinquare eidem, ſed ſine effectu redierunt ad magos.* Quod iterum iterumque incaſſum nequioribus miſſis dæmonibus factum fuit, cum abbas Antonius modo prætacto reſiſteret. De S. Martino item memoravimus, eum admotis energumenis cæteros iuſſiſſe abſcedere, ac foribus obſeratis in medio eccleſiæ cilicio circumtectum, cinere reſperſum, ſoloque ſtratum orare ſolitum. Sic paſſim non niſi præmiſſa oratione opus hoc aggreſſos Patres legimus, quemadmodum etiam in antiquis ordinibus eccleſiaſticis apud Martenium & alibi animadvertere licet præſcriptum, ut ſacerdos proſtratus ante altare ſeptem pſalmos pœnitentiales cum variis orationibus dicat. Oratio. *Marc. 9, 27.*

Theodoretus in *hiſtoria religioſa* cum enarraſſet, qualem Petrus inſignis eremita *orans poteſtatem* haberet, quomodo porro oratione præmiſſa vir divinus imperaverit dæmoni, ut datæ ſibi adverſus Dei creaturam poteſtatis cauſam effaretur: reſpondit Satan inter alia, ſe ſcire cupidum fuiſſe, quo pacto a monachis expelleretur: *Nunc vero*, addebat cacodæmon, *perdidici, nec alia opus habeo experientia, quare iuſſu tuo mox exeo.* Mox aliam rem narrat de dæmoniaco, qui eodem modo ac prior interrogatus nihil reſpondit: „Cumque (pergit) tacitus ille ſubſiſteret, nihilque reſponderet, genibus flexis Deum oravit, obſecrans, ut *T. III. pag. 823. ſeq.*

ſcelerato

ſcelerato famulorum ſuorum vires oſtenderet. Iterumque ſurrexit, & ille contra renitens iterum obmutuit, atque hoc modo ad horam uſque nonam res proceſſit. Poſtea vero, cum ardentiores Domino & intentiores preces obtuliſſet, ſurgens ſceleratumque compellans: *Non tibi*. ait, *Petrus imperat*, *ſed Petri Deus*. *Quare illius adactus potentia reſponde &c.* Sicque in nomine crucifixi exire iuſſus audiit ille & fugit."

Idem vero nobis in hiſtoria eccleſ. lib. IV. c. 10. *de Meſſalianorum hæreſi* exponit, quomodo FLAVIANUS celeberrimus pontifex *Antiochenus* virus *Enthuſiaſtarum* iſtorum ex ADELPHIO ſectæ auctore eſſet expiſcatus: „Nempe ſacrum baptiſmum nullam iis, qui eum conſequuntur, utilitatem afferre, ſed ſola ſedula oratione inhabitantem dæmonem expelli. Omnes enim, qui eduntur in lucem, ex primo parente trahere aiebat, quemadmodum naturam ſic & dæmonum ſervitutem. His autem per ſedulam precem fugatis, advenire deinceps Spiritum ſanctum præſentiæque ſuæ ſenſibus & oculis ſignificationem dare tum corpus perturbationum motibus liberando, tum animam ab inclinatione ad deteriora penitus avocando, ita ut nec ieiunio iam opus ſit corpus coercente, nec doctrina refrenante & ad modum ordinemque inſtituente &c." Secta illa potiſſimum monaſteria infecerat, dementante religioſos etiam viros per ſpeciem quandam evanidæ orationis, diabolo.

T. I. p. 388. Recte vero S. MACARIUS contra diabolicas fraudes & inſidias, noſtramque inſitam perverſitatem ſuos (illud MATTHÆI VI. 21. proponens *ubi theſaurus veſter eſt*, *ibi & cor veſtrum erit*) inſtruit Hom. XXVII. his verbis: „Reliquum eſt, tuus animus, quali theſauro ſit intentus, an totus plane Deo nec ne? ſin minus eſt, exponatis mihi, quid impediat? Profecto ſatanas & dæmones ſunt ſpiritus nequam, qui detinent mentem, atque animam ſubvertunt. Verſutus enim eſt diabolus, inſtructus machinis, foribus ter geminis, ac vafritie multa occupata tenet paſcua animæ, atque cogitationes, nec permittit recte precari, & accedere ad Deum: quoniam ipſa natura particeps eſt dæmonum ac ſpirituum nequitiæ; itidem angelorum ac Spiritus ſancti: templum eſt ſatanæ, ac templum ſancti Spiritus. Cæterum expendite animum veſtrum fratres, cuiusnam eſtis participes, angelorum an dæmonum? cuius templum & domicilium eſtis, Dei an diaboli? cor quali theſauro ſit repletum gratiæ an ſatanæ?"

Difficultas hic pulſat, quam ſupra attigimus, circa divinam providentiam ac tantam in homine, Dei creatura præſtantiſſima, conceſſam ſatanæ poteſtatem adeo, ut non deſint, qui *Manichæiſmum* clament perinde ac olim circa doctrinam S. AUGUSTINI *de gratia & concupiſcentia duobusque amoribus*

Digitized by Google

amoribus, *ſeu delectatione victrici:* unde etiam eodem modo hic ſolvitur ea difficultas, atque removetur ſuppliciter recurrendo ad Deum, eiusque auxilium humili implorando prece: ſicuti nos Chriſtus in oratione dominica orare docuit: *Et ne nos inducas in tentationem*; *ſed libera nos a malo*: ubi τὸν πονηρὸν conſtanti traditione SS. PP. hoſtem malignum ſeu cacodæmonem interpretatos fuiſſe ſupra oſtendimus: vigilare etiam & orare nos Chriſtus monuit, ne intremus in tentationem: Porro *vigilare nos*, ut cum S. Hilario loquar, *propter adventum furis admonuit*, *& orationum aſſiduitate detentos omnium præceptorum ſuorum operibus inhærere.* *In Matth. c. 26. pag. 734.* *Furem enim eſſe oſtendit diabolum &c.* Difficultatem, quam moveri diximus, attingit S. Ambrosius in libro de paradiſo, unde prima mali origo habetur, diluitque: cuius nos argumenti tantum concluſionem ad rem præſentem adſcribemus: *Cap. II. n. 10.* „Itaque neque dubitandum, neque reprehendendum, quod in paradiſo diabolus erat; quandoquidem occludere Sanctis non potuit iter, ne quis aſcenderet. Neque enim iuſtis habitationem incolatus tanquam poſſeſſor eripuit. Eſto enim, ut aliquos deſides atque vitioſos ab incolatu ſupernæ poſſeſſionis averterit, illud multo auguſtius multoque pulcrius, quod Sanctorum orationibus excludetur, cum completum fuerit illud: *Videbam ſatanam ſicut fulgur de cœlo cadentem.* Ergo non metuamus eum, qui eousque infirmus eſt, ut & ipſe caſurus ſit in terram. Accepit quidem tentandi licentiam, ſed non accepit copiam ſubruendi, niſi ſua ſponte labatur infirmus affectus, qui ſibi auxilium non norit arceſſere.“

XXXVIII. Origenes tom. 13. in Matthæum de lunatico agens, a quo diſcipuli dæmonium expellere nequiverunt. *Cum ieiunio & eleemoſyna.* „Quin (ait) & ad illud animum advertamus: Hoc genus non eiicitur, niſi per orationem & ieiunium, ut ſi in curando aliquo cum eiusmodi malo confligante *T. III. Opp. pag. 579.* opera aliquando a nobis ponenda ſit, non exorciſmum adhibeamus, neque interrogemus, nec immundum ſpiritum quaſi audientem alloquamur, ſed orationi & ieiunio vacantes, dum pro ægro preces fundimus, poſtulata aſſequamur, & noſtro ieiunio ſpiritum immundum ab eo depellamus.“ *Hom. XXI. T. I. pag. 312.* Sic orationi addit ieiunium S. Macarius *Ægyptius* ex Apoſtolo *Eph.* VI. 14. recenſens, quomodo Chriſtianus ſuccinctus ſtare poſſit *adverſus occultas technas diaboli malitiis imminentibus:* „Quibus (inquit) armis? omni oratione, perſeveratione, obſecratione, ac ieiunio, imo vero per fidem acquiſitis, bellum adverſus principatus, & poteſtates ac rectores mundi gerere poterit: ſicque devictis adverſariis poteſtatibus, beneficio & auxilio ſpiritus, proprioque virtutum omnium ſtudio æternæ vitæ dignus fiet.

Digitized by Google

Serm. VIII. p. 135. S. Gaudentius *Brixienſis* eundem apoſtoli locum præ oculis habens eleemoſynam adiungit: „Certamen noſtrum contra vitia carnis eſt, contra cupiditatem pecuniæ, contra animi iracundiam, quæ ſunt arma diaboli, quibus reſiſtendum eſt utique galea fidei, lorica continentiæ, miſericordiæ clypeo, *in quo poſſimus* ut ait apoſtolus, *omnia iacula nequiſſimi candentia extinguere*. Etenim ſicut aqua exſtinguit ignem, ita eleemoſyna reſiſtit peccato: id eſt, ſicut aqua baptiſmi ſalutaris exſtinguit flammam gehennæ per gratiam, ita eleemoſynarum fluvio omnis ille coacervatus poſt acceptam fidem peccatorum ignis exſtinguitur; ſi tamen poſt converſionem non iterum renovatis criminibus inardeſcat.“ Ubi facile animadvertes, ei clypeum miſericordiæ eleemoſynam eſſe. S. Chrysostomus hom. 66. al. 67. in Matth. poſtquam iterum, ut alias, rationem reddidiſſet, cur tam frequenter de eleemoſyna tractet, breviter nobis etiam ad rem propoſitam rationem explicat ex comparatione militum & pauperum, ad pugnandum pro præſidio conductorum: „Quodſi mihi (inquit) milites alleges, qui pro te contra barbaros pugnant, eſt quoque hic pauperum exercitus, qui pro te bellum gerunt, & pugnant. Cum enim accipiunt, precibus Deum tibi placant: placantes autem non barbaros, ſed dæmonum inſidias repellunt: non permittunt, ut te malignus ille fortiter invadat, nec ut frequenter inſurgat, ſed eius vires reſolvunt.“

T. VII. pag. 659.

De ieiunio autem idem hom. V. *de pænitentia*, quam tremendum ſit dæmonibus, ad experientiam provocat: „Etenim (inquit) ſi lunaticus fuerit quis, ieiunii ei faciem oſtende, atque lapidibus ipſis immobilior manet timore ſuffocatus, & veluti vinculo quodam detentus: idque potiſſimum cum viderit ieiunio adiunctam ſororem contubernalemque orationem: ideo Chriſtus dicit: *Hoc genus non eiicitur, niſi in oratione & ieiunio.*“ S. Maximus *Taurinenſis* Hom. IV. in quadrag. ad eadem verba exemplumque Chriſti ieiunantis alludens, „Et ideo (ait) fratres, dominici certaminis victoriæque exemplum ſequentes, & diabolicas præcaventes inſidias, horum quadraginta dierum acceptabile Deo noſtro ieiunium celebremus. Tunc enim dolos adverſarii ſuperare poterimus, ſi continuatis precibus, aut per caſta ieiunia corporis vitia compeſcamus, aut cor noſtrum ab omni vanitate & ambitione purgemus, ut ait ipſe Salvator: *Hoc genus non eiicitur niſi ieiuniis & oratione.*“ S. Leo, cui evangelium de tentatione Chriſti uti cæteris SS. PP. locum ampliſſimum alias dedit extollendi virtutem ieiunii contra tentationes infeſtationesque diabolicas, ſerm. XIV. *de ieiunio decimi menſis & eleemoſynis* diſſerte nobis deſcribens continuam pugnam Chriſtianis etiam renatis exantlandam. „Nam (inquit) & qui iam redemti, iam regenerati filii lucis effecti ſunt,

T. II. pag. 109.

quamdiu

Digitized by Google

quamdiu tamen in hoc mundo, qui totus in maligno poſitus eſt, detinentur: quamdiu infirmitati carnis corruptibilia & temporalia blandiuntur, non poſſunt iſtos dies ſine tentatione tranſire. Nec facile provenit cuiquam tam incruenta victoria, ut inter multos hoſtes frequentesque conflictus, etiamſi ſit liber a morte, ſit quoque immunis a vulnere. Curandis igitur læſionibus, in quas ſæpe incidunt, qui cum inviſibili hoſte confligunt, trium maxime remediorum eſt adhibenda medicina, in orationis inſtantia, in caſtigatione ieiunii, in eleemoſynæ largitate. Quæ cum pariter exercentur, Deus propitiatur, culpa deletur, tentator eliditur." Argumentum id paſſim in illis ſermonibus de ſtatis ieiuniis per annum tractat, ſermone LXXXV. imprimis, qui eſt de ieiunio ſeptimi menſis ſecundus, oſtendens, diabolo per continentiam eſſe reſiſtendum, „Nam (inquit) in agone certaminis Chriſtiani utilitas continentiæ plurimum valet, ita ut quidam ſæviſſimorum ſpiritus dæmonum, qui ab obſeſſis corporibus nullis exorcizantium fugantur imperiis, ſola ieiuniorum & orationum virtute pellantur, dicente Domino: *Hoc genus dæmoniorum non eiicitur, niſi in ieiunio & oratione.* Grata ergo eſt Deo & terribilis diabolo ieiunantis oratio: nec latet, quantum acquirat ſaluti ſuæ, quæ tantum præſtat alienæ." S. Chrysostomus hom. 57. al. 58. in eum Matthæi locum, ubi diſcipulis interrogantibus: cur non potuiſſent ipſi dæmonium eiicere? reſpondet Chriſtus *propter incredulitatem veſtram*, deinde: *genus autem hoc non eiicitur &c.* „Adiecit (ait) ille: genus dæmonum omne dicit, non tantum genus lunaticorum. Viden' quomodo ieiunii ſemina iacit? Nec mihi raro exemplo dicas, quosdam ſine ieiunio dæmonas eieciſſe. Nam ſi unus aut alter increpando ſic expuliſſe narretur, fieri nequit, ut ſi is, qui patitur, in deliciis vivit, ab hoc unquam furore liberetur. Ieiunio enim & oratione maxime opus eſt ei, qui hoc morbo laborat. Sed ſi fide opus eſt, inquies, cur opus eſt & ieiunio? Quia cum fide ieiunium non parvam addit fortitudinem: philoſophiam quippe magnam indit, & angelum ex homine efficit, at cum incorporeis virtutibus pugnat. Verum non ſufficit illud, ſed addi debet oratio, quæ etiam præeat oportet. Vide ergo, quanta bona ex utroque gignantur: quia enim, qui precatur ut decet, & ieiunat, non multis indiget; qui autem non multis indiget, non pecuniæ amans fuerit; qui pecuniæ amans non eſt, ad eleemoſynam pronus erit. Qui ieiunat levior eſt, & quaſi alatus, vigilanterque orat, malas concupiſcentias extinguit, Deumque placat, elatam animam humiliat. Ideo apoſtoli fere ſemper ieiunabant." Perhibente Theodoreto in hiſtoria relig. in Marciano, *fuit inter eius diſcipulos quidam* Sabinus *nomine, qui corpus immenſis laboribus macerabat. Nam neque panis, neque obſonii*

T. VII. pag. 581.

T. III. pag. 793.

ullo genere veſcebatur. Addit autem, tantam a Deo adeptam eſſe gratiam, ut mulier quædam *Antiochena* genere nobilis & opibus florens ad eum confugerit, rogaritque, ut filiæ a dæmone vexatæ opem ferret. Viſum enim ſibi, aiebat, quemdam in ſomnis, qui, ut eo ſe conferret, hortabatur, & præſidis monaſterii precibus ſalutem filiæ procuraret. Dicente autem illo, qui reſponſa dabat, præſidem loqui cum mulieribus non ſolere, cum inſtaret mulier cum lacrymis & eiulatu, vehementerque obteſtaretur, præſes venit; ſed negabat mulier hunc eſſe: alium enim ſibi dicebat oſtenſum fuiſſe, rubicundum, & qui puſtulas quasdam haberet in genis. Ubi ergo cognoverunt, quem quærebat (erat autem is tertius monaſterii non primus) adduxerunt eum ad mulierem, cuius vultu ab ea ſtatim agnito, malus dæmon vociferans puellam reliquit.

T. II. p. 993. Apud MARTENIUM lib. III. *de Rit.* c. 9. præſcribitur rigidiſſimum dæmoniacis ieiunium: „Et ſi firmiter iſtud ieiunium cum oratione & pura „confeſſione ſervaverit; credimus de miſericordia Dei & vere confidimus, „quia de omnibus incentivis diabolicis, Domino largiente liberabitur.“ In primo ſtatim ordine ad energumenos adiurandos hoc ante omnia conſtituitur: *Primitus faciat epiſcopus triduanum ieiunium cum eleemoſynis, & orationibus, & ſic incboet exorciſmum.* Sic GREGORIUS *Turonenſis* in libro *de gloria Confeſſorum* cap. 63. perhibet de filia LEONIS imperatoris per diaconum *Lugdunenſem* iuſſu epiſcopi ſui ad ipſam cum miſſis directum liberata: „Ad imperatorem veniens cum honore ſuſcipitur. Audiens autem „de infirmitate puellæ, a ſpiritu immundo vexatæ, ſe ad baſilicam B. PE„TRI apoſtoli confert: ibique continuato cum vigiliis & orationibus tri„duano ieiunio quarta die per invocationem Domini N. I. Ch. & crucis „vexillum, immundum ſpiritum a corpore puellæ depellit.“

Ib. p. 973.
pag. 945.

Humilitate item, ac reliquo virtutum agmine.

XXXIX. Hæc ſibi notent, qui munere exorciſtarum perfungi geſtiunt, ne niſi ſpeciali inſtructi facultate, quæ paſſim in recentioribus præſertim Synodis decretisque epiſcoporum requiritur, ſe ſe ingerant, ac brevi ceu manu exequendum ſuſcipiant arduum negotium: in quo, cum fide eximia opus ſit, præſumtio autem omnis omnino abeſſe debet. S. CHRYSOSTOMUS Hom. XIII. in MATTHÆUM de tentatione diaboli agens: „Cur „ergo Chriſtus (quærit) non indignatus, non exaſperatus eſt, ſed cum „manſuetudine multa rurſus ex ſcripturis ipſum alloquitur dicens: *Non „tentabis Dominum Deum tuum*: ut nos doceat (reſpondet) non per ſigna, „ſed per patientiam ſuperandum diabolum eſſe, nihilque omnino ad oſten„tationem eſſe faciendum.“

T. VII. pag. 171.

In

Digitized by Google

In apophthegmatibus S. Macarii eum aliquando dæmon ita allocutus refertur: „*En quidquid agis, ego quoque facio. Tu cibo abſtines; & ego:* „*vigilas; ego penitus non dormio. Unum ſolum eſt, in quo vincis me.* „ Interrogavit abbas Macarius: *Quodnam eſt illud?* Reſpondit: *Humilitas* „*tua, ac propterea adverſus te nihil poſſum.*" S. Antonius, terror ille dæmonum, nihilominus, ut de eo Palladius in SS. Patrum hiſtoria narrat, adoleſcentem quemdam diro obſeſſum dæmone, ad Paulum *Simplicem* ablegavit, potentiorem cauſatus, quam ut a ſe expelli queat. Is in ſæpe laudata oratione nihil non agit, ut ſuis animum contra dæmones adiiciat procul omni timore, cum nec in porcos quidem aliquam vim habuerint. „*Rogabant enim*, ut in evangelio ſcriptum eſt, *Dominum dicentes: Sine nos in porcos abire.* Quodſi ne adverſus porcos quidem habent poteſtatem (concludit) multo minus in homines ad ſimilitudinem Dei factos imperium obtinent. Deum itaque ſolum timere convenit, hos vero deſpicere, & nullo modo formidare. Sed quo magis illi hæc agunt, eo ardentius nos aſceticæ vitæ operam demus. Magnum quippe contra illos telum eſt, proba vita & fides in Deum. Timent ſane illi aſcetarum ieiunia, vigilias, orationes, manſuetudinem, tranquillitatem, pecuniæ & inanis gloriæ contemtum, humilitatem, pauperum amorem, eleemoſynas, lenitatem, & præ cæteris pietatem erga Chriſtum. Quare nihil non agunt, ut nemo exiſtat, qui ſe conculcet. Norunt enim gratiam fidelibus adverſum ſe datam a Salvatore, qui ait: *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici.*" Solet S. Antonio appingi porcus immundi ſpiritus ſymbolum.

T. II. pag. 249. *Vid. S. Petrus Chryſol. Serm. 17. p. 31.* *Matth. 8. 31.*

Ut vero intelligis, non penes deſides & ſalutis ſuæ incurios, ſed vigiles ac ſedulos aſcetas ſtrenuoſque athletas eſt iſta virtus. „Nunc ergo fra„tres ſerio (exhortatur S. Orsiesius abbas *Tabennenſis* Antonio ſuppar) „Deo agente patienter, & nos ad pœnitentiam provocante de gravi „ſomno evigilemus, quia adverſarius noſter quaſi leo rugiens circuit, „quærens, quem devoret, cui acriter reſiſtendum eſt, & ſciendum, ea„dem etiam certamina noſtris eveniſſe maioribus. Non deficiamus labo„rantes, iacientesque virtutum ſemina, ut in futuro gaudia metere poſ„ſimus." Sic etiam S. Macarius itidem *Ægyptius* hom. IX. *promiſſiones ac prophetias divinas per varias probationes & tentationes impleri; & ſoli Deo adhærendo liberari nos ab infeſtationibus dæmonis* illum inter alios locum verſans: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras* Luc. XXI. 29. *Fieri autem poteſt*, inquit, *ut quis ſic decertans & continuo ſibi attendens, ſive in precibus, ſive in obſequio, ſive in opere quocunque ſecundum Deum perficiendo tenebras malitioſorum dæmonum effugere poſ-*

Doctr. de inſtit. monachor. T. V Bibl. PP. p. 40. *T. I. p. 122.*

pag. 132. ſeq. *ſit.* Legi in eandem rem meretur eiusdem homilia XI. quæ continet diſputationes duas, unam quidem Chriſti cum nequiſſimo ſatana; alteram autem peccatorum cum eodem. Item XXI. *Chriſtiano homini du-* pag. 307. *plex incumbit bellum, internum videlicet & externum. Hoc quidem, cum recedit ipſe a diſtractionibus terrenis; illud vero in corde adverſus cogi-* pag. 338. *tationes ſpirituum malorum.* Demum XXVI. *De dignitate, præſtantia, facultate, & operationibus immortalis animæ, & qua ratione ea a ſatana tentetur, & liberationem e tentationibus conſequatur.* Continet vero quæſtiones quaſdam ſumma doctrina refertas. Ibi n. 12. ſic loquitur: „Præcipua vero & maxime opportuna athletæ & decertantis arma ſunt „hæc: ut ex intimis penetralibus cordis bellum gerat adverſus ſatanam, „odio proſequatur ſeipſum, abneget animam ſuam, iraſcatur ei, atque „reprehendat eam, inſitis cupiditatibus renitatur, reluctetur cogitationi- T. II p. 45. „bus, atque pugnet ſecum.“ In libro *de perfectione in ſpiritu* c. 13. charitatem Dei præ omnibus commendat: „Nam (addit) mors, &, ut „ita dicam, ſuſpendium diaboli eſt, quando in charitate & memoria in- „divulſe commorans mens humana reperitur.“ Et cap. 15. „Omnis „contentio & ſtudium adverſarii in hoc, ut dictum eſt, vigilat, ut an- „nitatur mentem noſtram a Dei memoria, timore, amoreque avellere; „terrenis ipſam avocationibus & delinimentis, a vero bono ad apparen- „tia divertendo.“

S. Chrysostomus populo porro chriſtiano ſedulum ſtudium ruminationemque divinarum doctrinarum præ omnibus commendat: „Ut (in- Hom. XV. in cap. II. Geneſis T. IV. p. 114. „quit) huc omni cura veſtra converſa, menteque in his occupata, poſ- „ſitis facile & turbulentas animi affectiones vincere, & diaboli inſidias „effugere. Nam cum malus ille dæmon videt animam de divinis rebus „ſollicitam, & perpetuo illas cogitantem & verſantem, ne accedere qui- „dem propius audet, ſed celeriter reſilit, a ſpiritus operatione quaſi a pag. 373. „ſuccenſo rogo abactus.“ Et infra Hom. XXXVII. in cap. XV. *Geneſ.* „Ideo enim quotidie ſpiritualem hanc vobis apponimus menſam, ut „admonitione continua, & multa divinarum ſcripturarum meditatione, „omnes maligni dæmonis excludamus inſidias. Cum enim nos viderit „multum in ſpiritualibus occupari, non ſolum non invadet, ſed neque „obtueri audebit, ſciens, ſe in vanum moliri, & adverſus caput ſuum „auſus ſuos convertere.“ Divinarum ſcripturarum meditationem ſæpius alibi etiam hic commendat.

Procul triſtitia ac pavore animi. T. I. p. 155. XL. Iam digitum intendimus ad ea, quæ idem os aureum in libris ad Stagirium dæmone vexatum diſputavit contra triſtitiam, poſterioribus præſertim duobus, qui in eo toti verſantur argumento, alter quidem,

quod

Digitized by Google

quod triſtitia dæmone ipſo ſit deterior. In tertio autem *de triſtitia* inſcripto ſic prope concluſionem operis rationem colligit: „Omni namque *Pag.* 224.
„ obſeſſione diabolica potentior eſt ad nocendum mœroris magnitudo.
„ Namque & dæmon, quoscumque ſuperat, per mœrorem ſuperat; eum
„ ſi auferas, nihil a dæmone quisquam lædi poterit. Et quomodo, in-
„ quies, fieri poteſt, ut mœrore vacem? Ego contra te interrogabo, quid
„ cauſæ eſt, quod non liceat a mœrore vacare. Nam ſi adulterium, ſi
„ homicidium, ſi ſcelus aliquod huiusmodi perpetraſſes, quod te regnis
„ cœleſtibus excluderet, recte mœreres, ac iuſta tibi cauſa lugendi eſſet,
„ nullusque te prohiberet. Quodſi per Dei gratiam ab his omnibus lon-
„ giſſime remotus es, quid fruſtra teipſum concidis?“ Ut vero cauſæ eiuscemodi mœroris procul amoveantur, illud ex EVAGRII *Scitenſis* mo- *T. VII.*
nachi capitibus practicis ad ANATOLIUM n. 14. probe eſt obſervandum: *Bibl. PP.*
„ Ne tradideris temetipſum iracundiæ cogitationi, mente pugnans cum eo, *pag.* 55.
„ qui te contriſtavit, neque etiam fornicationis, diutius voluptatis ima-
„ gines retinendo. Illud enim tenebras animæ offundit, hoc vero eam
„ provocat ad vitii probationem; & utraque mentem tuam ſordidant:
„ cumque tempore orationis ſimulacra fueris imaginatus, Deo puram pre-
„ cem non offerens, incidis ſtatim in acediæ ſeu tædii dæmonem, qui
„ præcipue in homines in huiusmodi ſtatu conſtitutos inſilit, & inſtar ca-
„ nis animam velut hinnulum diripit.“ Add. quæ idem ad eundem ANA- *Pag.* 575.
TOLIUM de octo vitioſis cogitationibus ſcribit. In laudata orat. hoc ſuis dedit conſilium S. ANTONIUS: „ſi inimicum deſpicere velimus, quæ do-
„ mini ſunt, aſſidue cogitemus, ſitque anima ſemper ſpe læta, tum dæmo-
„ num ludibria inſtar fumi videbuntur, atque fugientes illos potius quam
„ perſequentes videbimus. Sunt namque, ut ſupra dixi, perquam timi-
„ di, quod ſemper exſpectent ſibi paratum ignem.“

Hinc vero eſt, quod nihil magis curaverit, quam pavorem ex ſuorum animis excutere: „Nam (aiebat) quales nos, & noſtras repererunt
„ cogitationes, tales ſe nobis præſtare conſueverunt, & ſi quod in pecto-
„ ribus pavoris ſemen invenerint, quaſi latrones, qui deſerta obtinent lo-
„ ca, cæptos cumulant timores, ſi autem alacres fuerimus in Domino, &
„ futurorum bonorum cupido nos ſuccenderit; ſi ſemper omnia manibus
„ Dei committamus, nullus dæmonum ad expugnandum valebit accede-
„ re. Magis enim, cum munita in Chriſto corda conſpexerint, confuſi
„ revertentur.“ De omni formidine deponenda paſſim verba fecimus.

XLI. En militiæ Chriſtianæ adverſus hoſtem infernalem armaturam, qua Apoſtolus *Epheſios* inſtruens: *De cætero fratres*, inquit, *conforta-* *Fidei iuxta apoſtolum armatura.*

mini *Eph.* 6, 10. *ſeq.*

mini in Domino, *& in potentia virtutis eius. Induite vos armaturam DEI, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias diaboli &c*, Quem locum S. CYPRIANUS circumſcribens, „Armat nos (ait) & præparat apoſtolus dicens: *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem*, *ſed adverſus poteſtates*, *& principes huius mundi*, *harum tenebrarum*, *adverſus ſpiritus nequitiæ in cœleſtibus. Propter quod induite tota arma Dei*, *ut poſſitis reſiſtere in die nequiſſimo; ut cum omnia perfeceritis*, *ſtetis accincti lumbos veſtros in veritate*, *induti loricam iuſtitiæ*, *& calceati pedes in præparatione Evangelii pacis*, *aſſumentes ſcutum fidei*, *in quo poſſitis omnia ignita iacula nequiſſimi extinguere*, *& galeam ſalutis*, *& gladium ſpiritus*, *qui eſt ſermo Dei.* Hæc arma ſumamus, his nos tutamentis ſpiritalibus & cœleſtibus muniamus, ut in die nequiſſimo reſiſtere diaboli minis, & repugnare poſſimus. Induamus loricam iuſtitiæ, ut contra inimici iacula munitum ſit pectus & tutum. Calceati ſint evangelico magiſterio, & armati pedes; ut cum ſerpens calcari a nobis & obteri cœperit, mordere & ſupplantare non poſſit. Portemus fortiter ſcutum fidei, quo protegente, quidquid iaculatur inimicus, poſſit extingui. Accipiamus quoque ad tegumentum capitis galeam ſalutarem, muniantur aures, ne audiant edicta feralia: muniantur oculi, ne videantur deteſtanda ſimulacra: muniatur frons, ut ſignum Dei incolume ſervetur: muniatur os, ut Dominum ſuum Chriſtum victrix lingua fateatur. Armemus & dexteram gladio ſpiritali, ut ſacrificia funeſta fortiter reſpuat, & Euchariſtiæ memor, quæ Domini corpus accepit, ipſum complectatur, poſtea a Domino ſumtura præmium cœleſtium coronarum.“ Sic S. CYPRIANUS plebem THIBARI conſiſtentem ad inſtantem tunc armat perſecutionem, quam gentiles in Chriſtianos a dæmonibus agitati movebant in rabiem acti, quod eorum in idolis cultus deſtrueretur. Sic nobis S. AUGUSTINUS DACIANUM præſidem S. VINCENTIUM M. torqueri iubentem deſcribit, *habitatoremque ſuum diabolum* prodit. „Per furioſas enim (inquit ſermone „ in eundem) DACIANI voces, per truces oculos, & minaces vultus, & „ totius corporis motus ille habitator eius interior movebatur, & per „ hæc ſigna viſibilia tanquam per ſigna ſui vaſculi, quod impleverat, crepantis rimula providebatur.“ Notat porro apoſtolus aliquando ambulantes *Epheſios* ſecundum ſæculum mundi huius. *Secundum principem poteſtatis aeris huius*, *ſpiritus*, *qui nunc operatur in filios diffidentiæ*, *in quibus & nos aliquando converſati ſumus in deſideriis carnis noſtræ.* Eph. II. 2. 3.

Ep. LVIII. pag. 255.

Neque vero ceſſat unquam intus foriſque aciem contra nos inſtruere ſatan, ut perinde nobis, quam *Epheſiis* apoſtolus præſcribit, utilis ac neceſſaria

ceſſaria ſit armatura Dei ad gerenda fortiter contra diabolum bella Domini. „Nam (ut S. CHRYSOSTOMUS in illum locum commentatur) quo- *Homilia XXIV. in cap. VI. ad Ephef. T. XI. p. 179. ſeq.*
„niam belli & pugnæ meminit, oſtendit eſſe pugnandum adverſus dæ-
„mones. Evangelium enim eſt pacis. Illud bellum aliud bellum diſſolvit,
„nempe adverſus Deum. Si cum diabolo bellum gerimus, pacem cum
„Deo habemus.“ Egregie autem expeditum hoc lector reperiet apud fideliſſimum PAULI interpretem CHRYSOSTOMUM, a calce ad caput cataphractum militem. In epiſtolæ etiam ad *Romanos* caput IV. Hom. VIII. *T. IX. pag. 106.* magnam imprimis fidei virtutem oſtendens, quomodo nos tutos præſtare poſſimus *a facie colubri*, breviter ſic declarat: „Opus ergo habemus ſcuto fidei, galea ſalutis, gladio ſpiritus, non modo ne malum patiamur, ſed etiam ut, ſi inſilire velit, eius caput abſcindamus. Frequentibus egemus precibus, ut ſub pedibus noſtris conteratur. Impudens enim eſt & execrandus, etſi ab inferiori loco pugnet; attamen ſic etiam vincit. In cauſa autem eſt, quod nos non ſtudeamus plagis illius eſſe ſuperiores. Neque enim poteſt admodum efferri, ſed deorſum repit: huiusque figura eſt ſerpens. Si autem illum ſic a principio conſtituit, multo magis nunc. Si ignoras autem, quid ſit ex inferiore loco pugnare, ego tibi huiuſce belli modum explicare conabor. Quid ergo eſt ex inferiore loco pugnare? a rebus inferioribus decertare a voluptate, a divitiis, a ſæcularibus omnibus. Ideo, ſi quempiam viderit ad cœlum volantem; primo quidem in illum inſilire non poterit; ſecundo etiamſi id tentet, cito cadit; neque enim pedes habet, ne formides, non habet alas, ne timeas: ſupra terram repit, & ſupra res terrenas. Nihil ergo tibi cum terra ſit commune, nec labore indigebis. Neque enim adverſam pugnam novit, ſed tanquam ſerpens in ſpinis occultatur, in divitiarum fallacia frequenter latitans. Si ſpinas excideris, formidoloſus facile fugiet, ſi incantare in illum ſcias divinas illas incantationes, ſtatim vulnerabitur. Quodſi (addit paullo poſt) multi hoc dicentes ſanati non ſunt, id ex illorum modica fide, non ex dicti infirmitate provenit.“ TERTULLIANUS ad propoſitum ſuum noſtrumque in *Scorpiaco* c. I. „Nobis fides (ait) præſidium, ſi non & ipſa percutitur diffidentia ſignandi ſtatim & adiurandi & ungendi beſtiæ calcem. Hoc denique modo etiam ethnicis ſæpe ſubvenimus; donati a Deo ea poteſtate, quam apoſtolus dedicavit, cum morſum viperæ ſprevit.“

Solent SS. Patres prudentiam ſerpentinam inculcare, conſpicuam omnibus modis in tuto ponendo ac conſervando caput, quod Chriſtum, ſeu fidem in Chriſtum interpretantur. Locos colligit *Paulus* GALLEARDUS in not. ad S. GAUDENTII *Brixienſis* Serm. XVIII. ubi eadem prope finem utitur alluſio-

ne, ſic vero concludens: „Quantum ille in opere iniquitatis ſuæ nocendi „peritus eſt, tantum nos ſtudiis ſalutaribus eruditi, & omni prudentia „inſtructi, atque armati eſſe debemus, *induentes nos ipſos loricam fidei*, „*& galeam ſalutis, in quo poſſimus*, ut hortatur apoſtolus, *omnia iacula* „*nequiſſimi ardentia extinguere*: ne nos incautos ſuggeſtionum ſuarum „ſpiculis ubicumque configat; ne inermes opprimat, ne interficiat dor„mientes, ne & vigilantes & armatos, ſi uſum belligerandi neſciamus, in„terimat."

In allato vero textu idem apoſtolus *in omnibus* ſumi *ſcutum fidei vult, in quo poſſimus omnia tela nequiſſimi ignea extinguere*. Quem locum præ oculis habens S. Cyrillus *Hieroſolym*. catech. V. n. 4. „Eſtne quidquam diabolo terribilius? Atqui nullum aliud adverſus illum habemus armorum genus præter fidem: ſcutum incorporeum adverſus hoſtem inviſibilem. Emittit enim multiplicia tela, & ſagittis configit in cæca nocte non vigilantes. Sed quandoquidem obſcurus eſt, nec conſpicuus hoſtis, firmum habemus integumentum fidem, quemadmodum apoſtolus ait: *In omnibus aſſumentes ſcutum fidei, in quo poteritis omnia tela mali ignita extinguere*. Ignitum ſæpe fœdæ voluptatis deſiderii telum a diabolo emittitur: ſed fides nobis iudicium depingens & mentem refrigerans telum extinguit." Idem in procatecheſi n. 16. „Cæterum (ait) draco iuxta viam transeuntes obſervat: cave ne te infidelitate mordeat: tam multos videt, qui ſalvi fiunt, & quærit quem devoret. Ad patrem ſpirituum ingrederis, ſed per illum draconem transeundum eſt. Quomodo igitur tu illum pertranſibis? *Calcea pedes tuos in præparatione evangelii pacis*, ut etiamſi dentem infigat, non lædat tamen; fidem inhabitantem habe, ſpem firmam, calceamentum forte, ut per hoſtem occupato aditu ad Dominum ingrediare."

Pag. 71. *1. Theſſ.* 5. *Sap* 5. *Eph.* 6. *Pag.* 12.

Dum iuxta monitum D. Petri reſiſtimus fortes in fide.

XLII. Draconis porro ſpeciem ingerens ſenſibus horribilem S. Cyrillus, ut monſtri terribilis ſtupore animum excitet, ad locum 1. *Pet*. V. 8. reſpicit, ubi apoſtolorum princeps eandem in nobis attentionem rugientis leonis ſimilitudine excitare contendit, atque adeo *fortes in fide* eſſe vult, fidem non proletariam poſtulando. Quem locum S. Chrysostomus ſimul cum altero D. Pauli ad *Epheſ*. VI. 12. Stagirio a dæmone vexato proponit, oſtenditque, quomodo ex diaboli hoſtilitate profectum capere debeamus. „Dum (inquit) illius immanitatem, perpetuasque inſidias ac fraudes varias ſollicite metuimus, ſomnum immodicum excludimus, vigilamus, ſemperque Domini reminiſcimur. Quod autem hæc mea non ſint, ſed beati Pauli, ipſum audi, eisdem fere verbis fideles dormientes excitantem. Nam

Lib. I. n. 4. T. I. pag. 163.

Epheſiis

Digitized by Google

Epheſiis cum ſcriberet, ſic ait: *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus principatus & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum huius ſæculi, adverſus ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus.* Hæc autem cum diceret, non deiicere ſtudebat auditorum animos, ſed potius erigere. Petrus item: *Sobrii eſtote & vigilate: quia adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, cui reſiſtite fortes in fide.* Hoc autem dixit, ut nos fortiores efficeret, & ad maiorem cum Deo familiaritatem induceret. Qui enim imminere ſibi cernit inimicum, maiori ad illum currit deſiderio, a quo defendi poſſit. Ita fere infantes pueri, cum quid horrendum viderint, ad matrum ſinus protinus accurrunt, illarumque pendentes veſtibus, eis ſe tuentur, ac protegunt, atque ita, ut ſæpius retrahentibus plurimis, inde avelli non poſſint. At vero quando nihil eiusmodi perturbat, ne vocantes quidem illas exaudiunt, neque trahi patiuntur: imo appellantes reſpuunt, & cum plurima illæ moliantur, ut ad ſe eos pertrahant, ſemper eas averſantur, appoſitamque menſam deſpiciunt. Quocirca matrum plurimæ, cum nihil obſecrando proficere ſe viderint, larvas quasdam horrorisque figmenta parant, atque illos demum ad reditum impellunt, perſuadentque ad ſe iterum recurrere. Hoc autem non in ſolis pueris contingit, ſed etiam in nobis. Quando enim malignus ille perterret nos atque perturbat, tunc frugi efficimur, tunc nos ipſos agnoſcimus, tunc ad Deum omni ſtudio recurrimus. Quodſi deletus ab initio nequam ille fuiſſet, atque ſublatus e medio, fortaſſe nec præterita credidiſſent plurimi: puta quod hominem feſelliſſet, quod bonis illis innumeris eum eieciſſet, Deumque hoc invidia & livore commotum feciſſe arbitrarentur. Quod enim ne modo quidem deſunt, qui poſt tanta illius ſeductionis indicia id audent dicere, ſi non illius nequitiæ & aſtus experimenta cepiſſent, quid non dixiſſent? quid non obloquuti fuiſſent?" Hæc ſancti Patris ſententia, quoniam tot & tantos hodie perſtringit, quibus puerilia tantum omnia videntur terriculamenta, quæ de dæmonurgia tanta conſenſione & in divinis ſcripturis & earum legitimis interpretibus SS. PP. dicta aſſertaque habentur, a nobis hucusque expoſita, non gravabor alterum eiusdem S. Doctoris locum conſimilem hic adſcribere ex Oratione III. *in eos, qui primo Paſcha ieiunant.* Ex qua nempe prava conſuetudine contentioneque in eccleſia, occaſionem arripit invehendi in domeſticos fidei, diſſidia & contentiones inter fideles concitantes. „Non ſufficiunt (inquit) reliquæ hæreſes, niſi nos ipſi nos dividamus? Non tu Paulum dicentem audis, *Quid ſi invicem mordetis, videte, ne ab invicem conſumamini?* Extra gregem ambulas, & leonem foris circumeuntem non times? *Adverſarius enim veſter tamquam leo circuit* *pag. 607.*

cuit, inquit, *rugiens & quærens quem rapiat.* Vide ſapientiam paſtoris: neque reliquit intus inter oves, ne gregem perterrefaceret: neque ab exteris locis abegit, ut belluæ metu cunctos intus cogeret. Non revereris patrem? inimicum reformida: ſi teipſum a grege avulſeris, ille ſine dubio te excipiet. Poterat quidem etiam ab exteris locis illum Chriſtus abigere: ſed ut efficeret, ut vigilares, ac ſollicitus eſſes, atque ad matrem ſemper confugeres, foris illum rugire permiſit, ut qui ſunt intus, dum vocem illius audiunt, magis copulentur, & ad ſe mutuo confugiant. Ita quoque matres faciunt, liberorum amantes, flentes infantulos frequenter ſe lupis devorandos obiecturas minantur, non ut obiiciantur, ſed ut deſinant indignari. Propterea Chriſtus omnia fecit, ut pacem colamus, ut coniuncti inter nos ſimus."

Audiamus porro etiam S. Gregorium in ſimili domeſticò inter ſummos eccleſiæ præſules diſſidio ac contentione, eodem utentem argumento, operamque contra ſuperbiam Ioannis *Cpolitani* epiſcoporum ac præcipuorum orientalis eccleſiæ, Eulogii *Alexandrini* & Anastasii *Antiocheni* implorantem, ac apud Deum pro pace unitateque inteſtina vota
Lib V epiſt. 43. T. II. pag. 772. facientem: „Quemadmodum (ſcribit) illius gubernante gratia petendum „eſt, ut nulla nos ſuperveniens exterius unda conturbet; ita ex totis „orandum eſt viſceribus, fratres chariſſimi, ut ſuæ providentiæ dextera „cumulum ſentinæ in nobis interioris exhauriat. Adverſarius quippe dia„bolus, qui contra humiles ſæviens, ſicut leo rugiens circuit quærens, „quem devoret, non iam, ut cernimus, caulas circuit, ſed ita valide „in quibusdam Eccleſiæ neceſſariis membris dentes figit, ut nulli ſit du„bium, niſi unanimiter, favente Domino, cunctorum provida paſtorum „turba concurrat, omne, quod abſit, citius ovile dilaniet." Sed præ
pag. 153. his omnibus S. Cyprianus *de zelo & livore* rem ab ovo repetens, dum nempe livore ſeu invidia *diabolus inter initia ſtatim mundi & perit primus & perdidit*, hinc exordium ſermonis ſumit, Dominum ſcilicet *prudentes* eſſe nos iuſſiſſe, & cauta ſolicitudine vigilare præcepiſſe, „ne adverſarius vigilans ſemper, & ſemper inſidians, ubi in pectus obrepſerit, de ſcintillis conflet incendia, de parvis maxima exaggeret, & dum remiſſis & incautis leniore aura & flatu molliore blanditur, procellis ac turbinibus excitatis ruinas fidei & ſalutis, ac vitæ naufragia moliatur. Excubandum eſt itaque, fratres dilectiſſimi, atque omnibus viribus elaborandum, ut inimico ſævienti, & iacula ſua in omnes corporis partes, quibus percuti & vulnerari poſſumus, dirigenti ſollicita, & plena vigilantia repugnemus, ſecundum quod Petrus apoſtolus in epiſtola ſua præmonet & docet, dicens: *Sobrii eſtote & vigilate, quia adverſarius veſter diabolus tanquam*

leo

Digitized by Google

leo rugiens circuit, aliquem devorare quærens. Circuit ille nos ſingulos, & tanquam hoſtis, clauſos obſidens, muros explorat, & tentat, an ſit pars aliqua membrorum minus ſtabilis, & minus fida, cuius aditu ad interiora penetretur. Offert oculis formas illices, & faciles voluptates, ut viſu deſtruat caſtitatem. Aures per canoram muſicam tentat, ut ſoni dulcioris auditu ſolvat, & molliat Chriſtianum vigorem. Linguam convicio provocat, manum iniuriis laceſſentibus ad petulantiam cædis inſtigat: ut fraudatorem faciat, lucra opponit iniuſta: ut animam pecunia capiat, ingerit pernicioſa compendia: honores terrenos promittit, ut cœleſtes adimat: oſtentat falſa, ut vera ſubripiat: & cum latenter non poteſt fallere, exerte, atque aperte minatur, terrorem turbidæ perſecutionis intentans; ad debellandos Dei ſervos inquietus ſemper, & ſemper infeſtus: in pace ſubdolus, in perſecutione violentus. Quam ob rem, fratres dilectiſſimi, contra omnes diaboli vel fallaces inſidias, vel apertas minas ſtare debet inſtructus animus & armatus; tam paratus ſemper ad repugnandum, quam eſt ad impugnandum ſemper paratus inimicus. Et quoniam frequentiora ſunt tela eius, quæ latenter obrepunt, magisque occulta & clandeſtina iaculatio, quo minus perſpicitur, hoc & gravius & crebrius in vulnera noſtra graſſatur, ad hæc quoque intelligenda & depellenda vigilemus, ex quibus eſt zeli & livoris malum."

XLIII. Fortaſſe hic S. Martyrem rhetorem nimium ſuæ arti induſiſſe cauſentur, qui alios SS. PP. plerosque omnes in hac de dæmonurgia materia *Platoniſmi* inſimulare haud ſunt veriti. In promtu vero ſunt analoga verbi divini teſtimonia & exempla de omnibus iis, quæ tum hic S. Cyprianus, cum paſſim SS. Patres diſſeruerunt, aſſerta locis & auctoritate S. Scripturæ veteris, ac novi præprimis teſtamenti: in hiſtoria item evangelica doctrinaque ipſius Chriſti ore prolata, atque ab Apoſtolis & Evangeliſtis nobis propoſita, transmiſſa per traditionem & ſcripturas, in quibus haud minus frequenter, quam in ſcriptis Patrum de inſidiis & infeſtationibus dæmoniacis commonemur, manifeſtis & occultis, in anima & corpore: quo tam variis modis afflicti a dæmonibus repræſentantur apud evangeliſtas, non ſolum a Chriſto ſed etiam a diſcipulis curati liberatique, uno illo excepto puero, quem pater ad Chriſtum adducens lunaticum vocat, naturali tribuens malum cauſæ, ut neoterici, magis quam ille increduli, nec tam ad percipiendam fidem promti. Ille enim defectum fidei ſatis prodebat his verbis: *Sed ſi quid potes, adiuva nos &c.* Et dicente Iesu: *Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti, continuo exclamans cum lacrymis aiebat: Credo Domine, adiuva incredulitatem meam.*

Procul remora incredulitate.

Marc. 9, 21. 22.

Digitized by Google

Hanc orationem ſi multi hodie ſibi familiarem redderent, rem facerent, qua ipſis illis diſcipulis opus fuiſſet, qui dæmonem illum eiicere non potuerunt: quemadmodum *Luc.* XVII. 5. oraſſe leguntur: *Adauge nobis fidem.* Ubi mox ſequitur ſimilitudo de grano ſinapis, ſicuti apud MATTHÆUM, quando de lunatico illo agitur; IESUS autem turbæ etiam incredulitatem exprobrat: *O generatio incredula & perverſa &c.* Et poſtea apoſtolis ipſis. Hos enim MATTHÆUS acceſſiſſe ad IESUM ſecreto narrat, dixiſſeque: *Quare nos non potuimus eiicere illum? Dixit illis IESUS: Propter incredulitatem veſtram.* Quodque idem antea de Chriſti patrio loco *Nazareth* teſtatus fuerat: *Et non fecit ibi virtutes multas, propter incredulitatem illorum*, apud MARCUM his exprimitur verbis: *Et non poterat ibi virtutem ullam facere, niſi paucos infirmos impoſitis manibus curavit. Et mirabatur propter incredulitatem eorum.* Ut declaretur futurum fuiſſe, ut plura Chriſtus in gratiam patriæ ſuæ faceret ſigna, niſi incredulitas obſtitiſſet. Hæc omnia complexus uno ſermone ORIGENES in MATTHÆUM tomo X. n. 19. ſic commentatur: „Deinde videre licet illud: *Non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem illorum.* Per illa autem docemur virtutes in credentibus factas fuiſſe, quandoquidem *omni, qui habet, dabitur, & abundabit:* incredulis autem non modo non egiſſe virtutes; ſed quemadmodum ſcripſit MARCUS, nec potuiſſe agere. Animum enim adverte ad illud: *Et non poterat ibi virtutem ullam facere:* non enim dixit, nolebat, ſed non poterat, tanquam in virtutem agentem adveniret adiumentum ex illius fide, in quem virtus agebat; impediretur autem ab incredulitate, quominus ageret. Nota autem quærentibus: *Quare non potuimus eiicere illud?* dixiſſe illum: *Propter incredulitatem veſtram:* & PETRO iam iam mergi cœpto dictum eſſe: *Modica fidei quare dubitaſti?*" S. ATHANASIUS in fragmentis Comment. in LUC. de lunatico illo multa ad rem præſentem pro diverſo fidei ſtatu & incrementis commode explicat: „Lunatico ait: *ſi credis, fiet.* Id autem Servator poſtulat, non quod alterius ope egeat: namque fidei quoque Dominus & largitor eſt; ſed ne videatur perſonas accipere, utque putetur ipſum credentibus annuere, hominesque ſine fide beneficia non accepturos, atque ex infidelitate eadem amiſſuros eſſe. Nam cum gratiam confert, vult gratiam permanere; & quando curat, curationem numquam cadere. Paralyticum ergo confirmabat dicens: *Sanus factus es; noli amplius peccare.* Ac quemadmodum ſi medicus cum, morbo laborantes adit, ſciſcitetur primum, an curari velint, ne ipſo, repugnantibus ægris, medelam adhibente inutilis cura evadat; eodem prorſus ritu Dominus curandos interrogabat, ipſisque credentibus gratiam conferebat, ut

Matth. 17, 18.

Matth. 13, 58.

Marc. 6, 5.

T. III. opp. 466.

T. V. Bibl. PP. p. 190.

int fide gratiam retinere poſſent.“ Prout ergo fides adeſt, ac manet, firma eſt gratia ac ſtabilis, aut ea deficiente iterum, deficit, quod Petri exemplo ipſe Chriſtus Dominus declarat, cum cœpiſſet mergi, dicens: *Modicæ fidei quare dubitaſti?* Præſignabatur hic lapſus Petri Chriſtum negantis cæteris apoſtolis fugientibus: Unde Chriſtus ipſum allocutus *Luc.* XXII. 31. &c. *Simon, Simon*, ait, *ecce ſatanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum: Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos. Qui dixit illi: Domine, tecum paratus ſum & in carcerem, & in mortem ire. At ille dixit: Dico tibi, non cantabit hodie Gallus, donec ter abneges noſſe me.* Integrum volui adſcribere contextum ſermonis, ut eo minus de incentore infidelitatis relinquatur dubium.

Quoad fidem autem ad expugnandos, expellendosque dæmones neceſſariam gradus etiam notat Minutius *Felix* in Octavio, quod eſt imprimis obſervandum circa poteſtatem in obſeſſos ab eccleſia iugiter exercitam: *Adiurati enim*, inquit, *per Deum verum & ſolum, inviti, miſeri, corporibus inhorreſcunt, & vel exſiliunt ſtatim, vel evaneſcunt gradatim, prout fides patientis adiuvat, aut gratia curantis aſpirat.* Ubi vides, non ſolum requiri fidem utrinque ex parte energumeni & exorciſtæ, verum etiam effectum pro illius conditione reſpondere: atque pro certo gradu aut perfectione ſerius aut citius adeſſe. Huic defectui tribuitur, ſi quando Chriſtus, donec roboraretur fides, non uno ſtatim actu integritati reſtitueret. *Marc.* VII. 32. *adducunt ei ſurdum & mutum, & deprecabantur eum, ut imponat illi manum. Et apprehendens eum de turba ſeorſum, miſit digitos ſuos in auriculas eius: & expuens, tetigit linguam eius: & ſuſpiciens in cœlum ingemuit, & ait illi: Ephpheta, quod eſt adaperire.* Et dum, *Marc.* VIII. 22. veniunt *Bethſaidam*, cui vico incredulitatem ſpeciatim exprobrat Chriſtus, *adducunt ei cæcum & rogabant eum, ut illum tangeret, Et apprehenſa manu cæci, eduxit eum extra vicum: & expuens in oculos eius impoſitis manibus ſuis, interrogavit eum, ſi quid videret. Et aſpiciens ait: Video homines velut arbores ambulantes. Deinde iterum impoſuit manus ſuper oculos eius: & cæpit videre: & reſtitutus eſt, ita ut clare videret omnia.* S. Io *Chryſoſtomus* in Caput XVII. Matthæi hom. 57. alias 58. in patre lunatici illius varia incredulitatis ſigna notat: „Hunc (inquit) hominem valde in fide infirmum oſtendit ſcriptura: id quod multis palam eſt; tum quod Chriſtus dicat: *Omnia poſſibilia ſunt credenti*; tum quod is; qui acceſſit dicat: *Adiuva incredulitatem meam*; imo etiam ex eo, quod Chriſtus dæmoni præcipiat, ne ultra intret in eum; ac rurſum, quod homo ille

T. II. Bibl. PP. p. 397.

T. VII. p. 578.

Digitized by Google

le Chriſto dicat, *ſi potes.* Ac (inquies) ſi illius incredulitas in cauſa fuit, quod dæmon non exierit, cur accuſat diſcipulos? Ut oſtendat eos poſſe, etiamſi nemo adducat, per fidem ægros curare. Ut enim ſæpe accedentis fides ſatis fuit ad poſtulata vel a minoribus impetranda; ſic & operantis ſæpe virtus fuit ſatis ſine accedentium fide ad miracula patranda.“ Ad miracula (inquit) patranda, ad hæc enim ea potiſſimum perfectio fidei pertinet, quam Chriſtus his verbis: *omnia poſſibilia ſunt credenti*, declaravit: „id eſt (ſunt S. CHRYSOSTOMI verba l. c.) tanta mea virtus eſt, ut & alii meo nomine poſſint miracula patrare. Itaque ſi tu credas, ut oportet credere, ipſe quoque curare potes, & hunc, & alios multos. Et cum hæc dixiſſet, dæmoniacum liberavit.“ Eum nempe, quem liberare diſcipuli non poterant. „Quid igitur (pergit paullo poſt S. Doctor) an nondum tantam fidem habebant? Non utique habebant, neque iidem ipſi ſemper fuere. Quandoquidem PETRUS nunc beatus prædicatur, nunc increpatur: reliqui vero quaſi inſipientes arguuntur ab ipſo, quod parabolam de fermento non intellexiſſent. Contigit autem, ut tunc diſcipuli imbecillitate laborarent: ſic enim ante crucem, & paſſionem fuerant. Hic porro de ſignorum fide loquitur, & ſinapin adhibet, ut eius ineffabilem virtutem ſignificet: licet enim mole minima ſinapis videatur eſſe, vim tamen habet omnium maximam. Docens igitur ſinceram fidem vel minimam magna poſſe, ſinapin commemorat; neque hic gradum ſiſtens, montes addidit, & ultra progreſſus dixit, *Nihil vobis impoſſibile erit.* Tu vero hic illorum philoſophiam mirare, & ſpiritus virtutem; philoſophiam, quod ſuam impotentiam non occultaverint; Spiritus virtutem, quod eos, qui nec fidem ſicut granum ſinapis habebant, ſic paullatim extulerit, ut fidei fontes, & flumina in illis ſcaturirent.“

Ib. p. 579. — *p. 580.* — *Matth. 17, 20.*

Ne fiant noviſſima hominis illius peiora prioribus.

XLIV. Fuerunt hi diſcipuli Chriſti primitiæ ex paucis illis electis gentis *Iudæorum*, qui iam in eo erant, ut implentes menſuram patrum ſuorum irremiſſibile illud peccatum in Spiritum ſanctum conſummarent, quippe qui ad tanta per Chriſtum facta opera non ſolum non reſipiſcerent, verum etiam horrenda blaſphemia Chriſtum non eiicere dæmonia niſi in *Beelzebub principe dæmoniorum* impudenter dicerent: *Ideo dico vobis*, eos alloquitur Chriſtus: *omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blaſphemia non remittetur. Quoniam dicebant: ſpiritum immundum habet.* Sequitur apud MATTHÆUM & LUCAM parabola illa de immundo ſpiritu, qui cum *exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem & non invenit. Tunc dicit: Revertar in*

Matth. 31. — *Marc. 3, 28.*

in domum meam, unde exivi. Et veniens invenit eam vacantem, ſcopis mundatam & ornatam. Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe, & intrantes habitant ibi: & fiunt noviſſima hominis illius peiora prioribus. Sic erit & generationi huic peſſimæ. Locum hunc ita παραφράζει, ac exponit S. Chrysostomus Hom. 43. al. 44. in Matthæum: „Quid igitur eſt, quod dicitur? Sicut dæmoniaci (inquit) cum liberantur ab infirmitate ſua, ſi negligentiores fiant, graviorem ſibi attrahunt phantaſiam; ſic etiam vos facitis. Etenim antehac a dæmone detinebamini, cum idola adoraretis, & filios veſtros immolaretis dæmoniis, magnam exhibentes inſaniam. Nec tamen dereliqui vos: ſed per prophetas eieci dæmonem illum, & ipſe rurſus veni, ut vos curarem. Sed quia non vultis attendere, verum in maiorem nequitiam prorupiſtis: etenim multo gravius deteriusque eſt ipſum Dominum iugulare, quam prophetas occidere, ideo graviora prioribus patiemini." Et mox: „Hi vero poſt tot miracula peiores ſunt effecti, ſeque innumerorum dæmonum domicilium conſtituerunt, & ſexcentas ſibi pepererunt calamitates, iure illatas. Cum enim quis a malis liberatus non reſipiſcit, longe graviora prioribus patietur. Ideo enim dixit: *Non invenit requiem*; ut oſtendat dæmonum inſidias hunc neceſſario correpturas eſſe. Nam ab his duobus ad ſanam mentem reduci oportuiſſet, & quod paſſi, & quod liberati eſſent; imo tertium quoque adeſt, nempe comminatio, ne quid deterius contingat. At amen ex nullo eorum meliores evaſerunt. Hæc vero non ad illos tantum, ſed etiam ad nos dicta fuiſſe opportune credamus; quando illuminati & a priſcis erepti malis, rurſus eidem nequitiæ hæremus: nam ob admiſſa poſt hæc peccata graviori ultione plectemur. Ideo paralytico dicebat Chriſtus: *Ecce ſanus factus es, noli amplius peccare, ne quid tibi deterius contingat.*" Igitur fieri potuit, ut integritati ſuæ reſtitutus ab ipſo Chriſto non ſolum recidivam pateretur, verum etiam deterius ei aliquid contingeret. Inter tot a Chriſto curatos a variis languoribus, ac dæmoniis, unus lunaticus id privilegium accepit, ut comminatus ſpiritui immundo Chriſtus diceret: *exi ab eo, & amplius ne introeas in eum.* De Maria Magdalena autem poſt primam invaſionem forte relapſa *ſeptem* etiam *eiecerat dæmonia.* Quemadmodum vero in quotidianis animæ tentationibus infeſtationibusque hoſtium noſtrorum mundi, carnis & dæmonis nemo non experitur, ſeſe continuis aggreſſibus obnoxium haud raro etiam ſuccumbere, quidni idem fieri poterit in aliis maligni vexationibus corporalibus etiam hoſte iterum regreſſo in domum ſuam, unde exire compulſus fuit: & veniens forte invenit eam vacantem ſcopis mundatam, & ornatam; aut certe

T. VII. pag. 464.

Marc. 16, 9.

elangueſcentem deficientemque fidem; quandoquidem *omnia* iuxta effatum Chriſti *poſſibilia ſunt credenti;* D. Petrus autem ſobrios nos eſſe vult & vigilare; ac *fortes* reſiſtere *in fide*, non in præſumtione, quam ipſe hic apoſtolorum princeps funeſtam eſt expertus, pro quo tamen rogavit Chriſtus, ut non deficeret fides eius. Is autem, ſicuti Paulus in epiſtola ad *Hebræos*, contribulibus ſuis in Chriſtum iam credentibus comminatur: „Si refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini noſtri, „& Salvatoris Iesu Chriſti, hic rurſus implicati ſuperantur; facta ſunt „eis poſteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoſcere „viam iuſtitiæ, quam poſt agnitionem, retrorſum converti ab eo, quod „illis traditum eſt, ſancto mandato. Contingit enim eis illud veri pro„verbii: *Canis reverſus ad ſuum vomitum: & ſus lota in volutabro* „*luti.*

2 Petri 2, 20.

S. Ambrosius locum illum Matthæi XII. & Lucæ X. de immundo ſpiritu in domum ſuam revertente de hæreticis & ſchiſmaticis perinde ac de *Iudæis* interpretatus, ſubdit: „In uno homine totius *iudaici* populi „comparatio eſt, a quo per legem ſpiritus immundus exierat. Sed quia „in nationibus & gentibus per fidem Chriſti requiem reperire non potuit „(immundis enim ſpiritibus Chriſtus incendium eſt, qui in pectoribus „gentilium, quæ ante arida erant, poſtea per baptiſmum rore Spiritus „ſancti humeſcebant, iacula adverſarii ignita reſtrinxerat) ideo regreſſus „ad plebem eſt *Iudæorum*, quæ forenſi & perfunctoria ſpecie comta, ani„mo manet interiore pollutior.

Lib. VIII. in Luc. n. 95. T. II.

S. Cyrillus *Alexandrinus* commentario in Isaiam lib. IV. orat. V. in eandem Chriſti parabolam de *Iudæis* verba faciens „Cum (inquit) non haberent Dei timorem in ſeipſis, nec IESUM per fidem in ſe reciperent (habitat enim in cordibus noſtris per fidem, ſicuti ſcriptum eſt) locum illum vacare antiquus ille & impurus ſpiritus conſpicatus, irrupit denuo, & in illos immigravit, factaque ſunt illorum noviſſima deteriora prioribus. Nam proditorem illum inter diſcipulos, talem ab hoc impietatis inventore effectum eſſe, non eſt obſcurum. Scriptum namque eſt, poſt offam ingreſſum in eum ſatanam. Punita eſt igitur *Iudæorum* ſynagoga, obtenebrante illam ſatana, nec permittente eam animi oculis mundi lucem, id eſt Chriſtum intueri. Cæterum cum ad converſionem vocati ſunt, datum eſt poculum furoris, & calix ruinæ in manus eorum, qui eam iniuria oppreſſerant. Punitæ ſunt enim malæ & adverſariæ poteſtates, deiiciente eas in orcum omnium Servatore Chriſto, qui eas catenis tenebroſis in tartarum coniectas, tradidit in iudicium magni diei cuſtodiendas, & cruciandas. Illæ enim dicunt *Hieruſalem*, *Inclinare*, *ut tranſeamus.* Hæc autem ſubiecit

T. II. Opp. pag. 725.

Digitized by Google

cit media terræ illis hac gradientibus, id eſt, ſeipſam ſubſtravit ac ſubiecit conculcare volentibus. Hoc autem faciunt malæ poteſtates tum, cum viderint animam remiſſam, quæ mentem ſuam ita abiicit, ut facile velit impiis eorum a Deo infeſtis conſiliis parere atque ſubiacere." Add. S. Ambrosius T. III. epiſt. 32. Claſſis primæ.

Nihil vero magis laborat diabolus, quam ut eundem in deſperationis ſtatum proſternat, quo ipſi omnis ad reſipiſcentiam eſt occluſus aditus, nobis autem, quamdiu in ſtatu viæ ſumus, nec peccatum illud in Spiritum ſanctum conſumavimus, ſemper per pœnitentiam eſt aperta via, atque „armatura contra diabolum (ut cum S. Chrysostomo loquar) gladius „eius caput abſcindens, ſpes ſalutis, deſperationis profligatio. Hæc ho„mini cœlum aperit, hæc in paradiſum introducit, hæc diabolum ſupe„rat; ideoque de hac re frequenter ſermonem moveo, quod fiduciam „inducat ipſum proſterni." Tum poſtquam a deſperatione, laqueo diaboli, cautos feciſſet ad pœnitentiæ iterationem cohortatus; „Animadvertiſti „(pergit) quod dico? Ordinem invertit ſatanas, deditque peccato con„fidentiam, pœnitentiæ pudorem. . . . Duo mala facit, ad peccatum alli„cit, & a pœnitentia arcet . . . Ne mihi rurſum dicas: Peccavi multum, „quomodo potero ſalutem conſequi? Tu non potes, Dominus poteſt „&c.

Hom. VIII. de Pœnit. T. II. pag. 341.

XLV. Hæc felix noſtra, qui in Chriſtum credimus, & confidimus, eſt conditio ac beata ſors, quod diabolum a nobis ſemper excludere liceat, neque in domum noſtram eidem clauſam iam pateat regreſſus, ſi ſanguine agni, *etenim paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*, ſervemus tinctam: *Cumque viderit ſanguinem in ſuperliminari, & in utroque poſte, tranſcendet oſtium domus, & non ſinet percuſſorem ingredi domos veſtras, & lædere.* Communicavit ideo divinum Verbum filius Dei *carni & ſanguini* iuxta apoſtolum *Hebr.* II. 14. &c. aſſumta natura noſtra, *ut per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, id eſt, diabolum: & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant ſervituti.* S. Petrus Cornelio centurioni fidem in Chriſtum Iesum exponens, *quomodo*, ait, *unxit eum Deus Spiritu ſancto, & virtute, qui pertranſiit benefaciendo & ſanando omnes oppreſſos a diabolo.* Quod non ſolum de illis intelligendum eſt, quos a dæmonibus obſeſſos liberaſſe legitur, ſed de toto genere humano diaboli laqueis per peccatum obſtricto iuxta 1. Ioan. III. 8. *Qui facit peccatum ex diabolo eſt: quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli.*

Cuius glorioſus eſſe debuerat in Chriſto, hoſte devicto, triumphus. *Exod.* 12, 23.

Digitized by Google

Tuto ergo eum in inſidiis latentem aggredimur, quidvis in nos mo-
lientem, quam fortis etiam armatus cuſtodire atrium ſuum videatur: *ſi*
Luc. 11, 21. 22. *autem fortior eo ſuperveniens vicerit eum, univerſa arma eius auferet, in*
quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet. Sic Chriſtus *exſpolians prin-*
Coloſſ. 2, 15. *cipatus & poteſtates traduxit confidenter, palam tiumphans illos in ſemet-*
ipſo. Nempe ut, data poteſtate ſuper omnem virtutem inimici, tutos
nos ab eius inſidiis, & vexationibus præſtet; in acie vero & continuis
velitationibus ſecuros de victoria, non inertes & otioſos reddat contra ca-
pitalem hoſtem hunc, nobis ad luctam relictum & coronam. Propter
quod apoſtolo Paulo ter Dominum roganti, ut diſcederet angelus ſata-
2. Cor. 12, 9. 10. næ, dicitur: *ſufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perfici-*
tur. Quod ſubdit Paulus, quisque in ſuis tentationibus Chriſti confi-
ſus gratia dicat: *libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut in-*
habitet in me virtus Chriſti.

Circumſpe-ctique, abiectis circa dæmonas erroribus, cautio.

XLVI. Cavendum vero nobis ſummopere eſt, ne ſupra captum no-
ſtrum, intelligentiamque ſenſibus adſtrictam, de natura rerum inviſibi-
lium ultra ſobrietatem ſapere geſtientes, ſuperbiamque diaboli conſectati,
iterum eius laqueo capiamur, poſtquam a Chriſto erepti ſumus, cum de-
iecti eius invidia eſſemus: neve prava doctrina alios etiam in errorem
abducamus, ſatique conſimilis nos reddamus obnoxios. *Quomodo ceci-*
Iſa. 14, 15. *diſti*, dæmonum principem alloquitur propheta, *de cœlo lucifer, qui ma-*
ne oriebaris? Corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes?

Nihil nobis de rebus inviſibilibus, ſpiritualique ipſius, nobis intimæ,
animæ natura conſtat, niſi quæ Deus nobis in ſuo verbo patefacere ad
ſalutem noſtram, atque de inviſibilibus hoſtibus cautos nos ac circum-
ſpectos reddere voluit. Hanc mihi tractationis huius metam conſtitui,
omnibusque monitum illud D. Pauli hic etiam ſalutare fore exiſtimo:
Rom. 11, 20. *Tu autem fide ſtas, noli altum ſapere, ſed time.* Idem Timotheum in-
1. Tim. 3, 6. ſtruens, qualem epiſcopum eſſe oporteat, *Non neophytum*, inter cætera
ait, *ne in ſuperbiam elatus, in iudicium incidat diaboli.* Id quidem ge-
neralius etiam dictum valet: qua loquendi ratione abſterret poſtea, *qui*
Ib. 6, 9. *divites fieri volunt, inciduntque in tentationem, & in laqueum diaboli;*
ſecunda autem ad eundem Timotheum ep. II. 25. & 26. cum mode-
ſtia corripi vult, *qui reſiſtunt veritati: ne quando Deus det illis pœniten-*
tiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant a diaboli laqueis, a quo
captivi tenentur ad ipſius voluntatem. Ad *Coloſſenſes* vero II. 18. ſpe-
cialiter ſcribit: *Nemo vos ſeducat, volens in humilitate & religione An-*
gelorum, quæ non vidit, ambulans, fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ.

Iam

Digitized by Google

Iam tunc ſanam doctrinam corruperat Simon magus, *Gnoſticorum* parens, qui angelorum ſeu dæmonum ſuperſtitionem ex philoſophia *Græcanica* Chriſtianiſmo inferre allaborarunt, ut iam notavimus: conſtatque *Iudæorum* non paucos ſuperſtitioſo angelorum cultui deditos fuiſſe, aut etiam cum illis, ſeu dæmonibus commercium iactaſſe. Sic Cerinthus auctoritatem conciliare voluit ſuæ hæreſi, ab aliquibus ob aſſertum regnum millenarium auctor *Apocalypſeos* habitus. Sed potius eum Ioannes *Apoc.* II. 9. inter eos tangit, *qui ſe dicunt Iudæos eſſe, & non ſunt, ſed ſunt ſynagoga ſatanæ.*

Oppoſitis autem erroribus diabolus Chriſtianos inde ab eccleſiæ exordiis dementavit: primum nempe deliriis *Gnoſticorum, Valentinianorum &c.* nimia deinde credulitate anilibusque phantaſiis ac fabulis, noſtra demum ætate obſtinata quadam incredulitate ea etiam fere naſo ſuſpendendo adunco, explodendoque, quæ conſtanti Patrum traditione, auctoritateque S. ſcripturæ habentur aſſerta, firmata monumentis liturgicis, & pia matris eccleſiæ cura contra infeſtationes diabolicas.

Mirum profecto religioſo cuique eſſe debet, tam facile ac temere eos etiam hic deviare, qui ſtudiis theologicis innutriti eccleſiaſticoque adſcripti canoni ignorare nequeunt, quid ſacræ litteræ, earumque fidi interpretes SS. Patres & Doctores orthodoxi conſtanti traditione de dæmonurgia ad nos uſque pertulerint, quidque ſacer ferat uſus in eccleſia; nihilominus videas iam eiusmodi viros, extra chorum ſaltantes, haud raro longius aberrare, maiusque ſibi magiſterium in diſciplinis etiam naturalibus uſurpare, quam illi, qui eas ex inſtituto ſunt profeſſi, atque in iis cum ſumma ſunt verſati laude. Sæpe in hac tractatione uſus ſum teſtimonio, auctoritatemque in ſua ſphæra ſecutus *Friderici* Hoffmanni conſiliarii quondam regis *Boruſſiæ* intimi, & archiatri, profeſſoris medicinæ primarii in academia *Halenſi*, quem in libro *de magia* medicum ſummum vocat *Ant.* de Hæn, S. C. R. A. M. a conſiliis aulicis, archiater item ac medicinæ profeſſor primarius in academia *Viennenſi*, in qua nunc ars ſcientiaque medica, ſi uſpiam alibi, cum primis floret anteſignano Cel. L. B. Van-Swieten, cuius iam veſtigia premit munusque protomedici tenet ſuæ decus patriæ illuſtr. L. B. de Störck. Triumviri hi recte quidem cum ſumma cautione circumſpectioneque progrediendum ſtatuunt in diſquiſitionibus magicis, optaſſemque, ut laudatus Hænius hoc ſuæ *de magia* tractationis caput amplius explicaſſet: cum id ſibi in ſuo opere propoſitum eſſe in præfatione ſignificet, probare ſcilicet, ſuppoſita magiæ exiſtentia, conſentiente ſecum Swietenio, *quod ad ſuperſtitionem atque credulitatem hominum diminuendam, & demum tollendam longe efficacior hæc demonſtratio*

Ggg gg 3 *futura*

futura ſit, quam unquam ab eiusdem negatione ſperari potuiſſet. Laudatur mox P. *Friderici* Spee *cautio criminialis ſeu de proceſſibus contra ſagas* liber, atque ad calcem ſapientiſſima Estii in lib. II. *Sentent. diſt.* VII. §. 16. ad rem monita, Van-Espenii item ac *Ben.* Bossueti ſerm. I. & II. in Dom. I. Quadrag. poſtquam inſignem eiusdem locum aliunde deſcripſiſſet: in quo cum oſtendiſſet Deum angelos creando, in quantum eos ſui intellectus participes feciſſet, in tantum etiam eos ſuæ compotes feciſſe poteſtatis, quatenus ad ſervandum in mundo ordinem naturæ corporeæ atque inferiores illis ſubiicerentur iuxta præſcriptos his ab illo terminos, „Suo proinde (addit) modo mundus ſenſualis mundo ſpiritali, „ atque intellectuali ſubiectus fuit, pactumque hoc Deus cum corporea „ natura fecit, ut ad voluntatem angelorum moveretur, quantum hæc „ voluntas angelorum, in hoc cum voluntate Dei conformis, eandem „ ad certos effectus finesve determinaret."

P. III. c. 1. & 2.

Boſſuet Elevations a Dieu ſur les myſteres T. II. ſerm. XXIII. Elev. 5. de la puiſſance du demon ſur le genre humaine.

Id cum auctoritate S. ſcripturæ atque exemplis probaſſet, perinde etiam ad quæſtionem, an prævaricatoribus damnatisque angelis eandem Deus conſervet quam fidelibus beatisque poteſtatem? ex apoſtolo reſpondet, ſubditque, prævaricatoribus angelis prærogativas naturales conſervari in ſupplicium; poteſtatem autem illorum poſt lapſum hominem, qui ſic in illorum mancipium redactus eſt, auctam potius, quam imminutam fuiſſe. Sicque porro explicat ſalutarem hanc ad cautos nos reddendos ex ſacris ſcripturis, exemplo ipſius Chriſti Domini theologiam, qua ſe alius quisque theologus merito continere debeat, abſterritus etiam exemplo apoſtolorum, ipſiusque principis apoſtolorum; quod idem Bossuetus expendit in meditat. lxix. & ſeq. ſuper verba Chriſti in cœna, illa nempe: *Simon, Simon, expetivit vos ſatanas, ut cribraret ſicut triticum,* cauſam vero indicat vanitatem ſeu ambitionem apoſtolorum paullo ante de principatu contendentium. Eaque potior longe nobis propoſita eſt in ipſo diaboli lapſu, faſtu ſcilicet ac ſuperbia, cui nos etiam in eo obnoxios facere poſſumus, ſi contra apoſtoli monitum alte hic ſapere potius quam timere volumus, diaboli imitantes ſuperbiam. *Qui dicebas in corde tuo*, ut a propheta inceſſitur, *in cœlum conſcendam, ſupra aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero altiſſimo.* Quis vero ſibi non proſpiciat, caveatque ab adverſario, qui contra Deum ipſum ſe erexit? Qui ipſum filium Dei tentare eſt auſus? *Tanquam leo rugiens circuit quærens, quem devoret, cui reſiſtite fortes in fide.* Comma primum huius ſententiæ principis apoſtolorum commonentis nos de inſidiis principis tenebrarum capite primo, alterum capite hoc ſecundo ſuſcepi declarandum.

T. X. p.m. 405.

Iſa. 14, 14. ſeq.

XLVII.

XLVII. Etſi vero in longum excreverit oratio, potuiſſent nihilominus multo adhuc afferri plura ex ſacris ſcripturis, ſanctisque Patribus, qui quavis occaſione, quæ nuſpiam ſuis in tractatibus ſermonibusque exhortatoriis deerat, fideles a diabolicis inſidiis cautos reddendos, atque ab eorum infeſtationibus tutos præſtandos exiſtimarunt, paſtores præſertim animarum, atque epiſcopi vigilantes & cuſtodientes vigilias ſuper gregem ſuum, ut tum lupos hos infernales arcerent ab ovili, tum vero milites ad pugnam exercitatos, forteſque in fide contra hoſtem undique irruentem, redhiberent: quod quidem quam ſtrenue fecerint, ex ſermonis decurſu hactenus patuit: „Parum eſt enim (cum S. Cypriani concludam verbis, quæ noſtræ ætati cumprimis congruunt, noviſſimis multo magis „ inſtantibus temporibus) quod Dei plebem claſſico noſtræ vocis erigi„ mus; niſi credentium fidem, & dicatam Deo devotamque virtutem, di„ vina lectione firmemus. Quod autem potius aut maius curæ noſtræ ac „ ſolicitudini congruit; quam ut commiſſum nobis divinitus populum, & „ exercitum in caſtris cœleſtibus conſtitutum, adverſus diaboli tela & „ iacula, exhortationibus aſſiduis præparemus? Neque enim idoneus po„ teſt eſſe miles ad bellum, qui non exercitatus prius in campo fuerit. „ Aut qui agoniſticam coronam quærit adipiſci, in ſtadio coronabitur, „ niſi uſum & peritiam virium ante meditetur. Adverſarius vetus eſt, & „ hoſtis antiquus, cum quo prœlium gerimus. Sex millia annorum iam „ pene complentur, ex quo hominem diabolus impugnat. Omnia gene„ ra tentandi & artes atque inſidias deiiciendi uſu ipſo vetuſtatis edidicit. „ Si imparatum invenerit militem Chriſti, ſi rudem, ſi non ſolicitum ac „ toto corde vigilantem, circumvenit neſcium, fallit incautum, decipit „ imperitum. Si vero quis dominica præcepta cuſtodiens, & fortiter „ Chriſti veſtigiis adhærens, contra eum ſteterit, vincatur neceſſe eſt: „ quia Chriſtus, quem confitemur, invictus eſt.“

Vigilantia item, cum certa in Chriſtum fiducia.

Luc. 2, 8.

De exhortat. martyrii p. 117.

Cæca gentilitas epitheton *invicti* ad Deum ſuum Solem refert, cuius rei monumentum in *Alemannia* noſtra ſupereſt in lapidis *Zwifaltenſis* inſcriptione, quam in *Itinere Alemannico* dedi, quave *Deo invicto Soli templum a ſolo* reſtituiſſe Valerius Venustus memoratur; Chriſtiani autem doctores recte vindicaverunt *ſoli invicto Domino noſtro, qui de morte & inferno triumphavit.* Quam in rem *Philippus* a Turre ex antiquiſſimi ſcriptoris homilia in Lucam de nativitate S. Ioannis *Baptiſtæ*, olim S. Chrysostomo falſo attributa hunc affert locum. „Quis utique tam invictus, niſi Dominus noſter, qui mortem ſubactam devicit. Vel quod dicunt Solis eſſe natalem; ipſe eſt Sol iuſtitiæ &c.“

Tab. VII.

Monum. Antii pag. 228.

Ad

Digitized by Google

Serm. 21. pag. 17.

Ad diem Natalis Domini alludit, apud gentiles Soli invicto ſacrum: quemadmodum etiam S. Leo ſermone II. in Nativitate Domini præclare a Sole noſtro iuſtitiæ diabolum devictum oſtendit. „Verax namque (inquit) miſericordia Dei, cum ad reparandum humanum genus ineffabiliter ei multa ſuppeterent, hanc potiſſimum conſulendi viam elegit, qua ad deſtruendum opus diaboli non virtute uteretur potentiæ, ſed ratione iuſtitiæ. Nam ſuperbia hoſtis antiqui non immerito ſibi in omnes homines ius tyrannicum vindicabat, nec indebito dominatu premebat, quos a mandato Dei ſpontaneos in obſequium ſuæ voluntatis illexerat. Non itaque iuſte amitteret originalem dedititii generis ſervitutem, niſi de eo, quod ſubegerat, vinceretur.“ Et poſtea: „Habentes ergo tantæ ſpei fiduciam, dilectiſſimi, in fide, qua fundati eſtis, ſtabiles permanete, ne idem ille tentator, cuius iam a vobis dominationem Chriſtus excluſit, aliquibus vos iterum ſeducat inſidiis; & hæc ipſa præſentis diei gaudia ſuæ fallaciæ arte corrumpat, illudens ſimplicioribus animis de quorundam perſuaſione peſtifera, quibus hæc dies ſolemnitatis noſtræ, non tam de nativitate Chriſti quam de novi, ut dicunt, Solis ortu honorabilis videatur . . Amplectimini Chriſtum in noſtra carne naſcentem, ut eundem Deum gloriæ videre mereamini in ſua maieſtate regnantem: qui cum Patre & Spiritu ſancto manet in unitate Deitatis in ſæcula ſæculorum. Amen.“

FINIS PARTIS SECUNDÆ.

Digitized by Google

DISQUISITIO VIII.
DE HORIS CANONICIS.

CAPUT I.
De Curſu nocturno & diurno horarum canonicarum.

I.

In ſequentibus diſquiſitionibus, quoniam cum aliis divinis officiis etiam ratio habenda eſt curſus canonici, quem vocamus, de eo interſerenda eſt hic tractatio. Nominis antiquitatem prodidit ex antiquis monumentis MABILLONIUS in diſquiſitione de curſu *Gallicano*. S. COLUMBANUS caput VII. regulæ inſcribit *de Curſu*, quem uno diſticho deſcribit *Venantius* FORTUNATUS *Turonenſis:*

De appellatione curſus canonici.

Lib. II. ep. 10.

Carmine Davidico divina poemata pangens
Curſibus aſſiduis dulce revolvit opus.

Et in vita S. GERMANI: ***Tertia noctis hora ingrediens in eccleſiam non eſt egreſſus ulterius pſallentium ab ordine, donec clareſcente die decantatus ſolemniter curſus univerſus conſummaretur ex canone.*** Iam retulerat antea

Digitized by Google

tea, quomodo idem ſanctus vir, *ſe mutantibus clericis ſine viciſſitudine ipſe decantandi modulamina non finiret.* Quod nimirum præter conſuetum ſervitutis penſum, ut S. BENEDICTUS in ſua regula vocat, privatim pſalleret in eccleſia, aut ubi etiam neceſſitas a communi pſallentium choro removerat, iter agendo, *ſemper*, ut idem refert, *nudo capite curſum recitavit, etiamſi nix aut imber urgebat.* Solebant huius rei cauſa in itinere reliquias ſecum ferre, ut quoquo modo reverentiam divinis officiis præſtarent, quod de S. EMERAMO in eius vita legimus, *circiter horam diei tertiam celebrante illo canonicos hymnos, & debitum officium ſub ſanctarum teſtimonio reliquiarum ſolvente.*

Horas præſtitutas ne prætereant, ſuis iter agentibus S. BENEDICTUS pariter præcipit, quæ ſcilicet canonicæ vocantur, deſignaturque in ſupe-
pag. 11. & 14. riori FORTUNATI loco, *Curſus univerſus ex canone.* In concilio *Aſchaimenſi* ab ill. *Frobenio* FORSTERO S. R. I. P. abbate *Emeramenſi* vocantur
Muſ. Ital. T. I. P. II. pag. 395. *Horæ curſales.* Recenſio curſuum eccleſiaſticorum ad calcem ſacramentarii *Gallicani* ſic auſpicatur: *Audivimus dicente ſcriptura, pro quali virtute cantantur omnes curſus. Nocturni cantantur pro illa virtute &c.* In
T. II Conc. Germ. pag. 419. inquiſitione epiſcopali apud REGINONEM de his, quæ epiſcopus per parochias ſuæ diœceſis in clericis inquirere debeat, hoc etiam poſitum eſt, *ſi nocturnis horis ad matutinas laudes perſolvendas omni nocte ſurgat. Si Primam, Tertiam, Sextam, Nonam certo tempore ſigno eccleſiæ denuntiet, & curſum debitum cantet.* AMALARIUS librum IV. *de officiis* in hoc argumento verſantem inſcribit *de curſibus diurnalibus & nocturnalibus ſive in feſtis diebus, ſeu quotidianis. Quatenus conſiderato ordine compoſitionis & numero pſalmorum & lectionum ac reſponſoriorum convenienti quibusque temporibus dulcius ac compunctius Deo aſſiſtatur in eccleſia.* Et caput primum de ordine antiphonarii idem ſic inchoat: *Incipit adnotatio de nocturnalibus officiis, & diurnalibus, quæ vulgo curſus vocantur.*

Gold. Rer. Alem. T. I. pag. 26. S. BENEDICTUS Synaxin vocat ob fratrum ad chorum conventum: Idque nominis ad privatam recitationem etiam applicatur apud EKKEHARDUM de NOTKERO, cum accidiſſe narrat, *ut quadam die ad Nonæ ſynaxim non veniret, neque eam per ſe caneret.* Et mox de privata eiusdem horæ recitatione poſt Completorium in capella quadam, ubi pſallere ſolitus erat, ſubdit: „Cumque ad preces ſynaxis ſe in terra proſterneret &c." Dicitur ibidem „dicto citius *Deus in adiutorium meum intende* proſecutus." Unde colligimus, quo auſpicari iam tum ſoliti ſint officium horarum canonicarum. Pro aliquibus divini officii partibus uſitatum fuit a medio ævo
Not. 256. *hiſtoriæ* nomen, aliquando pro pſalmo, ut PREVOTIUS obſervavit in IOANNEM *Abrincenſem,* & HONORIUS *Auguſtodun.* lib. III. *Gemma animæ* c. 19,

„Hiſto-

„Hiſtoriam, *Domine ne in furore tuo*, pro pœnitentia canimus: aliquan„do pro lectione." Ibid. lib. IV. c. 118. de adventu Domini: „Hiſtoria, „*Clama in fortitudine*, non ad quatuor tempora, ſed ad proximam ſe„ptimanam natalis Domini pertinet." Aliquando vero reſponſoria & antiphonas denotat. Sic apud RADULPHUM *Tungrenſem* propoſ. 12. „Prænotetur, quod antiphona & reſponſoria ad unum diem vel obſervationem „pertinentia vocantur hiſtoria. Omnes autem nationes ſatis uniformiter „habent hiſtorias temporales ſive de tempore, antiphonario *Romano* con„cordantes. Sed de Sanctis, ſive de diebus Sanctorum *Italianæ* eccleſiæ „*Romano* magis ſe conformant: quia proprias hiſtorias Sanctorum minus „admittunt. Deinde eccleſiæ *Gallicanæ*, deinde *Anglicanæ*, & poſtremo „*Alemannicæ* ad hiſtorias Sanctorum proprias magis ſe dilataverunt." Ex his coniicere licet rationem & cauſam huius denominationis, quod nimirum hiſtoria proprie dicerentur ea, quæ ad rei, ac geſtorum ſeriem pertinuerunt ſingulis in officiis digeſta in antiphonis præſertim & reſponſoriis. Quod in monumentis eiusmodi liturgicis frequentiſſimum deprehendi in feſtis Sanctorum ex eorum vitis & actis: idem vero merito arguit RADULPHUS, quod haud raro non ſatis aſſerta & ſincera officiis canonicis fuerint illata; unde is canonicos monendi occaſionem ſumit: „Igitur cuſto„dite ſacri canonis depoſitum, quod vos ad exactiſſimam cuſtodiam ob- *Propoſ. VI.* „ligat, & cuius ratione tenemini de levi culpa. Profanæ vero vocum no„vitates hic accipiantur novi cantus, novæ hiſtoriæ, novæ lectiones vel „orationes, & cætera huiusmodi nova, quæ Patres noſtri non coluerunt."

Ac origine iuxta varium ritum & ordinationem in breviario.

II. Multa RADULPHUS nobis prodit in laudato de Canonum obſervantia libro, quoad officium canonicum varii ritus *Romani* & *Ambroſiani*, variis etiam in locis noſtræ *Alemanniæ*: de diſcrimine item apud Canonicos ſæculares & regulares, diverſasque congregationes monachorum ac religioſorum ordinum ſui temporis. Quæ aſſertiora ſunt, quam quæ de remotioribus temporibus tam ille, quam alii antiquiores medii ævi ſcriptores liturgici præſertim de prima origine officii canonici ſcripſerunt, AMALARIUS tum laudato libro IV. de Officiis, cum ſingulari opere de ordine antiphonarii, *Rhabanus* MAURUS item & *Walafridus* STRABO ex noſtris. Qui ultimus eius originem a S. PETRO repetens, ac poſt eum DURANDUS, & alii primum oratione dominica, Symbolo apoſtolorum, & certo pſalmorum numero contentum ſciſcunt: donec DAMASO P. opera vero S. HIERONYMI pſalmorum ac lectionum digeſtio fuerat facta.

Poſt alios vero pontifices, quorum induſtria in rebus liturgicis commendatur SS. LEONIS, GELASII, GREGORII M. & cæt. imprimis GREGO-

Digitized by Google

RIUS VII. creditur officium canonicum in ordinem redegiſſe, prout a coævo IVONE *Carnotenſi* auctore *Micrologi* deſcribitur. Eademque opera, ſicut in aliis liturgiæ partibus, ita etiam in curſu, ſeu horis canonicis, ritus etiam *Romanus* undique eſt propagatus iam antea ſub *Carolingica Francorum* ſtirpe. Præſcribitur, quod *Alemanniam* etiam noſtram ſpectat, in

T. II. Conc. Germ. p. 20. Capitulari AHYTONIS epiſc. *Baſileenſis* circa an. 820. „Ut horas canonicas „ tam nocturnas quam diurnas nullatenus prætermittant. Quia ſicut *Ro*„ *mana* eccleſia pſallit, ita omnibus eiusdem propoſiti viam tenentibus fa„ ciendum eſt.“ Mutationem tamen in ipſa urbe *Roma* factam RADUL-

De Canon. obſerv. Propoſ. 22. PHUS *Tungrenſis* fratribus minoribus S. FRANCISCI imputat: „ſed (inquit) quoad divinum officium hodie omnium credulitas & opinio divulgatur, quod nullæ eccleſiæ ſervent in illo ordinem ſanctæ *Romanæ* eccleſiæ, niſi fratres minores, nec in aliquorum, niſi ipſorum breviariis & libris contineatur, ex eo, quia B. FRANCISCUS in regula præcipit, ut Clerici faciant divinum officium ſecundum dictum ordinem, ubi breviaria habere poſſunt. Huius autem rei *Romæ* contrariam didici veritatem. Nam olim, quando *Romani* pontifices apud *Lateranum* reſidebant, in eorum capella ſervabatur *Romanum* officium, non ita complete, ſicut in aliis urbis eccleſiis collegiatis. Imo Clerici capellares ſive de mandato Papæ, ſive ex ſe, officium *Romanum* ſemper breviabant & ſæpe alterabant, prout Domino Papæ & Cardinalibus congruebat obſervandum. Et huius officii ordinarium vidi *Romæ* a tempore INNOCENTII III. recollectum. Et iſtud officium breviatum ſecuti ſunt Fratres minores. Inde eſt, quod breviaria eorum & libros officii intitulant ſecundum conſuetudinem *Romanæ* curiæ, non autem curaverunt mores aliarum eccleſiarum urbis *Romæ* recipere & obſervare.“

De Benef. P. I. lib. II. c. 84. RADULPHO fidem adhibuerunt Card. BONA & THOMASINUS, atque ex WADINGO in *Annal. Minorum* ad an. 1244. diſcimus HAYNONEM *Franciſcanorum* Generalem officio divino in meliorem ordinem redigendo in-

T. III. de Geſtis Rom. Pontif. cubuiſſe ſub GREGORIO IX. *Franc.* PAGIUS vero in vita NICOLAI III. ex epiſtola apologetica *Petri* ABAELARDI adverſus S. BERNARDUM, quæ data eſt circa an. 1140. centum annis, antequam ab HONORIO III. ordo *Franciſcanus* approbaretur, deducit apud omnes eccleſias *Romanas* excepta *Lateranenſi* compendium illud divini officii obtinuiſſe, cuius inter

T. XI. Opp. p. 148. alios rationem BENEDICTUS XIV. probat Inſtitut. XXIV. ſubditque: „Sed „ cum breviarium in magno *Caſinenſi* monaſterio ſervetur ab anno 1100. „ quod inſcribitur: *Incipit breviarium, ſive ordo officiorum per totam an*„ *ni decurſionem*, in quo ritus totius eccleſiaſtici officii, & pro ipſius re„ citatione, ſacroque faciendo cæremoniæ continentur, hinc a veritate

„ non

Digitized by Google

„ non alienum videtur, quod breviarii nomen ab hoc ordine officiorum „ dimanaverit." Adhuc antiquius eſt haud abſimile, *breviarium ordinis eccleſiaſtici*, inter monumenta noſtra liturgica, veluti etiam apud Marteнium T. V. Theſ. novi, & Muratorium in liturgia *Romana*, quod porro ad finem habet: *Explicit Breviarium eccleſiæ ordinis Rominſe &c.* Ad rem vero adhuc magis eſt, quod in vita S. Udalrici *Auguſtani* epiſcopi Gerardus narrat. „Prima vero expleta fratribus ſolito more cru- *Cap. 4.* „ cem portantibus ipſe remanens in eccleſia codiculum breviatum ex pſal- „ mis cum aliis orationibus interim decantavit."

Maximam diverſitatem hic in veteribus monumentis *Alemannicis* deprehendi, diſtractis inter ſe officii canonici partibus tum diverſis in codicibus, tum iisdem etiam ſeparatim poſitis pſalmis per ordinem, hymnis, capitulis, ſeu lectionibus brevibus, antiphonis, ac reſponſoriis cum lectionibus tam ſcripturæ, quam aliis ex vitis Sanctorum homiliisque Patrum, confuſo ſæpe ordine rerum ac temporum: ut, ſi hoc fratribus Ordinis *Minorum* debeamus, quod concinnum, qui hodie habetur in breviariis, conſtituerint ordinem, egregiam ſane præſtiterint operam. Nec habet, quod hic iure conqueratur Radulphus etiam de S. Norberto, quem officium canonicum in meliorem ordinem redegiſſe, quoad id, de quo *Prop. 7. de* agimus, intelligi datur ex ipſo Radulpho, „Neſcio (inquit) per quas *Canon. ob-* „ antiphonarum, & pſalmorum varietates trifaria temporum permutatio- *ſerv.* „ ne prædicat eſſe ſequendam." Pertinet hoc ad ordinatum melius per tempora & vices breviarium. Ex veteribus monumentis conſtat tardius breviarii *Romani* formam, uti hodie obtinet, undique fuiſſe introductam. In privilegio Sixti IV. an. 1477. canonicis eccleſiæ S. Amandi indulgetur: „Quod officium divinum in dicta eccleſia S. Amandi non ſecundum „ *Romanam* eccleſiam, ſed ſecundum eccleſiæ *Conſtantienſis* conſuetudinem „ dicatur, & celebretur."

III. In concilio *Bracarenſi* iam poſt medium ſæculum VI. quædam *Singulari etiam monaſtico.* hic exceptio cautioque facta legitur: „Ut unus atque idem pſallendi or- „ do in matutinis vel veſpertinis officiis teneatur; & non diverſæ ac pri- „ vatæ, neque monaſteriorum conſuetudines cum eccleſiaſtica regula ſint „ permixtæ." S. Benedictum peculiarem præſcripſiſſe pſallendi rationem, ex eius regula patet, ac melius quidem, clariusque ex eius regula perſpectus eſt ordo monaſticus officii divini, quam qui fuerit tunc temporis vel *Romæ* vel uſpiam alibi. Amalarius in ſupplemento ad lib. IV. de officiis divinis apud Mabillonium hic aliqua nobis ſingularia prodit *Analect. p. 93.* imprimis notanda. „Nequaquam itaque (inquit) fatendum eſt, hunc ta-

Hhh hh 3 lem

lem Patrem abſque myſterio cuncta diſpoſuiſſe; & ſicut clericale officium monaſtico non præiudicat, ita reciproco actu monaſticum clericale comprobat. Hinc eſt, quod varietates anni, ſicut in Paſſione, in Paſcha, in Pentecoſte, & in quibusque cæteris clericalem ſequuntur ordinem, & clerus in aliquibus monachorum. Certum autem eſſe probatur quodammodo, ipſum S. Benedictum conſuetum morem S. Ambrosii in nonnullis eccleſiaſticis elegiſſe, verbi gratia de hymnis, quos *Ambroſianos* appellat; & de *Alleluia*, quod uſque in dominica prima Quadrageſimæ ab ea conſuetudine recitatur. Providiſſe etiam infirmorum fragilitati in plerisque, ut de una lectione in tempore æſtatis, ac de pſalmis directaneis ſine antiphona dicendis, ſed & *Romanæ* eccleſiæ conſuetudinem, quam repletus ipſe ſpiritu divino per eundem Spiritum divinum inſtitutam fuiſſe & futuram eſſe non ignorabat, nequaquam contempſiſſe, dum dicit: *Hoc præcipue commonemus, ut ſi cui forte hæc diſtributio pſalmorum diſplicuerit, ordinet, ſi melius aliter iudicaverit: dummodo omnimodis id attendatur, ut omni hebdomada pſalterium ex integro numero CL. pſalmorum pſallatur, & in dominico die ſemper a capite repetantur ad vigilias.* Quamvis enim a prædeceſſoribus ſui temporis *Romanis* pontificibus quædam iam conſtituta forent; necdum tamen tum temporis totus ordo pſallentium in pſalterio & antiphonario ad liquidum in ordinem redactus fuerat: quod poſtea papa excellentiſſimus, ſanctæque memoriæ eiusdem ſancti Benedicti ſtrenuus regularis obſervator, & monaſticæ perfectionis imitator ſtudioſiſſime ordinavit inſtitutione Spiritus ſancti &c. "

S. Gregorium monachos in baſilica S. Pancratii inſtituiſſe *Romæ* ad divinas laudes perſolvendas, ex eius epiſtola ad Maurum quemdam abbatem diſcimus, quam etiam in Annal. *Benedict.* recenſet Mabillonius, & in commentario in ord. *Rom.* ubi ex inſtituto in ordinem officii divini *Romanum* inquirit, & plura exempla adducit ſubſequentium etiam pontificum quoad principales eccleſias *Vaticanam* & *Lateranenſem* atque alias. Idem amplius illuſtratur præfatione ad miſſale vetus *Romanum* monaſticum editum a P. *Emman.* de Azevedo, ubi ex vita Gregorii III. id memoratur ordinatum officium, *diurnis, nocturnisque temporibus iuxta inſtar beati* Petri *apoſtoli.* Atque inde factum arbitror, ut facilius alibi etiam haud raro remiſſum aliquid ſit de ordine pſallendi a S. Benedicto inſtituto, aut, etiam in noſtra *Alemannia*, ſervatum aliquid ex S. Columbani inſtituto; cum primum ſicut alibi, ita nec apud cætus monaſticos omnia fixa ad eundem ritum fuerint.

T. I. lib. VIII. n.45.

T. II. Muſ. Ital. pag. XXVI.

XX. ſeq.

At

Digitized by Google

At quæ in aliquibus *Alemanniæ* monaſteriis *laus perennis* obtinuiſſe traditur, a S. Columbano ſine fundamento deducitur, cum nuspiam id genus perpetui curſus ſibi ſuccedentium per turmas monachorum, neç quidem in monaſterio *Luxovienſi* inſtituiſſe affirmari poſſit, quod Cointio viſum eſt, pariter ac in *Habendenſi* & *Laudunenſi* S. Salabergæ monaſteriis, quæ ſequebantur inſtitutum S. Columbani. Putat autem Cointius, ut refertur apud Mabillonium præfat. II. in ſæc. II. Ord. S. Bened. *N. 204.* dum in cœnobio S. Salabergæ adinſtar *Agaunenſium* monachorum id genus laudis perennis in codice *Compendienſi* inſtitutum legitur, reponendum loco *Agaunenſium*, *Luxovienſium.*

IV. „De temporibus orationis (inquit Tertullianus) nihil omnino „præſcriptum eſt, niſi plane omni in tempore & loco orare.“ Et Clemens *Alexandrinus :* „Nonnulli (ait) certas & definitas horas conſtituunt „precationi, ut verbi cauſa, Tertiam, Sextam, Nonam. At is, qui eſt „cognitione præditus, per totam orat vitam, dum per preces ſuas cum „Deo verſari ſtudet.“ Auctor *Conſtitutionum apoſtolicarum* horas canonicas pro publico divino officio easdem deſignat, quæ ſemper hactenus in eccleſia ſolemnes fuerunt circa auroram, hora tertia, ſexta, nona, veſpere & circiter gallicinium. Uſus potiſſimum eccleſiaſticus habet, ut per gallicinium primus *pullorum cantus*, prout haud raro appellatur, circa mediam noctem deſignetur. Sed pro diſtributione vigiliarum noctis etiam in ipſis nocturnis ſynaxibus diſtinctio aliqua facta fuit: quo referri poteſt illud eiusdem Clementis *Alexand. ſæpe etiam noctu de lecto ſurgendum eſt*, *Deusque eſt laudandus.* S. Basilius in regulis fuſius diſputatis noctis initium, mediam noctem, & ante diluculum determinat. In antiphonario, quod ex codice mille annorum Bibliothecæ *Ambroſ.* edidit Muratorius T. IV. *Anecd.* putatque a diſcipulis S. Columbani in *Italiam* delatum eſſe, habentur hymni & preces *mediæ* & *ad initium noctis.* Poſteriores vero forte noſtro completorio reſpondent *ad initium noctis*, cum poſt horas diurnas, atque etiam veſperas, in illo antiphonario proxime ponantur preces illæ.

Horæ canonicæ diſtinctæ. *De Orat. c. 23.* *Lib. VII. Strom.* *Lib. VIII. c. 34.* *Pædag. c. 9.* *C. 37.* *pag. 133. 143. 144.*

Diſtinguitur vero ibidem tantum *matutinum* a *nocturno*, quod eſt ipſum officium mediæ noctis. Nec etiam diſcretio temporis in officio vigiliarum notatur a S. Benedicto, prout diſtinguuntur nocturnæ duæ, aut tres vigiliæ, licet haud raro diſtinctis etiam agerentur vicibus: cuius rei hodieque quædam indicia notaverunt De-Moleon, ac De-Vert: inter alia, quod diverſa nonnunquam habuerint officia, ut primum & ſecundum nocturnum de uno feſto, tertium de altero caneretur, quod in

Voyage liturg. p. 125. *Explic. des Cerem. T. II p. 248. ſq.*

Digitized by Google

in libello noſtro de eccleſ. off. fere ex *Micrologo* expreſſo improbatur: *Eo enim pacto, ſi utrique feſto ſatisfacere niteremur, neutrum debita officiorum reverentia celebraſſe convinceremur.* Nihilominus ita diſpoſitum officium haud raro reperi in monumentis *Alemannicis*, concurrentibus feſtis præſertim in dominica, idque paſſim præſcriptum reperi in Mſc. ord. operis Dei noſtri monaſterii, qui adhuc ſæc. XVI. fuit uſitatus. Notat idem De-Moleon hodieque in eccleſia *Senenſi* peculiare ſignum ad ſingulos nocturnos dari, quod ſane indicium eſt diſtincti officii. Sic

T. I. p. 159. in capitulari Caroli M. an. 801. præſcribitur c. 8. *Ut omnes ſacerdotes horis competentibus diei & noctis ſuarum ſonent ſigna eccleſiarum, & ſacrata Deo celebrent officia, & populos erudiant, quomodo aut quibus Deus adorandus eſt horis.* Et in concilio *Aquisgr.* an. 816. in quo edita eſt

T. I. Conc. Germ. p. 507. forma inſtitutionis canonicorum c. 131. *Ut canonici horas canonicas religioſe obſervent*, præcipitur. *Cuſtodes præterea eccleſiæ harum horarum diſtinctiones bene norint, ut ſcilicet ſigna certis temporibus pulſent.*

Nocturnæ & matutinæ.

V. Solent etiamnum tali ſigno diſcerni apud nos matutinæ laudes a vigiliis nocturnis, quæ iuxta inſtitutionem S. Benedicti diſcretis temporibus fiebant, nunc autem coniungi ſolent more *Romano*, de quo Amalarius teſtatur in prol. de ordine antiphonarii. „Interrogavi (inquit) ſi „ aliquid dicerent magiſtri *Romanorum* inter interſtitium nocturnalis officii & matutinalis? Reſponſum eſt mihi, Nihil, ſed continuo poſt nocturnale officium dicunt, *Deus in adiutorium meum intende.*" In an-

Murat. T. I. lit. Rom. p. 371. tiquiſſimis ſacramentariis notantur *Orationes matutinæ vel ad veſperum*, prout titulus habet in ſacramentario *Leonino*, ſimilisque apud Pamelium

Ib. p. 743. T. II. p. 381. ponitur. Diſtinguuntur nihilominus in utroque *Orationes*

T. III. opp. S. Greg. p. 201. 203. *ad veſperum*, prout in *Gelaſiano* & *Gregoriano* plures notantur, pariter ac in noſtris antiquiſſimis ſacramentariis *Alemannicis.* Nota vero in ſacramentario S. Eligii poſt orationes matutinales plures novum titulum: *Item ad matutinos luceſcente die.*

Lit. Gall. p. 110. Matutinorum nomine aliquando laudes matutinas aliquando ipſas vigilias ab antiquiſſimis temporibus veniſſe, Mabillonius obſervavit in lectionario *Gallicano.* Ubi diſcriminis iſtius teſtimonia ex Gregorio *Tu-*

p. 421. *ronenſi* affert; ambo tamen, quæ affert, loca pro ipſis vigiliis melius ſumuntur, uti etiam conciliorum *Galliæ Turonenſis* II. & *Venetici* in diſq. de curſu *Gall.* Ubi notat, duplicis fuiſſe generis nocturnas preces: alias vigilias in ſolemnioribus feſtis uſitatas, ſic dictas, quod ab ineunte, aut certe a media nocte circiter initium ducerent; alias matutinas in profeſtis & dominicis, quibus tardius nocturnæ preces perſolvebantur. Cum vero diſcrimen iſtud haud

eſſet

Digitized by Google

eſſet apud monaſticos cœtus, hinc eſt, quod in regulis monaſticis, veluti S. Benedicti, Aureliani, & Isidori matutini a nocturnis vigiliis diſcernantur, atque etiam apud Cassianum duplici in ſenſu ſumatur matutina ſynaxis pro officio laudum, ac alterius adhuc horæ, quæ Prima poſtea fuit dicta. Dum vero S. Benedictus iuxta exemplum veterum monachorum officium dominicæ longius trium ſcilicet nocturnorum, ac duodecim lectionum inſtituit, ut hinc uſque ad auroram produceretur, factum tunc, ut Matutinæ Laudes, quæ iuxta ipſum *illuceſcente luce dicendæ ſunt*, nocturnis vigiliis coniungerentur in æſtate.

VI. In capitulari noſtro ordinis eccleſiaſtici ſic deſcribitur nocturni ac matutini officii ratio. „Cum pulſatum fuerit aliud ſignum ad pſallen„dum, parati ingrediuntur monachi, & prior ſtatim dicit prolixe *Do„mine labia mea* ſub *Gloria Patri* lente decantandus & in finem *Alle„luia*. . . . Nocturnis autem finitis, ſi lux ſtatim non ſupervenerit, fa„ciunt modicum intervallum, & iterum ingrediuntur ad matutinas lau„des explendas, ſi autem quotidianus dies fuerit tempore hiberno poſt „nocturnis finitis iterum pauſantes uſquequo lux aparere incipiat, & ſic „ingrediuntur ad celebrandum matutinorum laudibus.“ Prius officium præſcribitur, *ſi dominica, vel aliqua grandis ſolemnitas evenerit.* In regula Chrodegangi deſignantur eiusmodi præcipuæ ſolemnitates: „Id eſt „in Natali, & in octava, & in Epiphania Domini, & in Pentecoſte & „in Sanctorum feſtivitatibus, id eſt, S. Stephani & S. Ioannis evangeli„ſtæ, & in feſtivitate Infantium, & in Purificatione & in Aſſumtione S. „Mariæ: ſimiliter in beatorum apoſtolorum feſtis, & S. Ioannis Bapti„ſtæ, & S. Laurentii, & S. Martini, ſive & in natali cuiuslibet ſan„cti, cuius honor in qualicunque parochia ſpecialiter celebratur, plena„rium officium celebretur, & bis reficiatur.“ Idem habes in conventu *Aquisgranenſi* an. 817. In ſtatutis Sturmii abbatis *Fuldenſis* ſeu ordine officii in domo S. Bened. hæc notantur: „In his feſtivitatibus fiunt XII. „lectiones & dicitur *Dominus regnavit:* Paſcha, Aſcenſio Domini, Pen„tecoſten, S. Iohannis Baptiſtæ, S. Petri, S. Laurentii, S. Mariæ, „S. Martini, Nativitas Domini, Epiphania Domini, octabas Domini, „octabas Epiphaniæ, Purificatio S. Mariæ, Nativitas, S. Faustini & Io„vitæ & depoſitio S. Benedicti abbatis & S. Gregorii Papæ & S. Ger„mani epiſc.“

Pro feſtivitatum ratione. *Cap. 74.* *T. II Conc. Germ. p. 6.*

Eſt hoc iuxta regulam S. Benedicti c. 14. *In Sanctorum feſtivitatibus, vel omnibus ſolemnitatibus, ſicut diximus dominico die agendum, ita agatur.* Quæ ita explicat Amalarius in ſupplemento apud *Analect. pag. 94.*

Mabillonium: „Solemnitates enim intelliguntur hic eſſe appellatæ, quæ „ proprie de domino celebrantur: ſicut eſt natale Domini & octavæ eius„ dem; Epiphania Domini & octavæ; Hypapante Domini, annuntiatio „ Domini, ſanctum paſcha, octavæ eiusdem, aſcenſio Domini, octavæ „ eius, Pentecoſten, octavæ eius. At vero pſalmos aut antiphonas vel „ lectiones ad ipſum diem pertinentes inſtituit S. Benedictus recitari. Un„ de, ubi proprietas ſolemnitatis in ipſis dominicis diebus invenitur, ip„ ſa attenditur, utputa in dominicis per adventum quinquageſimus cum „ *Alleluia* non dicitur, quia antiphonæ ſunt pertinentes ad ipſum diem: „ pſalmi etiam *Dominus regnavit* & *Iubilate*, ad ipſum reſpiciunt tem„ pus &c.“ Qui notabilis eſt locus de eo maxime, quod hodieque controverſum eſt circa S. Benedicti verba de eiusmodi ſolemnitatibus: *Excepto quod pſalmi aut antiphonæ vel lectiones ad ipſum diem pertinentes dicantur.* Quæ cum inde videantur plana, quod antiphonæ vel lectiones ad ipſum diem pertinentes propriæ dicendæ præſcribantur, ut id etiam de pſalmis, quos iungit, videatur tenendum; ſunt tamen, qui pſalmos de feria in eiusmodi ſolemnitatibus ſumant, uti in *Cluniacenſi* & noviſſimo SS. Vitonii & Hydulphi breviario præſcribitur; contrarium autem ex allato Amalarii loco patet olim factitatum, ſic etiam in antiquiſſimo breviario ordinis eccleſiaſtici aſſignantur ipſis etiam in dominicis proprii pſalmi & cantica, quando huiusmodi feſtivitates in dominicis celebrantur. „Quodſi in dominica natales venerint tam in adventu, quam „ & omni tempore, pſalmi cum eorum paſſionibus & geſtis cum reſpon„ ſoriis & antephonis de iſtis pertinentibus canuntur.“ Notarunt hoc etiam

T. III. p. 145. editores S. Gregorii ex Congregatione S. Mauri ex veteri ſacramentario *Gemeticenſi*, ubi deſcribitur totum officium nocturnum de dedicatione, aſſignatis duodecim pſalmis cum ſingulis antiphonis ex præſcripto reg. S. Benedicti. Pſalmi autem non ſumuntur de Feria, ſed ex diverſarum feriarum pſalmis delecti ſunt.

Succeſſu temporis dum pleraque feſta ſanctorum ritu dominicali cum tribus nocturnis & duodecim vel novem lectionibus celebrari cœperunt, quod S. Benedictus maxime volebat, ut integrum per ſingulas hebdomadas pſalterium abſolveretur, id neglectui habitum eſt. Rupertus *Tuitienſis* lib. I. *de div. offic.* c. 10. *de ordine horarum in feſtivitatibus* indiſcriminatim de diebus dominicis & natalitiis Sanctorum, absque diſtinctione inter feſtivitates ſeu ſolemnitates ſequentem in modum loquitur: „Tunc „ & vigilias in tribus diſpartimur nocturnis, ut non ſolum verbo, ſed „ etiam facto tres vigilias prædicemus. . . Tunc legendi atque canendi of„ ficia, quæ ad ædificandam eccleſiam inſtituta ſunt, numeroſius concre-

„ pant

Digitized by Google

„ pant &c.“ In Mſc. ordine divini officii chori præpoſituræ *Turicenſis* an. 1260. citatur in hanc rem decretum Gregorii VII. „Omnium ſan- „ ctorum *Romanorum* pontificum & martyrum feſtivitates ſolemniter cum „ pleno officio celebrentur iuxta decretum Gregorii VII. Quod tamen „ eccleſia *Turicenſis* non per omnia obſervavit.“ Legi merentur, quæ Radulphus *Tungrenſis* Propoſ. XVII. & ſequentibus de canonum obſervantia differit, ut non faciliter multa feſta ſub novem lectionibus acceptentur, atque allatam rationem inter alias maxime urget. „Paucæ (in- „ quit) debent eſſe feſtivitates, & multæ feriæ ſeu dies Sanctorum trium „ lectionum. Sit etiam ad hoc ſumma ratio, ut pſalterium continuetur, „ in quo principaliter officium exiſtit, ut ſuperius eſt probatum. Et ſi „ bene computes & ordines, non erunt tot feſtivitates in anno, ſicut ſunt „ dominici dies. Quia ſervi non debent eſſe ſupra eorum Dominum, „ nec diſcipuli ſupra magiſtrum. Et credendum eſt huiusmodi obſerva- „ tionem magis gratam eſſe ipſis Sanctis Dei ad finem, ut pſalterium, „ ſacra ſcriptura, officium mortuorum, ſeptem pſalmi pœnitentiales, quin- „ decim pſalmi graduales & huiusmodi ſerventur iuſto ordine, & pau- „ cæ fiant feſtivitates. Non enim Sancti Dei appetunt indebitas laudes, „ ſed ut rationabile fiat obſequium noſtrum.“ Sequenti propoſitione XVIII. idem urget allato etiam loco ex regula S. Benedicti primum laudato de pſalmis antiphonis & lectionibus ad ipſum diem pertinentibus, quos dicit *dies Sanctorum cum novem lectionibus, qui feſtivitates appellantur*, de reliquis ita proſequitur: „Similiter obſervationes Sanctorum „ trium lectionum ſequi debent modum privatum officii ferialis, ut in- „ fra declarabitur. Et iſte eſt decor divini officii in utrisque, ut domi- „ nicalia in feſtivitatibus, & ferialia ſeu privata in diebus Sanctorum trium „ lectionum ſerventur. Et ſi prærogativæ dominicales & privilegia no- „ vem lectionum ad dies privatos applicarentur, ex hoc officium detur- „ pabitur, & deordinabitur ipſe ordo.“ Iterum hic culpam in Fratres *minores* reiicit. Nec ſatis congrue profecto feſta *Romana* urbi ac eccleſiæ ſingularia (cum Sanctis abundet, quorum ibi merito ſolemnior poteſt eſſe feſtivitas) eadem in aliis eccleſiis per diverſas regiones aguntur, quibus, ſi patroni, ac ſancti locales, ac diœceſani addantur, facile in tantum numerum feſtivitates excreverunt, ut curſus præſertim pſalterii per hebdomadam omnino ſiſtatur, quod tamen tempore Radulphi non adeo pervagatum fuit, nec, ut fiat, mens eſt *Romanæ* ſedis. „Sedes apoſto- *Prop. 22.*
„ lica (inquit) nobis aſſignat feſta novem lectionum generalia, & de „ localibus commiſit diœceſano mutanda, ut ſupra propoſitione decima „ ſeptima. Unde apud omnes religiones & nationes ultra novem lectio-

„ nes generales paucæ conſtitutæ ſunt locales, & multæ trium lectionum.
„ Sed fratres hodie omnes eorum Sanctos & octavas maiores ſervant ſub
„ novem lectionibus, & nullos ſub tribus.“ Quacunque autem ex origine id ſit, alumnis ſane S. Benedicti cordi eſſe deberet, ut pſalterii per hebdomadam curſum, meliori, quo poſſunt modo, ad mentem ſanctiſſimi legislatoris explerent, qui, paucis conſtitutis feſtivitatibus duodecim lectionum, ſervaretur.

De tribus vero lectionibus, quas ipſas S. Benedictus in æſtate ob brevitatem noctis in unam brevem redigit, ceſſante ea ratione, ſiquidem ſacræ ſcripturæ lectiones continuentur, & ubi ſincera habentur geſta Sanctorum, facilis erit venia, locumque habere poteſt, quod apud Amalarium in ſupplemento legitur: „In quibusdam autem monaſteriis monachorum etiam propter conſuetudinem *Romanam*, ne penitus ab ea diſcrepent, ut hiſtoriam veteris inſtrumenti plenius in eccleſia legant, æſtatis tempore feria tantum ſecunda, quarta & ſexta, tres lectiones aguntur, & aliis tribus diebus, niſi Sancti alicuius memoria fuerit, propter obſervationem regulæ ſancti Benedicti, una contentum eſt. Hanc autem inſtitutionem ſanctiſſimus Benedictus a paſcha uſque ad ſolemnitatem omnium Sanctorum, videlicet a Kalendas *Novembris*, agi decrevit: in nonnullis tamen cœnobiis ab *Octobrio* menſe anticipantur. De quibus nihil eidem ſancto Benedicto diſplicere putatur, ſi in divino cultu plura, quam ipſe inſtituit, accreſcere malunt. Nam propter imbecillam fragilitatem quorumdam, quibus ſomnolentia facilius ſurrepit, ſicut de Invitatorio directaneo, putandus eſt unam ſtatuiſſe lectionem.“ Nota demum in loco paullo ante allato ex ord. officii in domo S. Benedicti poſt recenſita feſta XII. lectionum ſubdi, *In reliquis autem Sanctorum feſtivitatibus VIII. lectiones.* Nullum additur diſcrimen hyemis vel æſtatis. Lectiones autem has ex Sanctorum geſtis fuiſſe exiſtimo.

Analect. Mabill. p. 99.

Vetus horarum canonicarum dimenſio.

VII. Quoad horas diurnas perſeveravit ubique vetuſta in eccleſia eas connumerandi ratio, quæ hodieque in *Italia* familiaris eſt, ut ab ortu ſolis uſque ad occaſum horæ duodecim menſurentur, quas adeo inæquales eſſe neceſſe eſt, prout longior aut brevior eſt dies. Operæ pretium ducimus hic deſcribere ex duobus codicibus antiquiſſimis horarum diſtributionem ſecundum menſtruas ſolis reſolutiones. Quorum alter eſt codex homiliarum *Ottoburanus* mille circiter annorum, alter nongentorum ſacramentarium *ſan-Gallenſe*, quod cum antiquiſſimo *Rhenaugienſi* congruit, atque in fronte horologium iſtud habet, quale apud Bedam occurrit in lib. de ratione temporum. Edidit ſimile Menardus in no-

tis

Digitized by Google

tis ad ſacramentarium *Gregorianum* ex codice *Corbeienſi.* Hæcque de eius uſu monentur: „Studeant ſummopere canonici prædictas horas vi„gilantiſſima cura cuſtodire, & in his divinum officium humiliter ac de„vote perſolvere. Mox enim, ut datum fuerit ſignum feſtinato omnes „ad eccleſiam conveniant, ſigna certis temporibus pulſent.“ Determinat ſingulas diei horas ſicut *ſan-Gallenſe*, *Ottoburanum* autem horas tantum canonicas. a) *Not. 693.*

VIII. Dum vero diximus horologium *Ottoburanum* ad uſum potiſſimum horarum canonicarum eſſe comparatum, *Iſtarum dico communium,* ut cum Tertulliano loquar, *quæ diei interſpatia ſignant, Tertia, Sexta, Nona, quas ſolemniores in ſcripturis invenire eſt;* quia tamen *ſan-Gallenſe* ad S. Bedæ horologium conformatum eſt, qui in *Anglia* vixit, juxta antiphonarium *Benchorenſe* apud Muratorium uſum hunc etiam habuit quoad horam ſaltem ſecundam, ad quam ibi pariter atque ad Tertiam, Sextam, & Nonam collecta habetur. Crediderim eandem reſpondere *Earum officium liturgicum.* *De orat. c. 25.* *T. IV. Anecd. p. 142. 144.*

OTTOBURANUM.

a) *In nom. Domini incip. Orelegium omnium menſuum.*

Ianuar & Decembr. *Ora prima & XI. ped. Ora tertia & nona ped. XV. ora ſexta ped. IX.*

Febr. & November. *Ora prima & XI. ped. Ora tertia & nona ped. XIII. Ora ſexta ped. VII.*

Mart. & Octobr. *Ora prima & XI. pedes. Ora tertia & nona XI. Ora ſexta ped. V.*

Aprilis & Septemb. *Ora prima & XI. ped. Ora tertia & nona ped. X. Ora ſexta ped. IV.*

Maius & Auguſt. *Ora prima & XI. ped. Ora tertia & nona ped. VIIII Ora ſexta ped. III.*

Iunius & Iulius *Ora prima & XI. ped. Ora tertia & nona ped. VII. Ora ſexta ped. II.*

SAN-GALLENSE.

Ianuar. & Decembr. *Hora I. & XI. ped. 29. hora II. & X. ped. 19. hora III. & VIIII. ped. 17. hora IV. & VIII. ped. 15. hora V. & VII. ped. 13. hora VI. ped. 11.*

Februar. & Novemb. *Hora I. & XI. ped. 27. hora II. & X. ped. 17. hora III. & VIIII. ped. 15. hora IV. & VIII. ped. 13. hora V. & VII. ped. 11. hora VI. ped. 9.*

Martius & Octob. *Hora I. & XI. ped. 25. hora II. & X. ped 15. hora III. & VIIII. ped. 13. hora IV. & VIII. ped. 11. hora V. & VII. ped. 9. hora VI. ped. 7.*

April & Septemb. *Hora I. & XI. ped. 23. hora II. & X. ped. 13. hora III. & VIIII. ped. 11. hora IV. & VIII. ped. 9 hora V. & VII. ped. 7. hora VI. ped 5.*

Maius & Auguſt. *Hora I. & XI. ped. 21. hora II. & X. ped. 11. hora III. & VIIII. ped. 9. hora IV. & VIII. ped. 7. hora V. & VII. ped. 5. hora VI. ped. 3.*

Iunius & Iulius. *Hora I. & XI. ped. 19. hora II. & X. ped. 9. hora III. & VIIII. ped. 5. hora V. & VII. ped. 3. hora VI. ped. 1.*

Cum hora prima canonica proxima poſt Solis ortum hora cani ſolita ſit, & quidem iuxta Capitulare noſtrum ord. eccl. hora diei prima expleta, aut etiam expleta ſecunda, opus haud fuit eius menſuram in priori tabula *Ottoburana* apponere, quæ ad ſolas canonicas horas comparata eſt. Diſcrimen autem utriusque ex Gnomonis diverſitate eſt ad umbram deſignandam, qui pede altior in *ſan-Gallenſi* eſt.

Digitized by Google

dere Primæ canonicæ, quæ ut modo ex capitulari ordinis eccl. obſervavimus, hora prima vel etiam ſecunda expleta agi ſolebat. Eadem in li-
Lit. Gall p. 130. turgia *Gallicana* notatur veluti in Lectionario *Luxovienſi legenda ad ſecunda* in Paraſceven. In miſſali *Gothico* in Bid. die ſabbati ad *Se* (Mabil-
p. 353. lonius ſimiliter ſuſpicatur quidem legendum ad *Sextam* veluti præcedunt orat. ad *Sextam* & *Nonam*) nihilominus etiam notatur in miſſali *Gallicano* inter orationes in biduana *Oratio ad ſecunda*, quæ immediate præcedit Orationem *ad Tertia*, *ad Sexta*, *ad Nona*. Et dein poſt orationem in veſpera paſchæ ſequitur *oratio ad duodecima*, quæ ipſa in Miſſali
p. 337. *Gothico* inſcribitur *Præfatio ad initium noctis paſchæ*. Et in eodem miſſali *Gallicano* præcedit titulus: *Incipiunt orationes ad initium noctis Natalis Domini. Iſta ad duodecima.* In concilio *Turon.* II. an. 567. can. 18. ad duodecimam duodecim pſalmi decantandi aſſignantur. Ad cal-
T. I. Muſ. Ital. P. II. p 396. cem ſacramentarii *Gallicani* inter horas canonicas poſt nonam recenſetur *undecima & duodecima*, uti etiam ſubinde in veteribus regulis monaſticis apud Holstenium & Menardum in Concordia regularum, diver-
p. 179. ſæ per diem, veluti in regula Fructuosi ſecunda, tertia, quarta, quinta,
Lit. Rom. T. I. p. 375. ſexta, ſeptima, octava, nona, decima, undecima. In ſacramentario *Leonino* apud Muratorium titulus eſt: *Incipiunt preces diurnæ cum ſenſibus neceſſariis.* Quarum una inter orationes quotidianas in ſacramentario *Gregoriano* occurrit.

Paſſim vero in noſtris antiquiſſimis ſacramentariis plures ponuntur in præcipuis feſtis, quas quoque in antiquiſſimo codice *San-Gallenſi* ſeparatim reperi. Præterea etiam generales orationes in ſecunda parte antiquiſſimi ſacramentarii *ad Primam*, *Tertiam*, *Sextam*, *Nonam* cum aliis *ad Matut. & Veſper.* ponuntur. Quæ vero in ſecundo noſtro ſacramentario habentur ſub titulo *aliæ orationes*, in *Rhenaug.* altero inſcribi ſolent *ad Pri-*
T. III. opp. p. 744. 745. 875. 876. T. II. p. 545. *mam*, *ad Tertiam &c.* Uti in reſponſali S. Gregorii. Et apud Pamelium in append. lib. III. ſingularis eſt titulus: „Orationes ad horas canonicas. *Ad Primam*, *Deus qui ad principium iſtius diei &c.*" eadem fere, quæ hodieque in uſu eſt, quamque in breviario mſc. noſtræ bibliothecæ ſæc. XIII. notatam inveni. *Privatis diebus ad Primam.* Ubi præter orationes peculiares ad ſingulas horas canonicas peculiaris aſſignatur „Dominicis diebus ad Primam oratio: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui dediſti famulis tuis in confeſſione veræ fidei &c.* Quæ eſt oratio in feſto SS. Trinitatis, & ita etiam in margine notatur, ac forte propter ſymbolum S. Athanasii adhiberi conſueverat. Sequitur in eodem breviario mſc. „In omnibus XII. Lect. præter dominicam hæc oratio ad Primam. *In hac hora huius diei tua nos quæſumus Domine reple miſericordia, ut per to-*

tum

Digitized by Google

„ *tum diem exultantes in tuis laudibus delectemur. Per.*“ Sequuntur aliæ orationes, ſingulæ ad ſingulas horas. Nota vero, quod in Capitulari ord. eccleſ. dicitur: „Iſta prima ibi cantatur, ubi dormiunt, & ibi pro invi- „cem capitulo dicto orant, ſtatim ibi ſedent, & prior cum ipſis, & ibi le- „gunt regulam S. Benedicti, & a priore, vel cui ipſe iuſſerit per ſingo- „lus ſermonis exponitur, ita ut omnes intelligant, ut nullus frater ſe de „ignorantia regulæ excuſare poſſit. Inde accepta benedictione vadunt ſi- „bi ad ciandum (calceandum) vel veſtiendum atque labare (lavare) & „habent ſpacium ad hoc faciendum uſque ad horam tertiam. Si eſt con- „ſuetudo apud ipſos, ut ille archiclavius, qui claves eccleſiæ ſive miniſte- „rium ſanctum ſub cura ſua habet, ipſe cuſtodit & horas canonicas ad „curſum celebrandum, quando ſignum pulſare debeat &c.“ Quoad reli- quas horas minores nihil ſingulariter in noſtris monumentis occurrit me- morandum, quæ quoad pſalmos, capitula, reſponſoria brevia ſeu ver- ſiculos fixum habent ordinem ſecundum temporum ſeu feſtorum rationem, de quibus dicemus ſingulatim.

IX. Pſalmi ad veſperas iuxta ſuperius dicta per decurſum pſalterii pa- riter ac ad laudes & vigilias dici deberent. Imo cum propriæ non habean- tur ad feſtum pertinentes in laudibus & veſperis, eadem ſuadente ratione, pſalterium curſum ſuum ordinarium opportune ac regulariter haberet. No- tantur autem nonnunquam pſalmi peculiares in præcipuis feſtis, veluti in reſponſali *Gregoriano* in veſperis Natalis Domini, & alibi paſſim in ſo- lemnitatibus notatos reperi pſalmos quatuor, qui a *Laudate* incipiunt cum rubrica, *antiphona ad omnia Laudate*, uti in ord. noſtro operis Dei ſæc. XIV. atque etiam in impreſſo directorio divini officii diœceſ. *Conſtantien- ſis.* Pſalmi illi ſunt, *Laudate pueri. Laudate Dominum omnes gentes. Lau- date Dominum quoniam bonus. Lauda Ieruſalem.* De qua tota re Ra- dulphus *Tungrenſis* ita loquitur: „Pſalmi quoque veſpertini quotidie ad „pſalterii complementum continuari debent: ſalvo, quod de Nativitate „Domini, de apoſtolis, de ſancto Stephano in antiphonario *Romano* pſal- „mi cum antiphonis propriis habentur. Et quando dominicales in heb- „domada Paſchæ & Pentecoſtes, in die aſcenſionis perſolvuntur. In fe- „ſtivitatibus quoque ad ſecundas veſperas, fratrum minorum uſus ponit „pſalmos dominicales, ultimo ſecundum feſtivitatem mutato. *Gallici* ve- „ro in maioribus feſtivitatibus per pſalmos *Laudate* ſolemnizant: ſed *Ale- „manni*, ubi poſſunt, ſe tenent ad feriales.“ Et poſtea cum notaſſet etiam in feſtivitatibus, novem ſcilicet lectionum, ad primas veſperas pſal- mos feriales cum antiphonis ferialibus, niſi propriæ habeantur, „Ad ſe- cun-

De Veſperis

T. III. opp. S. Greg. p. 744.

Prop. 18.

Prop. 18.

„ cundas veſperas (inquit) omnes antiphonæ de laudibus ſuper pſalmos „ feriales repetuntur: niſi feſtivitas habeat ſpeciales, ſicuti de apoſtolis, „ & ſecundum multorum uſum de aliquibus aliis quidam ſervant.“

De Completorio. X. Dum vero nihil frequentius in antiquis ſacramentariis, quam orationes *ad veſperum* veluti etiam *ad matutinum*, utpote quæ ſolemnia ſunt officia, vix tamen de Completorio occurrunt, quod in eccleſia publice fieri non ſemper conſuevit. In ſolo ſacramentario *Eligiano* notantur orationes *ad Completorium.* Modum habes in antiquiſſimo noſtro Capitulari T. III. opp. S. Greg. p. 201. ordinis eccleſiaſtici huiuscemodi: „Completurio autem tempore æſtatis, „quomodo ſol occumbit, colliguntur ad collecta; tangit autem frater, cui „eſt cura iniuncta, cimbalum aut tabulam, & colliguntur fratres in unum lo„cum, & Prior ipſorum cum ipſis ſedens, & omne ſive æſtate ſive hiber„num tempore, ſemper lectionem ad collectam leguntur, & ibi fructum, „quod eis dederit, manducantur & bibent, poſtea pulſato ſigno canun„tur completurio, ubi dormiunt in dormiturio, & extremo verſo dicun„tur, antequam dormiant hæc eſt *pone Domine cuſtodiam ori meo*; & Act. ord. S. Bened ſæc. V. p. 427. „tunc vadunt cum ſilentio pauſare in lectula ſua.“ In vita S UDALRICI *Auguſtani* epiſc. narratur de quadrageſimæ tempore: „Cibo vero conſum„to & omnibus cum eo commorantibus lætificatis, congruo tempore „completorium recitavit, inſuper aliis orationibus peractis ſecreta cubiculi „cum ſilentio repetivit.“ *Carthuſiani* hodieque completorium privatim Voy. lit. p. 251. in cellis recitant. Quod etiam alicubi apud Canonicos notat de MOLEON, ac in breviario *Aurelianenſi* duas orationes completorii alteram *Illumina*, pro eccleſia, alteram *Viſita*, pro cubiculo.

CAP.

Digitized by Google

CAPUT II.

De ſingulis partibus Horarum canonicarum.

I.

Pſalterii uſus continuus in curſu canonico.

Divina pſalmodia nomen habet a pſalmis, *qui quodam privilegio deitatis ſacrati habentur laudibus*, ut ait anonymus monachus *Ratisbonenſis* præfat. ad Rathericum epiſc. *Ratisb.* in tr. *de benedictione Dei* ſc. quomodo Deus per pſalmos benedicendus atque laudandus ſit. Nihil frequentius inter monumenta liturgica occurrit, quam pſalmorum codices ſecundum ordinem cum canticis, nonnunquam immixtis antiphonis ferialibus, frequentius autem & iisdem omiſſis præſertim in antiquioribus Mſſ. Cuiusmodi paſſim religioſe ſervantur, veluti *Pariſiis* S. Germani, cui creditur in uſu fuiſſe ſæc. VI. *Vindobonæ* Caroli M. totum aureis litteris exaratum, quod Hadriano I. P. dono miſit, ut ex præmiſſis verſibus dedicatoriis patet:

Hadriano *ſummo papæ patrique beato*,
Rex Carolus *ſalve, mando, valeque Pater &c.*

Alia obtinuerat in *Gallia* pſalterii translatio, quam *Romæ*, ut Beda præfatione in pſalterium notavit. „Sciendum (inquit) pſalterii translationes „ eſſe duas apud *Latinos* in uſu, atque honore, *Romanam* ſcilicet & *Gallicam*. *Romana* eſt, qua utuntur *Romani* & plerique *Italici*, quæ de „ *Græco* in *Latinum* a Symmacho & Aquila ſumta eſt ſecundum LXX. „ interpretes Ptolomæi regis: *Gallica* vero eſt, qua præcipue *Galli* utun„ tur. Hæc autem præcipue ſumta eſt rogatu Damasi Papæ a beato Hie„ ronymo de *Hebræo* in *Latinum* ad intentionem. Fecerat enim Hiero„ nymus prius translationem ſimiliter de *Hebræo* ſumtam ad litteram: „ verbum ſcilicet ex verbo transferens ſimpliciter, quæ parum perfecta „ erat linguæ diſparitate.“ Quamvis vero nihil antiquius eſſet Carolo M. quam officia divina ritui *Romano* conformare (de quo etiam teſtatur in eius vita Eginardus: *Legendi atque pſallendi diſciplinam diligentiſſime*

 emen-

emendavit, erat enim utriusque admodum eruditus) nihil tamen hic mutatum eſſe ex WALAFRIDO *de rebus eccleſ.* colligitur: „Pſalmos autem „(ait) cum ſecundum LXX. interpretes *Romani* adhuc habeant, *Galli* & „*Germanorum* aliqui ſecundum emendationem, quam HIERONYMUS pa- „ter de LXX. editione compoſuit, pſalterium cantant. Quam GREGO- „RIUS *Turonenſis* epiſcopus a partibus *Romanis* mutuatam in *Galliarum* „dicitur eccleſiam transtuliſſe.“ Imo adhuc RADULPHUS triplicem diſtinguit. „Notandum vero (inquit) quod AMBROSIANI utuntur ſpeciali „translatione pſalterii: *Romani* autem habent translationem B. HIERO- „NYMI, quæ *Romana* appellatur, ex qua officium eccleſiæ eſt ſumtum. „Aliæ nationes utuntur translatione HIERONYMI, quæ dicitur *Gallicana*, „quam nos habemus. Et hanc apud paucos bene correctam & diſtin- „ctam invenietis, niſi in antiquis pſalteriis apud *Carthuſienſes*.“ BEDA præfat. in pſalterium diverſitatem translationum ſuo tempore in uſu non agnoſcit, eccleſiaſtico ſcilicet, in officiis divinis reſpiciendo interpretationem S. HIERONYMI accurate ad *Hebræam* veritatem expreſſam: qua in pſalmodia publica raro per eccleſiam utebantur, priſcæ verſioni nimium aſſueti, ut SCHILTERUS adnotavit in præfatione ad NOTKERI pſalterium cum verſione *Theotiſca*, qui haud raro duas affert verſiones. SIXTI V. & CLEMENTIS VIII. cura emendata eſt ſecunda illa S. HIERONYMI editio ſeu correctio ex LXX. intt. Card. BONA *Rer. liturg.* lib. II. c. 3. & poſt eum VEZZOSIUS præfat. in T. II. opp. Ven. Card. THOMASII introductionem quandam HOLSTENII integram affert in notas proprias & hoc pſalterium *Romæ* ex codicibus & editionibus variis pſalmorum iuxta LXX. intt. verſionem *Græcam*: cuius errores maxime conſpicuos iuſſu DAMASI correxerit. „Sed (ſubdit HOLSTENIUS) quia etiam ſic correcta verſio il- „la in pluribus non correſpondebat fontibus *Hebraicis*, S. HIERONYMUS „novam de integro confecit verſionem prioribus duabus fideliorem, quæ „inter eius opera habetur. In bibliorum tamen corpus recepta non eſt, „quod priores duæ quotidiano uſu in eccleſia frequentatæ, non ſine „magna officii divini perturbatione abrogari poſſent.“ Addit VEZZOSIUS decretum *Romæ* an. 1651. editum: emendandum eſſe pſalterium iuxta codd. MSſ. antiquos, repertos in archivo baſilicæ *Vatic.* & ſecundum adnotationes factas a D. HOLSTENIO, quæ in prædicto archivo aſſervantur. Hoc pſalterium *Romanum* appellatur, quod unacum *Gallicano* perinde etiam ex verſione *Græca* LXX. compoſitum Card. THOMASIUS edidit iuxta fidem antiquiſſimi codicis cum ſignis illis, quæ etiam ſubinde in antiquis codicibus *Alemannicis* reperi, ut iam annotavi, exponitque S. HIERONYMUS in præfat. ad PAULAM & EUSTOCHIUM. Notandæ etiam ſunt bre-

c. 25. *De canon. obſerv. prop. 8.* *pag. VI.* *pag. VII.*

Digitized by Google

breviores verſuum diſtinctiones, quam nunc habentur. Modus ille antiquiſſimus eſt. a) a

Incertum autem an de illo, an de noſtro intelligendum Capitul. T. I. Conc. *Germ.* p. 418. c. 28. ubi epiſcopi iubentur diſcutere per parochias, *ut pſalmi digne ſecundum modulationes verſuum modulentur.* In ſermone ſynodali, qui editus eſt T. XI. ed. *Venet.* p. 1077. ſic præcipitur: *Pſalmorum verba & diſtinctiones regulariter ex corde cum canticis conſuetudinariis pronuntiare ſciat.* Edidit etiam Thomasius diſtributionem pſalmorum **T. III. p. 1.** & canticorum in officia nocturna atque diurna iuxta antiquum pſallendi morem eccleſiæ *Romanæ*, ad eundem modum, ac ex inſtituto S. Benedicti habetur comparatum, ut per hebdomadam pſalterium abſolveretur, quod S. Hieronymo ex antiquiore obſervantia adſcribit Radulphus: *Venerabiles vero Patres* Hieronymus & Benedictus *ex ſanctorum Patrum* **Prop. X.** *obſervatione conſiderantes totum pſalterium ex integro qualibet hebdomada perſolvi debere, aliter pſalterium diſtinxerunt.* Aliter nempe quam in *Ambroſiano* ritu habetur. Et paullo poſt: *Utriusque autem diviſione licet alia & alia, totum pſalterium qualibet ſeptimana, niſi feſtivitas occurrat, eſt complendum.* Diverſitatem facit numerus ac ordo pſalmorum tam nocturnis quam diurnis officiis, etiam minorum horarum, in quibus ritu *Romano* per integram hebdomadam decurrit pſalmus CXVIII. qui Benedictino per officium dominicæ & feriæ II. diſtribuitur. Reliquis vero per hebdomadam diebus iidem pſalmi aſſignantur centeſimus decimus nonus *Ad Dominum cum tribularer* cum octo ſequentibus. *Pariſienſes* ritum illum *Romanum* mutarunt, diſtributione pſalterii per hebdomadam facta, ut ſingulis etiam diebus per hebdomadam peculiares pſalmi habeantur. In viſione Wettini monachi *Augienſis* laudat angelus „Confugium eius, quod ad Deum in anguſtiis poſitus tam ſtudio pſal- **Act. ord. S.** „modiæ quam lectionis fecerat, hortans eum de cætero ſine defectu ſimi- **Bened. ſæc. IV. P. I. p.** „liter aucturum (acturum). Inter cæteros etiam pſalmum centeſimum octa- **266.** „vum decimum, quia moralis in eo deſcribitur virtus, ſæpe repetendum ad-

a) Poſt primam pſalterii a Thomasio factam editionem, *Io.* Martianæus ex Congr. S. Mauri T. I Opp. S. Hieronymi maiorem nactus Mſs. copiam perfectius dedit illud pſalterium circa obelos & aſteriſcos an. 1693. qua editione dein uſus eſt Thomasius ad pſalterium verſibus priſco more diſtinctum an. 1697. Recuſa in noſtra *Alemannia* dedicata eſt a *Dom.* Passionæo tunc nuncio apoſtolico abbatibus & viſitatoribus Congregationis *Helveto-Benedictinæ*, uti videre eſt T. III. Opp. Vezzosii, cum prior illa T. II habeatur, novis iterum curis adornata editione cum variantibus lect. ad mſs. codd. & textum græcum cod. *Alexandrini*, cod. item *Veronenſis* a Blanchinio cum notis editi &c. ut in præfatione indicat, Vallarsium ſugillans, qui in editione Opp. S. Hieronymi Thomasium & Martianæum inhumanius habuit.

„ admonuit: ſeque valde delectari, cum aliquem inſtantia lectionis & ite- „ ratione pſalmodiæ intentum viderit, Deumque ob hoc placabilem fie- „ ri poſſe, ſi uſus eius veraciter & non ficte teneatur." Solebant pecu- liari uſu pſalmos etiam præter ſtatutum ordinem addere, uti de S. WI-BORADA HEPIDANNUS in eius vita exemplum habet, cui *perſona angeli- cæ viſionis* apparuerit, *quæ illam obambulans primum vigeſimi pſalmi ver- ſiculum tribus vicibus dulci modulatione decantavit, moxque eadem clari- tate, qua venerat, abſceſſit. At illa cogitanti venit ei in memoriam, quod hunc pſalmum prius conſueverat ad curſus decantare, & quod hanc con- ſuetudinem tamdiu oblivioni tradidit.* In eadem vita narratur, quomo- do, *cum omnipotens Deus virginem ſuam iam diu bonum certamen cer- tantem per palmam martyrii vellet curſum conſummare, quadam meridie ei ex more vacanti pſalmodiæ pſalterium ultro ſe complicuit.* Unde col- ligitur pſalmodiam ipſi iuxta curſum canonicum familiarem ac quotidia- nam fuiſſe. In Conc. *Moguntino* an. 847. can. 17. ſtatuitur: *Sanctimo- niales vero in monaſterio conſtitutæ habeant ſtudium in legendo & in can- tando, in pſalmorum celebratione ſive oratione: & horas canonicas ma- tutinam videlicet, primam, tertiam, ſextam, nonam, veſpertinam, com- pletorium pariter celebrent.* Id autem factum fuiſſe, quod ipſa ratio fa- ciendum eſſe dictat, a linguæ latinæ-gnaris, alibi oſtendi, modumque indicavi, quo alias ſanctius cultui divino perpetua adoratione SS. Alta- ris Sacramenti vacare queant moniales.

Goldaſt. Script. Rer. Aleman. T. I. cap. 17. p. 206.

c. 31.

T. II. Conc. Germ. p. 157.

De cantu & muſica ſacra. T. II. lib. IV. c. 1. p. 199.

Singulis pſalmis ſubnectendo *Gloria Patri.*

II. Antiquiſſimus mos eſt in eccleſia *hymnum glorificationis*, id eſt *Glo- ria Patri*, pſalmis ſubiicere, prout veteri monachorum inſtituto oratio- nes ſubnecti ſolebant, quales in ſua editione Pſalterii edidit THOMASIUS in ſingulos pſalmos; & in illis, quæ de ritu *Mozarabico* ſcripſit: quod LEANDRO adſcribit S. ISIDORUS *de viris illuſtribus*, & apud laudatum THO- MASIUM idem REINERIUS S. VOLBODONIUM epiſcopum *Leodienſem* feciſſe narrat, THOMASIUS tamen ſuas orationes antiquiores facit.

Illius vero inſtitutionis auctor fuiſſe dicitur DAMASUS HIERONYMO in epiſtola, eius nomine ad hunc pontificem vulgata. In concilio *Narbo- nenſi* an. 589. c. 2. ſtatuitur: „ Ut in pſallendi ordinibus per quemque pſal- „ mum *Gloria* dicatur omnipotenti Deo: per maiores vero pſalmos, pro- „ ut fuerint prolixius, pauſationes fiant, & per quamque pauſationem „ *Gloria* Trinitatis Domino decantetur." In concilio IV. *Toletano* an. 633. a- liqua inſuper vox addi iubetur: „ In fine pſalmorum non ſicut a quibus- „ dam hucuſque *Gloria Patri*, ſed *Gloria & honor Patri* dicatur." Qua in re diverſus mos *Romanæ* eccleſiæ in laudata ad DAMASUM epiſtola ſub no-

c. 14.

Digitized by Google

nomine Hieronymi notatur. Addam hic alterum Concilii *Toletani* IV. canonem 16: „Sunt quidam, qui in fine reſponſoriorum *Gloria* non „dicunt, propter quod interdum inconvenienter conſonat. Sed hæc eſt „diſcretio, ut in lætis ſequatur *Gloria*, in triſtioribus repetatur princi„pium.“ Servatur id hodieque apud nos, ſed dimidia tantum pars hymni Glorificationis poſt reſponſoria ponitur, ex toto vero poſt pſalmos. Qua de re eſt canon concilii *Vaſionenſis*, quod paullo poſt Synodum *Nicænam* habitum in *Gallia* ſub Iulio pontifice Constantii imperatoris ætate, eius vero canones cum iis, qui ſecundi ſunt *Vaſionenſis* concilii ſub Leone M. fuiſſe permixtos auctor eſt Benedictus XIV. Canon hic eſt: „Et quia non ſolum in ſede apoſtolica, ſed etiam per totum Orientem & totam *Africam* vel *Italiam* propter hæreticorum aſtutiam, qua Dei Filium non ſemper cum Patre fuiſſe, ſed a tempore fuiſſe „blaſphemant, in omnibus clauſulis poſt *Gloria Patri & Filio & Spiritui* „*ſancto; Sicut erat in principio & nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum* „*amen*, dicitur, etiam nos in univerſis eccleſiis noſtris hoc ita dicendum „eſſe decernimus.“ In epiſtola peregrinorum monachorum in monte *Oliveti* habitantium ad Leonem III. aliquid notatur circa hoc. Fuerunt autem *Franci* illi monachi, qui *Græcis* monaſterii S. Sabæ monachis cum exprobraſſent in *Gloria Patri* ab illis non dici *Sicut erat in principio &c.* ob hoc & alias leves diverſitates ab illis monachis ceu hæretici ſunt habiti.

De feſtis Ieſu Chriſti C. XII. n. 7.

Integri præterea pſalterii per diem vel pſalmorum ſelectorum frequentatio.

III. Quod peculiari pietatis ſtudio frequentatum ab antiquis monachis legitur, ut integrum per diem pſalterium abſolverent, etiam apud nos exempla habentur, inter alia S. Egberti inter primos *Germaniæ* apoſtoli ſæc. VII. qui etiam dicitur ſe voti religione obſtrinxiſſe, *nec diem ullum, (niſi valetudo corporis obſtaret) quin pſalterium totum in memoriam divinæ laudis ad ſolemnem canonici temporis decantaret, tranſmiſſurum*, ut V. Beda narrat. In vita S. Udalrici refertur: „Inſuper autem unum „curſum in honore ſanctæ Mariæ genitricis Dei, & alterum de ſancta „Cruce, tertium de omnibus Sanctis, & alios pſalmos plurimos, totum„que pſalterium omni die explere ſolitus erat, niſi eum impediret ali„qua inevitabilis neceſſitas.“ Fuit ea multarum præſertim monaſticarum congregationum in noſtra *Alemannia* conſtans obſervantia, ut in die paraſceves integrum abſolverent pſalterium. Præterea vero per ſingulos dies horis canonicis pſalmos varios, quos familiares vocant, adiicere ſolebant, de quibus in Capitul. *Aquisgranenſi* ſtatuitur, *ut prætermiſſis partitionibus pſalterii pſalmi ſpeciales pro eleemoſynariis & defunctis cantentur.*

Lib. III hiſt. Angl. c. 27.

Act. ord. S. Bened. ſæc. V. p. 426.

c. 50.

tur. De quo ſtatuto in fragmento hiſtorico a Mabillonio edito legitur: *Statueruntque epiſcopi, concordante Domino papa, ut monachi a gravi opere & labore propter honeſtatem ſacerdotii ceſſent, & loco laboris ad horas pſalmos quosdam nominatos pro vivis & defunctis fidelibus cantent cum orationibus ordinatis.* De his legi poteſt Martenius de antiquis monachorum ritibus lib. I. c. 2. ubi in ampliore editione ex antiquis etiam conſuetudinibus *Germaniæ* quædam in eam rem adducit. Cuiusmodi paſſim in monumentis liturgicis deprehendimus, imprimis articulatim in ordine Mſc. operis Dei ſæc. XIV. bibliothecæ noſtræ. Eaque ex diſciplina officium defunctorum, pſalmi pœnitentiales, & graduales certis diebus non impeditis aliqua feſtivitate dicendi remanſerunt, olimque ordinarie ad nocturnos officium defunctorum, ad primam pſalmi pœnitentiales, ad tertiam graduales præſcribuntur. Præterea ſingulares pſalmi proſtrati in quadrageſima notantur. De quibus Radulph. prop. 21. „Diebus ferialibus Quadrageſimæ & novem lectionibus vacantibus dicta prima legitur pſalterium hoc modo. Recepta cum proſtratione venia incipit ſacerdos *Deus in adiutorium. Gloria. Laus tibi.* Deinde quotidie leguntur decem pſalmi de pſalterio &c.“

Analect. p. 149.

T. IV. p. 21.

Pſalmi imprecatorii.

IV. Aliqua ſaltem etiam eſt iniicienda mentio pſalmorum imprecatoriorum, quos vocant imprimis CVIII. quem ad furem detegendum fuiſſe adhibitum alicubi docet Delrio, atque etiam ritum deſcribit ac formulas adhiberi ſolitas. Monente autem ſub initium expoſitionis huius pſalmi S. Ioanne *Chryſoſtomo, magna hic nobis prudentia opus eſt. Verba enim, ſi conſiderentur tantum ut ſunt prolata, & ut auditu ſtatim percipiuntur, perturbant multos eorum, qui non attendunt. Totus enim pſalmus plenus eſt execratione, & per eam univerſa pervaſit oratio, ac loquentis ferventem & ardentem quandam iram indicat, quæ non contenta eum ulciſci, qui facit iniuriam, etiam in filios patrem & matrem extendit ſupplicium: & non una ei ſufficit calamitas, ſed etiam mala malis coniungit.* S. Doctor nonnulla exponit de Iuda, de quo *Act.* I. 20. ipſe D. Petrus Pſ. LXVIII. verſum 26. & Pſ. CVIII. verſum 8. interpretatur, alia de aliis, ut plerique omnes pſalmum illum Davidem ſub perſona Meſſiæ inſtinctu Spiritus ſancti protuliſſe aſſerunt cum S. Augustino & Theodoreto in hunc pſalmum etiam recentiores, ut legere eſt in ſingulari diſſertatione, ſeu diſputatione contra *abuſum pſalmi imprecatorii*, vulgo *das Todt-bethen*, præſide *Io. Andr.* Schmidio, reſpondente vero auctore *Io. Frid.* Heine, *Helmſtadii* habita. Ubi etiam exploditur fabula de ipſo S. Chrysostomo & S. Epiphanio inter mutuas execrationes diſcordibus animis a ſe mutuo diſcedentibus, referente Socrate

Lib. III. P. II. q. 4. ſect. 8. p. 263.

T. V. p. 242.

Vid. Anon. de pſalmis imprecatoriis Biblioth. raiſonnée T. 35. P. 2. p. 316. ſeqq. p. 36.

TE & SOZOMENO; ut tamen prior ille, unde haud dubie alter accepit, ex vaga aliorum relatione rem percipiens ipſe diffidat narrationi, hæc addens: *Utrum porro vera mihi dixerint, qui iſta narrarunt, equidem non poſſum affirmare.* Cæterum in ſpiritu lenitatis eccleſia ſolemnibus etiam precum formulis *contra hoſtes eccleſiæ* orat: referunturque l. c. exempla ALEXANDRI epiſcopi *Cpolitani* contra ARIUM, cum in communionem eſſet recipiendus, ex epiſtola S. ATHANASII ad SERAPIONEM de morte ARII. DIDYMI item contra IULIANUM *apoſtatam* ex SOZOM. H. E. lib. II. *Lib. VI. c. 14.*

Nobis autem orantibus pſallentibusque religioſe ſtudendum cavendumque eſt, ne culpa noſtra toties illud Pſ. CVIII. 7. *& oratio fiat in peccatum* incurramus, meritoque timemus, ne inducamus ſuper nos maledictionem pro benedictione. „Iunior quidam monachus, D. ANTONII abbatis diſcipulus, miſſus aliquando, perhibetur a magiſtro, ut ſenem monachum, virtutum celebrem fama, inviſeret, qui cum illum adiiſſet, atque ſalutaſſet, ait: Quomodo vales Pater mi? Peſſime, reſpondit Senior. Cur? Iunior inquit: Quia, ſubdit Senior, trigeſimus agitur iam annus, ex quo ſum in hoc deſerto religionis ergo; tamen toto hoc tempore orationes meæ ſunt contra me: nam quotidie memetipſum orans maledico; Deum ne miſereatur mei precor; & omnes demum preces meæ ſunt mendacium, ac verba inania. Quibus attonitus verbis monachus ille iunior, ait: Quomodo hæc, Pater mi? Quia, reſpondit Senior, declino a mandatis Dei, tamen pſallendo dico: *Maledictus qui declinat a mandatis tuis.* Iniquitates perpetro, tum cantito: *Ne miſerearis omnibus, qui operantur iniquitatem.* Mendacia effutio, & oro Deum: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Totus ſum in cibis appetendis, & gulæ crapulæque deditus, impudenter coram Deo fundo: *Oblitus ſum comedere panem meum.* Pigritiæ ac ſomno indulgeo, & media ferme die decanto Deo: *Media nocte ſurgo ad confitendum tibi.* Sedulam requiei navo operam, & iucundæ vitæ, laboremque refugio, atque pſallo tum: *Laboravi in gemitu meo.* Riſui, lætitiæ, ac omnibus illecebris impenſe ſtudeo; alta tamen intono voce: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte.* Cor meum in mundanis dignitatibus & honoribus captandis totum eſt infixum, & media ad metam ſemper meditatur, audacter nihilominus occino coram Deo: *Meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper.* Ieiuno fere numquam aut raro, & impinguatus ac valentiſſimus effutio: *Genua mea infirmata ſunt a ieiunio.* Superbia efferor, totusque ſcientia inſtar aſini utris ſum inflatus, nullamque veris bonis operibus do operam, labores refugio; ſupplico tamen *T. IV. Bibl. PP. p. 712.*

Deum?

Digitized by Google

Deum: *Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte univerſa peccata mea.* Cor meum ad divina ſuſcipienda, exequendaque Dei mandata nequaquam paratum eſt; pſallo tamen: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.* Cum hæc ergo ita ſe habeant, nonne mihi timendum eſt, quod fruſtra ſtadium hoc cucurriſſem, deluſiſſem veritatem, & præmii loco meritus eſſem ſupplicia? Ad hæc iunior ait monachus: Pater mi, iſta de ſeipſo protulit David, non quidem de nobis monachis. Cui non ſine ſuſpiriis, & uberrimis lacrimis reſpondit Senior ille: Fili mi, certe niſi ea, quæ olim vere de ſeipſo cecinit David, nunc nos etiam de nobis vere canamus, cum ea in noſtra occinamus perſona, & iisdem verbis Deum alloquamur; mendacia effundimus, quia veritas eſt, ut verba reſpondeant factis; atque ita orationes noſtræ verba erunt inania. Imo non verba inania, ſed contra nos; ac veriſſime illud de nobis prædicabitur eiusdem Davidis: *Et oratio eius fiat in peccatum.* Item illud ſapientis Salomonis: *Oratio eius erit exſecrabilis.*"

Dum vero promiſcue pſalmos iram, maledicta, vindictam &c. in inimicos ſpirare intelligimus, hæc cum animo ad omnem patientiam compoſito, iniuriarumque tolerante iuxta legem evangelicam charitatis, ſeu amoris etiam inimicorum neutiquam conciliaveris, niſi accipias de irreconciliabili Dei noſtrumque hoſte diabolo, eiusque infeſtationibus omnis generis continuis, prout ſermone ſuperiori abunde explicavimus.

Cantica conſuetudinaria cum pſalterio memoriter ediſcenda.

V. Pſalterii codicibus cantica tum ſcripturæ, cum alia etiam hodieque uſitata ſemper ſubnectuntur, ab iisque orditur vetuſtiſſimum antiphonarium a Muratorio editum, atque etiam memoriæ tradi debebant unacum pſalterio. Qua de re paſſim apud S. Gregorium M. leguntur exempla, qui ignavos clericos pſalmos omnes memoriter haud complectentes ab aſcenſu ad epiſcopatum repulit, ut Thomasius in dedic. epiſtola ad Card. De Aquirre notavit inter alia etiam canonem conc. *Tolet.* VIII. an. 653. „Ut nullus cuiuscunque dignitatis eccleſiaſticæ deinceps percipiat gradum, qui non totum pſalterium, vel canticorum uſualium & hymnorum, ſive baptizandi perfecte noverit ſupplementum." In regularibus decretis a ſancta ſynodo in *Francia* an. 803. celebrata ſtatuitur: „Ut nullus fratrum prætermittatur, qui in aliqua meditatione lectionis divinæ tempore ordinario occupatus non ſit, verbi gratia, ut ſcholaſtici, poſtquam pſalmi, cantica & hymni memoriæ commendata fuerint, regula poſt regulæ textum committi, interim vero hiſtoriam divinæ auctoritatis, & expoſitores eius, nec non & collationes Patrum & vitas eorum legendo, magiſtris eorum audientibus, percurrant. Qui vero de habitu ſæculari converſi, notitia ſæculari indigent, poſt earum „cogni-

T. IV. Anecd. p. 127.
Vid S. Greg. Reg. lib. XIV. ep. 11 *T. II. p.* 1269.
T. I Conc. Germ. p. 379.

„ cognitionem orationem dominicam & ſymbolum, & ſic deinceps pœnitentium pſalmos, poſt hos reliquos uſque dum vita & virtus ſuppetit, diſcere non deſinant.“ Ex ſermone ſynodali huc pertinet, quod paullo ante retuli. In Inquiſitione viſitationis epiſcopalis apud REGINONEM n. 8. habetur: „Si pſalmorum verba & diſtinctiones regulariter ex „ corde cum canticis conſuetudinariis pronuntiare ſciat.“

VI. Hymnus *Te Deum laudamus* ab ABBONE *Floriacenſi* tribuitur S. HILARIO, ut eius editores *ſan-Maurenſ.* in præfat. p. VIII. notarunt, in Mſc. autem ante 400 annos exarato S. AMBROSIO adſcribitur, SMARAGDOque in reg. S. BENED. *Ambroſianus* dicitur. *Wilh. Er.* TENTELIUS diſſert. de hoc hymno eum ex *Græco* expreſſum exiſtimat, cuius quippe pars potiſſima in antiquiſſimo cod. *Alexandrino* legitur, altera in altero hymno matutino, nihilominus ab USSERIO inſcribitur hymnus veſpertinus, a quo ex codice etiam *Cantabrigienſi* eſt editus. Ad fidem ſuppoſititii chronici ſub nomine DACII SS. AMBROSIO & AUGUSTINO adſcriptus, eo nomine in monumentis liturgicis notatur. THOMASIUS varias alias affert inſcriptiones, in ſuo autem, quo uſus eſt codice, inſcribitur *hymnus in honorem S. Trinitatis*, paſſim autem notatur diebus dominicis ad matutinum dicendus. Antiquiſſimum antiphonarium a MURATORIO editum, ubi habetur cum non paucis variationibus, notat illum *Hymnum in die dominico*, prout etiam a S. BENEDICTO in ſua regula aſſignatur: & in inſtructione eccleſiaſtici ordinis, quam inter monumenta liturgica edimus, additur: „Secundum regulam ſancti BENEDICTI omni tempore diebus dominicis legitur lectio ſancti evangelii ſecundum tempus, quo fuerit, & „ ſequitur hymnus *Te Deum laudamus*, & verſus cum *Kyrie eleiſon*, & „ finiuntur vigiliæ nocturnæ.“ Notarunt editores S. HILARII mox citati, fuiſſe hinc, qui ab aliquo S. BENEDICTI diſcipulo ſcriptum exiſtimarit, quod ex S. CÆSARII, S. BENEDICTO paullo ætate ſuperioris, regula refutatur.

Hymnus Te Deum laudamus.

T. III. opp. p. 614.

T. II. p. 345.

T. IV. Anecd. p. 131.

De uſu *Romanæ* eccleſiæ interrogavit AMALARIUS, „ſi canerent per „ dominicas noctes *Te Deum laudamus?* Reſponſum eſt: Tantum in natalitiis pontificum.“ Idem in ſupplemento lib. IV. de off. div. apud MABILLONIUM Analect. p. 96. „Porro (inquit) quod apud quaſdam eccleſias in adventu dominico, nec non in Septuageſimalibus & Quadrageſimalibus diebus a clericis prætermittitur *Te Deum laudamus*, ſicut & „ ad miſſas *Gloria in excelſis Deo*, nequaquam a monaſtico ordine hæc „ talis conſuetudo obſervatur, ſicut nec a quibusdam canonicorum eccleſiis. Nam in dominica, quæ mediana vocatur, quando in Reſponſoriis & Invitatorio prætermittitur *Gloria*, hymnus *Te Deum laudamus* „ non prætermittitur ante evangelium, ubi divinitas Chriſti, antequam „ ABRAHAM fieret, eſſe dicitur. Ubi licet *Judæorum* perſecutio dicatur,

De ord. Antiph.

„ qui tulerunt lapides, ut iacerent in Iesum, necdum tamen completur „ paſſio. Ubi enim completur paſſio, *Gloria* in omnibus pſalmis & laus „ *Te Deum laudamus* prætermittitur. . . . In dominica etiam palmarum „ hymnus *Te Deum laudamus* non prætermittitur, cum evangelium re- „ ſonet laudes turbarum canentium domino *Hoſanna &c.* Sed & in na- „ tali Innocentum a quarundam eccleſiarum clericis non dicitur *Gloria* in „ tertiis reſponſoriis, nec hymnus ſupra dictus. Monachis vero conſonum „ videtur & *Glorias* & hymnum laudis non prætermittere." Et ita apud nos hodieque ſervatur in omnibus. Ineunte ſæculo XI. teſte Glabro quadam in ſynodo *Galliæ* mota eſt monachis controverſia, quod hymnum *Te Deum laudamus* dominicis Adventus & Quadrageſimæ canerent, qui reſpondentes ſequi ſe in eo regulam S. Benedicti a S. Gregorio P. approbatam, in hac obſervantia relicti ſunt. Solemnem eius uſum in maximis quibusvis celebritatibus non eſt opus pluribus hic exponere. Eum ſæculi IX. initio in linguam *Germanicam* translatum probat *I. Georg.* Eccardus, ediditque cum notis *Helmſtad.* an. 1713.

Lib. III. c. 3.

Symbolum ſub nomine Athanaſii.

VII. Nihil in regula S. Benedicti, nec etiam in antiquiſſimis noſtris monumentis liturgicis de ſymbolo ſub nomine S. Athanasii, quod dominicis diebus ad Primam, paſſim autem ante aliquot ſæcula quotidie cani ſolebat. Unde in noſtro Mſc. ordine operis Dei ſæc. XIV. ad Cœnam Domini peculiariter adnotatur, *Quicunque vult ſalvus eſſe non dicitur.* In Capitul. Ahytonis epiſc. *Baſileenſis* circa an. 819. c. 4. ſtatuitur: „Ut fides Athanasii a ſacerdotibus diſcatur, & ex corde die do- „ minico ad horam recitetur." In libello Inquiſitionis „de his, quæ epi- „ ſcopus, vel eius miniſtri in ſuo diſtrictu vel teritorrio inquirere debeant „ per vicos, pagos, atque parochias ſuæ diœceſeos," n. 84. legitur: „Si „ ſermonem Athanasii epiſcopi de fide ſanctæ Trinitatis, cuius initium „ eſt, *Quicunque vult ſalvus eſſe:* memoriter teneat, & ſenſum illius in- „ telligat, & verbis communibus enuntiare ſciat."

T. II. Conc. Germ. p. 441.

Eadem fere, ut cætera in ſermone Synodi ex mſs. *Neresheimenſi* diœceſis *Auguſtanæ* T. XI. Conc. ed. *Venet.* p. 1077. leguntur. In Capitulari ſecundo Theodulphi epiſcopi *Aurelianenſis* apud Baluzium habes: „Ita- „ que vos o Sacerdotes Domini admonemus, ut fidem catholicam & me- „ moriter teneatis, & corde intelligatis, hoc eſt *Credo*, & *Quicunque vult* „ *ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt ut teneat catholicam fidem.*" Idem Theodulphus, qui ſub Carolo M. iam floruit, in libro *de Spiritu S.* num. 8. quædam ex hoc ſymbolo ſub nomine S. Athanasii citat, ac poſt eum Hincmarus *Rhemenſis*, Agobardus & alii paſſim. Cui opinioni forte anſam dedit, quod primum *Treviris*, ubi exul fuit S. Athanasius, repertum

T. VII. Miſcell. p. 21.

Digitized by Google

tum fuerit, prout legitur in antiquiſſimo mſc. Bibl. Reg. *Pariſ.* quod ſcriptum ante litterarum culturam a CAROLO M. inductam teſtantur auctores novi tractatus diplomatici ex Congregatione S. MAURI, ſic vero habet: *T. III. p. 71.* „Hæc invini *Treviris* in uno libro ſcriptum. Sic incipiente: *Domini noſtri* „*Iheſu Chriſti. Et reliqua. Domini noſtri Iheſu Chriſti fideliter credat.*" THOMASIUS in nota ad hoc ſymbolum aliam coniecturam ſtatuit ex iis, quæ *T. III. p. 618.* de Trinitate & Incarnatione, tum voce diſputata, tum ſcripto decreta ſunt in concilio *Alexandrino* ſub IULIANO *Aug.* præſidente S. ATHANASIO, præſentibusque ex *Latinis* S. EUSEBIO epiſcopo *Vercellenſi*, ac duobus diaconis LUCIFERI epiſc. inſulæ *Sardiniæ*. „Certe (addit) quæ RUFINUS lib. X. *Add. Vezzoſ. ad T. II. p. 149.* „Hiſt. eccl. c. 29. & epiſtola ipſa eiusdem concilii apud S. ATHANASIUM „epiſc. ad *Antiochenos* ſcribunt, ſi conſiderentur attentius, verbatimque „expendantur, pæne totum ſymbolum hocce ſummatim repræſentare vi„dentur." Edidit MURATORIUS ex antiquiſſimo *Ambroſianæ* bibliothecæ codice ſymbolum illud cum non paucis variationibus, unacum erudita *T. II. Anecd. p. 225.* de eius auctore diſquiſitione.

VIII. Solet autem in eiusmodi codicibus pſalteriorum cum oratione *Oratio dominica, ſalutatio angelica, ſymbolum.* dominica Symbolum tum apoſtolorum cum *Cpolitanum*, ſed rarius adiungi, ac etiam in pſalterio NOTKERI *Balbuli* mſc. *alemannice* extant, atque apud GOLDASTUM edita ſunt. In AHYTONIS epiſcopi *Baſileenſis* Capitulari c. 2. iubetur, *ut oratio dominica, in qua omnia neceſſaria humanæ vitæ comprehenduntur, & ſymbolum apoſtolorum, in quo fides catholica ex integro comprehenditur, ab omnibus diſcatur tam latine, quam barbarice: ut quod ore profitentur, corde credatur & intelligatur.* Quam in rem ſupra alia, quæ ad nos attinent, retulimus teſtimonia ex variis conciliis, ac etiam ex libello S. PIRMINII ad promiſcuum fidelium uſum.

S. BENEDICTUS publice, ut ab omnibus audiatur, orationem dominicam in veſperis & matutinis laudibus ab abbate pronuntiari vult; attamen longe ſerius introductus memoratur uſus, ut ante ipſas horas recitetur cum Symbolo, prout primum in Conſtitutionibus *Cluniacenſ.* cap. 18. præſcriptum ſe reperiſſe teſtatur MARTENIUS harum rerum peritiſſimus „ut di- *De antiq. monach. rit. lib. I. c. 2. p. 23. Ed. in fol.* „miſſo officii ſigno faciant ſolitam orationem ſuper miſericordias, id eſt, „*Pater noſter*, & *Credo in Deum*, antequam verſum *Deus in adiutorium* „decantent."

Bursfeldenſes ordin. cap. 9. nocturnis vigiliis ter orationem dominicam totiesque ſalutationem angelicam præmittere idem obſervavit. In mſc. monaſterii S. PETRI in *ſilva nigra* ſæc. XIV. vel XV. Curſus B. M. V. incipit: *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus,*

ribus, *& benedictus fructus ventris tui. Domine labia mea &c.* Et eo uſque etiam non ultra reperi in rituali mſc. ſæculi XV. cum oratione dominica, ſymbolo apoſt. & decalogo. Et ita germanice legitur in fronte necrologii eiusdem ætatis bibliothecæ noſtræ, quod ad eccleſiam in *Nallingen* in *Würtembergia* pertinuit, additione tantum verborum *Iheſus Chriſtus*, quæ primum facta ab URBANO IV. memoratur apud MABILLONIUM Præfat. in ſæc. V. Ord. S. BENEDICTI: ubi plura reperies in hanc rem ex conciliis variis a ſæc. XII. ad cuius finem ODO *Pariſienſis* epiſc. MAURICII ſucceſſor an. 1196. in ſuis conſtitutionibus num. 10. ſtatutum edidit, ut „exhortentur „ populum ſemper presbyteri ad dicendam orationem dominicam, & *Credo* „ *in Deum*, & ſalutationem beatæ MARIÆ.“

Quod totidem verbis an. 1246. præſcribitur a decanis eccleſiæ *Rotomagenſis*, ut idem notat ac inter alia uſum primarium eius ſalutationis a ſæc. XIII. apud *Ciſtercienſes*. Neque altius aſſurgit *Io. Chryſoſt.* TROMBELLI, ex inſtituto proſecutus MARIÆ ſanctiſſimæ vitam ac geſta cultumque illi exhibitum, T. V. diſſert. IV. q. 2. ad ſæculum quidem XIII. originem B. M. V. *ter quinquagies cum devotione* ſalutandi ex BARTOLOMÆO *Tridentino* referens, ſalutatione nimirum angelica, ut poſtea probat; quæſtione tertia vero MABILLONII dubium ad examen revocat, an LEONIS X. tempore, cui ERASMUS *Roterodamus* coævus fuerat, iam tertia pars iis, quæ ex S. ſcriptura deſumta ſunt, addita fuerit? ac veſtigia quidem quædam haud obſcura extant in ſcriptis quibusdam doctorum ſæc. XIV. & XV. celeberrimi etiam poetæ DANTIS, ALIGERII, S. BERNARDINI *Senenſis*, *Leonardi* IUSTINIANI; ſed quod ad rem propius attinet, eſt breviarium *Romanum* ſæc. XIV. aut ſub initium XV. ſcriptum: in quo ſalutatio angelica, ut hodie, una voce *peccatoribus* demta, occurrit cum paucis aliis precibus poſt Completorium. In ſtatutis & decretis ſynodi diœceſanæ *Argentinenſis Alemanniæ* noſtræ an. 1549. occurrit ſalutatio angelica his verbis deſinens: *IESUS Chriſtus amen*, inter orationem dominicam & decem præcepta decalogi c. 2. *de doctrina & quomodo verbum Dei populo annunciandum ſit*, perinde ac in ſynodo *Auguſtana* an. 1567. ſed cum hac clauſula *ſancta MARIA mater Dei*, *ora pro nobis miſeris peccatoribus*, *Amen.* Utrobique legitur latine & germanice pro uſu ſcilicet cleri & populi, nihil tamen de officio divino dicitur.

p. 246.

T. VI Conc germ p. 441.

Ib. T. VII. p. 16.

Uſum enimvero, quem hodie in officio divino obtinet ſalutatio angelica, fatetur TROMBELLIUS a PIO V. demum in breviarium *Rom.* invectum fuiſſe auctoritate NAVARRI, qui *de oratione &c.* C. XIX. n. 128. &c. de hac re copioſe agit. TROMBELLIUS autem diſſert. VII. de adiuncta divino officio angelica ſalutatione ante omnia DURANDI, qui ſæc. XIII. vixit, ver-

ba

Digitized by Google

ba affert iſtiuscemodi: „Ut autem muſcæ morientes abigantur, & mens *Ration. div. off lib. V. cap. 2.*
„ orantis ſerenetur, ut digne cum Deo loquatur, & ut, ſi mente non ora-
„ verit, Dominus in furore non iraſcatur, ſed miſereatur, ideo laudabili
„ conſuetudine inductum eſt, ut ſacerdos ante canonicarum horarum ini-
„ tia, & in fine, dominicam orationem, & ante horas B. MARIÆ, & in
„ fine *Ave* MARIA &c.“ Animadvertit TROMBELLIUS harum rerum diligentiſſimus indagator, eam etiam conſuetudinem adiungendi officio parvo B M. V. ſalutationem angelicam deinceps deſiiſſe: „Abeſt enim ange- *p. 296.*
„ lica ſalutatio ab omnibus ſere codicibus, tum typis editis libris, qui of-
„ ficium B. M. Virginis continent, & ſæculo XIV. & ſubſequentibus us-
„ que ad S. PIUM V. editi ſunt.“ At a multis iam ſæculis conſueviſſe monachos in officio divino ſalutationem Angelicam recitare nonnullis exemplis probat, veluti ex *Ed.* MARTENIO de antiquis monachorum ritibus, rituali *Corbeienſi* præſcribente, ut in die omnium Sanctorum ad *Lib. IV. c. 9. n. 4. p. 593.* quamlibet horam diei religioſi extra chorum dicant in principio horarum ſuarum *Ave Maria* & duos verſus: *Memento ſalutis auctor*, & *Gloria tibi Domine.* Frequentiorem eumque quotidianum uſum apud *Bursfeldenſes* & *Caſalinos* deinceps ex eodem MARTENIO probat. Vetuſtius vero addit documentum ſæc. XIII. ex ſtatutis canonicorum regularium S. AUGUSTINI de *Nicoſia* diœceſis *Piſanæ*, ubi caput II. Partis I. ad hunc modum incipit: „Intrantes eccleſiam removemus caputia, & genu flecten-
„ tes ad gradum altaris oramus *Pater noſter* & *Ave Maria &c.*“ Priorem tamen, qui ſciatur, a quo certo ſalutatio angelica cuilibet horæ canonicæ præpoſita ſit, Card. QUIGNONIUM in ſuo breviario nominat.

Alicubi etiam miſſæ ſalutatio angelica adiecta legitur, veluti in *Ciſtercienſi* miſſali edito *Pariſiis* 1550. ſingularem obſervavi in ordine miſſæ poſt factam confeſſionem hanc rubricam: „Deinde incurvus ante altare *fol. LXXV.*
„ dicat. *Pater noſter. Ave Maria.* Poſtea erigens ſe oſculetur altare &
„ ſe ſignans dicat. *Aufer a nobis Domine iniquitates noſtras &c.*“ In miſſali *Mozarabico* XIMENII Card. apud MARTENIUM præſcribitur: „Quan- *Lib. I. c. 4. art. 12.*
„ do præparatus ſit ſacerdos ad miſſam celebrandam, ingreſſus ad ſacra-
„ rium lavet manus dicendo *Oremus. Largire ſenſibus noſtris &c.* Poſtea
„ flectat genua coram veſtibus, & dicat quater *Ave Maria*, & de inti-
„ mo corde commendet ſe glorioſæ virgini MARIÆ &c.“ In libro de baptiſmi ritibus (quem SEVERO *Alexandrino*, neſcio cui, cum nullus in catalogo notetur, alii vero codices *Antiocheno* adſcribunt, inter cuius tamen opera nullum de ritibus baptiſmi notarunt veteres) ſic concepta habetur oratio: *Pax tibi MARIA, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus, qui eſt in utero ſolus Chriſtus.*

Digitized by Google

Sancta MARIA, mater Dei, ora pro nobis, inquam, peccatoribus Amen. Similem additionem, quæ nunc habetur, ſæculo XV. necdum factam MABILLONIUS aſſeverat, affertque locum ex *Eccleſiaſte* ERASMI *Roterodami* an. 1535. edito, ubi improbat modum, ſalutationem hanc initio concionis recitandi, ac nec tunc additionem iſtam fuiſſe innuit his verbis: „Adde his omnibus, quod iſti admonito populo, ut invocet bea„tam Virginem, nihil petunt ab ea, ſed tantum ſalutant verbis angeli „& ELISABETHÆ.“ Paſſim in miſſalibus a ſæc. XIII. ac alicubi inter Sequentias, frequentius autem ſeparatim etiam cum notis muſicis ſalutationem hanc ita interpolatam reperi: *Ave MARIA gratia plena Dominus tecum, virgo ſerena. Benedicta tu in mulieribus, quæ peperiſti pacem hominibus, & angelis gloriam. Et benedictus fructus ventris tui, qui cohæredes ut eſſemus &c.*

Lectiones in officio nocturno ex ſcriptura, SS. PP. & geſtis Sanctorum.

IX. Uti vero per ſingulas hebdomadas pſalterium cum canticis conſuetudinariis regulariter abſolvitur, ita ſacræ ſcripturæ in lectionibus diſtribuendi canonem fuit, eſtque pia alicubi conſuetudo, quam in rem verſus B. WOLPHELMI abbatis *Brunswilani* prope *Coloniam* monaſterii a vitæ ipſius ſcriptore CONRADO referuntur, & apud MARTENIUM in itinere litterario deſcribuntur ex Mſc. *Stavelenſi*, ubi in volumine bibliorum, ſæc. XI. ſcripto, in fronte leguntur, quorum ſaltem initium hic adducam:

Late diffuſus, ſic eccleſiaſticus uſus
Se teſtamentis exercet Dei omnipotentis,
Ut legat hæc ambo, ſed & omni compleat anno:
Sicut in hebdomada pſalmorum clauditur oda.
Aſt hinc pſallendi cum ſtet ſtatus inde legendi.
Lectio quo proſit, nunquam præfatio deſit,
Qua clavi limen patet ad quodcunque volumen.

Adhuc in ordine noſtro operis Dei Mſc. ſæc. XIV. deprehendi, quod ſingulis libris præfatio quædam ſeu argumentum præmittatur. Id vero haud raro ſingulare de canticis canticorum reperi, ut perſonarum interloquentium explicatio interponatur hoc modo: „Vox optantis Chriſti adven„tum. *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Apoſtrophe ad ſponſum. *Quia me„liora &c.* Vox eccleſiæ ad Chriſtum. *Trahe me &c.* Vox ſponſi ad „adoleſcentulas. *Introduxit &c.* Sponſa ad ſponſum. *Exultabimus &c.* „Eccleſia de ſuis preſſuris. *Nigra ſum &c.* Synagogæ. *Filii matris &c.* „Vox Chriſti. *Ecce tu &c.* Vox eccleſiæ. *Ecce tu pulcher &c.*“ Et ita por-

porro per totum librum. Hæc deſcripſi ex veteri breviario *Einſidlenſi*, ubi ſcripturæ lectiones ordine, quo leguntur per annum, diſtributæ ſunt his tantum titulis: *Incipit liber Iſaiæ prophetæ. In Dei nomine incipit liber Geneſis.*

Quod non frequenter inveni, poterantque pro more antiquo præſertim apud monaſticos cætus, quilibet ſacræ ſcripturæ codices huic uſui ſervire, ubi ad complendum ſcripturæ totius lectionem per annum in refectorio, ubi deſierat in eccleſia, perficiebatur, prout ex Conſuetudinibus *Cluniacenſibus* Ulrici colligitur. Et in veteri ordine operis Dei Mſc. *Ottoburani* monaſterii ſæc. XII. hæc in ſeptuageſima notata legi: „Hic liber *Geneſis* incipitur. Sed prologus eius in refectorio tantum legitur. Hæc autem viciſſitudo deinceps per totum octateuchum ſi fieri poteſt, obſervatur. Ut ubi fuerit terminus lectionis in eccleſia lectæ, ibi in refectorio incipiatur. In libris tamen poſterioribus, quod parum hiſtoriam ſonans occurrit, ſicut in libro *Numeri*, & de tabernaculi utenſilibus, & in *Levitico* in eccleſia non legimus; ad refectorium vero nihil de omnibus tranſilimus, exceptis his, quibus infirmi auditores minus proficiunt." Abſolvebatur ſic hebdomada Septuageſimæ liber *Geneſis*, ut in Sexageſima *Exodus* inciperetur, & quidem in refectorio, ut diſcimus ex Bernardo *Cluniacenſi* apud P. Herrgott: „In Sexageſima (inquit) incipitur *Exodus* in refectorio, & cum reliquis voluminibus, quæ ſequuntur, legitur & in eccleſia & in refectorio, ita, ut ubi fuerit terminus lectæ lectionis initium ſit legendæ, & ante Quadrageſimam finiatur." Uſu & conſuetudine *Cluniacenſi*, uti alia pleraque, eundem morem adhuc ſæc. XIV. XV. & XVI. obtinuiſſe in monaſterio S. Blasii ex ordine operis Dei diſcimus: „Notandum, quicquid remanſerit ad nocturnos legendarum iſtarum, ſcil. Iobi, Tobiæ, Iudith, Esther, nec lectum fuerit, id in fine hiſtoriarum ad menſam legatur ſive compleatur &c." Paſſim in antiquiſſimis Mſſ. indiculus habetur, ac diſtributio librorum ſacræ ſcripturæ lectionum per anni curriculum. Antiquiſſimus Emerami *Ratisbonenſis* ſæc. VII. vel VIII. a Septuageſima, ubi ſcriptura ab exordio ſumi ſolet, incipit. *Inprimis in Septuageſima ponunt Eptaticum &c.* A paſchate orditur indiculus, quem edemus inter monumenta liturg. ex codice Mſc. mille annorum prima pagina inſertum cum titulo: *De auctoritate ſacræ ſcripturæ, quæ legitur in eccleſia in circulo anni. In paſcha actus apoſtolorum.* Sequitur ordo vigiliarum in matutinis tenebrarum. Qua ratione lectiones illæ in decreto Gelasii edito in *Romano* conc. an. 493. vel 494. etiam ſecundi nocturni ex S. Augustino notantur, & uſque hodie leguntur. In eodem de-

Ord. Cluniac. P. I. c. 12.

Apud Gratian. P. I. diſt. 15. c. 3. §. 82.

decreto ſubinde recurrit: *Deinde leguntur ſermones vel homiliæ ad ipſum diem pertinentes.*

Exceptio habetur in eodem decreto, iuxta *Romanæ* eccleſiæ antiquum morem, de ſanctorum Martyrum actis: „Sed ideo ſecundum antiquam „ conſuetudinem ſingulari cautela in *Romana* eccleſia non leguntur: quia „ & eorum, qui conſcripſere, nomina penitus ignorantur, & ab infide- „ libus ſeu idiotis ſuperflua, aut minus apta, quam rei ordo fuerit, ſcripta „ eſſe putantur. Videturque S. Pater eandem *Romanæ* eccleſiæ cautionem „ ſpectaſſe in ſelectu etiam ſcriptorum SS. PP.“ In regula S. Benedicti

Cap. 9. nil etiam de huiusmodi actis præſcribitur: *Codices autem legantur in vigiliis tam veteris teſtamenti, quam novi divinæ auctoritatis: ſed & expoſitiones earum, quæ a nominatiſſimis doctoribus orthodoxis & catholicis Patribus factæ ſunt.* Equidem in feſtivitatibus SS. lectiones etiam ad ipſum diem pertinentes præſcribit S. Pater, ſed quales intelligat, non declarat.

Antiph. p. 405. In codice *Vallicellano* apud Thomasium additur: *Lectiones aut tres aut quinque, aut ſeptem, aut ſi voluerit novem ad ipſum natalitium pertinentes leguntur.* Sed intelligi poſſunt etiam de lectionibus ſcripturæ, quæ propriæ ſunt de feſtis Domini & Sanctorum, prout fragmentum edimus ex antiquo codice *Tigurino*, ubi in aſcenſione Domini poſt notatas tres lectiones ex ſcriptura ſubditur: *Et poſtea leguntur omelie ad ipſum diem pertinentes.* Quæ per reliquas lectiones diſtribui potuerunt, prout etiam, ubi mos inolevit geſta Sanctorum legendi, haud raro in mſs. reperi diſtributa per novem aut duodecim lectiones iuxta ritum *Benedictinum*, ac ſic etiam lectiones ſcripturæ ſacræ diverſimode iuxta laudatum mſc. *Valeſoletanum.* In antiquis monumentis, quæ edimus ex antiquiſſimo mſc. *San-Gallenſi*, quorum alterum deſignatio lectionum per annum, alterum inſtruſtructio ordinis eccleſiaſtici eſt (tertium eſt mſc. *San-Blaſiano* breviarium ordinis eccleſiaſtici) ſemper etiam geſta Martyrum connumerantur. Ac quidem in hoc poſteriore expreſſe habetur: *Si autem geſta eorum minor fuerit, quod VIIII. lectionibus ſufficere poſſit, in tribus tantum poſterioribus legantur.* Similiter ac apud Martenium & Muratorium habetur. De uſu legendi geſta SS. antiquiſſimo in *Africa*, *Gallia &c.* diximus ſupra. Teſtaturque S. Avitus S. Mauricii paſſionem *ex conſuetudinis debito* lectam. Eius moris teſtes inſuper ſunt regulæ SS. Cæsarii, Aureliani & Ferreoli.

Ex epiſtola Adriani P. ad Carolum M. conſtat, *Romæ* etiam veterem conſuetudinem contrariam relaxatam eſſe: „Vitæ enim Patrum ſine „ probabilibus auctoribus minime in eccleſia leguntur. Nam ab orthodoxis „ titulatæ & ſuſcipiuntur & leguntur. Magis enim paſſionem ſanctorum Mar-

Reſponſ. ad obiecta Gallorum adverſus ſyn. VII.

Digitized by Google

„ Martyrum ſacri canones cenſuerunt, ut liceat eas etiam in eccleſia legi, „cum anniverſarii dies eorum celebrantur.“ De abuſu hic haud infrequenti queritur etiam Radulphus. „Similiter paſſiones Sanctorum Bartho- *Prop. XL.*
„lomæi, Simonis & Iudæ, Petri & Pauli, vitæque & paſſiones aliorum Sanctorum multorum, quas hinc inde ſub quadam devotione indiſcreta periculoſe in officio divino legunt &c.“ Legi circa hanc rem auctor iſte meretur. Nec fuerunt inconſulta noſtris etiam temporibus multorum conſilia, atque *Romanæ* eccleſiæ iuxta Gelasium & Hadrianum cautio, ut dictum eſt, ſuntque porro Synodi *Romanæ* ſub Gelasio verba: „Ne vel levius ſubſannandi oriretur occaſio, in ſancta *Romana* eccleſia non „leguntur. Nos tamen cum prædicta eccleſia omnes Martyres, eorumque „glorioſos agones, qui Deo magis quam hominibus noti ſunt, cum omni devotione veneremur.“ Inſignis eſt catalogus eo in concilio editus tum ſpuriorum actorum, cum ſcriptorum aliorum apocryphorum etiam ſub ſcripturæ nomine, diſcretis genuinis. Qualem & nos edimus ex antiquiſſimo mſc. *San-Gallenſi* ſubnexo lectionum indiculo; eoque pertinere exiſtimo canonem in Capitulari ſub Carolo M. editum: *Ut canonici libri tantum legantur in eccleſia.* Qua in re nimium eſt proceſſum: quoad *Apocalypſin* S. Ioannis in Concilio *Toletano* IV. eſt Canon 17.

X. Solent paſſim ſuper lectores, dum ſingulas auſpicantur lectiones fundi benedictiones: quem morem antiquiſſimum inde cenſet Card. Bona, quod in mſſ. *Græcorum* Patrum homiliis plerumque præfixa reperiantur hæc verba εὐλόγησον πατέρ. Eademque verba etiam in multis ſermonibus S. Ephrem, cuius ſcripta iam S. Hieronymi ævo publice in eccleſia legebantur, prænotata leguntur. *Iacobus* Gretserus T. II. de Cruce uſum hunc ex antiquo more petendi benedictionem a prælato, priusquam legere quis inciperet, recte derivat. In Capitul. an. 817. apud Baluzium T. I. pag. 586. in hanc rem ſtatuitur, *ut abbas, præpoſitus, vel decanus, quamvis presbyteri non ſint, lectoribus benedictionem tribuant.* In vulgato apud Hittorpium ordine *Romano* in nocturnis tenebrarum, ut hodieque obſervatur, ceu ſingulare notatur: „Lector benedictionem non petat, nec finem „ſolitum faciat, ſed de ipſa lectione finem faciat.“ Nimirum ut antea ad fer. V. annotatur: *Et quando finit lector, non dicit:* Tu autem &c. Verba, quæ poſt lectionem dicuntur: *Tu autem Domine miſerere nobis*, variata pro ratione feſtivitatis nonnunquam in antiquis monumentis leguntur. veluti in celebri *Augienſi* homiliarum codice ſæc. IX. Exempla hic aliqua ex codice adnectimus. a)

Benedictiones ſuper Lectorem, ac clauſula Lectionum.

XI. a

a) ℟ IN NATALI DOMINI. I. Tu autem Domine, qui pro nobis incarnari dignatus es, miſerere nobis. II. Tu autem Domine qui pro noſtra ſalute

Digitized by Google

Lectiones breves, ſeu Capitula.

Prop. 13.

XI. Lectiones breves, quæ etiam capitula vocantur, ſemper in antiquis monumentis ſeorſim poſitas reperi magno numero. Agit de his ſingillatim Radulphus. „Sciendum (inquit) quod ſicut ad vigilias noctis „leguntur lectiones magnæ, ita ad laudes & veſperas, & ad quinque par„vas horas dicuntur parvæ lectiones, ſive lectiunculæ, quas ſanctus Bene„dictus in regula ſua vocat lectiones. Et ita ſæpe appellantur in mul„tis ſcripturis. Communi autem uſu ſæculari appellantur capitula. In „*Ambroſiano* autem & ſæpius in quibusdam antiquis libris verſiculi parvi, „qui de pſalmis recipiuntur, appellantur capitula.“ S. Benedictus dicit lectiones has ex corde recitandas. Notat ibidem Radulphus diverſum morem horum capitulorum præſertim *Alemanniæ*, quem paſſim in antiquis breviariis reperi: „Vidi etiam ſæpe in libris monachorum, & „aliquando ſæcularium pro uno officio, dominica vel feſtivitate plura ca„pitula notata generaliter, nec aſſignatum ſpecialiter, ut ad hanc vel il„lam horam recitentur. Multi quoque *Alemanni* ad omnes horas uni„cum ponunt capitulum, ſicut & in *Romano* unica dicitur oratio. Hic „tamen modus capitulandi nec auctoritatem habet nec exemplum.“ Et tamen

per Virginem naſci dignatus es, miſerere nobis. III. Tu autem Domine qui hodierna die pro ſalute humani generis in carne manifeſtari voluiſti, miſerere nobis. IIII. Tu autem Domine, qui hominem perditum tuo per carnem adventu reparare dignatus es, miſerere nobis. V. Tu autem Dne qui per intactæ virginis uterum naſcendo ad nos redimendos venire dignatus es, miſerere nobis. VI. Tu autem Dne in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter miſ. VII. Tu Deus de Deo lumen de lumine miſerere nobis. VIII. Tu autem Domine Deus & homo, miſerere nobis. VIIII. Tu autem Domine Verbum & ſapientia Patris miſerere nobis. X. Tu autem Domine, qui ante tempora ex Patre, in tempore es natus ex virgine, miſerere nobis. XI. Tu autem Domine Iesu Chriſte, mediator Dei & hominum miſ. XII. Tu qui hodie homo fieri dignatus es interveniente ſancta tua matre miſ.

AD FESTUM EPIPHANIÆ.

I. Tu autem Dne, qui ad ſalutem gentium ortu novi ſideris Magis infulſiſti miſ. II. Tu cunctis ſtellarum fulgoribus ſtella fulgentior miſ. III. Tu autem Domine cui omnia elementa iugi famulantur obſequio, miſerere nobis. IIII. Tu autem Domine, qui hodie baptiſmatis ſacramentum tuo cum corpore dedicaſti miſerere nobis. V. Tu autem Domine exſpectatio & illuminatio gentium miſerere nobis. VI. Tu autem Domine qui reges Orientis ſtella prævia ad te Solem perduxiſti perpetuum, miſ. VII. Tu &c. qui proceſſiſti ex virginis thalamo, & a Magis adoratus es in præſepio miſ. VIII. Tu autem Domine lux lucis dies diei miſerere nobis. VIIII. Qui in auro rex, myrra homo, ture Deus deſignatus es, miſ. X. Tu autem Dne, qui hodierna die invitatis ad nuptias aquam in vinum mutaſti, miſerere nobis. XI. Tu autem Domine, ſuper quem Spiritus ſanctus in figura alitis felle carentis viſus es, miſ. XII. Tu autem Dne, A. & ω. qui in præſenti die in vero humanæ ſubſtantiæ corpore manifeſtari dignatus es, miſerere nobis.“ Erant in uſu etiam eiusmodi benedictiones ſuper lectorem menſæ, & collationis iuxta regulam S. Benedicti, nec non S. regulæ in capitulo, quales in ordine operis Dei ſæc. XIV. ſæpe laudato, notantur, Vid. Ab. Calmet in cap. 38. Reg. S. Bened.

Digitized by Google

tamen antea de iisdem *Alemannis* dixerat: „*Alemanni* autem plures alium „ modum habent capitulandi. Nam ipſorum eccleſiæ in officiando habent „ ſex propria capitula & orationes, ſcilicet ad utrasque veſperas, laudes, „ Tertiam, Sextam, Nonam. Inter quæ præcipuum exiſtit Capitularium „ STEPHANI *Tungrorum* epiſcopi. Idem enim epiſcopus, ut dicit SIGE- „ BERTUS, in lib. de viris illuſtribus, ad ROBERTUM *Metenſis* eccleſiæ epi- „ ſcopum, in qua nutritus fuit, ſcripſit librum capitularium, in quo per „ totum anni circulum ſingulis dominicis & feſtivitatibus maioribus capi- „ tula & orationes recollegit."

XII. Alterius generis capitulorum collectio eſſe videtur, quam MUSÆO tribuit GENNADIUS. „Excerpſit ex ſanctis ſcripturis lectiones totius „ anni feſtivis aptas diebus, reſponſoria etiam, pſalmorum capitula tem- „ pori & lectionibus congruentia." Forte capitula hic antiphonæ intelliguntur, quæ ſolent eſſe cum pſalmis coniunctæ, ſicut reſponſoria cum lectionibus, ut ſæpe AMALARIUS ingeminat. Uſus haud raro fuit, ut primus pſalmi verſiculus pro antiphona ſumeretur, aut ſaltem more antiquiſſimo pſalmi quidam verſiculus rei ac feſto accomodatus ſeligebatur. Succeſſu autem temporum antiphonæ ex geſtis Sanctorum deſumi conſueverunt, aut aliunde, uti etiam reſponſoria, tempori ſuisque lectionibus accommodatæ. Fuitque ſtudium hic ſingulare multorum, ut apte ſic omnia in officio reſponderent, ipſa etiam inter ſe reſponſoria ob repetitiones in illis more veteris cantus reſponſorii fieri ſolitas. Diverſum hic ritum AMALARIUS eccleſiæ *Romanæ* ac ſuæ, *Metenſis* ſcilicet, in prologo de ordine antiphonarii deſignat. „Notandum eſt (inquit) neceſſarium no- „ bis eſſe, ut alteros verſus habeat noſter antiphonarius, quam *Romanus*: „ quoniam altero ordine cantamus noſtros reſponſorios quam *Romani*. Il- „ la a capite incipiunt reſponſorium finito verſu, nos verſum finitum informa- „ mus reſponſorium per latera eius, ac ſic facimus de duobus corporibus unum „ corpus. Ideo neceſſe eſt, ut hos verſus quæramus, quorum ſenſus cum „ mediis reſponſoriorum conveniat, ut fiat unus ſenſus ex verbis reſpon- „ ſorii & verbis verſus. Hoc proſpexit memoratus vir & glorioſus pres- „ byter ELISAGARUS, qua de re certavit, ut ex diverſis libris congrega- „ ret verſus convenientes reſponſorii, quos nos & alii multi cupiunt fre- „ quentare in nocturno officio." Notat paullo poſt diverſum ritum veterem. „Priſcis (inquit) temporibus non cantabatur *Gloria* poſt ver- „ ſum, ſed repetebatur reſponſorius. ... A modernis autem apoſtolicis „ additus eſt hymnus *Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto* poſt ver- „ ſum."

Antiphonæ, reſponſoria, verſus.

De ord. Antiph. c. 4.

De ord. Antiph. c. 1.

Digitized by Google

Habent & lectiones breves ſua reſponſoria brevia, & quidem conſtanter ritu *Romano*, monaſtico autem *Benedictino* in veſperis tantum, & matutinis laudibus; in horis quippe minoribus verſiculus tantum a S. BENEDICTO notatur. Qualis itidem ſequitur ex eiusdem inſtituto in veſperis & matutinis laudibus poſt reſponſorium *Ambroſianum*, ante canticum de evangelio, ſeu in evangelio, ut in reſponſali *Gregoriano*, & ubique in veteribus monumentis inſcribuntur *Magnificat*, & *Benedictus*, cantica novi teſtamenti. Idemque videntur eſſe hi verſiculi ac verſoria in reſponſali *Gregoriano*, ſeu etiam verſus declinatorii. Qui dum canuntur, facies ad altare convertitur, quem ritum hodieque uſitatum obſervat AMALARIUS. Hinc verſus declinatorii dici poſſe exiſtimantur S. GREGORII editoribus ex Congreg. S. MAURI in obſervat. præv. „Tum propter inclinationem ſeu converſionem vultus, & totius corporis ad Orientem, aut altare; tum propter pſalmodiæ finem, quem indicant: quæ enim ad finem vergunt, ea declinare dicuntur.“ Super *verſoria* tempore paſchali *Alleluia* dicere præſcribit Reſponſale. „Super pſal. in evangelium & verſoria, & in ſanctorum *Alleluia* dicendæ ſunt,“ quod etiamnum obſervatur, uti ſuper pſalmos etiam extra tempus paſchale in nocturnis & diurnis horis & mox poſt *Deus in adiutorium. Gloria Patri* extra Septuageſimam ſingulis in horis canonicis: multisque in eccleſiis *Alleluia* tunc dici ſolitum in horis minoribus loco antiphonæ eſſe notavit paſſim DE-MOLEON in *Itinere liturgico.*

T. III. p. 790. — *p. 730.*

Hymni.

XIII. Fit hoc, ubi more *Romano* hymni tunc non dicuntur, de quo AMALARIUS in ſupplemento: *Romana conſuetudo ſine hymnis officia canit horarum.* Hos proxime dixerat hymnos *Ambroſianos*, &. rurſus: *Certum autem probatur quodammodo, S. Benedicti conſuetum morem S. Ambroſii in nonnullis eccleſiaſticis elegiſſe v. g. in hymnis, quos Ambroſianos nominat &c.* Qui in hoc genere metri eminuit, atque ipſe nobis teſtis eſt, hinc in ſe invidiam *Arianorum* concitaſſe. *Hymnorum*, inquit, *meorum carminibus deceptum populum ferunt, grande carmen iſtud eſt, quo nihil potentius.* Aliquando de his metricis hymnis ex officio divino eliminandis actum fuerat, nempe in conc. *Braccarenſi I. Placuit, ut extra pſalmos, vel canonicarum ſcripturarum novi & veteris teſtamenti nihil poetice compoſitum in eccleſia pſallatur, ſicut & ſancti præcipiunt canones.* Vindicavit autem uſum conc. *Tolet. IV. Et quia nonnulli hymni humano ſtudio in laudem Dei atque apoſtolorum & martyrum triumphos compoſiti eſſe noſcuntur, ſicut hi, quos beatiſſimi doctores* HILARIUS *atque* AMBROSIUS *ediderunt: quos tamen quidam ſpecialiter reprobant pro eo, quod de ſcripturis*

Mabill. Analect. p. 99. — *De Baſilicis tradend.* — *c. 12.* — *c. 13.*

turis ſanctorum canonum vel apoſtolica traditione non exiſtunt. Quibus verbis haud obſcure petunt Patres ſuos anteceſſores in *Bracarenſi* concilio, & ad finem canonis graviter perſtringunt: *ſicut igitur orationes, ita hymnos in laudem Dei compoſitos nullus veſtrum ulterius improbet, ſed pari modo Gallia, Hiſpaniaque celebret; excommunicatione plectendi, qui hymnos reiicere fuerint auſi.* Egregiam hic Ven. Thomasius navavit operam in ſuo hymnario, quod T. II. operum p. 351. poſt pſalterium extat ordinatum. In quo quid præſtiterit præſertim in *Ambroſianis* tum ipſe Thomasius, cum eius editor Vezzosius in præfat. demonſtravit.

Abundat hymnis antiquiſſimum antiphonarium apud Muratorium, quod ex diſciplina S. Columbani proceſſit, paſſimque inter codices liturgicos *Alemanniæ* multo copioſiores reperi, quam nunc habeantur, etiam quandoque proprios illis in horis minoribus, quibus nunc iidem ſemper dicuntur. Quod quidem Radulphus more *Romano* fieri dicit: qui etiam aliquid præmittit, quod in cauſa fuerit, ut multi reſcinderentur, & etiamnum fieri queat: „De hymnis autem metricis valde curandum eſt, ne cantentur aliqui, niſi approbati & editi, ut ſupra dictum eſt. Reprobi autem ut plurimum noſci poſſunt, vel quia non ſunt generales, vel quia metrum habent corruptum. Ad Primam autem, Tertiam, Sextam, & Nonam hymni conſueti more *Romano* non mutantur.“ Defectum vero alium in hoc genere notanter in *Alemannis* deſignat: „Præterea in *Ambroſiano* officio ad Matutinas ſemper dicuntur duo hymni in principio & in fine. Et ſimiliter in *Romano* & *Benedictino* officio ad nocturnos dicitur unus hymnus, & ad Laudes alter: & hoc ſervant omnes religioſi & *Italici*, & *Gallici*, & *Anglici*. *Alemanni* autem in hoc degenerant.“ Sumit autem, ut alias, *Alemannos* pro *Germania* ſuperiore, ſeu prima. Ego tamen ſecus rem deprehendi in *Alemanniæ* noſtræ hymnariis, quorum antiquior *Rhenaugienſis* annorum circiter nongentorum, alter *San-Gallenſis* circ. 800.

T. IV. Anecd.

Prop. XIII.

XIV. Diximus ſupra de orationibus, quæ ad ſingulas horas canonicas dici ſolent, ſubindeque etiam mentionem iniecimus moris antiquiſſimi ſingulis pſalmis orationes ſubnectendi, de quo auctor tractatus de Virginitate ſub nomine S. Athanasii: „Tot pſalmos (ait) dices, quot poteris: & ad quemlibet pſalmum preces & genuum inflexio cum lacrymis addatur pronuntiando Domino peccata tua, orandoque, ut tibi remittantur: & poſt tres pſalmos abſolutos dices *Alleluia*. Quodſi virgines tecum fuerint: & illæ quoque pſallant, & ſingulæ ſingulas preces effundant.“ Apud Cas-

Orationes.

Digitized by Google

Lib. II. de Inſtit. cœnob. c. 5. Cassianum perinde hic ritus *Ægyptiacorum* monachorum deſcribitur: „Cum ſedentibus cunctis (ut moris nunc eſt in *Ægypti* partibus) & in pſal-„lentis verba omni cordis intentione defixis, undecim pſalmos orationum „interiectione diſtinctos contiguis verſibus parili pronuntiatione cantaſſet: „duodecimum ſub *Alleluia* reſponſione conſummans ab univerſorum ocu-„lis repente ſubtractus, quæſtioni pariter & cærimoniis finem impoſuit." Pariter poſtea ſuæ regionis, id eſt, *Galliarum* ritum deſcribit hoc ſolum diſcrimine apud *Ægyptios*: „Ut finito pſalmo non ſtatim ad incurvationem „genuum corruant, quemadmodum facimus in hac regione nonnulli, qui „nedum bene finito pſalmo in orationem procumbere feſtinamus." Proſtat T. II. Opp. p. 435. Ven. Thomasii *Orationale, ſive orationes & preces eccleſiaſticæ iuxta antiquiores eccleſiæ Romanæ ritus, ex eiusdem vetuſtis codicibus digeſtæ.* Disquirit vero de hoc more Thomasius præfat. in pſalterium ſuum, quod ſecundis curis editum habetur T. III. Operum, ubi huiusmodi orationes, uti etiam Cassander in Liturgic. ſingulis pſalmis ſubiecit, atque ita pſallere ſolitus erat venerabilis Thomasius. Adducit inter alia canonem *Agathenſis* concilii an. 506. quo præſcribitur, *ut poſt antiphonas, collectiones per ordinem ab epiſcopis vel presbyteris dicantur.* Ac ſubdit: *Id quod numquam intelliges, niſi ritum pſallendi Galliarum antiquum prænoveris, quem in præſenti (aliquibus tamen immutatis) repræſentat breviarium Mozarabum, Hiſpaniarum ſcilicet ritus antiqui, conſimilis omnino priſco illi Gallicano veteri. Eo in breviario antiphonæ habentur cum acceſſione plurium verſuum, poſt quos repetantur: quæ ut plurimum ex pſalmis aut ex Prophetis ſunt deſumtæ. Hiſce antiphonis ſingulis orationes ſubiunguntur ex eodem ipſo pſalmo decerptæ, unde antiphona proxime cantata excerpta fuerat.* Miror autem hinc in concilio *Matiſconenſi* Agrestium occaſionem accepiſſe S. Columbanum ſugillandi, accuſandique, quod plures collectas in divinis officiis multiplicari iuberet. (*c. 30.*)

Tales habentur in antiquiſſimo antiphonario apud Muratorium ex diſciplina S. Columbani, præterquam ad horas canonicas, & pro variis hominum generibus ac ſtatibus etiam poſt varia ſingillatim cantica & pſalmos. Videtur aliquid quoad partem ſed obſcurius Walafridus *Strabo* eius veteris moris indigitaſſe, haud dubie ex magiſterio S. Columbani eiusque diſcipulorum aliquamdiu in noſtra *Alemannia* relicti. *De reb. eccleſ. c. 22.* „Solebant (in-„quit) non ſolum inter officia Miſſæ, verum etiam in aliis orationibus, „conventibus, & collocutionibus, qui cæteris aderant eminentiores, bre-„vi oratione opus concludere, quod & in Sanctorum exemplis agnoſci-„mus, dum alii alios honorificentiæ cauſa orationes colligere poſtulabant." Huc reſpicit Canon 5. *Barcinonenſis* Concilii: *Ut epiſcopo præſente orationes*

nes presbyteri non colligant. Quod utique ad publicos liturgicos conventus pertinet. Habentur in antiquis ſacramentariis, eisque *Gregorianis* magno numero orationes ſimul collectæ e.g. *Pro peccatis*, *orationes quotidianæ*, veluti in noſtro, ac etiam Pamelii, Menardi, Muratorii, paſſimque in manuſcriptis. *In Adventu*, *item Paſchales*, quæ apud Muratorium pro variis hominum ſtatibus deſignantur, apud Pamelium de S. Cruce, ſeu ad Crucem, de B. Maria &c. præter conſuetas in Miſſa ac ſingulares ad horas canonicas, ut ſupra demonſtravimus, quæ in omnibus veteribus ſacramentariis maiori longe, quam nunc, numero habentur ritu *Romano*. *T. II. p. 586.*

Unde mirum videatur, quod apud Ioannem *Diaconum* in libello de eccleſia *Lateranenſi*, quem Mabillonius edidit, legitur. „Hæc (eccleſia „*Lateranenſi*) reſervans apoſtolicam inſtitutionem nonniſi dominica in officiis utitur oratione: quoniam aliæ orationes poſtea ſunt ſuperadditæ... „Sunt præterea aliæ quædam collectæ ad matutinas vel veſperas intitulatæ, „quæ ab apoſtolico, vel ab eius ſeptem collateralibus epiſcopis tantum, & „non ab aliis penitus in ipſa eccleſia dici poſſunt.“ Intelligenda ergo hæc ſunt de orationibus illis, quæ copioſe in antiquis ſacramentariis leguntur. Longe autem Durandus, & qui eum ſecuti ſunt, aberrarunt, qui eccleſiam *Lateranenſem* nec in ipſo Miſſæ ſacrificio, nec in aliis partibus divini officii, aliis orationibus, quam dominica, uſam olim exiſtimarunt. „In „eccleſia *Lateranenſi* (ſunt Durandi verba) nunquam dicitur oratio: ſed „in Miſſa, & in omnibus horis loco orationis alta voce pronuntiatur oratio dominica, quæ in novo Teſtamento prima oratio fuit: nam & in „primitiva eccleſia ſic fiebat.“ Vide Præfat. in vetus Miſs. *Lateran.* pag. XXXII. &c. *T. II. Muſ. It. p. 566.* *Ration. L. II. c. 15. n. 17.*

XV. Integri etiam peculiares curſus coaluere privata pietate præter ordinarium, uti de S. Udalrico *Auguſtano* epiſc. in eius vita ſcribitur: „Curſus ſcilicet quotidianus cum matriculariis in choro eiusdem matri„culæ ab eo caute obſervabatur, quandocunque ei domi manendum aliæ „occupationes conſenſerunt. Inſuper autem unum curſum in honore ſan„ctæ Mariæ genitricis Dei, & alterum de ſancta cruce, tertium de om„nibus ſanctis &c.“ *Curſus B. V., officium defunctorum, omnium Sanctorum, ac commemorationes. Act ord. S. Bened. ſæc. V. p. 426.*

Officium defunctorum tunc etiam cum officio canonico expleri ſolitum publice paullo poſt narratur: „Matutinis namque laudibus expletis, „aurora diei prima illuceſcente, aliis orationibus expletis pſallere pſalte„rium cœpit: quo expleto & letania expleta aliis orationibus firmiter „inſiſtebat uſque dum ſignum ad vigilias defunctorum ſonaret, quo au„dito ſtatim ſurrexit, & cum fratribus vigiliam celebravit & Primam.“ *p. 427.*

Sed

Digitized by Google

Sed dudum ante, ineunte nimirum ſæculo nono idem uſus in cap. 11. monachorum ad *Augiam* directorum notatur: „Defunctorum vigilia hoc „ modo ab eis celebratur. Veſpera ſolito finita, ſtatim veſperam cum „ antiphonis celebrant pro defunctis; & poſt completorium vigiliam cum „ antiphonis vel reſponſoriis pleniſſime atque ſuaviſſime canunt, & poſt „ nocturnas intervallo matutinos pro mortuis faciunt."

De inſtitutione officii parvi B. M. V. laudatus *Io. Bapt.* TROMBELLI T. V. diſſert. IX. poſt MABILLONIUM, MARTENIUM &c. agit. Unde ſtatui poſſit, an auctor vel reſtaurator cenſeri debeat, ut publice etiam in eccleſia diceretur, PETRUS *Damiani:* qui de hac re ſic ſcribit ad ſuos eremitas *Gamugnenſes: Statutum erat, atque iam per triennium fere ſervatum, ut cum horis canonicis quotidie B M. ſemper virginis officia dicerentur.* Legi ea epiſtola meretur, & quæ præceſſerat ad STEPHANUM monachum. Editum ab eo officium extat T. IV. operum. Card. BONA in libro de divina pſalmodia perhibet in monaſterio *Cryptæ Ferratæ* officia de B. M. per totum annum extare Mſſ. BARONIO teſte ad an. 1056. n. 5. ex eodem fonte manaſſe creditur, ut illud ipſum officium toto chriſtiano orbe occidentalis eccleſiæ non a monachis tantum & clericis, ſed etiam a laicis viris, atque mulieribus quotidianis penſis perſolvatur. *Germaniam* quod ſpectat, BERTHOLDUS *Conſtantienſis* ad an. 1092. tradit. „In „ hoc anno quatuor presbyteri non parvi nominis inter ſuos & religio„ nis ex *Suevia* peregrinantes *Hieroſolymam* profecti ſunt, qui poſt mul„ tas tribulationes & anguſtias in ipſo itinere cum redirent in bona con„ feſſione fatis feliciter obiere. Quorum unus, qui S. MARIAM quotidia„ no officio ſingulari devotione venerari conſuevit, ad eccleſiam S. MARIÆ „ in ipſo mari, priusquam moreretur, per navim Deo ordinante portari „ meruit &c." Statutum fuit paullo poſt in conc. *Claromontano* 1095. ſub URBANO II. *Ut horæ beatæ MARIÆ quotidie dicerentur, officiumque eius diebus ſabbati fieret.* In concilio *Monaſterienſi* an. 1279. ſtatuitur, *ut clerici. . . . horas canonicas, & Dominæ noſtræ beatæ MARIÆ virginis omni die nullus eorum dicere prætermittat.* Et in ſtatutis ſynodalibus IOANNIS epiſc. *Leodienſis* an. 1287. *Nullus clericus in ſacris ordinibus conſtitutus vel beneficium habens eccleſiaſticum, horas canonicas & beatæ MARIÆ qualibet die diſtricte & diſcrete dicere prætermittat.* Taceo, quæ iam citatus Card. BONA & MARTENIUS lib. I. de monach. rit. c. 2. n. 17. de uſu antiquiſſimo *Caſinenſi* notarunt; qui ad nos a *Cluniacenſibus* venit, de quo TROMBELLIUS Ven. PETRI abb. *Cluniacenſis* affert teſtimonium, qui circa medium ſæc. XII. claruit.

Lib. VI. ep. 32.

Ib. ep. 29.

c. 12. §. 2.

Apud Urſiſ. p. 367.

T. III. Conc. Germ. p. 645.

Ib. p. 698.

In

In conſtitutionibus *Hirſaugienſibus* S. WILHELMI ſtatuitur: „In die „ nativitatis Domini, & eius octava & in feſtivitate omnium ſanctorum „ curſus cotidianus de S. MARIA recitandus eſt, & ſemper uno eodem-„ que modo canendus, niſi in adventu Domini, & infra Nativitatem ip-„ ſius.“ Privatim, ac etiam in itinere conſtituti officium hoc peragere debebant iuxta præſcriptum eiusdem S. WILHELMI *Hirſaug.* „Iter agens „ debet etiam ex uſu cantare curſum S. MARIÆ.“ *Lib. II. cap. 54.* *Ib. c. 18.*

Frequentabatur porro apud noſtros officium quotidianum de omnibus Sanctis, ut paſſim in monumentis liturgicis reperi, & apud MARTENIUM videre eſt de antiquis monachorum ritibus lib. I. c. 3. ubi matutinas laudes & veſperas integras refert, quando nunc fiunt ſuffragia ſeu commemorationes, vel etiam memoriæ Sanctorum nullo die intermiſſæ iuxta ordinem noſtrum operis Dei ſæc. XIV. demum poſt *Benedicamus Domino* celebratæ: ubi quoque aliæ commemorationes feſtorum, ſeu eorum octavæ intercurrentis dicebantur. *Ed. in fol. p. 42. & 99.*

XVI. Rarius vero ſtatutum aliquid inveni in Mſſ. aut etiam editis breviariis *Alemanniæ* noſtræ ante adoleſcens ſæculum decimum ſextum de antiphonis B. M. ad finem officii dici ſolitis. Deprehendi in pſalterio *Rhenaugienſi* an. 1459. antiph. *Regina cæli* cum ea variatione, ut loco *reſurrexit*, in feſto Aſcenſionis caneretur *cælos aſcendit*, & in Pentecoſte *Spiritum ſanctum miſit.* Nihil vero de viſo angelo, qui eam antiphonam cœlitus detulerit, in idoneis documentis legitur, dum ineunte pontificatu S. GREGORII M peſtis graſſaretur, nec apud PAULUM & IOANNEM diaconos, qui accuratius vitam S. Pontificis ſcripſerunt, nec apud GREGORIUM *Turonenſem* & BEDAM. Is vero GREGORIUS ſc. *Turonenſ.* ex diaconi ſui, qui tunc *Romæ* erat, relatione, uti & cæteri ſupplicationes publicas ea de cauſa indictas deſcribens, narrat, veniſſe omnes choros pſallentium ad eccleſiam clamantes per plateam *Kyrie eleiſon.* *Antiphonæ de B. M. V.*

De HERMANNO *contracto* refert TRITHEMIUS in Chr. *Hirſaug.* ad an. 1005. „Hic eſt HERMANNUS ille, qui dulciſonam de beatiſſima virgine „ MARIA compoſuit antiphonam. *Salve regina mater miſericordiæ.* Et il-„ lam. *Alma redemtoris mater.*“ IOAN. *eremita* in vita S. BERNARDI narrat, ſanctum in eccleſia voce angelica audiviſſe „decantari antiphonam *Sal-„ ve regina* ex integro uſque in finem. Quam cordetenus retinens & „ poſtea ſcripſiſſe, atque Domino papæ EUGENIO transmiſiſſe refertur, ut „ ex præcepto auctoritatis apoſtolicæ per eccleſiam ſolemnis haberetur in „ honore beatæ & glorioſæ virginis Dei genitricis MARIÆ, quod & fa-„ ctum eſt, ut adhuc plerique teſtantur.“ Hæc ille ſæculo demum XVI. ſilentibus anterioribus vitæ ſcriptoribus. *Guilielmus* EISENGRENIUS in chronico *Spirenſi* narrat S. BERNARDUM in legatione *Germanica*, dum in *Lib. II. c. 7.*

eccleſia eam antiphonam audiſſet *Spiræ*, genuflexum ultima adieciſſe verba: *O clemens, o pia, o dulcis virgo Maria.* Habentur inter ſuppoſititia opera S. Bernardi tres ſermones & una meditatio in *Salve regina*, quæ eſt fragmentum c. 19. part. 3. Stimuli amoris, inter opuſcula S. Bonaventuræ. Quidam putant eſſe Anselmi *Lucenſis* epiſcopi, qui ante Bernardum natum devixit. Non ergo Bernardus eſſet auctor clauſulæ huius antiphonæ *O clemens &c.* cum ab hoc auctore afferatur; Ut Mabillonius prænotat ad illam meditationem. Et in præfatione in T. V. & VI. obſervat quatuor ſermones in antiphonam *Salve regina* Bernardo archiepiſcopo *Toletano* tribui a *Claudio* De Rota in notis ad pſeudo Luitprandum p. 451. ubi auctor prædictæ antiphonæ Petrus *Compoſtellanus* appellatur. Quem eundem auctorem facit etiam Durandus. De auctore ſuaviſſimi huius cantici agit *Io. Bapt.* Trombelli T. V. differt. X. quæſt. 2. ſequenti dein quæſtione 3. de auctore reliquarum trium, ignorari faſſus, a quo compoſita fuerit antiph. *Ave regina cœlorum:* „antiqua eſt tamen (addit) & ſi vera ea ſunt, quæ antea tradidi (quæſt. 1.) „ab ipſis fere inſtituti ordinis a *Franciſcanis* canebatur. Refert nempe „Wadingus in annal. *Franc.* ad an. 1249. Ioannis *Parmenſis* epiſtolam, „in qua cavetur, ut nihil omnino addatur in cantu vel litera ſub alicuius feſti, ſeu devotionis obtentu in hymnis ſeu reſponſoriis, vel antiphonis, ſeu proſis, aut lectionibus vel aliis quibuslibet Beatæ Virginis antiphonis videlicet: *Regina cœli*, *Alma Redemtoris*, *Ave Regina* „*cœlorum*, *& Salve regina*, quæ poſt completorium diverſis cantantur „temporibus.“ Plura dabit laud. Trombellius l. c. q. 1. „A quo tempore eæ, quas dicimus, antiphonæ in eccleſiaſticum officium inductæ ſint.“

Ration. lib. IV. c. 22.

In officio B. V. quod recenſetur in append. ad novam editionem chronici *Caſinenſis*, ad finem notatur antiph. *Salve Regina* cum oratione *Omnipotens.* Ut porro Martenius refert de antiquis monach. rit. in Mſſ. ſtatutis Capituli *Floriacenſis* c. 4. præſcribitur: „In fine Completorii loco antiphonarum, quæ dicuntur de B. Maria videlicet: *Completa ſunt*, & *Ecce completa ſunt*, debet alia antiphona ſcilicet: *Alma redemtoris*, aut *Salve regina*, ſeu quælibet alia antiphona ad libitum cantoris ſingulis diebus „in conventu ſolemniter decantari.“ Proxime retulit alia eiusmodi ſtatuta de antiphona & collecta eiusmodi de B. M. V. dicenda, ſed nulla denominatur. In Mſc. muſico ann. circ. 400. bibliothecæ noſtræ tropos ac verſus ſuper *Salve regina*, *Ave regina*, nec non motetos ſuper *Salve*, & *Alma redemtoris mater*; ſed integræ nunquam ponuntur, ut certo dici poſſit, eaſdem omnino, quæ nunc ſunt, uſitatas fuiſſe. Inde tamen earum melodiam familiarem valde fuiſſe colligitur, quod ceu omnibus cognita ſupponatur pro *tenore* in contrapuncto melodia *Salve regina* & *Alma redemtoris mater*, ut notavi de Cantu & Muſica eccleſiaſtica &c. DIS-

pag. 20. Lib. I. c. 12. n. 17.

Digitized by Google

DISQUISITIO IX.

DE FESTIS.

CAPUT I.

De Feſtis DOMINI.

I.

Dies Feſti per annum. T. I. pag. 758.

Feſtum, ut pulchre quidam (inquit ORIGENES THUCYDIDEM citans lib. VIII. contra CELSUM n. 21. & 22.) vel a *Græcis* Sapientibus di-„xit, *nihil eſt aliud, quam officium facere;* „& ſane feſta vere ille celebrat, qui ſuis officiis „fungitur, qui orat perpetuo, qui Deum ſuis „invocando precibus incruentas nulla intermiſ-„ſione hoſtias offert. Quamobrem mihi vide-„tur a PAULO magnificentiſſime dictum eſſe: „*Dies obſervatis & menſes, & tempora, & an-„nos, timeo vos, ne forte ſine cauſa laborave-„rim in vobis.* Hic mihi obiiciet ea, quæ Dominicis, Paraſceves, Paſcha-„tis, Pentecoſtes diebus apud nos fieri ſolent; reſpondendum eſt, perfe-„ctum Chriſtianum, qui verbis, operibus, & cogitationibus cum verbo „Dei ſuo natura Domino verſatur, ſemper eſſe in eius diebus, ſemper agere „dies dominicas." Tametſi vero hac ratione recte feriæ ſingulæ per hebdomadam vocentur ob perſonas eccleſiaſticas iugi Dei ſervitio ac liturgicis functionibus addictas, præcipui tamen aliqui dies ac ſtata tempora a

Digitized by Google

cæteris etiam fidelibus ferianda, divinisque officiis dicanda peculiariter ſemper ſunt conſtituta. *Eſt aliquis*, ut habetur in altero apud REGINONEM *inquiſitionis* libello, qui pro laicis eſt, *qui in die dominico, vel in præcipuis feſtivitatibus quidquam operis faciat, & ſi ad matutinas, & ad miſſam, & ad veſperas his diebus inprætermiſſe omnes occurrant?* Idcirco paullo poſt in unaquaque parochia decani per villas conſtituendi deſignantur viri veraces & Deum timentes, qui cæteros admoneant, ut ad eccleſiam pergant ad matutinas, miſſam & veſperas, & nihil operis in diebus feſtis faciant. Inter articulos a WALTHERO ep. *Argent.* adverſus Quæſtuarios, nominatim M. HENRICUM, propoſitos in conc. *Mogunt.* an. 1261. hic eſt quintus: *Quod nullus tenetur diebus dominicis & feſtivis accedere propriam parochiam.* De nomine *Miſſæ* feſtis quibusdam indi ſolito diximus ſupra initio diſquiſ. IV. ex populi frequentia ad miſſas celebriores confluentis.

T. II. Conc. Germ. p. 515. c. 57.

c. 69.

T. III. Conc. Germ. p. 615.

Nihil frequentius eſt in veteribus noſtris Annaliſtis, quam præcipuorum feſtorum annotatio, quibus in urbibus ac eccleſiis easdem per vices reges noſtri, ac imperatores celebrarint. Sic paſſim Nativitatem Domini, feſtum paſchale, ſacra Quinquennalia, ac Penteceſten hinc inde diſcurrentes per imperium ſolemniter in præcipuis agebant eccleſiis cathedralibus, vel etiam monaſteriis.

Uſu eccleſiaſtico multiplex hic fuit feſtorum diſtinctio celebrandorum *in albis*, *in cappis*, prout in hodierno *Mozarabico* Calendario notantur feſta novem, ſex, quatuor capparum ac paſſim trium, quinque, ſeptem cereorum, veluti de eccleſia *Remenſi* & *Turonenſi* DE-MOLEON in Itin. lit. p. 177. notat, & frequenter in monumentis *Alemannicis* obſervavi de vario numero cereorum, qui ſuccendi ſolebant, varioque ornatu eccleſia veſtiri pro ratione feſtorum *ſummorum*, *maximorum*, *maior maiorum &c.* Quæ ſolent in antiquis ordinibus operis Dei MSſ. mox initio articulatim deſcribi ac annumerari, ipſa vero feſta in calendariis ordine poni, qualia edita ſunt antiquiſſima a BUCHERIO, FRONTONE, DACHERIO, MABILLONIO, MARTENIO, MURATORIO, BOLLANDISTIS &c. Ex illis non pauca ſunt, nec proletaria, quæ *Alemanniam* noſtram ſpectant, ut ſupra indicavi; alia autem his addendi inter monumenta liturgiæ *Alemannicæ*, vita ſoſpite, ſuus erit locus. Apud S. HIPPOLYTUM epiſc. & mart. adoleſcente ſæc. III. de chariſmatibus tradit. apoſtol. leguntur conſtitutiones ſub nomine SS. PETRI & PAULI apoſt. *de diebus quibus famuli debeant feriari*, quæ habentur lib. VIII. conſtit. apoſt. c. 33. ſed feſta apoſtolorum & martyrum ferianda præſcripta, tum ipſa feriandi ratio tantam non ſapiunt antiquitatem. Enumeratio feſtorum Domini, quæ oportet obſervare, legitur lib. V. c. 13. &c. Add. notæ.

T. II. Bibl. PP. p. 509.

II.

Digitized by Google

II. Cum fuerit varia anni etiam eccleſiaſtici auſpicandi ratio, iuxta antiquiſſimas tamen liturgias a Natali Domini, ſeu eius vigilia menſe *Decembri* anni eccleſiaſtici initium fit, qui a Carolo dictus eſt *Helmonat, Heylmonat*, menſis ſalutaris ſeu ſalutis, hodieque ab eo feſto nobis dicitur *Chriſtmonath.* Fuit porro *Romæ* etiam gentilis mos a brumali ſolſtitio ordiendi annum. Anni eccleſiaſtici exordium in liturgiis a vigilia Natalis Domini.

Bruma novi prima veteriſque noviſſima Solis
Principium capiunt Phœbus & annus idem.

Ut canit Ovidius. Facit huc, quod ſupra ad finem Diſquiſitionis VII. pag. 792. notavimus de eo, quod non *tam de Nativitate Chriſti*, ut S. Leonis verba repetam, *quam de novi, ut dicunt, Solis ortu honorabilis videatur*, atque in antiquiſſimo Calendario *Bucheriano* ad diem 25. *Decembris* ponitur *Natalis Invicti*, quemadmodum etiam in laudata loc. cit. antiquiſſima homilia vocatur, explicaturque de cultu *Deo invicto Soli* a ſuperſtitione paganica præſtito (Sole tunc reditu ſuo orbem noſtrum beante) quem recte Chriſtiani ad novum ſidus ſtellam ex Iacob orientem transtulerunt, etſi extra controverſiam poſitum haud ſit, revera natum ea nocte in diem 25. *Dec.* fuiſſe, poſt ſolſtitium hybernum opportunum ex ſe ad annui temporis revolutionem terminandam: „Habeamus ergo fra„tres (monitum eſt S. Augustini Serm. VII. in Nat. D.) ſolemnem iſtum T. V. p. 82. „diem non ſicut infideles propter hunc Solem, ſed propter eum, qui fe„cit hunc Solem. Quod enim Verbum erat, caro factum eſt, ut propter „nos poſſet eſſe ſub Sole: maieſtate autem ſuper univerſum mundum, in „quo condidit Solem. Nunc vero & carne ſuper iſtum Solem, quem pro „Deo colunt, qui mente cæci verum iuſtitiæ non vident Solem."

Idem vero anni apud veteres *Germanos* exordium *Ægid.* Strauchio in diſſert. de Computo veteris *Germ.* §. 20. ordo, quem in recenſendis anni *German.* partibus obſervat Tacitus, inferre videtur; ac id etiam, quod diem ſolſtitii hyberni olim vocarint *Matrem noctium.* Qua de re in eodem argumento de Computo Ven. Beda agit. Idque iam ſupra ex antiquioribus *Alemannicis* Kalendariis eccleſiaſticis notavimus noſtriſque liturgicis, quæ ab officio *Vigiliæ Natal. Dni ad Nonam* incipiunt.

Fuit mos uſque ad ſæculum XVI. uti ex Mſſ. & impreſſis miſſalibus, ac lectionariis conſtat, tam in vigiliæ, quam reliquis Miſſis Natalis Domini duas ad Miſſam cantare lectiones, ſeu epiſtolam & prophetiam pro more liturgiæ *Gallicanæ*, ubi etiam in miſſali *Gothico* ſingularis collectio poſt prophetiam notatur. In mſc. ordine operis Dei ſæc. XIV. *duo* notantur *ſubdiaconi, quod unus prophetiam, alter legat epiſtolam.* In ordine divini officii *Turicenſis* eccl. an. 1260. ſcripto: „Subtili indutus leget prophetiam,

 „alter

Digitized by Google

„ alter vero canonicus hebdomadarius ad epiſtolam ſubtili indutus imme-„ diate continuabit epiſtolam *Paulus ſervus &c.*“ Ex ordinario *Cabillonenſi* colligit Martenius plures olim in hac vigilia dictas fuiſſe prophetias, dum ita præſcribit: *Ad Miſſam prophetiæ in albis leguntur, & a Clericis ad ſubſtallum.* Numerum determinare videtur Pontificale mſc. *Salisburgenſis* eccleſiæ his, quæ idem adducit Martenius, verbis: *In vigilia Nativitatis Domini quinque lectiones leguntur cum totidem reſponſoriis.* Ac ſubdit: *Niſi forte hæc verba de lectionibus matutinarum, quis intelligere velit.* Certe cum alias prophetiis in IV. Temp. reſponſoria ſubdi ſoleant, hic ut in reliquis Miſſis Natalis Domini haud raro rubrica additur, poſt lectionem propheticam *ſine intervallo* ſequi debere lectionem apoſtoli. Quod nec ritui *Gallicano* congruit, prout nempe S. Germanus ſimul iungit: nam in *Luxovienſi* lectionario in Miſſa Nativitatis Domini inter Isaiæ lectionem & D. Pauli epiſtolam *Daniel cum benedictione* notatur. Vid. Vezzos. Præfat. in T. VI. Opp. Ven. Thomasii pag. LI. LII. Aliquando etiam prophetia poſtponitur lectioni apoſtoli, ſeu epiſtolæ, ut in libro Comitis apud Baluzium videre eſt, & etiam in noſtris monumentis obſervavi.

De antiq. eccl. diſc. C. XI. p. 79.

T. II. Capitul. p. 1309.

Natale Domini.

III. Fuerunt non pauci viri docti, qui noctem ſacratiſſimam Natalis Domini vernacula noſtra lingua *Weynacht* a vino dictam perperam exiſtimarunt. Equidem Tacitus ſubinde ebrietatis ac vinolentiæ *Germanos* arguit, & Salvianus idem nominatim in *Alemannicis* carpit. Singulariter Tacitus memorat, diem noctemque continuare potando non fuiſſe probrum, atque etiam ad ſacra feſta quædam hic ex veteri ſuperſtitione relicta fuiſſe mox patebit. „Hinc (ſcribit B. Rhenanus) quibusdam adhuc feſtis „ diebus apud nos a nocte cognomentum, ut eſt ille ſub *Kalendas Ianua-„ rias*, quo iuxta ritum chriſtianum Servatoris noſtri Natalem celebramus, „ antiquo vocabulo, & haud dubie ex Ethnicorum obſervationibus relicto „ *Vuin-nacht* appellatus, a vino ſcilicet conviviisque.“ Ubi certe fallit eum ratio: cum ita peropportune dicatur *Weyh-nacht* ob ſacra nocturna conſtanter hac nocte celebrari ſolita *media nocte*, *primo pullorum ſeu gallorum cantu*, *vel gallicinio.* Etiam in miſſali *Gallicano* veteri *in media nocte Nativitatis Domini* Miſſa ponitur; licet illo ritu una tantum Miſſa in editis ſaltem ponatur, uti etiam in miſſali *Mozarabum*, & *Ambroſiano* apud Pamelium, dum tamen *Ambroſiano* ritu tres dicuntur. Dubitarunt aliqui, an gallorum cantus mediam noctem deſignet. Quod ex variis titulis Miſſæ primæ Natalis Domini palam eſt. Notandus eſt canon Concilii *Saleguunſtad.* an. 1022. „ Ut presbyter poſt galli cantum bibens æſtivis no-„ ctibus proximo die Miſſam non celebret, hyemalibus ſimiliter, niſi „ ſumma neceſſitas cogat.“

Lib. IV. de Gubernat.

lib. II. Rer. German. p. 162.

T. III Conc. Germ. p. 56.

Di-

Digitized by Google

Diſcimus ex Amalario etiam duplex officium nocturnum fuiſſe celebratum in una illa nocte, alterum „in vigiliis & in eccleſia S. Mariæ ad „ præſepe ſine invitatorio, alterum... ſolent clerici canere in eccleſia S. „ Petri cum Invitatorio, *Chriſtus natus eſt nobis*, nocturnali tempore, quan- „ do populus ſolet ad officium ſurgere.“ Et tamen ſtatio tunc in ſacramentariis ad S. Mariam aſſignatur, ac in tertia demum miſſa *in die ad S. Petrum.* Quam ſtationem iam ſæc. IV. ſub Liberio obtinuiſſe ex S. Ambroſio diſcimus ita Marcellinam ſororem alloquente: a) „Namque „ is (Liberius) cum in Salvatoris Natali ad apoſtolum Petrum virgini- „ tatis profeſſionem veſtis quoque mutatione ſignares (quo enim melius „ die, quam quo virgo poſteritatem acquiſivit?) atque adſtantibus etiam „ puellis Dei compluribus, quæ certarent invicem de tua ſocietate: Bo- „ nas (inquit) filia nuptias deſideraſti. Vides, quantus ad Natalem ſpon- „ ſi tui populus convenerit; & nemo impaſtus recedet.“ Gregorius VII. ſæculo XI. ob brevitatem dierum publicam Miſſarum ſtationem in die Natalis Domini apud *S. Mariam maiorem* faciendam cenſuit. Id quod hodieque *Romæ* fit. a *Lib. III. de virgin. ad Marcellinam. n. 1.*

Habetur etiam peculiaris miſſa de S. Anaſtaſia in veteribus ſacramentariis & quidem in antiquiſſimo noſtro, miſſa *In natali* S. Anaſtaſiæ diſtincta præcedit alteram in *primo mane.* In ſacramentario *Leonino* ponitur eodem die VIII. *Kal. Ianuarii* „Natale Domini & martyrum Paſto- „ ris, Baſilei, & Ioviani, & Victorini, & Eugeniæ, & Felicita- „ tis & Anaſtaſiæ.“ De S. Eugenia in antiquo noſtro breviario ordinis eccleſiaſtici habetur: „Geſta S. Eugeniæ vel eius commemorationem „ pridie natalis Domini tantum ad vigilias celebrentur.“ Nihil poſtea de S. Anaſtaſiæ miſſa propria. Miſſa prima poſt matutinum officium aſſignatur: „Expletis vero matutinis præparent ſe, qualiter miſſas celebrare de- „ beant, & ut gallus cantaverit, mox cum omni decore vel ordine ſa- „ cerdotes ad miſſas ingredientur. Expleta vero miſſarum ſolemnitate „ communicent omnes, & in ipſa nocte ad Miſſas ſemper *Gloria in ex- „ celſis*, *Credo*, cætera pariter canunt. Deinde mox luce ſuperveniente „ procedunt ad aliam eccleſiam, & ſimiliter celebrant aliam miſſam, ſi- „ cut & prius. Similiter item competente hora diei procedant ad eccle- „ ſiam, *T. I. lit. Rom. p. 467.*

a) Idem S. Pater lib. *Exhortat. Virginitatis* c. 7. *Paſchæ diem; de lapſu* vero *virginis conſecr.* c. 5. ipſam diem S. Dominicæ reſurrectionis huic ſolemni actioni deſtinatam teſtatur. Supra de hac conſecratione virgin. tractantes ſacramentarium *Gelaſianum* p. 537. citavimus, ubi in Epiphania, vel ſecunda feria Paſchæ, aut in apoſtolorum natalitio celebrari dicitur; idem epiſcopis *Lucaniæ* præcipit cap. 12. *Devotis quoque Deo virginibus, niſi aut Epiphaniorum die, aut in Albis paſchalibus, aut in apoſtolorum natalitiis ſacrum minime velamen imponant.*

„ ſiam, & celebrent miſſas ſacræ nativitatis Domini. Unam poſtquam „ gallus cantaverit; aliam mane prima, tertiam in die, ſicut moris eſt „ in honore ſanctæ Trinitatis celebrentur, ſicut ſanctus GREGORIUS in hu- „ meliis ſuis loquitur dicens: *Quia Miſſarum ſolemnia ter &c.*"

Muſ. Ital. T. I. P. II. p. 290. In ſacramentario *Gallicano* Genealogia Chriſti ſecundum MATTHÆUM ſed breviata ponitur, & mox aliud evangelium de Magis. Solemnis fuit, uſque ad proximam ætatem, ut ex MSſ. & impreſſis monumentis conſtat, Genealogiæ huius cantus ante *Te Deum laudamus*, ac primam miſſam. *Supplem. lib. IV. apud. Mabill. Annal. p. 96.* „ In nocte vero (inquit AMALARIUS) nativitatis Domini ideo mos eſt poſt „ evangelium MATTHÆI, quod declarat genealogiam Chriſti, recitari ab „ abbate, qui ipſum legit evangelium, *Te Deum laudamus.*" RUPERTUS *Tuitienſis* de hac re agit copioſe peculiari capite 18. lib. III. de div. off. *Cur tunc legitur liber generationis ante primam miſſam.* In ord. div. off. chori *Turicenſis* an. 1260. ita præſcribitur ritus: „ Poſt ultimum ℟. *Ver- „ bum caro* repetitur, & cum neuma finali decantatur. Et interim ple- „ banus ſacerdotalibus indutus deferens plenarium ſcholaribus præceden- „ tibus cum thuribulo, cruce, vel cereis de ſecretario ad cancellos pro- „ cedens, & ibi finito reſponſorio leget evangelium *Liber generationis.* „ Quo finito incipit, *Te Deum laudamus.*"

Poſt *Te Deum laudamus* alicubi in uſu erat officium paſtorum (cuius- modi alia infantum, ſtellæ, ſepulchri temporibus ſuis frequentabantur) quod finita miſſa continuabatur, ſuntque ad hoc accommodatæ hodiernæ ad- *Not. in Ioan. Abrincenſem p. 118.* huc antiphonæ in laudibus. „ Finita miſſa (ut eſt apud PREVOTIUM) ſa- „ cerdos, qui miſſam cantaverit, vertat ſe verſus paſtores, & dicat: *Quem „ vidiſtis paſtores. Dicite annuntiate nobis in terris quis apparuit?* Pa- „ ſtores reſpondeant: *Natum vidimus.*" Alterum eius generis eſt in ter- tia miſſa ad ipſum Introitum *Hodie cantandus eſt*, de quibus in opere de Cantu & Muſica eccleſiaſtica. Ad primas veſperas in Nat. D. pſalmi *Laudate pueri. Laudate Dominum omnes. Laudate Dominum quoniam bonus. Lauda Ieruſalem*, de quibus ſupra, notantur, ac inſcribi ſolebant: *Ad omnia Laudate.*

Cum octava. IV. Antiphonæ de veſperis Nativ. Domini, ſolent per octavam con- tinuari. Olim uſque ad Epiphaniam, feſtis Sanctorum occurrentibus, no- cturnum pariter ac diurnum officium ita diſtribui ſolebat, ut videre eſt *Explic. T. II. p. 251.* apud De-VERT & in monumentis etiam *Alemannicis* deprehendi. In bre- viario ord. eccleſ. generatim præſcribitur: „ Poſt nativitatem vero Do- „ mini uſque in octavam præter Sanctorum feſtivitatibus omne officium „ divinum tam in die quam in nocte de ipſa die natalis Domini canen- dum.

Digitized by Google

„ dum. Octabas Domini in omni officio divino nocte & die ordine, quo „ in natale Domini in omnibus obſervetur. Deinde uſque in Theophania præter dominicis diebus vel natalitiis ſanctorum de cotidianis diebus canetur.“

In antiquiſſimis ſacramentariis noſtris una habetur miſſa in octava natalis Domini, quam ſequitur alia, *Item alia Dom.* ut habet *Rhenaugienſis* cod. & *San-Blaſianus.* Prior eadem eſt, quæ in ſacramentario *Gelaſiano* legitur: ubi in Præfatione circumciſionis fit mentio. In altero noſtro ſacramentario duæ miſſæ ſunt, altera de circumciſione, altera de octava. Card. BONA ex antiquis monumentis oſtendit morem veterem duas hoc die celebrandi miſſas, alteram de octava Nativitatis, alteram de B. virgine. Micrologus tamen dicit: „In octava Domini iuxta *Romanam* auctoritatem non officium *Puer natus eſt:* ſed *Vultum tuum*, ut in graduali libro habetur cum *Alleluia*, *Poſt partum virgo* cantamus, & orationem *Gregorianam Deus qui ſalutis æternæ;* non illam *Deus qui nos Nativ.* dicimus. Et notandum huius octavæ officium evidentiſſime de ſancta MARIA agere.“ In Miſſali *Gothico* miſſa legitur *In circumciſione Domini noſtri*, & in *Gallicano* lectionario *legenda in circumciſione Domini ad matutinum*, & mox *Ad miſſam.* Item *in dominico* poſt circumciſionem. In conc. *Turonenſi* an. 567. ſancitur: *Ipſis Calendis circumciſionis miſſa Deo propitio celebretur.* Eiusdemque, non vero octavæ in Capitularibus CAROLI M. fit mentio, ſed in antiquioribus Calendariis octavæ, in martyrologiis vero, utriusque octavæ, & Circumciſionis. In Mſc. noſtro ordine operis Dei ſæc. XIV. recentiori manu adhuc inſertum eſt ſtatutum capitulare, quo primum inter feſta ſolemniora Circumciſio eſt adoptata.

Lib. I. Rer. lit. c. 18. n. 6.

Cap. 19.

p. 112. ſeq.

V. In antiquiſſimo noſtro ſacramentario, prout ex codice ſan-*Gallenſi* ſupplevimus, ſingularis *Kal. Ian.* ponitur miſſa *probibendo ab idolis*, uti in GELASII ſacramentario, qui poſt alios ſummos pontifices ſæc. IV. & V. uti videre eſt apud BARONIUM not. ad hanc diem in martyrologio *Rom.* in eliminandis ſuperſtitionum paganicarum reliquiis ſtrenue elaboravit, quod eluceſcit ex huius pontificis epiſtola contra ANDROMACHUM ſenatorem. Notavit eandem miſſam MARTENIUS *ad probibendum ab idolis* in codd. regio 3865. *Gellonenſi*, *Remenſi*, *Noviomenſi*, & aliis quibusdam, MENARDUS in ſacramentar. *Gregorian.* & ad Concord. Regul. TERTULLIANUS varia eiusmodi notaverat: „Nobis (inquit) quibus ſabbatha „ extranea ſunt, & neomenia, & feriæ aliquando Deo dilectæ; *Saturnalia* & *Ianuariæ* & *Bruma*, & *Matronales* frequentantur. Munera com-

Miſſa *probibendo ab idolis*, ob ſuperſtitiones Kalend. Ianuarii.

De diſc. eccleſ. c. 13.

N. 134 cap. 50. §. 13.

De Idol. c. 14.

Digitized by Google

„ meant, ſtrenæ conſonant, luſus, convivia conſtrepunt.“ In actis S. Almachii M. legitur, cum ſpectacula cerneret gladiatorum, quæ calendis *Ianuarii* dabantur coram populo, clamaſſe: *Hodie octavæ dominici diei ſunt, ceſſate a ſuperſtitionibus idolorum, & a ſacrificiis pollutis. Factoque populi impetu trucidatus eſt coram* Alipio *urbis præfecto, ſub* Theodosio M. Unde patet, quam ſub Chriſtianis adhuc principibus populis eiusmodi ſuperſtitiones inolitæ fuerint. In quas invehuntur SS. Chrysostomus hom. in Cal. Augustinus item peculiari ſerm. 198. qui eſt ſermo ſecundus ad hunc diem *Ianuarii*; in appendice vero 129. cuius auctor S. Cæsarius creditur, & S. Maximus in ſerm. a Mabillonio edito, ubi variæ eiusmodi ſuperſtitiones notantur, veluti etiam in ſermone S. Faustini a Chifletio primum, deinde a Bollando, Asterii a *Combefiſio* edito T. II. auctarii Bibl. PP. p. 66. Variique variorum conciliorum contra easdem ſunt canones. In concilio *Turon.* II. an. 567. etſi a Natali Domini uſque Epiphaniam inſueta dicantur ieiunia, *quia omni die feſtivitates ſunt*, ex Patrum ſtatutis tamen repetitur: „Ad calcandum gentilium conſuetudinem Patres noſtri ſtatuerunt privatas in *Kalendis Ianuarii* fieri litanias, ut in eccleſiis pſallatur, & hora octava in ipſis „ Kalendis Circumciſionis miſſa Deo propitio celebretur.“ Hora autem octava ieiunii tempus declarat, quod etiam in laudato S. Augustini ſermone innuitur, & in pſalm. 98. 129. ſerm. item in append. Et in canone 11. concilii *Tolet.* IV. *Kalendis Ianuarii*, „quæ propter errorem „ gentilitatis aguntur, omnino *Alleluia* non decantatur. In quibus etiam „ præter piſcem & olus ſicut in aliis quadraginta diebus a cæteris carnibus „ abſtinetur, & a quibusdam nec vinum bibitur.“ Eiusdem ieiunii S. Isidorus de eccl. off. lib. I. c. 40. meminit, & auctor *de div. off.* ſub nomine Alcuini. Eadem autem ratio redditur, ob ſuperſtitiones. Canonem *Altiſiodorenſem I. Non licet vitula, aut cervulo facere*, huc exſplicavit Sirmondus adverſus *Petrum* Aurelium. Huius ſuperſtitionis meminit Pacianus in *paræneſi ad Pœnitentiam.* Atque in libris Pœnitentialibus etiam pœna ſtatuitur veluti ad calcem ſacramentarii *Gallicani*: *Si quis Kalendas Ianuarias in cervolo vel vicola* (vitula) *vadit, tres annos pœniteat.* Et apud Burchardum lib. XIX. c. 5. qui plura huc pertinentia lib. X. c. 12. &c. habet, Regino item lib. II. c. 365. 366. In Capitulari Gregorii II. Martiniano & aliis in *Boiariam* ablegatis, dato cavetur: *Ut incantationes & faſtidiationes ſive diverſæ obſervationes dierum Kalendarum, quas error tradidit paganorum, prohibeantur.* Scripſit poſtea ea de re S. Bonifacius ad Zachariam P. „Quia carnales homines idiotæ „ *Alemanni* vel *Boiarii* vel *Franci* ſi iuxta *Romanam* urbem aliquid facere „vide-

T. I. p. 967. T. V p. 634. T. I. Muſ. Ital. P. II. p. 17. T. I. Ian. pag. 2. ſeq. C. 17. Antirrh. II. cap. 9. Epiſt. 132.

Digitized by Google

„ viderint ex his peccatis, quæ nos prohibemus, licitum & conceſſum „ eſſe putant, & nobis improperium deputant, ſibi ſcandalum vitæ accipiunt. Sicut affirmant, ſe vidiſſe annis ſingulis in *Romana* urbe & iux- „ ta eccleſiam in die vel nocte, quando *Kalendæ Ianuarii* intrant, pagano- „ rum conſuetudine choros ducere per plateas, & acclamationes, ritu gen- „ tilium, & cantationes ſacrilegas celebrare: & menſas illa die vel nocte „ dapibus onerare: & nullum de domo ſua vel ignem vel ferramentum, „ vel aliquid commodi vicino ſuo præſtare velle &c.“ Reſcripſit Pontifex: „ De Kalendis vero *Ianuarii* vel cæteris auguriis, phylacteriis, & in- „ cantationibus, vel aliis diverſis obſervationibus, quæ gentili more obſer- „ vari dixiſti apud B. PETRUM apoſtolum vel in urbe *Roma*; hæc & nobis „ & omnibus Chriſtianis deteſtabilia & pernicioſa eſſe iudicamus &c“ Contra complures eiusmodi ſuperſtitiones, *Vulcanalia & Kalendas obſervare &c.* graviter S. PIRMINIUS invehitur in libello a MABILLONIO edito: „ Cervu- „ los & vehiculas in Quadrageſima vel aliud tempus nolite ambulare. Viri „ veſtes femineas, feminæ veſtes viriles in ipſis Kalendis, vel in alia luſa „ plurima nolite veſtire.“ *Analect. p. 69.*

In vita *Henrici* SUSONIS *Ulmenſis* de an. 1365. eiusmodi referuntur apud nos, & utinam non hodie mutato ſolum tempore ſacratiore ad Quadrageſimam propinquante in bachanaliis in more poſita eſſent. „ In *Suevia* „ (ubi ipſe oriundus erat) quibusdam locis ipſis Calendis *Ianuarii* ſolent „ adoleſcentes ſtolidi noctibus vagari & ambire a feminis, quas amant, „ ſertum quoddam, id eſt, cantilenas depromunt, & dulcia edunt car- „ mina ac modulos quosdam, aguntque quanta maxime poſſunt arte & in- „ duſtria, ut amicæ ſuæ quandam ipſis coronam præſtent“ Longum foret hic omnia recenſere ſtultitiæ & inſaniæ genera, quæ quibus originibus ad noſtra uſque pervenerint tempora, ex dictis colligere eſt. Vocem *Faſsnacht* apud nos uſitatam paſſim a doliis vini *Baccho* ſacris deducunt, inter alios *Io. Caſp.* ZEUMER diſſert. inſcripta *Bacchanalia Chriſtianorum Ienæ* 1691. ed. Extat ſenatus conſultum *Romanorum* contra *Bacchanalia* 186. annis ante Chriſtum natum in theſauro Cæſareo æri, utinam perenni memoria pectoribus ſaltem Chriſtianis inciſum, quod *Math.* EGIZIUS primum, deinde auctores novi tractatus diplomatici ediderunt explicaruntque: *De Bachanalibus, qui fœderati eſſent, ita edicendum cenſuere: ne quis eorum Bacanal habuiſſe vellet.* *Apud Boll. T. II. Ian. p. 658.* *T. II. pag. 547.*

Reduxiſſe iterum *Romanos* TERTULLIANUS conqueritur in Apolog. c. 6. & adhuc ſub VALENTE Imp. Orgiis *Bacchi* initiati palam per plateas curſitarunt bacchantes; THEODOSIUS autem ea poſtea, an. 388. imperio ſuffectus ſuſtulit teſte THEODORETO. Sanctiorem nobis imitationem CLE- *Lib. IV H. E c. 20. Admonit ad gentes.*

Digitized by Google

MENS *Alexandrinus* deſcribit in *monte ſancto Dei*: „In eo autem (inquit) „bachantur, non fulmine ictæ *Semeles* ſorores, *Mænades*, quæ inceſta vi- „ſceratione carnium imitantur, ſed Dei filiæ pulchræ agnæ, quæ veren- „da Verbi orgia celebrant, chorum moderatum congregantes. Chorus „ſunt iuſti: canticum eſt hymnus regi omnium. Pſallunt puellæ, glorifi- „cant angeli, prophetæ loquuntur: editur ſonus muſicæ, curſu *Thyaſum* „perſequuntur, magno ſtudio feſtinant, qui ſunt vocati, patrem cupien- „tes recipere &c.

Epiphania Domini cum baptiſmo ſolemni.

VI. In breviario ordinis eccleſiaſtici codicis *San-Blaſiani* & Capitulari ordinis eccleſiaſtici cod. *San-Gallenſis* eodem modo vigilia ipſum feſtum ac octava Epiphaniæ (quæ ſingula officium habent in antiquiſſimis noſtris ſacramentariis) iiſdem propemodum verbis celebranda deſcribuntur; tantum quod in Capitulari, quod ex cod. mille prope annorum exſcripſi, ritus baptiſmi ſolemnis in Epiphania ſimul annotetur, ut ſupra iam retuli. Sic vero officium præſcribitur: „Pridie Theophaniæ ieiunium publi- „cum eſt, & medium noctis tempore ingrediuntur ad vigilias, pſalmi „quoque aut lectiones vel reſponſoria de ipſa die canentes tantum, de „muneribus magorum & baptiſmo, de nuptiis, quæ factæ ſunt in *Cha-* „*na Galilea*, octavas theophaniæ, ſed & omni hebdomada uſque in octa- „vas ſemper theophaniæ canuntur. Expletis igitur nocturnis & matu- „tinis, mox cum cereis & candelabris canendo *Te Deum laudamus* in- „cipiunt letania, id eſt, *Chriſte audi nos*, & reliqua. Ipſa letania fini- „ta ſtatim epiſcopus benedicit fontes. . . . Deinde diſcalſeati presbyteri „aut diaconi ingrediuntur in fontes, & acceptis infantibus (a) parenti- „bus baptizantur eos ter mergentes in aqua *In nomine Patris &c.*“ Ieiunium in vigilia Epiphaniæ a fidelibus obſervatum fuiſſe ob profanas quorundam ſuperſtitiones, qui hanc diem potationibus inſumunt, ſingulari libello dudum demonſtravit *Io.* Des-Lions. Hoc ex veteri ſuperſtitione modo memorata eſſe potuit, cui in ipſa octava Domini ieiunium oppoſitum fuiſſe modo meminimus, ſucceſſu temporis in vigiliam forte Theophaniæ translatum, aut etiam aliquos dies circa feſtum Purificationis B. Mariæ, ut Ioannes *Abrincenſis* innuit: „Vigilia vero Epiphaniæ (inquit) quam „diverſe colunt (alii enim ieiunant, & alii prandent) nobis ieiunandum „congruum videtur: nullam enim celſitudinem reverentiæ huius diei re- „perimus, quam in omnibus diebus purificationis ſanctæ Mariæ, in „quibus per aliquot dies ieiunamus.“ In miſſali etiam *Mozarabico* miſ- ſa habetur. *In ieiunio Epiphaniæ.* Exſtat „Theophili *Alexandrini* edi- „ctum cum Theophania in die dominico inſtarent, *ut ieiunium quodam-*

De offic. eccleſ. p. 40.

T. II. Conc. ed. Ven. p. 1576.

„*modo*

Digitized by Google

„ *modo ſolveretur:* Quia ergo accidit, ut ieiunium ſanctorum Theopha„ niorum in hunc diem incideret: diſpenſemus, & ad utrumque ſcien„ ter procedamus, ut & paucos dactylos ſumentes, ſimul & hæreſes vi„ temus, quæ Domini noſtri Iesu Chriſti reſurrectionem non honorant; „ & diei ieiunii, quod debetur, reddamus, veſpertinam congregationem „ exſpectantes, quæ hic Deo dante peragetur." Inter ſtata quatuor eccleſiæ ieiunia per annum Philastrius de hæreſ. c. 75. ieiunium in Epiphania connumerat. *Congregemur ergo hic ab hora nona.*

In Oriente, *Ægypto* præſertim hoc die ipſe Natalis Domini celebrabatur, imo Clemens *Alexandrinus* teſtatur quosdam 25.to *Pacon*, hoc eſt, *idibus Maii* celebrari a nonnullis. De feſti Nativitatis & Epiphaniæ eadem notione in Oriente ad diem *6. Ianuarii* intelligendus eſt S. Gregorius *Nazianz.* ſerm. 58. „Nunc autem Theophania ſive natalitia præ„ ſens celebritas, utroque enim modo appellatur, duobus ſcilicet nomi„ nibus uni eidemque rei impoſitis. Theophania ob hanc cauſam hoc fe„ ſtum appellatur, quod apparuerit; Nativitas vero, quod natus ſit." In vulgari ord. *Rom.* Epiphania ſecunda Nativitas vocatur: „Nec hoc præ„ tereundum eſt, quod ſecunda Nativitas Chriſti tot illuſtrata myſteriis „ honoratior ſit, quam prima. Tunc tantummodo natus eſt Chriſtus & „ angelus paſtores affatus eſt. Hodie vero a Magis cum muneribus eſt „ adoratus. Hodie, cum in *Iordanis* aquis tingeretur, Filius dilectus a „ Patre eſt vocatus de cœlo &c." Serius aut citius etiam Orientis eccleſiæ morem mutarunt *6. Ianuarii* celebrandi natalem Domini.

De *Ægypto Ioannes* Cassianus teſtatur: „Intra *Ægypti* regionem mos „ iſte antiqua traditione ſervatur, ut peracta Epiphaniorum die (quam pro„ vinciæ ſacerdotes vel dominici baptiſmi vel ſecundum carnem Nativita„ tis eſſe definiunt, & idcirco utriusque ſacramenti ſolemnitatem non bi„ farie, ut in occiduis provinciis, ſed ſub una die huius feſtivitatem ce„ lebrant) epiſtolæ Pontificis *Alexandrini* per univerſas *Ægypti* eccleſias „ dirigantur, quibus initium Quadrageſimæ & dies Paſchæ non ſolum „ per civitates omnes, ſed etiam per univerſa monaſteria deſignentur." In conc. *Antiſiodor.* an. 578. c. 2. ſtatutum eſt, „ut omnes presbyteri ante „ Epiphaniam miſſos ſuos dirigant, qui eis de principio Quadrageſimæ „ nuntient, & in ipſa Epiphania ad populum indicent." Huius ritus denunciandi Paſchatis in Epiphania, uti Natali Domini, aut in feſto S. Thomæ apoſtoli, exempla aliqua in Occidente De-Moleon in *Itinere liturgico* adducit.

Idem teſtatur de eccleſia B. V. *Rotomagenſis* tria evangelia cum genealogia, ut in Natali Domini ad nocturnos haberi. In ſacramentario *p.* 76. 184. 246.

Digitized by Google

Gallicano evangelium ex tribus Evangeliſtis contextum obſervat Mabillonius *de lit. Gall.* p. 117. Genealogia autem hoc die ſecundum Lucam, hodieque in benedictione aquæ legitur cum aliis evangeliis, pſalmis item nocturnalibus & antiphonis ſine invitatorio, ut Amalarius lib. IV. de Off. c. 33. & in ſupplemento, Honorius *Auguſtodunenſis*, in ſacramentario, Micrologus & alii medii ævi perhibent, rationemque myſticam omnes *propter fraudem Herodis* ponunt. „Sed (inquit Ioan. *Abrincenſis*) non „omnino omittitur, quin in ordine pſalmorum recitetur .... Finito no„no reſponſorio ſacerdos dalmaticatus & caſulatus procedat, & evange„lium genealogiæ Chriſti ſecundum Lucam ſolemniter legat ... Deinde „ſtellæ officium incipiat." Refert poſtea officium iſtud ſtellæ, quod in *Gallia* ac *Germania* ſolenne fuit, magna haud raro pompa adornatum a perſonis etiam principibus.

Analect. Mabill. pag. 95. cap. 68. cap. 40. pag. 38.

p. 25. 37. 38. 39. Feſtum hoc, ut Haltausius, poſt alios, in Calend. medi ævi obſervat *der Zwelfte* ſeu *der Treizebende*, *der Brechtag*, frequentius autem *der obriſte Tag* nominabatur. Et ita in *Germanico* Miſſali ſæc. XIV. *An dem obriſten Obint*, vigilia Epiphaniæ, *An dem obriſten Tag* ipſe Epiphaniæ dies. Latine etiam dies apparitionis nominari conſuevit, veluti in Capitulari Greg. II. *Ut dominicis diebus doceantur non licere omnino ieiunare propter reſurrectionis dominicæ ſacramentum, neque in feſtivitatibus dominicis Nativitatis, aut Apparitionis ſive Aſcenſionis.* S. Paulinus omiſſa Aſcenſione Domini maiores feſtivitates numerat Natale Domini, Epiphaniam, Paſcha & Pentecoſten. Octava huius feſti, quam Ioannes *Abrincenſis* in cappis ut feſtum apoſtoli celebrandum dicit, deſideratur in *Gelaſiano*, atque etiam *Colonienſi* Pamelii, & *Vaticano* Muratorii; habetur tamen in noſtro antiquiſſimo, & in breviario & Capitulari ord. eccleſiaſt. Singulariter eo die de nuptiis in *Cana Galileæ* agendum præſcribitur.

T. I. Conc. Germ. p. 37. Nat. 9. De Off. pag. 39.

Triduum ſacrum ante Paſcha.

VII. Nullum ad nos intemeratius ab ætate vetuſtiſſima relictum eſt officium, quam tridui ante Paſcha, prout colligere licet ex illis, quæ Thomasius quoad ordinem vigiliarum edidit in antiphonario *Romano*, noſque in monumentis noſtris liturgicis dabimus ex antiquiſſimo capitulari lectionum bibl. noſtræ, officio illo *Romano* ſuſcepto etiam a *Benedictinis*, qui peculiarem alias pſallendi ordinem iuxta Regulam S. Benedicti ſequuntur, ut videre eſt apud P. Herrgott *de veteri diſcip. monaſtica* Atque in ſupplemento Amalarius *de eccleſ. offic.* edito in *Analectis* Mabillonii p. 95. ex Fausti, S. Benedicti alumni. relatione de obitu S. Mauri, id a primordiis ordinis ita obtinuiſſe colligit ex his verbis: *Unusquisque noſtrum ſecreto apud ſe, ut illis diebus in eccleſia Roma-*

Praef. §. 3. n. 2. Item p. 6.

na

Digitized by Google

na mos erat, pſalmos & orationum preces devote pro exitu eiusdem Patris noſtri dilectiſſimi conſumantes &c. Subdit Amalarius: *Quibus verbis ſanctum Maurum obſervaſſe Romanum morem, quem illo triduo obſervant, perſpicitur: & quod de iſto uno, ſic de cæteris agendum puta.* Reliquæ etiam divini officii partes hoc potiſſimum triduo ſummam ſpirant antiquitatem, uti ex variis ordinibus noſtris, quos edimus, patet, mutatis nonnullis poſteriore demum ævo fere quoad tempus officii divini.

Unde etiam quodammodo ordo ille immutatus eſt, de quo in epiſtola Innocentii I. quam monumentis noſtris ex antiquiſſimo mſc. præmittendam duximus, diciturque in biduo ante Paſcha Sacramenta non celebrari. Hinc haud dubie eſt, quod poſt miſſam Cœnæ Domini altaria denudentur, citatque Amalarius ordinem *Romanum: Ut a feria V. uſque in Sabbato S. nuda ſint altaria.* Lib. I. de Offic. 124. Quando autem in Sabbato S. iterum ornantur altaria iam ad vigilias ſequentis diei pertinet. In libro ordinis inter monumenta noſtra de Paraſceve præſcribitur ac Sabbato ſequenti: *In hac igitur die miſſa non cantatur, nec in Sabbato ſancto, donec ad vigilias noctis.* Et ita etiam comparatum eſt officium in veteri liturgia *Gallicana*, ubi in miſſali *Gothico* poſt miſſam in Cœna Domini incipiunt orationes in Biduana: quæ eædem in miſſali *Gallicano* veteri inſcribuntur *Orationes in Cœna Domini ſive in biduana*, & quidem poſt officium fer. VI. in Paraſceve, unde dicendum, redundare verba illa *in Cœna Domini*, cum ad feriam ſextam pertineant, quæ cum ſequenti Sabbato biduanam faciunt, moxque ſequuntur in Miſſali *Gothico* in *bid. die Sabbati ad ſe.* ſeu ad Sextam cum aliis orationibus, quæ in miſſali tamen veteri *Gallicano Poſt lectiones Sabbati* inſcribuntur. Aliæ tamen orationes pro horis canonicis deſignantur, benedictione cerei paſchalis, & ordine baptiſmi. *Lit. Gall. pag. 239. pag. 352.*

Nota vero rubricam, quæ iisdem verbis in ſacramentario *Gelaſiano*, & noſtro antiquiſſimo ſacramentario legitur in codice *Rhenaug.* non autem *San-Gallenſi* ante Poſtcommun. Fer. VI. *His omnibus expletis adorant omnes ſanctam Crucem & communicant.* Sed hæc communio, uti hodie Sacerdotis fit, ex præſanctificatis diei præcedentis fiebat, prout in ordine mſc. bibliothecæ noſtræ ſæc. XIV. præſcribitur ad fer. V. *Secretarius tantas hoſtias imponat, quod etiam altera die ſufficiant.* Et poſtea feria VI. *Incipiente ſacerdote* Pater noster, *Secretarius ſonet tabulam ad veſperam, poſtea communicet conventus totus.* Apud Ioan. *Abrincenſem* de Off. p. 56. *Ipſa die plures hoſtiæ conſecrentur, quibus Clerus & populus communicetur, & & medietas hoſtiarum absque vino in craſtino ſervetur, unde iterum communicentur.* Et poſtea pag. 61. in Paraſceve *a maiori ad minorem omnes com-*

communicentur. Plura exempla paſſim De-Moleon in *Itinere liturgico* notat. In impreſſo miſſali *Spirenſi* an. 1501. in die Paraſceves poſt communionem Sacerdotis additur: *Deinceps volentes communicare communicent.* Quod vero tum fidelibus liberum, apud cœtus religioſos ac miniſtros altaris ſtatutum erat. Sic in veteri miſſali ſæc. XII. fer. VI. præſcribitur: *Et communicat Sacerdos & etiam miniſtri. Deinde totus conventus.* Nec his duobus diebus tantum, ſed etiam duobus ſequentibus in noſtro ordine quotidiana erat communio, quod Theodulphus *Aurelianenſis* in Capitul. c. 41. omnibus præſcribit fidelibus: *In Cœna Domini, & in Paraſceve, & in vigilia Paſchæ, & in die reſurrectionis Domini penitus ab*
Explicat. T. III. p. 287. *omnibus communicandum.* Ut oſtendit De-Vert ex ea veterum miſſalium & ritualium rubrica, quam hic appono ex antiquo ordine *Rhenaug.* ſæc. XII. „Per iſtos quatuor dies quisque fratrum communicare non omi„ſerit, etiamſi aliud tale quid acciderit. Et tamen per hos tres dies pax „non datur, ſicut libri ordinum teſtantur. Quando tertia vice *Agnus* „*Dei* canitur, *dona nobis pacem* non ſubiungitur. Veſperas poſt miſ„ſam, ſicut per totam Quadrageſimam differimus. Miſſa cum *benedica*„*mus* clauditur."

Adhuc in miſſali *Conſtantienſi* an. 1579. rubrica legitur: „Miſſa per „*benedicamus* terminatur, populus non benedicitur." Quod iam ſecus fit. Nocturnum officium olim media nocte canebatur, putatque morem eſſe De-Vert paullatim extinguendi lumina, quod primum factum fuerit die illuceſcente, quod iam contrario uſu fit, ut in tenebris conſummentur
Lib. V. de div. Off. c. 24. vigiliæ. *Quas*, inquit Rupertus *Tuitienſis*, *& inuſitato ordine, decantamus, & in tenebris conſummamus.* Habet poſtea ſingulare caput 26. *Cur candelæ extinguantur.* Sequebatur olim *officium ſepulcbri*, de quo
pag. 52. idem Rupertus *Tuitienſis* & Ioannes *Abrincenſis* paſſimque in noſtris monumentis etiam, adhuc impreſſo ordine officii ſæc. XV. dioeceſis *Conſtantienſis.* Finito pſalmo cum antiphona (*Traditor*) ſequitur *Kyrie & Chriſte eleiſon* ℣. *qui prophetice promiſiſti ero mors tua o mors.* ℣. *Domine miſerere &c.* In ord. div. off. *Turicenſi* an. 1260. ſic præſcribitur: „Finita autem ant. ſuper *Benedictus* duo antiquiores canonici, qui præ„ſentes & habiles fuerint ad cantandum, retro publicum altare verſi ad „chorum ſecluſis laicis ſtabunt, & prior cantabit *Kyrie eleiſon. Chriſte* „*eleiſon. Kyrie eleiſon.* Secundus ſubiungit verſum. *Qui expanſis.* Item „prior, *Dne miſerere.* Et totus chorus ſubſequitur; *Chriſtus Dns factus* „*eſt obediens uſque ad mortem.* Secunda vice prior *Kyrie & Chriſte el.* „*Kyrie el.* ſecundus verſus: *Qui prophetice.* Prior *Domine miſerere.* Cho„rus *Chriſtus Dominus.* Tertia vice prior *Kyrie el. Chriſte eleiſon, Ky-*

„*rie*

Digitized by Google

„ *rie el.* Tertius verſus. *Vita in ligno moritur.* Prior *Dne miſerere.* Cho„ rus: *Chriſtus Dominus.* Simili modo antiquiores canonici in Paraſceve. „ Item in ſabbato ſancto duo alii antiquiores: dummodo talis canonico„ rum copia ad variandum poſſit haberi.“ Nimirum qui ad cantandum habiles fuerint. A noſtro inſtituto alienum haud eſt commemorare hic, canone 23. Conc. *Aurelian.* II. ſtatui, *Iudæis* a die Cœnæ „Dominicæ us„ que in ſecundam ſabbati in Paſcha h. e. ipſo quatriduo procedendi inter „ Chriſtianos, aut Catholicis populis ſe ullo loco vel quacunque occaſio„ ne miſcendi licentiam non eſſe debere.“ Explicationem dat *Godofr.* LUDOVICI diſſert. de ſeptimana ſancta *von der Marter-woche.* Eiusdem argumenti extat diſſert. *Andr.* WESTPHALII *de magna hebdomada &c.* quo nomine iam venit lib. V. c. 15. conſtitut. Apoſtol.

Fer. V. in Cœna Domini. a

VIII. Feria V. in Cœna Domini a) vocabatur olim etiam *Natalis calicis*, quo titulo fragmentum ſermonis AVITI *Viennenſis* edidit SIRMONDUS. Et S. ELIGIUS hom. 19. „Vocatur (inquit) hæc dies *Cœna Domi*„ *ni*, vocatur & *natalis calicis*, quia hac eademque die myſticum Paſcha „ Dominus cum diſcipulis celebrans Sacramenta corporis & ſanguinis ſui „ illis, atque per illos nobis tradidit, & ipſe celebrationis initium fe„ cit.“ In huius rei memoriam olim ſero a pranſis Euchariſtia ſumi ſolebat. Qua de re agit S. AUGUSTINUS in epiſt. ad IANUARIUM: „Utrum „ iam refecti illa die vel offerrent, vel ſumerent Euchariſtiam, quod in „ evangelio dicitur, *cum autem illi manducarent, accepit IESUS panem* „ *& benedixit*: cum etiam ſuperius dixiſſet *cum ſero factum eſſet.*“ Et poſtea. „Sed nonnullos probabilis quædam ratio delectavit, ut uno cer„ to die per annum, quo ipſam cœnam Dominus dedit, tanquam ad „ inſigniorem commemorationem poſt cibos offerri & accipi liceat corpus „ & ſanguis Domini. Honeſtius autem arbitror ea hora fieri, ut qui etiam „ ieiunaverit poſt refectionem, quæ hora una fit, ad oblationem poſſit oc„ currere. Quapropter neminem cogimus dominica illa Cœna prandere, „ ſed nulli etiam contradicere audemus: hoc tamen non arbitror inſtitu„ tum, niſi ut plures & prope omnes in pleriſque locis eo die cœnare „ conſueverunt. Et quia nonnulli etiam ieiunium cuſtodiunt, mane of„ fertur Chriſto, propter prandentes, quia ieiunia ſimul & lavacra tole„ rare non poſſunt: ad veſperam vero propter ieiunantes.“ Prius iam nota-

Epiſt. 54. *Cap.* 4.

a) Apud nos vulgo *der grüne Donnerſtag*, dies viridium vocatur, de quo extat ſingularis diſſertatio *Io. Caſp.* ZEUMER *Ienæ* an. 1700. ed. rationem vero eius denominationis a Chriſto ligno viridi, impetrare a me necdum potui, ut probarem.

notaverat diverſum ritum circa duas aut unam miſſam. „Si vero (in„quit) in aliena patria cum peregrinaretur, ubi maior & frequentior eſt „populus Dei, vidit verbi gratia bis offerri quinta ſabbati hebdomadæ „ultimæ quadrageſimæ & mane & ad veſperam, veniensque in patriam „ſuam, ubi fine diei mos eſt offerri, male illiciteque fieri contendat, quo„niam alibi aliter ipſe viderit: puerilis eſt ſenſus ille, cavendus in no„bis, & corrigendus in noſtris.“

De pluribus hac die Miſſis tribus nimirum vel quatuor agunt Menardus n. 26. ad Sacramentar. *Greg.* Morinus de pœnitentia & Martenius de ant. eccleſ. rit Vezzosius ad ſacrament. *Gelaſianum*, in quo prima habetur *poſt reconciliationem* (pœnitentium) *vel poſtquam communicaverunt*: altera *miſſa chriſmalis* inſcribitur, ritu vetuſtiſſimo ut Vezzosius annotavit, quales habentur in cod. *San-Gallenſi*, ex quo ſupplevimus *Rhenaugienſem*, ubi unum tantum habetur officium *Ad miſſam ſero*, quæ tamen differt ab ea, quæ *ad veſperum* in *Gelaſiano* notatur, idemque in aliis 900. annorum obſervavit Martenius *Noviomenſi*, *Remenſi*, *Gelonenſi*. In ordine officii in domo S. Benedicti, quem Mabillonius edidit ex Mſc. *Auguſtano* monaſterii S. Udalrici, & P. Herrgott ſub titulo Conſuetud. S. Sturmii *Fuldenſis* abbat. id præſcribitur: *In Cœna Domini agatur miſſa ad veſperum.* *Io. Frid.* Schannat Vindem. liter. coll. I. in *conſpectu trium vetuſtiſſimorum codd.* pag. 21. Bonifacii M. ex tabula indicante lectiones diverſas in eccleſia recitari ſolitas excerpta dat, ubi notatur, *In quinta feria ad veſperam cenam Domini. ad Corintheos I. ſub titulo LVI.* De aliis miſſis diximus ſupra quoad pœnitentes & chriſma conſecrandum, ſecundum antiquiſſimum noſtrum ordinem *Rom.* hora tertia factum.

T. VI. Opp. Thomaſ. p. 57. 62.

De ant. eccl. diſc. c. 22. pag. 270.

Analect. p. 152.

De vet. diſc. monaſt. p. 6.

In miſſali ſæc. XII. monaſt. *Zwifaltenſis* aliquid etiam de privatis in hac die miſſis notatur: *Si quis per ſe miſſam vult cantare, debet abſque lumine, & ſine evangelii oſculatione &c.*

In breviario ordinis eccleſ. nullo deſignato tempore unum officium miſſæ his verbis deſcribitur: „Quinta vero feria ante Paſcha, id eſt Cœ„na Domini ad miſſas antephona ad Introitum non canuntur, apoſtolus „& evangelium non legatur nec reſpon. cantatur: nec ſalutat presbyter „id eſt *Dominus vobiſcum*, nec pacem faciant uſque in Sabbato ſancto, „ſed cum ſilentio ad miſſas ingredientur.“ In ſacramentario *San-Blaſiano* 900. annorum manu ſæc. XII. circiter ad marginem notatur: *Gloria in excelſis ab epiſcopo cantetur tantum ubi chriſma conſecratur.* In Mſc. inſtitutione ord eccleſ. an. 600. inter monumenta noſtra habetur quidem eadem rubrica, additur tamen: *Sed hoc non tenet uſus.* In Miſſali *Conſtantienſi* an. 1579. rubrica hæc ponitur: „In Cœna Domini poſt Nonam

„can-

Digitized by Google

„ cantatam pulſantur omnia ſigna ad miſſam & deinceps non ſonent cam„ panæ uſque ad miſſam in ſabbato, ſed cum tabulis ligneis eſt pulſandum. „ Miſſa vero feſtive canitur. Non canitur *Gloria in excelſis*, niſi ubi „ epiſcopus chriſma confecrat." In alio an. 1504. eadem habetur rubrica. In Mſc. autem *Fiſchingenſis* monaſterii 1500. „ Nota quod *Gloria in* „ *excelſis* non canitur, niſi ubi chriſma conſecratur, quia ibi dicenda „ ſunt omnia cantica lætitiæ præter *Alleluia*. Item *Agnus Dei* non ſub„ iungitur *Dona nobis pacem*, ſed *miſerere nobis*, nec oſculum pacis datur. „ Item miſſa cum *Benedicamus* terminatur." In miſſali *Conſtantienſi* ſæc. XV. eadem habetur rubrica. In *Baſileenſi* an. 1480. „ Feria V. in Cœ„ na Domini poſt Nonam cantatam pulſentur omnia ſigna ad miſſam &c. „ Officium vero miſſæ, quod ſequitur videlicet *Nos autem gloriari opor*„ *tet in cruce.* feſtive cantatur. Sed *Gloria Patri*, *Gloria in excelſis*, „ ac *Credo in unum*, non dicantur, niſi ubi chriſma conſecratur." In antiquiſſimo noſtro ordine *Rom.* habetur *Poſt ſignum ad nocturnos in cœna non amplius tangitur.* Atque hinc ratio patet, cur in breviario ord. eccleſiaſt. dicatur *Sed cum ſilentio ad miſſas ingredientur.* In laudato porro ordine in hac Fer. V. rubrica habetur de excutiendo igne de lapide, qui ad benedictionem cerei paſchalis ſervetur. De quo eſt reſponſio Zachariæ P. ad S. Bonifacium.

Paſſim in monumentis noſtris communionem ſub ipſis veſperis præſcriptam reperi, adhuc etiam in miſſali 1484. cum hac rubrica: „ Poſt„ quam presbyter communicavit, cantetur communio *Dominus IHESUS.* „ Dicta communione accipiat diaconus vel presbyter calicem & vertat ſe „ ad populum dicens ad veſp. ant. *Calicem ſalutaris* pſ. *Credidi &c.* „ Interim autem dum cantantur veſperæ, communicetur populus. Et „ poſtquam omnes communicaverint, vertat ſe presbyter, & dicat *Domi*„ *nus vobiſcum. Oremus.* Compl. *Refecti vitalibus &c.*" In Mſc. Inſtitut. ord. eccl. an. 600. inter monumenta noſtra ſic habetur: „ Finita commu„ nione incipitur veſpera per antiph. *Calicem ſalutaris.* Poteſt tamen miſ„ ſa celebrari mane, ut non intermiſceatur veſpera." De ſacrificio huius diei, cum communicaverint omnes, corpus & ſanguis Domini, ut habet rubrica, etſi ſpecies panis tantum, reſervetur in diem craſtinum. Martenium exiſtimantem ſub utraque ſpecie aliquando fuiſſe reſervatam Euchariſtiam ſolide refutat Vezzosius not. 4. ad hanc rubricam ſacrament. *Gelaſiani.* T. VI. opp. Ven. Thomasii p. 84. &c. *T. I. Conc. p. 88.*

IX. Inde quia in Fer. VI. quæ Paraſceve dicitur, ſacrificium haud offerri ſolet, alicubi accidit res, quæ in conc. *Tolet.* IV. c. 7. vehemen- Feria ſexta in Paraſceve.

ter improbatur. *Quod per nonnullas eccleſias in die ſextæ feriæ Paſſionis Domini clauſis baſilicarum foribus nec paſſio Domini populis prædicatur.* Diverſa a commemoratione paſſionis dominicæ nomina vernaculo ſermone huic diei indita recenſet cum aliis variis appellationibus *Chriſt.* Clavius diſſert. *Lipſiæ* an. 1697. primum edita, recuſa vero ob argumenti præſtantiam an. 1746. de die Paraſceves vulgo *Kar-freytag.* *Kar* nomine tota etiam illa hebdomada apud nos venit, in qua Chriſti paſſionem ſecundum IV. Evangeliſtas legimus. Tempore S. Augustini uno tantum die paſſio Chriſti fuit lecta, an vero hæc fuerit Fer. VI. non manifeſtat. a) „Paſſio autem (inquit) quia uno die legitur, non ſolet legi niſi ſecundum „Matthæum. Volueram aliquando, ut per ſingulos annos ſecundum „omnes Evangeliſtas etiam paſſio legeretur; factum eſt: non audierunt „homines, quod conſueverunt, & turbati ſunt.“ In lectionario *Gallicano* Paſſio in die ſancto Paraſceves ex quatuor Evangeliſtis contexta eſt. Refert eam integram Mabillonius, prout ad ſecundam, tertiam, & ſextam eius diei diſtributa eſt. In miſſali *Gallicano orationes in biduana* ab orat. *ad ſecunda* incipiunt. In ſacramentario *Gallicano* ad Tertiam, Sextam & Nonam ſecundum Ioannem partes ex paſſione Domini diſtributæ habentur, ut in lectionario cum titulo S. Matthæi. Ex ordine officii in domo S. Benedicti ante Paſcha, quem ex antiquo codice S. Udalrici *Auguſtani* monaſterii edidit Mabillonius, & P. Herrgott in conſuetud. S. Sturmii abb. *Fuldenſis* intelligitur, ſimilem conſuetudinem etiam apud nos obtinuiſſe. „Item in ſexta feria ad Tertiam legunt paſſionem Domi„ni ſecundum Matthæum, ad Sextam ſecundum Marcum: hora vero „Nona legunt lectionem de Osee propheta; ſequitur Gradalis cum quin„que verſiculis *Domine audivi.* Lectio de Exodo & Tractus. *Qui ha„bitat in adiutorio.* Poſt hæc Paſſio Domini ſecundum Ioannem ſequitur. „Deinde ſacerdos fundat orationes XII. cum totidem letaniis. Hæc om„nia completa adorant ſanctam crucem. Acta veſpera vadant ad reficien„dum.“ Tractum illum *Qui habitat* etiam Amalarius notat. In libro ordinis inter monumenta noſtra idem notatur: mox vero ſubditur: „Cantant hic aliqui Tractum nuperrime compilatum, id eſt, *Eripe me &c.*“ Uti etiam legitur in ord. *Rom.* ab Hittorpio edito, & in libro de divinis officiis ſub nomine Albini Card. Thomaſius gradalem *Modœtienſem* idcirco Amalario recentiorem ſtatuit, eoquod Fer. VI. Paraſceve habeat Tractum *Eripe me.* In antiquiori noſtro ordine *Rom.* & in ſacramentario *San-*

Serm. 144. de temp. ed. vet.

Liturgia Gall. p. 130. ſeq.

Analect. 152.

De vet diſc. monaſt. p. 6.

Lib. I. de offic. c. 13.

a) Vid. de ſingulari veteris eccleſiæ in *Africa* [illegible] lectione [illegible] Paſſionis Chriſti [illegible] Henr. a Seelen *Lubecæ* an. 17[illegible] ed. ad laudatum ſerm. 144. S. Augustini.

San-Gallenſi ſæc. circ. X. idem notatur „Tractus, *Eripe me*. Quo finito „pronunciat diaconus ita *Paſſio Domini noſtri IESU Chriſti ſecundum Io-* „*annem*. Et incipit legere: hac expleta ſtatim duo diaconi nudant al- „tare ſyndone, quæ prius fuerat ſuper evangelio poſita in modo furantis.“

Poſterior hic ritus paullo citius ſub ipſa paſſione Domini ad ſententiam ritui convenientem, paſſim adhuc in impreſſis miſſalibus ſæc. XV. præſcribitur: rubricam unam explicatiorem cum aliis ritibus ex miſſali Mſc. ſæc. XIV. vel XV. bibliothecæ noſtræ hic inſero: „In Paraſceve „poſt nonam quatuor miniſtri altaris, inter quos duo ſunt lectiones le- „cturi, & duo infra paſſionem ſyndones ſunt diſtracturi. Qui omnes „calciati & caſulis induti mox ſine lumine & ſine incenſo presbyterium „ingrediuntur, ibique in nudo altari libro evangelii ſuper parvum lin- „teum poſito, & more procedat ſacerdos & diaconi, peculiaris oratio „*Quæſumus*, ſequitur altaris deoſculatio: nam in poſteriora differtur con- „feſſio. Poſt orationem ſacerdotis legitur lectio abſque titulo, ut ſic in- „cipiendo Osee. *In tribulatione ſua &c.* Inde duæ parvæ ſyndones „ſuper altare in transverſum ponuntur, quæ a privatis diaconibus infra „paſſionem in eo loco, ubi legitur *Partita veſtimenta ſibi*, hinc & inde „abſtrahuntur. Paſſio legitur ſine titulo.“ Fuit hoc poſtremum etiam ſingulare diei Paraſceves uſque ad duo poſtrema ſæcula, ut abſque titulo legeretur, quo quid intelligendum ſit, ex ſequenti rubrica miſſalis *Conſtantienſis* impreſſi ſæc. XV. ſub Ottone IV. epiſc. habes: „Deinde *De Off. eccl.* „legitur Paſſio abſque *Dominus vobiſcum* & abſque titulo, nec ſignet ſe *l. c. 54.* „lector ſed directe legat eandem. In omnibus paſſionibus (inquit Ioan. „*Abrincenſis*) excepta ſexta feria *Dominus vobiſcum* dicatur, *Et cum ſpi-* „*ritu tuo* reſpondeatur, ſed cum dicit diaconus: *Paſſio Domini* nemo „reſpondeat *Gloria tibi Domine*.“

Sequuntur *Orationes ſolemnes*, ut vocantur in ordine *Romano* apud Mabillonium in officio Fer. IV. & licet in *Einſidl.* Mſc. deſideretur tota illa pericopa, provocatur tamen ad Fer. IV. dum Fer. VI. hæ eædem orationes dicendæ præſcribuntur, ut hodie fit. In *Tigurino* autem id cum aliis omittitur. Amalarius tamen idem iam in ordine *Romano* le- *De Off. lib.* git, dicit enim de varietate quartæ feriæ maioris hebdomadæ: „Intimat *I. c. 11.* „ſupradictus libellus ex *Romana* conſuetudine debere eadem die ante pu- „blicum officium orationes, quas ſolemus in ſexta feria agere, recitari. „Quid rationis hæ orationes habeant, ſive in quarta feria, ſive in ſex- „ta, iuxta quod Dominus dederit, demonſtrabimus in ſexta feria &c.“ Haud obſcure innuit, non ubique id tunc fuiſſe ſervatum, nec etiam in

ſacramentariis *Romanis*, niſi in uno S. Eligii & *Ang.* Roccæ *Vatic.* S. Gregor. ad Fer IV. notantur: quo loco ponuntur in *Cabilon.* Mſc. ſacramentario, quod inſpexi, atque etiam Martenius in *Itinere litter.* citat, & editores S. Gregorii ex Congr. S. Mauri monent, in priori *Theodoricenſi* in offic. Fer. VI. huiusmodi orationibus titulum præmitti: *Incipiunt orationes, quæ dicendæ ſunt quarta & ſexta feria.* Menardus ex cod. *Tiliano* ſimilem uſum colligit, & *Angelus* Rocca in ſcholiis ad ſacrament. *Gregor.* ex cod. *Vaticano* a ſe editum: „Hac die, quæ eſt Feria IV. maioris hebdomadæ ponuntur orationes pro quocumque ſtatu, eademque leguntur in Feria V. in cæteris autem codicibus nonniſi in Feria VI. De hac re nihil certi habetur, ſed coniicere poſſumus, bis in maiori hebdomada pro omnium ſtatu orandi ritum fuiſſe in eccleſia ſancta antiquiorem, cum in ſexta tantum feria huius generis orationes recitentur." In breviario antiquo ordinis eccleſiaſtici generatim ponitur: „Dicantur illæ orationes a presbytero, quas in ſacramentario commemorat. Poſt unamquamque orationem admonentur omnes a diacono, dicat *flectamus genua*, ita proſternunt ſe omnes in terra cum lacrymis & contritione cordis. Oratione facta iterum admonentur a diacono, ut ſurgant, & dicat diaconus *Levate.* Expletis autem ipſis orationibus dicit presbyter *Oremus*, & dicit orationem. *Præceptis ſalutaribus moniti* cum oratione dominica, & ſequitur oratio *Libera nos quæſumus Domine*, & accipit diaconus corpus & ſanguinem Domini, quod ante die Cœnæ Domini remanſit, & conſecratum fuit, & ponet ſuper altare, & communicant omnes corpus & ſanguinem Domini cum ſilentio nihil canentes, & in ipſa nocte lumen in eccleſia non accenditur, ſed abſconditur, ut non ab omnibus videatur, uſque in ſabbatum. His autem expletis ingrediuntur ad veſperas, & ipſa nocte omnes devoti monachi, & viri venerabiles & religioſi abſtinentes ſe ab omni lætitia corporali, veſpere tantum pane & aqua cum aceto mixtum non ſumentes cibum. Cui autem Dominus virtutem dederit, pertranſeunt ſine cibo uſque in vigilia Paſchæ."

P. II. p. 89. T. III. pag. 321.

Nihil hic de oſtenſione ſalutationeque crucis, quod S. Paulinus in epiſt. ad Severum de vera cruce *Hieroſolymis* ſervata teſtatur. *Neque præter hanc diem, qua crucis ipſius myſterium celebratur, ipſa, quæ Sacramentorum cauſa eſt, quaſi quoddam ſolemnitatis inſigne profertur.* In ordine noſtro *Rom.* præſcriptum circa hanc ſalutationem legitur, quod ex ordine *Rom.* ab Amalario citatur.

Epiſt. 11. *Lib. I. de Offic. c. 14.*

De Miſſa Præſanctiſ.

X. Qui deinde capite ſequenti de præſentatione Corporis Domini in altari

altari, &. calicis cum vino non conſecrato agens, „In ſuperius (inquit) „memorato libro inveni ſcriptum, ut duo presbyteri afferant poſt ſalutationem Crucis corpus Domini, quod pridie ſervatum fuit, & calicem „cum vino non conſecrato, quod tunc conſecretur, & inde communicet populus. De qua obſervatione interrogavi *Romanum* archidiaconum, & ille reſpondit: In ea ſtatione, ubi apoſtolicus ſalutat crucem, nemo ibi communicat. Qui iuxta ordinem libelli per commixtionem panis & vini conſecrat vinum, non obſervat traditionem eccleſiæ, de qua dicit Innocentius, iſto biduo ſacramenta penitus non „celebrari.“ In vulgato ordine *Romano* habentur hæc verba: *Sanctificatur autem vinum non conſecratum per ſanctificatum panem*, quæ in primo Mabillonii eiusque appendice pariter ac in noſtris deſiderantur, videnturque hic intruſa ex altero ordine, qui eſt tertius apud Mabillonium, ubi de vino ad communionem populi ſanguine mixto hæc habentur: „Quia vinum etiam non conſecratum ſed ſanguine Domini commixtum ſanctificatur per omnem modum.“ Verum hic non conſecratio ſpectari debet, ſed Chriſti ſanguis in vinum commiſcendo perfuſus alias ad communionem fidelium. Magis urgere videtur ordo *Rom.* X. ubi de viatico dicitur, tradi „Euchariſtiam dominici corporis vino tincti & vinum tali „intinctione ſanctificatum in Chriſti ſanguinem transmutatum dicendo: *Accipe frater Viaticum corporis & ſanguinis &c.* Verum (inquit Mabillonius) in Rituali *Romano Florentiæ* in bibliotheca S. Crucis aſſervato „idem ritus iisdem verbis refertur, his exceptis, *in Chriſti ſanguinem transmutatum.* Quod argumento eſt, idem eveniſſe iſti rituali, atque „ordini *Romano*, ut a privato quodam auctore commentarii loco inſerta ſint „iſthæc verba, quæ non communem eccleſiæ *Romanæ*, ſed privatam cuiusdam hominis ſententiam exprimunt.“ In pontificali *Rom.* Mſc. bibl. reg. *Pariſ.* de viatico ſic habetur: „Tunc ſacerdos tradat ei Euchariſtiam dominici corporis intincti vino, & tali intinctione ſanctificatum, in tali „ſanguine transmutatum dicens *Accipe frater viaticum corporis & ſanguinis D. N. I. Ch. &c.*“ In pontificali *Alimatenſi*: „Tradat ei (infirmo) „ſacerdos Euchariſtiam dominici corporis intincti vino, & vinum tali intinctione ſanctificatum, & in Chriſti Domini nomine ſanguine transmutatum, dicendo: *Accipe frater viaticum corporis & ſanguinis Domini.*“ Affert De-Vert ex nonnullis ritualibus, quæ ad hanc ipſam diem pertinent, ubi idem non minus expreſſis verbis aſſeritur: veluti ex ordinario *Cabilonenſi* Canon. regular. ad omnes Sanctos: *Ex eodem ſancto tactu & efficacia ſancti Spiritus in ſanguinem pretioſum, qui in ipſo die de Chriſti vulneribus lanceæ & clavorum aculeis transfixis, effuſus eſt, convertitur.*

catorum in Paraſceve. Cap. 15.

Comment. in ord. Rom. pag. LXXIX.

Explic. T. IV. p. 297.

Alia

Alia quæ affert non minus ſignificantia ſunt de eadem ex tali contactu conſecratione. Ordinarium Mſc. eccl. *Sueſſionenſis* poſt verba *ſanctificatur vinum &c.* addit: „Nihil dicendo mittat ſacerdos unam partem de corpore „Chriſti in calicem: quo facto nihil dicendo communicet ſe, & ſangui„nem Domini percipiat: conſecratur enim vinum & aqua per commix„tionem factam in calice de corpore Domini." Ordinarium *Rothomagenſe*: „Mittatur pars corporis Chriſti in calice, ut moris eſt, & ſacerdos uta„tur corpore Domini dicendo: *Corpus Domini noſtri*. . . Item quando „accipit calicem dicat: *Corpus & ſanguis Domini &c.* more ſolito." Miſſale vetus *Virdunenſe*: „Unam partem in calicem mittat nihil dicens, „quia ſic conſecratur vinum per corpus Domini." Miſſale *Viennenſe* an. 1520. „Ponatur tertia pars hoſtiæ ſacræ in calice nihil dicendo: quia „per commixtionem ſacri corporis vinum conſecratur, & dicat oratio„nem *Domine IESU Chriſte* cum aliis ſubmiſſa voce, & tandem ſumat „corpus Chriſti, & quod eſt in calice." Miſſale ord. *Præmonſtrat.* an. 1530. & 1578. „Unam partem in calicem mittat: hic conſecratur vi„num per corpus Domini." In ord. div. officii *Turicenſi* an. 1260. ſic legitur: „Per corpus autem dominicum conſecratur & ſanctificatur vinum „non conſecratum infuſum calici." AMALARIUS, qui retractat alibi, quæ mox retulimus, prout in tribus codicibus HITTORPIUS reperit, non tamen ex contactu ſeu commixtione vim conſecrandi repetit. „Et dubi„bitatio aufertur (ſunt eius verba) de die Paraſceves, de qua aliqui du„bitant, utrum in ea conſecretur corpus Domini, an non. In eadem „die apoſtolica recolitur conſecratio, quæ tantum dominicam orationem „ſuper corpus, & ſanguinem Domini dicebat. Igitur niſi eſſet admonitum „ex *Romano* ordine, ut reſervaretur corpus Domini a quinta feria uſque „in ſextam, non eſſet neceſſarium reſervari, quoniam ſufficeret ſola ora„tio dominica ad conſecrandum corpus, ſicut ſufficit ad conſecrandum „vinum & aquam. Quod enim INNOCENTIUS dicit, illo biduo ſacramen„ta penitus non celebrari, intelligendum eſt, ut iuxta morem noſtræ „eccleſiæ non celebrentur."

Var. lect. apud Hittorp. p. 594.

Hæc AMALARIUS in additione ad lib. IV. c. 25. ubi epiſtolam S. GREGORII M. ad IOANNEM *Syracuſanum* refert, qua dicit, morem apoſtolorum fuiſſe, *ut ad ipſam ſolummodo orationem* (dominicam) *oblationis hoſtiam conſecrarent.* Hincque etiam WALAFRIDUS & alii in eam ſententiam inducti ſunt, ut huius diei miſſam ad apoſtolicum ac primævum morem exactam magis dicerent. Id in eo potius exiſtimo, quod MARTENIUS de eccleſia *Verdunenſi* refert, hac die præcipuos, ac antiquiores canonicos epiſcopo ad altare adeſſe, ac cum eo liturgiam facere. Certe id

Voy. litter. P. II. p. 94.

dici

dici non poteſt de ipſa miſſa, quæ eſt præſanctificatorum *Græcis* per Quadrageſimalis ieiunii dies conſueta. Ex quibus etiam quidam fuerunt, qui putarent per immerſionem ſacræ hoſtiæ conſecrationem fieri. „Verum re-„ſpondeo (ſunt *Chriſt.* Lupi verba) hæc novella ſchiſmaticorum com-„menta. Antiqui omnes *Græci* nobiſcum credidere Euchariſtica elemen-„ta ſine myſticis verbis non poſſe conſecrari." Micrologus dicit: „Ordo „*Romanus* in Paraſceve vinum non conſecratum cum dominica oratione „& dominici corporis immiſſione iubet conſecrare, ut populus plene poſ-„ſit communicare." In eandem ſententiam Hittorpius *Petrum* Cantorem citat. Durandus vero eiusmodi ſententiam referens, *quod per orationem, quæ tunc dicitur, fit conſecratio ſeu commutatio vini in ſanguinem*, ab ea ſe alienum pronunciat. *Dicimus ergo illud*, inquit, *non conſecrari ſed ſanctificari. Differt autem inter hæc: nam conſecrari eſt conſecratione ſubſtantiari, ſanctificari eſt ex contactu ſeu admixtione ſacræ rei reverendum & ſanctum effici, ut patet in aqua benedicta*. Obiter hic nota in libro ordinis inter monumenta noſtra, poſteaquam dictum eſſet, *ſerventur autem integræ oblatæ uſque in Paraſceven, de quibus communicent absque ſanguine Domini*, poſtea ſubiici, *ſanctificatur autem vinum non conſecratum per panem conſecratum, & communicant omnes cum ſilencio*. Quod congruit cum diſtinctione a Durando allata, quam paſſim factam reperi in miſſalibus tum mſſ. tum impreſſis, eam autem Synodus *Virodunenſis* an. 1598. immutandam exiſtimavit n. 144. „Irrepſit error „in miſſale noſtrum (librariorum, ut credimus, inſcitia) cum in officio „diei Paraſceves ante illa verba (*Pax Domini*) dicitur conſecrari vinum „per mixtionem corporis Chriſti cum vino. Id enim falſum eſt, cum „vinum non conſecretur niſi per formam. Quare omnes ex ſuis miſſa-„libus hæc verba: *Quia hic conſecratur vinum per corpus Domini*, de-„leant intra quindecim dies." In miſſali *Baſileenſi* an. 1480. impreſs. præterea additur: „Oratio illa: *Domine IESU Chriſte, fili Dei vivi &c.* & illa, *Corpus tuum &c.* omittuntur, quia ibi de ſanguine fit mentio. Omittuntur & illi verſus: *Quid retribuam Domino.* Illa quoque, *Placeat tibi*, omittitur, quia ibi continentur: *Ut hoc ſacrificium, quod oculis &c.*" Ac pergit: „Hac enim die ſacrificium non offertur ſacramentaliter: ſed ſumitur altera die oblatum. Poſtea dictis orationibus congruis vel debitis & ad hoc officium competentibus conſuetis absque pacis oſculo communicet ſe ipſum & alios communicantes. Deinde procedat ad ſepulchrum cum calice, corpore Domini ſine ſanguine intus poſito, & crucem, quam prius duo ſacerdotes geſtabant, unus ſacerdos deferat, & hæc in ſepulchro honorifice recondantur choro ſubmiſſa voce cantante reſponſorium:

Ad Canon. 52. Conc. Trullani. c. 19.

Loc. cit. p. 595.

Lib. VI. Ration. c. 71.

T. VIII. Conc. pag. 469.

Ecce quomodo moritur iuſtus, & nemo percipit corde; viri iuſti tolluntur, & nemo conſiderat, a facie iniquitatis ſublatus eſt iuſtus, & erit in pace memoria eius. Hic calix cum corpore dominico lapide advoluto ponatur in ſepulchrum, & cruce appoſita ſepulchrum thurificetur, & iterum chorus cantabit reſponſorium: *Sepulto Domino ſignatum eſt monumentum &c.*"

Conſtantiæ in eccleſia cathedrali vidi ad hoc editum ac ſculptum ex lapide monumentum in ſacello S. Blasii, ut *Friburgi Briſgoiæ* in maiori eccleſia, *Argentorati* autem in fornice ſubtus eccleſiam. Vituperatur conſuetudo hæc in ordine div. officii ſecundum conſuetudinem chori *Turicenſis* an. 1260. „Contra omnem rationem eſt, quod in quibusdam eccleſiis Euchariſtia in huiusmodi archa ſepulchrum repræſentante poni conſuevit & claudi. Ibi enim Euchariſtia, quæ eſt verum & vivum corpus Chriſti, ipſum Chriſti corpus mortuum repræſentat, quod eſt indecens penitus & abſurdum." Nota demum in antiquiſſimo noſtro ſacramentario poſt rubricam, quæ ſimiliter in *Gelaſiano*, & quatuor antiquiſſimis *Noviomenſi*, *Remenſi*, Regio & *Gelonenſi* apud Martenium legitur, orat. *Poſtcommunionem* poni, & *ad populum*, quæ deſiderantur in *Gelaſiano*, *Gellonenſi*, & *Remigiano*.

De antiq. eccl. diſcipl. c. 23. p. 368.

Sabbatum ſanctum.

XI. In Sabbato ſancto poſt vigilias media nocte, ut præcedentibus diebus, fit officium hora tertia circa catechumenos, „At Hora Nona (iuxta antiquiſſimum ordinem *Romanum*) ingrediuntur in ſacrarium ſacerdotes & levitæ, & induunt ſe veſtimentis, cum quibus vigilias celebrare debent, & accenſo cereo procedunt omnes ſimul cum ipſo cereo in eccleſiam cum ſilencio nihil canentes, & ponitur in candelabro ante altare." In breviario ordinis eccleſiaſtici ſequitur: „Ille, qui cereum benedicere debet, ſtans in medio, poſtulans eos pro ſe orare, & faciens crucem ſuper cereum, & accipiens a ſubdiacono lumen, quod in Paraſceven abſconſum fuerit, & accenſo cereo dicit *Dominus vobiſcum &c.*" De hoc igne ſeu lumine diximus ſuperius, mentionemque iniecimus reſponſi, quod de eo Zacharias P. S. Bonifacio dedit, quod hic inſerere opportunum eſt. „De igne autem Paſchali, quod inquiſiviſti a priſcis ſanctis Patribus, ex quo per Dei & Domini noſtri Iesu Chriſti gratiam & pretioſo ſanguine eius eccleſia dedicata eſt, quinta feria Paſchæ, dum ſacrum chriſma conſecraretur, tres lampades magnæ capacitatis, ex diverſis candelis eccleſiæ oleo collecto, in ſacratiori eccleſiæ loco ad figuram interioris tabernaculi inſiſtente, indeficienter cum multa diligentia inſpectæ ardebunt, ita ut oleum ipſum ſufficere poſſit uſque ad tertiam diem. De quibus candelis Sabbato ſancto pro ſacri fontis baptiſmate ſumptus

T. I. Conc. Germ. p. 88.

ignis

Digitized by Google

ignis per ſacerdotem renovabitur. De cryſtallis autem, ut aſſeruiſti, nullam habemus traditionem.“ Ordine tamen X. *In Sabbato ſancto* notatur, quod ad hodiernam praxim magis convenit: *Hora ſexta conveniunt omnes ad eccleſiam excuſſo novo igne de cryſtallo ſive de lapide, unde cereus debet a diacono accendi.* *N. 16.*

De cereo paſchali iam ſupra diximus, qui ad noctem hanc paſchalem pertinet. De quo dubium ſolvit concil. *Tolet.* IV. can. 9. *Lucerna & cereus in pervigiliis Paſchæ apud quasdam eccleſias non celebratur, & cur a nobis benedicantur, inquirunt. Propter glorioſum enim noctis ipſius ſacramentum ſolemniter hæc benedicimus.* Eodem ſæc. VII. *Romæ* morem fuiſſe cereo Paſchali tabella appenſa annos a Nativitate affigendi ex Ven. Beda diſcimus: „Fratres noſtri, qui tunc fuere *Romæ*, hoc modo ſe in *De ratione*
„Natali Domini in cereis ſanctæ Mariæ ſcriptum vidiſſe, & inde deſcri- *tempor. c.*
„pſiſſe referebant: *A paſſione Domini noſtri IESU Chriſti anni ſunt 668.*“ *45.*
Meminerunt eius rei paſſim auctores medii ævi, ac exempla etiam recentiora De-Moleon in *Itinere liturgico* notat, nihil vero ego eius rei in noſtris monumentis deprehendere potui.

„Benedicto autem cereo (ut habet Breviarium ord. eccl.) revertentur „in ſacrario. Deinde procedant ſacerdotes de ſacrario cum diaconibus „iuxta ordines ſuos cum accenſis cereis de ipſo lumine cum thuribulis „thimiamatum. Iterum canuntur letania, ipſam autem expletam ſtantibus „vero, & dat ſacerdos orationem retro altare, ſicut mos eſt, & ſedentibus ſacerdotibus in ordinibus ſuis & ingredientur ad legendum, poſt „unamquamque lectionem dat ſacerdos orationem ſicut in ſacramentorum „commemorat.“ In lectionario etiam *Gallicano* ponuntur duodecim lectiones cum hymno trium puerorum, qui ſolet alias in ſabbatis XII. lect. hodieque ritu *Romano* cani. Et in miſſali *Gothico* duodecim orationes habentur cum ſuis præfationibus ad totidem lectiones. In ſacramentario equidem *Gelaſiano* decem tantum lib. I. n. 43. aſſignantur lectiones; nihilominus duodecim obtinuiſſe etiam ritu *Gelaſiano* tradit vetuſtus codex in appendice Morini de pœnitent. p. 54. uti in noſtris antiquiſſimis ſacramentariis, cum in antiquioribus *Gregorianis* paſſim quatuor tantum legantur. Quatuor *Græcæ* & quatuor *Latinæ*, prout in ordine *Romano* annotantur. In libello ordinis inter monumenta noſtra, in hoc ſabbato & Pentecoſtes quatuor tantum latinæ lectiones aſſignantur. In codice S. Eligii octo numerantur; ſed communiter, ut hodie ſervatur, duodecim præſcribuntur, de quibus ſequentia *Ioſ.* Cari ſeu Tomaſius notavit ad lectionarium a ſe editum: „Porro in iſtis duodecim lectionibus, quæ „ad catechumenos eadem nocte baptizandos maxime pertinebant, is

Qqq qq 2 „videtur

Digitized by Google

„ videtur ordo ſervatus tum in legendis ex ſacra hiſtoria, vel ex malo„ ribus prophetis quibusdam mirabilioribus, quæ ſuavius audiuntur, quæ„ que in articulis quinque ætatum mundi ſunt conſtituta, aut ad reſur„ rectionem carnis, baptiſmum pugnamque cum tentationibus faciunt: „ quem ordinem pulchre tradit S. Augustinus lib. *de catechizandis rudi„ bus:* ad quem harum lectionum paſchalium rationem expendere periu„ cundum erit rei ſacræ ſtudioſo lectori."

Lectiones ſubſequuntur litaniæ, quæ aliæ hoc ſabbato fuerunt ſeptenæ, aliæ quinæ, aliæ ternæ, prout ſepties, quinquies aut ter ſingulæ repetebantur invocationes ad proceſſiones. „Exeuntes vero (ut habetur „ in veteri ordine *Germanico*, ſeu conſuetudinibus S. Sturmii *Fuldenſis* „ apud Mabillonium, & Herrgottum) cum letania procedunt ad S. „ Petrum. Finita ibidem letania dicta oratione, procedunt inde ad S. „ Benedictum cum alia letania: & illa ibidem finita, ſimiliter dicta ora„ tione incipient aliam, & cum ipſa procedunt ad Miſſam maiorem." Numerus repetitionum non hic exprimitur, quem hunc habes in vita S. Udalrici: „Lavatione autem corporis peracta, & præparatione ve„ ſtimentorum induta ad ſacrum officium ſollemniter ſe præparavit, & „ totum clerum hora diei nona cum eo præparatum eſſe deſtinavit, ſta„ timque peracta trina letania, cereoque ſanctificato, lectionibusque & „ tractis conſumatis, cum quina letania, & cum omni honore ad baptiſ„ mum conſecrandum ad eccleſiam ſancti Iohannis *Baptiſtæ* perrexit; „ baptizatisque ibi ab eo tribus pueris cum ſeptena letania regreſſus eſt „ in ſacrarium ad miſſam ſe præparandum, clero interim pſallente in „ choro." Ordine inverſo aſſignantur, ac quidem ſine ſolemni baptiſmi ritu in Mſc. ord. noſtro ſæc. XIV. „Sacerdote pronuntiante ultimam „ orationem veniant duo pueri in medium chorum, incipiantque leta„ niam ſeptenam. . . . Cantata letania veniant duo fratres cantantes le„ taniam quinam. . . . Finita letania procedant duo cantores induti cap„ pis incipientes letaniam trinam. Cantantibus eis *Gloria Patri*, ſtet con„ ventus inclinatus: deinde revertantur in chorum primo ſacerdos, po„ ſtea converſus, tum ſiniſter chorus, deinde pueri, deinde cantores, po„ ſtea dexter chorus. Sacerdos inceuſet principale altare, & letania can„ tatur in choro. Cantantibus in letania cantoribus *Omnes ſancti*, ſo„ nentur omnes campanæ tam in choro, quam in angularibus. Finita „ letania dicant cantores alta voce, *Accendite*, accendanturque luminaria, „ moxque cantor imponat *Kyrie eleiſon* ad miſſam." Miſſæ ordo ita deſcribitur in libro ordinis inter monumenta noſtra: „Ipſum *Kyrie eleiſ.* „ in fine letaniæ ſolemniter & moroſe repetatur tamdiu, ut poſſint pro-

„ cedere

Analect. p. 152. *De antiq. diſc. monaſt. p. 6.*

Act. O.S.B. ſæc. V. pag. 429.

„ cedere de ſacrario miniſtri & pontifex cum thimiateriis & cereis: Ex„ pleta autem letania dicit pontifex *Gloria in excelſis Deo*, & reliqua per „ ordinem. Ante evangelium non portetur lumen in ipſa nocte, ſed tan„ tum incenſum. Poſt evangelium non cantetur *Credo in unum*, nec „ Offertorium &c." Ubi id expreſſum nota, quod recte obſervavit De- Vert, *Kyrie eleiſon*, quo hodie miſſa inchoatur ſine *Introitu*, ad ipſam ultimam pertinere letaniam trinam nempe, prout *Kyrie*, *Chriſte* & iterum *Kyrie* ter repetitur. Quod luculentius patet ex breviario ord. eccleſ. ubi aliter letaniæ diſtribuuntur, prima in primo egreſſu e ſacrario hora Nona, ſecunda poſt benedictionem cerei, tertia poſt lectiones, quando tempus celebrandæ miſſæ advenerat: „Expletis vero lectionibus cum „ canticis eorum & benedictionibus revertentur omnes miniſtri eccleſiæ „ in ſacrarium cum accenſis cereis exſpectantes horam, qua ad miſſas in„ gredi debeant. Cum autem ſtella in cœlo apparuerit, ſtatim iterum „ incipiunt tertio letania, & procedunt de ſacrario, ſicut ante fecerunt „ cum cereis accenſis vel cum thuribulis. Expleta autem letania inci„ piat abbas aut presbyter, qui miſſas celebrat, *Gloria in excelſis &c.*" Fuit hoc de viſione ſtellæ poſteriore ævo in ſuperſtitionem aliorum ieiuniorum tractum, unde in Conc. *Magdeburgenſi* an. 1488. redarguuntur, qui ſuperſtitioſe ieiunant uſque ad viſionem ſiderum. Quod tamen tempus religioſe ad officium huius diei paſſim etiam in ordine *Romano* deſignatur. In ſermone ſynod. Ratherii *Veronenſ.* de ſabbato S. ita præſcribitur: *Septima feria ante horam decimam nullus præſumat miſſam cantare, nec baptiſmum generale agere.* Ea de cauſa in ſacramentariis inſcribitur officium ſeu *orat. in ſabbato ſancto Paſchæ nocte ad miſſam* adhuc in miſſali *San-Gallenſi* ſæc. circ. X. quod edemus, habeturque *infra act. Benedictio ſuper agnum in Paſcha*, de qua ſupra p. 531. Walafridi *Strabonis* locum attulimus.

Explic. T. III. p. 111.

T. III. Concil. Germ. Pag. 9.

Quæ hodieque in hoc officio habentur, ad noctis vigilias reſpiciunt reſurrectionis dominicæ: „Feria ſexta Paraſceves (ut habet vulgaris ordo „ *Romanus*) quæ & ſexta ſabbati dicitur, miſſa non cantatur, ſed neque „ in ſabbato ſancto uſque ad vigilias noctis." Unde verum comprobat Amalarius, quod ſupra ex Innocentio I. retulimus, ipſeque citat. „Heri (inquit) retulimus ex decretalibus Innocentii Papæ, hodie non ce„ lebrari miſſam: quod ita eſſe comperimus ex officio hodierno, quod „ totam noctem illuſtrat futuram. Oportet ut hoc diſcamus ex prima „ conſecratione cerei, quæ dicit: *Hæc nox in qua deſtructis vinculis mor„ tis &c.*" *Rhabanus* Maurus: „Hac autem die inclinante ad veſpe„ ram ſtatutæ celebratio noctis dominicæ in eccleſia incipitur: & primum

Hittorp. p. 65.

Lib. I. de off. eccl. c. 16.

De Inſtit. Cler. lib. II. c. 38.

 „ ſecun-

Digitized by Google

„ ſecundum inſtitutionem Zosimi papæ archidiacono cereum benedicen-
„ te apte quidem fit, ut in conſecratione luminis paſchalis celebratio in-
„ cipiat, quæ æternæ lucis nobis attulit claritatem.“ Notandum eſt, quod paullo poſt ſubdit: „Poſt baptiſmum vero & litanias ſequitur ſancta miſ-
„ ſarum celebratio, & communicatio corporis, & ſanguinis Domini: cuius
„ participatione quicumque fidelium ſe hac nocte abſtinuerit, neſcio quo-
„ modo dicam illum chriſtianum.“ Sub veſperis communionem aliquando factam in Cœna Domini paullo ante meminimus, in hoc die idem in communione ſacerdotis ſaltem hodieque fit, veſperis miſſæ implicatis. De his veſperis eſt canon Conc. *Aquisgranenſis* an. 836. „Veſpertinales
„ quoque in vigilia Paſchæ melius celebrandæ ſunt propter lætitiam reſur-
„ rectionis Domini, quam dimittendæ.“ Crediderim hoc ad diſtinctionem reliquarum horarum ſtatui, de qua in antiquiſſimo ordine *Rom.* & in antiphonario *Rom.* apud *Ioſ.* Cari ſeu Thomasium fit mentio: *Item in ipſa die diurnalem curſum ſeparatim canunt.* Solemnitas autem poſt officium Nonæ incipit, quam, ut vidimus, cerei benedictio, quæ ad ſequentem noctem pertinet, auſpicabatur. In concilio *Rotomagenſi* an. 1072. ſtatutum eſt, „ Ut in ſabbato Paſchæ officium ante Nonam non incipiatur. Ad noctem
„ enim dominicæ reſurrectionis reſpicit, ob cuius reverentiam *Gloria in*
„ *excelſis* & *Alleluia* cantatur. Quod etiam in officii initio, cerei ſcili-
„ cet benedictione, monſtratur. Narrat liber officialis, quod in hoc bi-
„ duo non fit ſacramenti celebratio. Vocat autem hoc biduum ſextam
„ feriam & ſabbatum, in quo recolitur luctus & mœſtitia apoſtolorum.“ In Conc. *Claromontano* an. 1093. ſancitur, *ut in ſabbato ſancto protrahatur ieiunium circa noctem.* S. Gregorius M. lib. III. dial. c. 33. de hoc ſacratiſſimo ſabbato mentionem faciens, *in quo*, inquit, *omnes & parvuli pueri ieiunant.* In conſtitutionibus apoſtolorum poſtquam ſtatutum eſſet *quomodo Paſcha debeat celebrari*: item *de magna Paſchæ* (id eſt *paſſionis dominicæ*) *hebdomade*, quomodo ſcilicet ieiunandum, deinceps de pervigilio magni ſabbati ſic habetur: *Reliquis vero diebus ante Paraſceven, hora Nona vel veſpere unusquisque comedat, vel prout quilibet poterit; at ſabbato uſque ad gallicinium permanentes, illuceſcente una ſabbatorum, quæ eſt dies dominica, ieiunium ſolvite.* *Io. Frid.* Erdmannus ſingulari commentatione *de ovo Paſchali* edita *Lipſiæ* an. 1736. haud inepte occaſionem munuſculi ovorum paſchalium ex variis generis ieiuniis antepaſchalibus repetit. Obſcurum eſt ſtatutum S. Bonifacii: *Non licet vigilia Paſchæ ante horam ſecundam noctis vigilias perexpedire (quia in ipſa nocte non licet poſt mediam noctem bibere) nec natale Domini nec in reliquis ſolemnitatibus.* Amalarius uſque a traditione apoſtolica permanman-

Pag. 98.

C. XXII. T. XII. Conc. p. 214.

Can. 27. p. 832. T. II. pag. 352.

Lib. V. c. 17. ſeqq.

T. I. Conc. Germ. p. 74.

Lib. I. c. 16.

manſiſſe dicit, ut die vigiliarum Paſchæ ante noctis dimidium populos dimittere non liceat. Qui ergo factum, ut monaſterio *Zderaſienſi Pragæ* bullam Bonifacii IX. concedi neceſſe fuerit in vigilia Paſchæ, ad miſſam cantandam in occaſu ſolis, ut P. I. Hiſtor. litter. ord. S. Bened. p. 525. refertur? De Vert. T. IV. p. 323. ſecundum miſſale *Conſtantienſe* 1559. miſſam in ſabbato S. ſero eſſe celebrandam obſervat. De pervigilio paſchatos *Anaſtaſimou* extat diſſert. *Mich. Ebr.* Krause, item *Georg. Henr.* Götze utraque *Lipſiæ* ad finem ſuperioris ſæculi edita.

XII. Ipſe dies Reſurrectionis dominicæ in Capitularibus & alibi magnus dictus, eſt nobis *Oſtern.* „*Oſterum* (inquit Honorius *Auguſtodunenſis* in Sacrament. c. 42.) dicitur ab Oriente: quia ſicut ibi Sol ſurgit, in „occaſu quaſi moritur, ita hic Sol iuſtitiæ, qui eſt Chriſtus, qui in morte „occaſum ſubiit, hic reſurrexit." Quod melius ab *Urſtend* reſurrectio derivatur. In antiquiſſimo ordine *Rom.* ſic deſcribuntur vigiliæ: „In ipſa „nocte poſt gallorum cantum matutinum, rumpente luce tenebras, ſurgen„tes in eccleſia veniunt, & mutua charitate ſe invicem oſculantes, & di„cant *Deus in adiutorium meum.* Sequitur invitatorium cum *Alleluia.* Se„quuntur tres pſalmi cum antiph. *Beatus vir. Quare fremuerunt. Domine* „*quid multiplicati ſunt.* Sequuntur vero tres lectiones cum reſponſoriis „&c." Ritum hunc in noſtro ordine operis Dei ſæc. XIV. ita ſervatum etiam apud nos invenimus, licet iam ſuo tempore Amalarius in ſupplemento notarit ritum, quem hodie ſervamus, prout S. Benedictus in feſtivitatibus præſcribit. „Item (inquit) in vigiliis dominici diei ſanctæ Reſurrectionis duodecim lectiones & reſponſoria cum tribus canticis in tertia nocturna, & duodecim pſalmos totaque hebdomada celebrant: Baptiſmales tamen pſalmos, qui ad diem pertinent, in numero aſſumunt, ut noſtræ puſilitati videtur: nec vituperandi ſunt, ſed potius laudandi, qui *Gregorianum* tenent morem." Nimirum, ut ex antiquo ordine *Romano* retulimus, quem etiam circa hanc rem citat Rupertus *Tuitienſis*: „Noſtri tamen (alibi dicit) id eſt monachi ordinis æque authenticam non debent immutare regulam, ut verbi gratia nocturnas ulla dominica ad tres lectiones contrahant, aut per horas regulares letaniæ removeant ſupplicationes, & pro ipſis iucundum *Alleluia* perſonent." Apud Gratianum Synodicon Gregorii VII. affertur de more illo vigiliarum in Paſchate & Pentecoſte contra eos, *qui* adinſtar illius *in quotidianis diebus tres tantummodo pſalmos & tres lectiones celebrare volunt.* Legi etiam hac de re poteſt Prop. X. Radulphi *Tungrenſis* de Canonum obſervantia, ubi ex eodem decreto Gregorii VII. abuſum illum reprobat.

Reſurrectio dominica.

Apud Pez. Anecd. T. II. P. I. pag. 293.

Vid. Gloſſar. T. III. Schilteri antiq. Teut. p. 652.

Mabill. Analect. p. 94.

Lib. I. de Off. c. 10. Lib. VIII. c. 3.

De Conſecr. diſt. 5. c. 15.

Exem-

Exemplum nobis ſolemnis imprimis celebrationis vigiliarum Paſchæ ſub imperatore S. Henrico *Bambergæ* in præſentia *Romani* Pont. celebratum in eius vita deſcribitur apud Canisium: „Debitum huius ſanctiſſimæ diei cum duodenis epiſcopis cooperatoribus apoſtolicus Pontifex & aliorum ſequentium dierum ſumma cum devotione celebravit. In ſancta autem dominica Paſchæ, cum in matutinali officio *Aquileienſis* patriarcha lectionem primam, archiepiſcopus autem *Ravennas* ſecundam, ipſeque Pontifex tertiam recitaret, cumque omni ornatu proceſſio ageretur, ſicut dignitatem apoſtolicam decuit in ſancta ſolemnitate ſolemnitatum, quis non iudicet tam religioſam celebritatem, noſtrisque in regionibus inuſitatam merito in memoriam omnium *Bambergenſis* eccleſiæ filiorum perpetuo haberi, & memoriale eius in ſæculum non deleri?"

T. III. P. II. p. 30.

Ritus Chriſti corpus e ſepulchro levandi aliquando facta quadam comœdia fiebat, qualis in ordine div. Offic. *Turicenſi* an. 1260. hoc modo deſcribitur: „Stantes (mulieres) quaſi in oppoſito angeli devote cantant. „*Quis revolvet.* Angelus. *Quem quæritis.* Mulieres. *IHESUM Nazarenum.* Angelus. *Non eſt hic.* Mulieres redeuntes verſus locum ſtationis Clericorum cantant. *Ad monumentum.* Quo finito Clerus cantat aliquantulum remiſſe ant. *Currebant duo ſimul.* Et interim duo antiquiores, & honorabiliores Canonici caſulati repræſentaturi Petrum & Iohannem quaſi feſtinanter vadunt ad altare martyrum. Sed iunior citius ſeniore, & ibi duobus candidiſſimis linteis ab ipſo Canonico angelum repræſentante receptis, ipſa linteola publice reportantes ad Clerum, & oſtendentes cantant: *Cernitis o ſocii*, & ſtatim chorus alta voce ſubiungens „*Te Deum laudamus* in chorum revertitur."

Poſt miſſam, quæ triplex habetur in ſacramentario *Gallicano*, & per integram hebdomadam una de die, altera pro neophytis matutinalis, in noſtris antiquiſſimis ſacramentariis ponuntur orationes *Romano* ritu *ad S. Iohannem, ad veſperas, ad fontes, ad S. Andream.* Illuſtrat hæc inter alios Rupertus *Tuitienſis* capite *De ordine inuſitato veſpertinæ laudis, cuius cauſa eſt per hanc hebdomadam ſolennitas ſancti baptiſterii* inſcripto. „Nam „(inquit) quia veſpera Sabbati paſchalis baptiſma celebratum eſt, eadem „hora per totam hebdomadam feſtivam regenerationis iucunditatem hoc „modo retinet. Primum quia in ipſo baptiſmi ordine inceptum eſt *Kyrie „eleiſon*, & letania trina decantata eſt ob honorem & reverentiam adorandi nominis Patris & Filii & Spiritus ſancti, quo in nomine baptiſmus „peragitur: idcirco non, ut fieri ſolet, a verſu *Deus in adiutorium meum „intende*, ſed a *Kyrie eleiſon* feſtivo concentu incipiuntur . . . Poſt canticum de Evangelio cum antiphona, dicta oratione, proceditur ad fontes

Lib. de off. c. 2.

„cum

Digitized by Google

„ cum pſalmo *Laudate pueri &c.* . . . Hac ſtatione terminata tranſitur in-
„ de ad oratorium ſancti ANDREÆ apoſtoli cantando *In exitu Iſrael &c.*"
In libro ord. inter monumenta noſtra accurate deſcribitur ad eam nor-
mam officium hoc. „In ipſo die ad veſperam conveniunt temperius ad
„ locum Crucifixi, & inde procedunt ad altare canentes *Kyrie eleiſon*, quo
„ finito cantant tres pſalmos *Dixit Dominus. Confitebor. Beatus vir*, &
„ ad ſingulos *Alleluia*. Deinde CR. *Hæc dies.* ℣. *Confitemini. Allel. Pa-*
„ *ſcha noſtrum.* ℣. *Epulemur.* His expletis ſequitur in evang. antiph. *Et*
„ *reſpicientes.* Poſtea orat. Deinde deſcendunt ad fontem cum ant. *In*
„ *die reſurrectionis.* qua finita canantur pſalmi *Laudate pueri. In exitu.*
„ & ad utrumque *Allel.* ſequitur ant. *Cito euntes* & oratio. Tunc vadunt
„ ad crucem canentes ant. *Vidi aquam.* ſive ant. *Chriſtus reſurgens.* ſequi-
„ tur oratio. Deinde diſcedunt presbyteri ad ſingulos titulos canituri
„ veſperas, qui tantum dicunt *Allel.* ſuper pſalmos & ante evangelium CR.
„ *Hæc dies*, ſine verſu, & *Allel.* primam tantum, deinde oratio. Hic or-
„ do per totam ſeptimanam ſervabitur uſque in dominicam poſt albas."
Suſpicor, ut in miſſa præcedentis ſabbati, ſic in his veſperis *Kyrie elei-
ſon* a litania præcedente eſſe in proceſſione *ad S. Ioannem* cum reliquis ſta-
tionibus, ad quas orationes deſignatæ pertinent. De his veſperis RADUL- *De canon. obſerv. prop.*
PHUS *Tungrenſis* ita loquitur: „Veſperæ a *Kyrie eleiſon* inchoantur cum
„ pſalmis dominicalibus per tria interſtitia cum cantu miſſali & *Magnifi-*
„ *cat*, & tribus orationibus. Et ita beatus GREGORIUS veſperas huius
„ hebdomadæ ordinavit, ut vidi *Romæ* in pluribus libris antiquis, & eas
„ cum tali initio ſervat totus mundus. Quas veſperas iidem fratres ma-
„ le alteraverunt."

Feſtum hoc per integram hebdomadam ſolemniter tranſigendum etiam S. AUGUSTINUS ſerm. 259. in die octava habito innuit. Can. 66. *Trullanus* ita ſtatuit: „A ſancta Chriſti Dei noſtri reſurrectionis die uſque ad „ novam diem Dominicam tota ſeptimana vacare fideles iugiter oportet „ pſalmis, & hymnis, & ſpiritualibus canticis, in Chriſto gaudentes, fe- „ ſtumque celebrantes, & divinarum ſcripturarum lectioni mentem adhi- „ bentes, ac ſanctis myſteriis iucunde & laute fruentes." Factum porro, ut tempore Paſchalis feſti Euchariſtia eulogiarum inſtar miſſitaretur, quod can. 14. *Laodiceno* vetatur. Vid. programma de ſacramentis Paſchalibus veterum chriſtianorum *Helmſtadii* an. 1747. ed. Breviarium noſtrum ord. eccleſ. „Et in ipſis VII. diebus Paſchæ & in omni officio divino ita aga- „ tur, ſicut & in diem ſanctum Paſchæ &c." In ſynodo *Engilheimenſi* an. 948. c. 6. ſtatuitur: „Ut Paſchalis hebdomada feſtive tota celebretur, „ & in Pentecoſten ſecunda, tertia, quarta feria non minus quam dies

„ dominicus ſolemniter honorentur." Idem pluribus in conciliis ac lege etiam THEODOSII eſt conſtitutum. BERTHOLDUS vero *Conſtantienſis* ad an. 1094. refert ſtatutum Concilii *Conſtant.* „Ut tam in hebdomada Pentecoſtes, quam in hebdomada Paſchæ tres tantum dies feſtivi celebrarentur. Nam uſque ad illud tempus *Conſtantienſis* epiſcopatus morem „ comprovincialium non eſt ſecutus, videlicet integram ſeptimanam in Paſcha, & unum diem tantum in Pentecoſte obſervando: quamvis utræque ſeptimanæ eiusdem obſervationis eſſe debuerint, & quamvis alii „ epiſcopatus pene omnes prædictam conſtitutionem iam ab antiquo tenuerint."

T. III. Conc. Germ. p. 221.

Nihil vero uſpiam in noſtris monumentis detegere potui quoad diem celebrandi Paſchatis luna decima quarta, ſi in dominicam incideret more *Scottorum*, quem S. COLUMBANUS epiſtola ad S. GREGORIUM M. propugnavit, quam citat in altera epiſtola ad ſynodum *Gallicanam* hac occaſione congregatam data, dum *Luxovii* degeret (Apparet vero ex epiſtola, quam poſtea dedit ad fratres *Luxovienſes* inde expulſus, in ſua adhuc eum firmum ſtetiſſe ſententia, ac etiam timuiſſe, ne forte fratres illi inde dimoverentur) Unde fieri potuiſſet, ut ad noſtras tranſiens partes eundem inſtitueret morem. Inter epiſtolas *Bonifacianas* 44. eſt S. ALTHELMI abb. ad regem GERUNTIUM, ubi contra hunc potiſſimum errorem poſt alteram controverſiam de tonſura *Scottorum*, graviter invehitur, qui iam in *Quartodecimanis* a conc. *Nicæno* reiectus, multis nihilominus ſæculis perſeveravit. Quæ hactenus circa celebrationem Paſchatis in *Germanico* imperio fuit diverſitas inter Catholicos & Proteſtantes ingentium plerumque litium cauſa, iis præſertim in terris, quibus ſubditi a ſuis principibus religione diffidebant, vexaſſetque iterum annis proximis, niſi generoſo animo FRIDERICUS rex *Boruſſiæ* Catholicis rationibus calculoque cedens, in eandem ſententiam traxiſſet reliquos imperii principes, quibus ius determinandi Paſcha Proteſtantes adſcribunt, nec tamen id etiam Catholicis principibus circa ſubditos Proteſtantes integrum ſemper & ubique eſſe voluerunt. Vid. *Chriſtoph.* BEIERI diſſert. *de principe paſchatos feſtum determinante. Lipſ.* an. 1723.

Mabill. T I. Ann. ad an. 600. lib. IX. n. 34.

Paſcha annotinum.

XIII. In utroque ſacramentario orationes miſſales habentur de Paſcha annotino. In citata tabula lectionum ex antiquiſſimo cod. S. BONIFACII apud SCHANNATUM Vindem. lit. coll. 1. p. 218. annotatur *In Paſcha annotina Ad Ephesios ſub titulo XIII. &c.* In evangeliorum Capitulari ac breviario, quæ edimus, evangelium de NICODEMO aſſignatur, & quidem bis in recentiori, ut etiam pro baptizatis in Pentecoſte ſolemnis

com-

Digitized by Google

commemoratio fuiſſe videatur, licet non ſemper ipſa anniverſaria die, ut in Paſcha annotino. Id certe evangelium in antiquis monumentis conſtanter die octava ſeu dominica prima poſt Pentecoſten aſſignatur cum officio, ut in die ipſo Pentecoſtes. Et ita etiam in Paſcha annotino apud *Ioſ.* Cari ſeu *Thomaſium*: *Officium* Reſurrexi *per totum*, *ut in die ſancto Paſcha.* Qui alibi ex libello de officiis Bedæ nomine vulgato, Tom. VII. hunc adducit locum: „Annotinum Paſcha eſt anniverſarium paſchæ, „verbi gratia: præterito anno VII. Idus *Aprilis* fuit Paſcha, & in præ„ſenti anno in iam dictis Kalendis . . . ſeptimo Idus *Aprilis* eſt annoti„num Paſchæ, quod fuit in præterito anno. Hoc ſolummodo de Paſcha „ideo agitur; quod hæc ſit ſingularis, & ſolemnitas ſolemnitatum." In Capitulari Herardi *Turonenſis* archiepiſcopi art. 93. breviter ſtatuitur *De Paſcha annotina, ut rememoretur.* In reſponſali ſeu antiphonario S. Gregorii in nov. edit. PP. Congreg. S. Mauri antiphonæ *In Paſcha annotino* ſunt ex evangelio aſſignato de Nicodemo. Sæc. XI. hoc officium fere neglectum fuiſſe ex *Micrologo*, ſeu Ivone *Carnotenſi* diſcimus, qui etiam officium, ut modo indigitavimus, deſignat. „Cuius diei (in„quit) hoc erat officium, *Reſurrexi*, per totum. Lectio, *Vidi oſtium.* „Evang. *Erat homo ex Phariſæis*, cum orationibus ad hoc competenti„bus: quæ omnia apertiſſime de gratia generatorum agere videntur. „Sed quamvis huiusmodi anniverſarius a paucis uſpiam ſervetur, authen„tici tamen libri ipſum obſervari debere innuunt, qui nobis lectionem „& evangelium ſub titulo Paſchæ annotini annuatim præſcribunt. Si „enim quilibet ſuum natalem, quo ad æternam mortem natus eſt, ob„ſervat: quanto magis illum obſervare deberet, quo ad æternam vitam „regeneratus eſt." Secundum hoc fideles quotannis memoriam natalis ſui agendo pie magis regenerationis diem ſpectarent. „Paſcha annotinum „vocatur (inquit Durandus) quando aliquis diem, quo baptizatus eſt, „celebrat annuatim, quod forte ſumitur a gentilibus, qui diem, in quo „ad miſeriam naſcebantur, natalitium obſervabant." Deſignat etiam deinceps celebrem officii publici in Paſchate annotino celebrationem, quod ſolemne eſſe poterat, quando communis erat in Paſchate baptiſmi celebratio. Rationem vero eius feſti privatim ab unoquoque merito celebrandi S. Carolus *Borromæus* in concilio *Mediolanenſi* an. 1582. expoſuit.

Antiphonar. p. 109. *Capitulare evang. p.* 166. *c.* 56. *Rat. div. off. lib. VII. c.* 1. *n.* 17.

XIV. Infra tempus Paſchale feſtum Inventionis S. Crucis ponitur in antiquiſſimis liturgiis *Gothica* & *Gallicana*, *Romana*, *Gelaſiana*, & *Gregoriana* ad diem tertium *Maii*, in ſolo *Colonienſi* codice deſideravit hoc offi-

Feſtum Inventionis & Exaltationis S. Crucis. *Lit T. II. p.* 289.

Digitized by Google

officium Pamelius, ac præterea in *Gelaſiano* & *Gregorianis* die 14. *Septembris* feſtum exaltationis S. Crucis, uti pariter in noſtris antiquiſſimis. *Graci* inde a Constantino M. repetunt, ut ex Menologio *Græcorum* Menardus refert. *Exaltatio pretioſa & vivifica Crucis ſub imperatore* Constantino *magno*, nimirum ex ſolemni dedicatione templi *Hieroſolymitani*, ut ex chronico *Alexandrino* idem habet, „Dalmatio & Anicio „ Paulino Conſulibus facta ſunt encænia eccleſiæ S. Crucis, ædificatæ a „ Constantino ſub Macario epiſcopo *Septemb.* 17. Inde incæpit feſtum „ manifeſtationis S. Crucis σταυροφανεία.“ Menardus errorem in numero notat ιζ ut legendum ſit ιδ, id eſt, 14. Martenius ex vita Gregorii XI. a Bossueto edita, ſequentia refert: „Ordinavit, quod impoſterum „ fieret officium integrum, quod ſuper hoc fecit ſolemniter ordinari de „ Inventione & Exaltatione ſanctæ Crucis diebus, quibus occurreret: cum „ per prius in matutinis non dicerentur pro earum qualibet dumtaxat ni„ ſi tres ultimæ lectiones, & aliæ ſex de certis ſanctis, quorum feſtivita„ tes dictis occurrerent diebus.“ Nempe pro more antiquo, dum feſta concurrebant, dividendi officia canonica præſertim nocturna. In libro ordinis inter monumenta noſtra hoc ſingulare notatur de hoc feſto: *In ipſa die ſalutant in palacio Lateranenſi ſanctam Crucem, & ſandalia Domini.*

Not. 474.

XV. Feſtum Aſcenſionis Domini inter ſolemnitates ab apoſtolis inſtitutas S. Augustinus in epiſtola ad Ianuarium recenſet, habeturque in omnibus liturgiis, *Leonino* etiam, ubi nihil de feſto Crucis. In *Gelaſiano* duæ ponuntur miſſæ *In Aſcenſa Domini*, quas ad ipſum diem pertinere inde colligitur, quod peculiaris ſequatur mox *dominica poſt Aſcenſa Domini.* In prima miſſa hæc habetur rubrica: „Inde vero modicum „ ante expletum canonem benedices fruges novas. Sequitur benedictio „ *Benedic Domine & has fruges. . . . Per quem hæc omnia Domine ſemper bona &c.* Expleto canonem.“ Conciliorum de hac benedictione Canones Menardus not. 440. ad ſacramentar. *Gregor.* collegit.

Aſcenſio Domini. *Ep. 54. n. 1. T. II. p. 124.*

Solebat etiam alicubi fieri benedictio panis *in feſto Aſcenſionis vel Pentecoſtes ſecundum morem locorum pauperibus diſtribuendi*, ut apud Martenium legitur, pertinetque ad ipſum diem, non ad vigiliam, pro qua miſſa habetur in noſtris ſacramentariis, nulla autem pro octava. In breviario ord. eccleſ. ſic præſcribitur: *Aſcenſione vero Domini cum omni officio divino de ipſa die pertinente, ſicut reliquis diebus dominicis celebrantur, reſponſ. vero & anteph. uſque in ſabbatum Pentecoſt. de Aſcenſione Domini canuntur.*

De ant. eccl. diſc. c. 28.

XVI. Fe-

Digitized by Google

XVI. Feſtum Pentecoſtes cum vigiliis eadem ſolemnitate eodemque ordine ſemper ac Paſcha fuit celebratum. Apud GRATIANUM ex ſermone ſub S. AMBROSII nomine vetus ritus nobis compendio proponitur. „Noſſe credo vos fratres: non minore lætitia celebramus diem Pentecoſtes, quam ſanctum Paſcha curavimus. Tunc enim, ſicut modo fecimus, ieiunavimus ſabbata, vigilias celebravimus, orationibus pernoctantes inſtitimus: unde neceſſe eſt ſimilem obſervantiam ſimilis lætitia ſubſequatur." In ſtatutis S. BONIFACII c. 34. præcipitur: „Et hoc notum facient presbyteri omni populo, ut ſabbato Pentecoſtes, ſicut ſabbato Paſchæ omnes ieiunent, & ad eccleſiam hora nona conveniant, quando ſicut veſpera ſtante Sabbato ſanctæ Paſchæ celebratur: & ipſum diem Pentecoſtes ſimiliter celeberrimum habeant, ut ſanctum Paſcha." Similia habes in breviario ordinis eccleſiaſtici, ubi ſic præſcribitur: „Sabbato Pentecoſte omnes ieiunium faciunt, & omni officio divino tam & lectiones, quam baptiſmum ordine, quod diximus in Sabbato ſancto, celebrantur. Tanto hora VII. incipiente ingrediuntur ad vigilias vel miſſarum ſolemniis, ut hora nona die expleta omnia conſumentur. Diem ſanctum Pentecoſten ordine ſicut & diem ſanctum Paſchæ celebrantur." Ea cauſa fuerit, quod antiquiſſimi ordines nihil peculiare de vigiliis ſolemnibus, ac feſto Pentecoſtes præſcribunt, nec in lectionario *Gallicano* quidquam de vigiliis ſabbati memoratur. Nec tamen hodieque in non paucis *Galliæ* diœceſibus ieiunium eius Sabbati agitur, quod coniunctum eſt cum officio vigiliarum, atque ritu etiam MOZARABICO, quocum vetus *Gallicanus* convenit, vigilia Pentecoſtes ad Nonam aſſignatur, ut vidimus in Sabbato ſancto, qua tamen hora iuxta breviarium ord. eccleſ. omnia expleta eſſe debere dicuntur, ad horam ſeptimam aſſignatis vigiliis. Quod, demto officio Catechumenorum, citius hora tertia agi ſolito, fieri potuit, in vigilia hac Benedictione cerei non facta (quam tamen etiam in eccleſia *Biſuntina*, propinquiore noſtræ *Alemanniæ*, notat DE-MOLEON, & ex Pontificali eius eccleſiæ profert MARTENIUS) ac numero etiam lectionum reſtricto, quas tamen etiam notavimus fuiſſe alicubi quatuor tantum in Sabbato ſancto Paſchæ, atque AMALARIUS tot de vigiliis Pentecoſtes notat. *In eis*, inquit, *ſequuntur lectiones quatuor, & canuntur quatuor cantica ante baptiſmi conſecrationem.* In antiquiſſimo noſtro ſacramentario ſex, quot hodie ſunt, in nonnullis diverſa notantur, ſequiturque rubrica: *Inde deſcendis cum litania ad fontes*, quæ etiam triplex fuit ſeptena, quina, & terna. Quin etiam *Letaniam nonam* ex Mſc. *Saliſburgenſi* profert MARTENIUS, ubi vulgatus ALCUINUS, & ordo *Romanus* habet *Letania norica;* at videtur uterque locus ſub mendo cuba-

Pentecoſte.

Diſtinct. 76. c. 9.

Lib. VI. Capitul. c. 190.

Voy. lit. p. 155. De ant. eccl. diſc. c. 28.

De eccleſ. off. lib. I. c. 38.

L. c. p. 541.

cubare, quem difficile eſt extricare. Nuſpiam certe litaniæ nonæ veſtigium reperi. Ad litaniam pariter pertinet, quod miſſa ſolemnis ſine introitu a *Kyrie eleiſon* incipiat: unde in antiphonario *Gregoriano* ed. *San-Mauriana* notatur *Ad Introitum letania, deinde Reſponſ. Confitemini.* Nota, quod in antiquiſſimo ſacramentario *San-Gallenſi* mediam inter miſſam vigiliæ & feſti ponatur *Item alia miſſa*, quæ eadem fere eſt in ſacramentario *Gelaſiano* cum tit. *Item aliter in vigilia Pentecoſten.* Recentiori manu in cod. *San-Gallenſi* adiicitur *Infra hebdomadam.*

T. III. p. 696.

Octava Pentecoſtes cum officio ſequentium dierum de Trinitate &c.

XVII. „In ipſa vero Ebdomada poſt Pentecoſten (ut habet Breviarium ordinis eccleſ.) in IIII. & VI. feria ſeu & ſabbato ieiunium faciant „& miſſarum ſolemnia cum omni officio, ſicut & in ſacramentorum commemoratione celebrantur. Octava autem Pentecoſte ſicut & dominica „præcedente ita celebrentur.“ Nempe ut ipſa die Pentecoſtes. „Dies octavus (præſcribitur apud IOAN. *Abrincenſem* de Pentecoſte qualiter celebretur) ut primus celeberrime agatur, & idem officium noctis & diei „ex toto compleatur.“ Idem ex ordinario *Rothomagenſi* affert DE-MOLEON. In antiquiſſimo noſtro ſacramentario inſcribitur *Dominica octava Pentecoſten*, ut alibi paſſim in antiquis monumentis, aut *die dominico vacat*, ut in ſecundo noſtro ſacramentario & alibi paſſim, ſicut in aliis Dominicis poſt ſabbata IV. temporum ex antiquiſſimo uſu vigiliarum in ſabbatis illis, ut ſuo loco declarabimus etiam de tempore, quoad hebdomadam Pentecoſtes fixa ſunt IV. tempora menſis quarti. Hinc diverſitas officiorum eſt huius Dominicæ ac etiam controverſia, de qua BERNO, „Nam (inquit) dum adhuc apud *Gallos* eſſem conſtitutus, non modicam „ſuper hac re quæſtionem cognovi exortam in illis regionibus: aliis affirmantibus, quod ſicut Dominicæ Nativitatis ac Reſurrectionis, ita „oporteret celebrare & octavas Pentecoſtes, præcipue cum ſæpius in noſtris officialibus libris ſcriptum legamus poſt octavam Pentecoſtes. Aliis „e regione contendentibus in hac ſolemnitate, qua Spiritus ſanctus ſuper apoſtolos in linguis igneis apparuit, non plus quam ſeptem dies „debere expendi iuxta dona eiusdem Spiritus ſancti.“ Quam ille diſcutiens rem, ita ſtatuit: „Si enim certi gratia myſterii per octo dies noſter baptiſmus colitur, ita ut octava die veſtimenta mutentur baptizatorum, cur non magis celebratur per octo dies baptiſmus apoſtolorum?“ Citat deinde doctorem quemdam, quem non nominat, in eandem ſententiam, celebrari per ſeptem dies opus ſeptiformis ſpiritus, & octava die comſummationem, & declarationem & glorificationem eiusdem operis. Et demum his verbis concludit: „Ex his omnibus manifeſta ratio patet, „quod

Voy. liturg. p. 309.

De quibusdam rebus ad miſſam ſpectant. c. 3.

„ quod hi, qui octavam Pentecoſtes celebrant, rectius agunt, quam qui „ hoc agere nolunt. Igitur iuſtiſſime & rectiſſime a ſancta matre catho„ lica eccleſia toto orbe terrarum diffuſa octavæ Pentecoſtes ſolemnitas ce„ lebratur veneratur & colitur. Si quis vero huic ſane diffinitioni con„ tradicit, eiusdem matris eccleſiæ unitatem ſcindit."

In eandem ſententiam *Micrologus* abit ex alio capite de feſto SS. Trinitatis. Uterque autem Berno & Ivo ſeu *Micrologus* eandem miſſam notant, quæ in ſecundo noſtro ſacramentario habetur, cum lectionibus, quas ubique in veteribus monumentis notatas reperi. Ille cap. 5. de miſſa *Deprecationem noſtram &c.* (alia in antiquiſſimo ſacramentario eſt) „Nam (inquit) per ſingula quatuor tempora peracto ieiunio ſequens Dominica vacat ab officio, quamvis miſſæ non deſint inde compoſitæ. Et quia officia ieiunii primi menſis in prima Quadrageſimæ hebdomada, & ieiunii quarti menſis in hebdomada Pentecoſtes inveniuntur conſcripta, licet ſemper eodem perveniant ordine, tamen ſicut peracta prima Quadrageſimæ hebdomada ea Dominica, quæ ibi poſita eſt, dicitur, & lectiones apoſtoli & ſancti evangelii leguntur, ita & hic agendum eſſe recte & præcipue cum eadem miſſa lectio *Apocalypſis* Ioannis & evangelium, quæ eodem die leguntur, miro inter ſe concordant modo." Ad octavam nimirum Pentecoſtes, & neophytorum officium, ut expreſſius dicit *Micrologus*: „Sequitur Dominica vacans, cui attitulatur lectio *Vidi* c. 59.
„ *oſtium*: orationem vero; *Deprecationem*, ex Quadrageſima & evangeli„ um de Paſcha annotino mutuavit: officium autem de ipſo die Pente„ coſtes, eoquod octava eius ſit, competenter accipit." Radulphus *Tungrenſis* in hac re *Alemannos* tenaces imprimis notat ſua ætate ſæc. XIV. nimirum. „Super octava vero Pentecoſtes magna eſt adhuc diverſitas. *Propoſ.* 16.
„ Cum enim *Romani* in hac Dominica imponerent hiſtoriam Regum: „ aliquæ nationes, ut *Alemanni*, eadem die ſervant octavas Pentecoſtes, „ in hebdomada, & Dominica ſequenti ſervantes officium Trinitatis."

In ordine divini oficii ſecundum conſuetudinem chori præpoſituræ *Turicenſis*, ſcripto an. 1260. ita lego: *Octava Pentecoſtes, ut in feſto. Et nota, quod conſuetudo celebrandi per totam iſtam hebdomadam diverſa ſecundum diverſas eccleſias invenitur. Nam in quibusdam eccleſiis per totam iſtam hebdomadam cantari conſuevit de ſancta Trinitate. In quibusdam vero eccleſiis in Dominica canitur de ſancta Trinitate. In II. fer. de Angelis. In III. fer. de Apoſtolis. In IV. fer. de Martyribus. In V. fer. de Confeſſoribus. In VI. fer. de S. Cruce. In Sabb. de S. MARIA Virgine, quæ eſt Virgo virginum. Sed in quibusdam eccleſiis in dominica de S. Trinitate. In II. feria de Sapientia. In III. fer. de Spiritu ſancto.*

cto. In IV. fer. de Angelis. In V. de Charitate. In VI. de Cruce. In Sabbato de S. MARIA. Sed nos ita conſuevimus. In Dominica celebramus octavam. Et niſi aliquod feſtum pleni officii interveniens impedierit in II. feria de S. Trinitate. In III. de Angelis. In IV. de Apoſtolis. In V. de Martyribus & præcipue de noſtris martyribus Felice & Regula, quod per totam æſtatem uſque ad Adventum Domini obſervatur, niſi aliquod feſtum impediat. In VI. de S Cruce. In Sabbato de S. MARIA. In Mſc. miſſali *San-Blaſiano* ſæc XIV. ut in aliis paſſim eiusdem ætatis poſt miſſam *Spiritus Domini replevit*, in octava Pentecoſte ſubſequitur miſſa de Trinitate. In alio Mſc. *San-Blaſ.* ſæc. XV. poſt idem officium, *Spiritus Domini* in octava Pentecoſt. notatur „Feria II. de ſancta Trinitate „ad miſſam *Benedicta ſit &c.* Fer. III. lect. *Vidi oſtium.* Evang. *Erat* „*homo.* Feria IV. lectio *Gaudete perfecti.* Evang. *Cum venerit.* Cætera „omnia ℞. LXXV. prout feria II. de S. Trinitate fuerunt annotata.“ In impreſſo directorio *Conſtantienſi* ſæc. XV. rubrica eſt poſt officium octavæ, ut in die Pentecoſtes. *In II. veſperis canitur de ſancta Trinitate. Idemque officium ſicut feria II. ita etiam III. & IV.* Sed minus ſolemne de S. Trinitate annotatur. In miſſali *Conſtantienſi* 1490. *Fer. II. poſt octavas Pentecoſtes agitur de S. Trinitate cum duobus ſequentibus ſub pleno officio.* Dominicæ poſt Pentecoſten inde cenſentur. „Dominica prima poſt feſtum ſanctæ Trinitatis Præfatio. *Qui cum unigenito.* „Quæ uſque adventum Domini omnibus diebus dominicis dicitur, cum „de tempore celebratur.“ In miſſali *Spirenſi*: „De ſancta Trinitate officium dicitur dumtaxat tribus diebus immediate ſequentibus octavam „Pentecoſtes. In feſto Corporis Chriſti poſt Collectam adde Collectam „de Trinitate.“ In miſſali *Auguſtano* 1555. *In octava Pentecoſtes officium Spiritus Domini cum cæteris ut in die.* Poſtea ponitur miſſa de SS. Trinitate ſine rubrica. In miſſali *Conſtantienſi* 1505. & 1579. præſcribitur „in octava Pentecoſtes officium, ut in die ſancto per totum cum ſequenti epiſtola & evangelio *Vidi oſtium* de NICODEMO, Præfatio ut in die, „omiſſo *hodierna die*, ſed *Communicantes*, & *Hanc igitur* non dicuntur. „Et feria ſecunda poſt octavas Pentecoſtes agitur de ſancta Trinitate cum „duobus ſequentibus ſub pleno officio. Præfatio *Qui cum unigenito tuo.* „Quæ uſque ad adventum Domini omnibus diebus dominicis dicitur, cum de tempore celebratur.“

Solemne SS. Trinit feſtū in octava Pentecoſtes. *De ant. eccl. diſc c. 28. n. 22.*

XVIII. Præfatio hæc de ſancta Trinitate in noſtro antiquiſſimo ſacramentario ponitur in octava Pentecoſtes, ac etiam in *Gelaſiano*, *Gelonenſi* 900. & *Turonenſi*, ut notavit *Martenius.* In Pontificali EGBERTI *Ebe-*

Eboracenſis archiep. inter benedictiones in miſſa per circulum anni ab epiſcopis populo impertiendas ea, quæ Dominicæ I. poſt Pentecoſten aſſignatur feſto SS. Trinitatis, convenit. Talis eſt etiam in ſacramentario S. Eligii cum integra miſſa, & in editis ex *Vaticano*, ut etiam in vetuſtiſſimo ſacramentorum libro monaſterii S. Dionysii ante annos 800. exarato, in altero *Turonenſis* eccleſiæ eiusdem circiter ætatis, in *Carnotenſi* S. Petri annorum 700. miſſa integra habetur de SS. Trinitate. Harduinus nomen Trinitatis exoſus, quod tamen in Tertulliano, S. Cypriano, & actis ſinceris S. Fructuosi epiſcopi, Augurii & Eulogii diaconorum, qui paſſi ſunt an. 259. & alibi iam reperitur, officium hoc ſublatum ivit ardenter: *Utinam*, inquit, *eo penitus ſublato aliud*, *quod catholicum ſit*, *ſufficiat ſedes apoſtolica.* Nomen ipſum Trinitatis a ficta ſuo in cerebro ſecta impia effictum dicit, & monumenta anteriora omnia pro falſis haberi, temere profecto, vult: ut enim nihil de tot miriadibus chartarum ſeu diplomatum dicam; tot a mille ſaltem annis ſcripta ſacramentaria, cuiusmodi eſt noſtrum antiquiſſimum *Rhenaugienſe*, id nomen unaque luculentam adeo myſterii explicationem in præfatione habent cum cæteris, quæ iam recenſuimus, ipſaque miſſa in codice *San-Gallenſi* plus 900. annorum extra quidem ordinem, in noſtro autem *San-Blaſiano*, altero *Rhenaugienſi* & *Petershuſano* coævis, ut in aliis antiquiſſimis *Gregorianis* ſuo ordine prima inter ſeptem illas, quas Alcuini dicimus, pro Dominica reperitur. *Micrologus*, qui reliquum officium de S. Trinitate cuidam *Leodienſi* Stephano tribuit, certo quodam die feſtum illud celebrari non probat ex Alexandri II. auctoritate, a) qui „de hac re inquiſitus, reſpondit, iuxta *Romanum* ordinem nullum diem ſpecialiter aſcribi debere ſolennitati ſanctæ Trinitatis, ſicut nec ſanctæ unitatis, præcipue cum in omni Dominica, imo quotidie utriusque memoria celebretur. Sciendum autem quemdam Alboinum magiſtrum Karoli imp. rogatu ſancti Bonifacii archiepiſcopi, ut aiunt, miſſales orationes de S. Trinitate compoſuiſſe.“ De hac achronologia iam diximus ſupra. Monumenta ſaltem liturgica, in quibus miſſa de S. Trinitate continetur, pro-

V. Nouv. Tr. diplom. T. III. p. 82. 83.

* 445.

a

a) Habetur Alexandri reſcriptum Extra. de feriis cap *Quoniam.* „Præterea feſtivitas „S. Trinitatis ſecundum conſuetudines diverſarum regionum a quibusdam conſuevit in octavis Pentecoſtes, ab aliis in „Dominica I. ante Adventum Domini „celebrari. Eccleſia ſiquidem *Romana* in „uſu non habet, quod in aliquo tempore huiusmodi celebret ſpecialiter feſtivitatem cum ſingulis diebus *Gloria Patri* „& *Filio* & *Spiritui S.* & cætera ſimiliter dicantur ad laudem pertinentia Trinitatis.“

prope ad tempora Caroli M. aſſurgunt, proferturque Caturfpii ad Carolum M. epiſtola de hoc feſto inſtituendo. *Ergo, mi rex, ſi vobis placeat hoc conſilium pro his omnibus, pro te, & pro exercitu Chriſtianorum, ut unum diem poſt ieiunium in anno in honore ſanctæ Trinitatis & unitatis, & angelorum & omnium Sanctorum celebrem conſtituas ſuper regnum tuum cum conſilio ſynodi Francorum.* Nihil tamen in Capitularibus ſeu Conciliorum actis illius, aut proxime ſubſequentium ſæculorum occurrit, quod paullatim inolevit privatarum primo eccleſiarum pietate. Apud Ioannem *Abrincenſem*, qui *Micrologi* ætate ſæc. XI. vixit, ita legitur: *Proxima Dominica cum novem pſalmis & antiphonis cum novem lectionibus & reſponſoriis celebretur in honore S. Trinitatis eadem celſitudine, qua dies Aſcenſionis.* Noſtra ætate emanavit bulla Benedicti XIII. in qua per univerſam eccleſiam feſtum SS. Trinitatis celebrari præcipit eodem ritu & ſolemnitate, quibus feſta Nativitatis, Reſurrectionisque dominicæ, paresque indulgentias concedit, atque in feſto Corporis Chriſti. Ciaconius Ioanni XXII. in eius vita tribuit *Romæ* feſtum hoc in octava Pentecoſtes inſtitutum. Quo ſæc. XIV. nimirum Radulphus *Tungrenſis* hoc teſtatur: „Hodiernis vero temporibus *Romæ* & in curia *Romana* „ſolemnis habetur feſtivitas ſanctæ Trinitatis in octava ſupradicta, quod „etiam plures *Alemanni* cœperunt ſequi poſtea.“ At iam ordine *Rhenaug.* ſæc. XI. vel XII. & ſuppari *Ottoburano* feſtum SS. Trinitatis hac die annotatum reperi, in Mſc. item miſſali ſæc. XII. In antiphonariis *Gregorianis* apud Pamelium, *Ioſephum* Cari ſeu Thomasium & editione *San-Mauriana* de S. Trinitate officium aſſignatur dominica ultima poſt Pentecoſten: quod etiam De-Moleon alicubi obſervat. *Voy. liturg. p. 194. 197.* Paſſim vero in MſC & impreſſis miſſalibus animadverti, & paullo ante notavi, quod nunc Clemens XIII. omnibus Dominicis, quando propria non habetur præfatio, fieri ſtatuit, ut a feſto Trinitatis ſingulis Dominicis præfatio de SS. Trinitate caneretur. *c. 59.* Uſus huius præfationis diebus dominicis meminit *Micrologus* ceu a Pelagio P. inſtituti, olimque hoc tempore communis erat apud cœtus monaſticos miſſa matutinalis de S. Trinitate, quam tamen S. Udalricus etiam in Paſchate celebraſſe a vitæ auctore memoratur. *Act. ord. S. Ben. ſæc. V. p. 429.*

Feſtum Corporis Chriſti.

XIX. Feſtum SS. Corporis Chriſti, apud nos a ſua celebritate *Frohnleichnam* dictum, ſolemniſſime ſæculo demum XIII. celebrari cœpit, primum in eccleſia *Leodienſi*; S. Iuliana ibidem Montis *Cornelii* Sanctimoniali, ut apud Bollandum in eius actis refertur ad diem 5. *Aprilis*, agente, remque ſanctam promovente Hugone Cardinali ad partes *Alemanniæ* a ſummi Pontificis latere conſtituto legato. *Iacobus* vero Pantaleo de

de *Trecis* eius eccleſiæ archidiaconus poſtea epiſcopus *Virdunenſis* ac demum ſummus pontifex ſub nomine URBANI IV. in eccleſia celebrandum inſtituit, bulla data ipſo, quo mortuus eſt, anno. Feſtum autem iam *Romæ* celebraſſe URBANUM IV. conſtat ex eius verbis, quæ BENEDICTUS XIV. citat ex relatis a DIESTEMIO litteris in forma Brevis datis ad EVAM piam matronam (quæ poſt mortem S. IULIANÆ rem promoverat) huiuscemodi verbis: „Et ſcias, quod nos eiusmodi feſtum cum omnibus fra„tribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, nec non cum omnibus archiepi„ſcopis & epiſcopis, cæterisque eccleſiarum prælatis, tunc apud ſedem „apoſtolicam commorantibus (ad hoc, ut videntibus & audientibus de „tanti feſti celebritate ſalubre præberetur exemplum) duximus celebran„dum.“ Subdit BENEDICTUS XIV. „Cum autem paullo poſt datam „bullam exceſſiſſet e vita, nec quisquam urgeret, ut executioni manda„retur, quod innuit Gloſſa *Clement.* unica de reliquiis & veneratione „Sanctorum, inde factum eſt, ut annis inſequentibus eiusmodi feſtivita„tem celebratam eſſe non reperiamus. De ea enim ſilet DURANDUS, qui „poſt URBANI mortem duos & viginti vixit annos. Verum CLEMENS V. „in concilio *Viennenſi* anno 1311. habito, URBANI conſtitutionem confir„mavit, quam demiſſo animo, ut par erat, Patres; qui univerſalem re„præſentabant eccleſiam, acceperunt. Ut videre eſt *Clementina* unica de „reliquiis, & venerat. Sanctorum. Cuius executionem IOANNES XXII. „qui anno 1316. CLEMENTI V. ſucceſſit, omni ſtudio curavit, ad eam„que rem MARTINUS V. & EUGENIUS IV. novis indulgentiis tribuendis „plurimum contulerunt, ut tandem in tota eccleſia feſtivitas celebraretur. „Quamobrem ſancta *Tridentina* ſynodus ſeſſ. 13. c. 15. eam ſolemnita„tem triumphum de hæreſi appellat, & in eos, qui eam improbare au„deant, anathema pronunciat Can. 6.“ *De feſtis lib. I. c. 13.*

Vehementer nimirum inſurrexerunt contra hoc feſtum, ſolemnem proceſſionem, circumgeſtationem ac expoſitionem SS hoſtiæ Proteſtantes, quos peculiari diſſertatione *Iac.* GRETSERUS perſtringit. Proceſſionis meminit Bulla EUGENII IV. data an. 1433. quæ integra inſerta legitur in Concilio *Friſing.* an. 1440. Eiusmodi proceſſionem integro iam ſæculo antea in eccleſia *Mediolanenſi* fuiſſe, oſtendi in *principiis Theolog. lit.* Expoſitionis uſum primum ſe apud *Bursfeldenſes* reperiſſe teſtatur MARTENIUS. Miſſam de hoc feſto inter noſtra monumenta *Alemannica* primum reperi in miſſali Mſc. *San-Blaſiano* inter ſæc. XIII. & XIV. exarato, habetque omnia, ut in cœna Domini, etiam quæ infra canonem dicuntur, excepta præfatione, quæ de Nativ. Domini eſt. In concilio *Colon.* an. 1307. iam hoc feſtum inolitum demonſtratur: *In feria autem quin-* *Opp. T. V. P. II. p. 131.* *T. XIX. Conc. ed. Ven. p. 12. §. 90.* *De ant. monach. rit. lib. I. I. c. 25. n. 9.* *T. III. Conc. Germ. n. 109.*

quinta eiuſdem hebdomadæ celebretur ſolemniter feſtum Euchariſtiæ, prout hactenus a noſtris anteceſſoribus eſt ſtatutum.

CAPUT II.

De Feſtis Sanctorum.

I.

Feſta Sanctorum, qua cautione ſuſcepta.

Vocabant olim *Miſſam* feſta Sanctorum ſolemnia, ſeu feriata, quemadmodum ſæpe in capitularibus regum *Francorum* & aliis monumentis occurrit, atque iam ſupra notavi miſſam S. Martini, S. Iohannis, S. Andreæ, S. Remigii &c. Reperit Baluzius in codice regio veterem notam hanc marginalem ad locum eiusmodi, ubi Miſſa S. Ioannis notatur: „Hoc „ ideo dicit, quia pax ante feſtum S. Ioan- „ nis facta fuit hac lege. Sed quia non ſta- „ tim, ſed uſque ad illud feſtum bene pote- „ rant omnibus hominibus innoteſci, ideo poſt feſtum obſervari præci- „ pit in perpetuum.“ Communiter ac promiſcue natales vocantur. „Na- „ talem ergo Sanctorum (inquit Chrysologus) cum auditis, chariſſimi, „ nolite putare illum dici, quo naſcitur in terram de carne, ſed de ter- „ ra in cœlum, de labore ad requiem, de tentationibus ad quietem.“ S. Paulinus Nat. XIII.

T. II. Capitul. p. 1079.

Serm. 129. de S. Cypriano.

Et merito Sanctis iſte natalis dies
Notatur, in quo lege functi carnea
Mortalitatis exuuntur vinculis,
Et in ſuperna regna naſcuntur Deo.

In concilio an. 742. cui S. Bonifacius ſub Karlomanno, qui in ſua ditione *Alemanniam* tenuit, eiusque provinciæ epiſcopi quidam interfuerunt, canon habetur contra paganas obſervationes: „Ut populus Dei „ paganias non faciat, ſed ut omnes ſpurcitias gentilitatis abiiciat, & re- „ ſpuat ſive profana ſacrificia mortuorum, ſive ſortilegos vel divinos, ſi- „ ve phylacteria & auguria, ſive incantationes, ſive hoſtias immolatitias, „ quas

T. I. Conc. Germ. p. 49.

Digitized by Google

„ quas ſtulti homines iuxta eccleſias ritu pagano faciunt ſub nomine ſan-„ ctorum Martyrum vel Confeſſorum, Deum & ſuos Sanctos ad iracun-„ diam provocantes; ſive illos ſacrilegos ignes, quos *Ned-fratres* vocant, „ ſive omnes, quæcunque ſunt, paganorum obſervationes diligenter pro-„ hibeant." Idem in Capitulari I. CAROLI M. an. 769. repetitur. In concilio *Liptinenſi*, quod ſequenti anno 743. habitum eſt, ſubiicitur *indiculus ſuperſtitionum & paganiarum*, atque inter alia notatur *De ſacrificio, quod fit alicui Sanctorum. De eo, quod ſibi Sanctos fingunt, quoslibet mortuos.* p. 51.

In Capitulari an. 789. cavetur, *ut falſa nomina Martyrum, & incerta Sanctorum memoria non venerentur.* Quod ex conc. *Africano* deſumtum eſt. Atque in vita S. MARTINI exemplum profert *Sulpitius* SEVERUS, umbram ad eiusmodi memoriam palam reſpondiſſe, latronem ſe fuiſſe ob ſcelera percuſſum, vulgi errore celebratum. Occaſio hinc ſchiſmatis *Donatiſtarum* enata eſt, quod non ferret CÆCILIANUS fœminam; „ Quæ ante ſpiritalem cibum & potum os, neſcio cuius Martyris, ſi „ tamen Martyris, libare dicebatur: & cum præponeret calici ſalutari ne-„ ſcio cuius hominis mortui, & ſi Martyris, ſed necdum vindicati, cor-„ repta cum confuſione irata diſceſſit.

In Capitulari paullo poſt initium ſæc. IX. *Ut falſa nomina Martyrum non venerentur*, ſtatuitur. In Conc. *Moguntino* & *Francofurdenſi*: *Ut nulli novi Sancti colantur, aut invocentur, nec memoria eorum per vias erigantur. Sed hi ſoli in eccleſia veneraudi ſunt, qui ex auctoritate paſſionum, aut vitæ merito electi ſunt.* Semper magis magisque cura paſtorum præſertim *Romanorum* Pontificum in canonizatione Sanctorum enituit, relatis nimirum in canonem iis, quibus publicus in eccleſia cultus tribui poſſit, ac eorum celebrari feſta. 417. c. 51. c. 43.

II. In citato indiculo ſuperſtitionum & paganiarum eſt n. 19. *De petendo, quod boni vocant S. MARIÆ*, quo quidam novatores invocationem Deiparæ Virginis interdictam, perperam quidem, contendunt, cum ſemper in liturgia celebratum fuerit B. M. V. nomen, ac in eius honorem habita feſta, ut ex omnibus liturgiis patet, quæ mancæ non ſunt, qualis eſt *Leonina*. In Lectionario *Gallicano* poſt *officium die dominico poſt Epiphaniam* ſequitur *legenda in feſtivitate S. MARIÆ.* B. Mariæ V. p. 118.

In miſſali vero *Gothico* ſtatim poſt Epiphaniam venit *Miſſa in Aſſumtione ſanctæ MARIÆ matris Domini noſtri.* Prout nimirum a GREGORIO *Turonenſi* adnotatur: *Huius feſtivitas ſacra mediante menſe undecimo celebratur.* Id eſt menſe *Ianuario*, quo celebratum fuiſſe MABILLONIUS *Lib. I. de gloria MM. c. 9.*

 in

in nota ad Lectionarium probat ex variis calendariis antiquiſſimis, in qui-
p. 118. bus, & in aliis monumentis notatur nunc dormitio, pauſatio, depoſitio,
Lib. XVII. nunc Aſſumtio B. M. Ac NICEPHORUS teſtatur, MAURICIUM *Auguſtum*
hiſt. c. 18. ſacroſanctæ Dei genitricis dormitionem quinta decima *Auguſti* menſis die celebrari præcepiſſe toto orbe terrarum. Occurrit eo die non ſolum in *Gregorianis*, ſed etiam *Gelaſiano*, non vero in *Leonino*, licet menſis *Auguſtus* in illo habeatur.

T. V. Theſ. N. Anecd. Idem ſolum feſtum notatur in antiquiſſimo Calendario apud MARTENIUM cum hypapante, quod in noſtro antiquiſſimo ſimpliciter notatur *Simonis*, eaſdem tamen orationes habet, quæ in altero *Gregoriano* leguntur, in quo *Purificatio*, uti etiam in *Gelaſiano*, dicitur; ubi tamen collecta deeſt, qualis in aliis eiuſdem Deiparæ feſtis habetur ex inſtituto SERGII I. circa finem ſæc. VII. ut ANASTASIUS teſtatur, eum Pontificem letaniam faciendam iuſſiſſe diebus Annuntiationis Domini, nativitatis, & dormitionis ſanctæ Dei genitricis. In dedicatione eccleſiæ B. MARIÆ ad Martyres III. Idus *Maii*, quod feſtum habetur in cod. *San-Gallenſi* (ubi in antiquiſſimo codice *Rhenaugienſi* aliquid reſciſſum eſt) de Martyribus agitur in oratione, ac ſingulare B. M. V. feſtum non eſt, cuius quatuor tantum feſtivitates in *Gelaſiano*, *Gregorianis*, ac noſtris ſacramentariis notantur, Purificatio, Annuntiatio, Aſſumtio, & Nativitas, quæ apud IOAN-
De offic. p. 81. NEM *Abrincenſem* eodem modo celebranda præſcribuntur. Nec plura, quam quatuor feſta in honorem B. V. innuuntur ab auctore ſerm. I. in *Salve regina* inter opera S. BERNARDI. In impreſſo miſſali ſæc. XV. ita lego: „Item novem ſunt glorioſæ Virginis MARIÆ feſta. videlicet Con„ceptionis, Nativitatis, Præſentationis, Annunciationis, Viſitationis, Pu„rificationis, Aſſumtionis, Compaſſionis, quod ſabbato proximo poſt octa„vas Paſchæ celebratur, & Nivis, quod ipſa die OSWALDI cadit.“ De horum & aliorum feſtorum B. M. V. origine & celebritate inter alios erudite agit BENEDICTUS XIV. integro libro II. de feſtis, ac noviſſime *Io. Chryſoſt.* TROMBELLI de vita, geſt. ac cult. SS. M. V. T. V. P. II. differt. 13. Nos de præcipuis ſuis locis deinceps agemus, quatenus ad illuſtrationem liturgiæ *Alemannicæ* ſpectant.

Apoſtolorum. III. Creverunt etiam ſucceſſu temporum Apoſtolorum feſta, ac nonnunquam præter peculiaria natale omnium Apoſtolorum notatur: veluti in ſacramentario *Gelaſiano* poſt feſtum apoſtolorum PETRI & PAULI. Et in *Leonino* currente octava eorundem principum Apoſtolorum oratio hæc legitur: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui nos omnium apoſtolorum merita ſub una tribuiſti celebritate venerari, quæſumus ut celerem tuæ*

pro-

Digitized by Google

propitiationis abundantiam multiplicatis interceſſoribus largiaris. Quæ ad verbum fere eſt hodierna in feſto omnium Sanctorum oratio. Ad feſtum SS. Apoſtolorum PETRI & PAULI in miſſali *Gothico: Miſſa in natale unius Apoſtoli & Martyris* reperitur. Ex hac vero inſcriptione firmatur, quod notat MABILLONIUS ad ſacramentarium *Gallicanum*, nomine martyrum etiam Apoſtolos comprehenſos eſſe, cum in illo ſacramentario, uti etiam in lectionario *Gallicano*, ac miſſali *Francorum* tantum de communi martyrum, non vero apoſtolorum miſſæ habeantur, pariter ac in antiquiſſimo noſtro ſacramentario 1000. annor. cum contra in ſecundo *San-Blaſiano* 900. de vigilia & natali unius & plurium Apoſtolorum miſſæ habeantur. *T. III. p. 439.* Quod editores S. GREGORII obſervarunt ſimiliter in utroque Theod. Gemet. & Cal. & in Theod. de vigilia & natali unius Evangeliſtæ. Ex ſermone OTHLONI monachi S. EMMERAMI *de apoſtolis* ſæc. XI. apud PEZIUM diſcimus in honorem non ſolum Apoſtolorum duodecim, *T. III. Anecd. p. 538.* ſed etiam Evangeliſtarum LUCÆ & MARCI feſta fuiſſe. In concilio *Erfordienſi* an. 932. c. 1. ſtatuitur, ut ſolemniter feſta duodecim Apoſtolorum agerentur, ac ieiunium in vigiliis antiquitus conſtitutis fieret. Extat reſponſum INNOCENTII III. ad epiſc. *Bracarenſ.* conſultat. „Quod „omnium apoſtolorum vigiliæ ſunt in obſervatione ieiunii celebrandæ „præter vigilias Apoſtolorum PHILIPPI & IACOBI, & B. IOANNIS Evange-„liſtæ: quoniam ipſorum ſolemnitas intra ſolennitatem paſchalem, iſtius „autem intra Natalem Domini celebratur.“ *Lib. III. decretal Greg. IX. tit. 46. c. 2.*

IV. Antiquitatem ſummam ſapit, quæ ante commune Sanctorum in antiquiſſimo noſtro ſacramentario præcedit „Denunciatio natalis unius „martyris. *Noverit veſtra devotio &c.* Item plurali. *Quo diaboli ten-„tamenta &c.*“ Ut de *Remenſi* annotavit MENARDUS, eodemque loco in *Gelaſiano* habetur initio libri II. quo officia de Sanctis continentur, qui vere martyres ſunt, quorum feſta a prima eccleſiæ ætate celebrata memorantur, veluti iam obſervavimus ex epiſtola eccleſiæ *Smirnenſis* de S. POLYCARPO: „Oſſa illius gemmis pretioſiſſimis, & quovis auro puriora „colligentes, ubi decebat, condidimus. Quo etiam in loco nobis, ſi „fieri poterit, convenientibus, concedet Deus natalem ipſius martyrii „diem cum hilaritate & gaudio celebrare, tum in memoriam eorum, „qui glorioſo certamine perfuncti ſunt, tum ad poſteros huiusmodi ex-„emplo inſtruendos & confirmandos.“ Et S. CYPRIANUS dies eorum, quibus excedunt confeſſores in carcere, adnotari voluit, *ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare poſſimus.* Confeſſores illi vocari ſolebant, qui tormenta perpeſſi, aut quæſtionem pro Chriſto,

Martyrum & aliorum Sanctorum.

In ſacrament. S. Greg. not. 588.

Euſeb. Lib. IV. hiſt. c. 15.

Epiſt. 12. ad preſ. & diac.

mor-

mortem in tormentis non ſuſtinuerunt. Eoque in noſtro ſacramentario mox prima miſſa pertinet in vigilia unius ſancti martyris vel confeſſoris, ut in prima oratione legitur, & in præfatione: ubi tamen *pia certamina* memorantur, & in poſtcommun. *pretioſa paſſio.* Sic in codice *San-Gallenſi*, ex quo ſupplevimus antiquiſſimum noſtrum ſacramentarium, notatur XIX. Kal. *Febr. Natal. S. Felicis Confeſſoris*, atque in ſecreta oratione etiam in *Rhenaugienſi* codice vocatur Confeſſor uti XIX. Kal. *Sept.* S. EUSEBIUS, qui multa pariter pro fide orthodoxa ab hæreticis fuerat perpeſſus. Dicam Ven. THOMASIO ſcriptam, ſeu potius libris liturgicis a ſe editis quoad cultum Confeſſorum, quos deinceps immutata vocis ſignificatione appellare mos fuit, repellit P. *Ioſ. Mar.* PEZZO *la di-* *T. VII. opp.* *feſa de' libri liturgici della chieſa Romana* &c. c. 4.

p. 429. In antiquiſſimis ſacramentariis *Romanis* & *Gallicanis* aliorum Sanctorum miſſæ ſunt diſtinctæ a communi Martyrum, quibus ſua fuerunt feſta ſerius quidem, quam feſta martyrum inducta, ſeu confeſſorum anti- *Nat. XIII.* quo illo ſenſu iuxta S. PAULINUM:

Hinc ergo Sanctis ſive Confeſſoribus
Dies ſacratos, in quibus functi diem
Mortalis ævi morte vitali ſuum
De labe mundi tranſierunt ad Deum,
Populi fideles gaudiis ſolemnibus
Honore Chriſti gratulantes excolunt.

Hom. 26. in ep. 2. ad. Corinth. Ac promiſcue de Sanctis S. CHRYSOSTOMUS „At vero (ait) ſervorum „Chriſti vel monumenta ipſa ſunt illuſtria, quæ regiam & dominam om„nium civitatem obtinuerunt: tum mortis illorum dies noti ſunt omni„bus, qui feſti per totum orbem aguntur." In prolixa refutatione hæret. in concilio *Atrebat.* an. 1025. Cap. 9. *de Confeſſoribus*, inſcribitur, ac ſic incipit: „Iam vero quis non videat, vos in hoc divini iudicii & „chriſtianæ communionis reos eſſe, quod adverſum beatiſſimos Chriſti „Confeſſores pravi dogmatis ſeditionem ſacrilego auſu movetis, dicentes, „præter Apoſtolos & Martyres neminem iure venerari, in Confeſſoribus „nullum donum virtutis eſſe, nec ab eis aliquam ſalutis gratiam poſſe „exſpectari, quorum corpora in cineres reſoluta nihil a mortuis anima„libus differre videntur." Habetur etiam miſſa in natali Virginum ſed Martyrum in noſtro antiquiſſimo miſſali, qualis deſideratur in miſſali *Go-* *T. VI. opp. V. Thomaſii* *thico*, ubi plures de Martyribus & duæ de Confeſſoribus, una unius, & altera plurium. In ſacramentario tamen *Gallicano* etiam eſt miſſa unius *p. 327.* Virginis. In miſſali *Francorum* poſt tres miſſas *de uno Martyre* ſequi-

tur

tur communis *In natale Sanctorum.* In antiquiſſimo Calendario a Martenio T. V. *Theſ. anecd.* edito plura evangelia notantur in natali omnium Apoſtolorum, Martyrum, Virginum, Confeſſorum. Virgines præponuntur ſcilicet Martyres, de quibus ſolis orationes in communi Virginum in noſtris antiquiſſimis ſacramentariis loquuntur. In append. *Compend.* apud S. Greg. ex edit. S. Mauri Feria VII., id eſt, ſabbato de Virginibus notatur, eſt autem præcipue de B. V. M. *T. III. pag. 726. ſeq.*

V. In die vero obitus ſeu martyrii deſignanda, ut anniverſaria celebritate agi poſſet, luculentum habemus indicium in actis S. Ignatii. „Manifeſtavimus vobis diem & tempus, ut ſecundum tempus martyrii „congregati communicemus athletæ, & virili Chriſti martyri. . . . . glo„rificantes in ipſius venerabili & ſancta memoria Dominum noſtrum Ie„ſum Chriſtum." De hoc S. Cyprianus laudata iam epiſtola ad clerum ſuum laudat Tertullum: „Qui nec illic circa curam corporum deeſt, „ſcripſerit & ſcribat ac ſignificet mihi dies, quibus in carcere beati fra„tres noſtri ad immortalitatem glorioſæ mortis exitu tranſeunt, & cele„brantur a nobis hic oblationes & ſacrificia ob commemorationem eorum, „quæ cito vobiſcum, Domino protegente, celebrabimus." Ad hunc locum exigenda ſunt, quæ idem ad clerum item ſuum alibi de Confeſſore Celerino & Martyribus Celerina eius avia patruo & avunculo Ignatio & Laurentio ſcribens: „Sacrificia (inquit) pro eis ſemper, ut memini„ſtis, offerimus, quoties Martyrum paſſiones & dies anniverſaria com„memoratione celebramus." In antiquiſſimis ſacramentariis, ut ſuo loco diximus, etiam ſacratiori canonis parte cum aliis peculiaris eius Sancti, cuius feſtum agebatur, facta eſt mentio. „Ubi non pro ipſis ore„tur. (ut inquit Augustinus ad explicationem ſuperioris S. Cypriani lo„ci, ac nonnullarum veterum *Græcarum* liturgiarum) Iniuria eſt enim „pro Martyre orare, cuius nos debemus oratione commendari." Et contra Faustum: „Populus Chriſtianus memorias Martyrum glorioſa ſolem„nitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum „conſocietur, atque orationibus adiuvetur, ita tamen, ut nulli Martyrum „conſtituamus altaria. Quis enim antiſtitum in locis ſanctorum corpo„rum aſſiſtens altari, aliquando dixit: *offerimus tibi Petre, aut Paule,* „*aut Cypriane?* ſed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres corona„vit, apud memorias eorum, quos coronavit." In indiculo ſuperſtitionum & paganiarum, qui concilio *Liptinenſi* ſub S. Bonifacio celebrato ſubiicitur n. 9. legitur *De ſacrificio, quod fit alicui Sancto.* Quandoquidem pronum fuit converſis primum ex paganica ſuperſtitione hic excedere, atque cul-

Quomodo celebrata.

Act. ſinc. p. 11. n. 8.

Ep. 12. pag. 188.

Ep. 39. pag. 224.

Serm. 159.

Lib. XX. c 21.

Digitized by Google

tum antea idolis impenſum ad Sanctos transferre, forte etiam mactatis ad eorum memoriam hoſtiis, epulis & compotationibus indulgendo. Antiquiſſimæ quæque noſtræ liturgiæ rectum chriſtiani ſacrificii uſum in honorem Martyrum orationibus miſſalibus exhibent. Sic ex antiquo Mſc. Martyrologio *Hieronymiano* SOLERIUS notavit III. *Ianuar.* de S. GENOVEVA: *Cuius reliquiis honorem debitum impendimus miſſales & orationes perſolvendo.* Et XVI. *Ianuarii* de S. PRISCILLA: *Cuius glorioſum pro Chriſto agonem cum patrociniis digne veneramur, officiumque diurnum, ut ſancti Patres ſanxerunt, perſolvimus.* In officio tam miſſæ, quam aliis die noctuque de illis agebatur, ſemper lectis etiam eorum geſtis, ut iam indicavimus, ritu *Gallicano*, & *Mozarabico* initio miſſæ, alias in officio nocturno.

Præfat. in martyrol. Uſuardi. p. X.

Celebriora etiam feſta cum vigiliis & octavis celebrantur, prout in antiquiſſimo breviario & inſtructione ordinis eccleſ. quæ inter monumenta edimus, notatur his verbis: „In vigiliis omnium apoſtolorum vel cæ„terorum principalium omnes ieiunium faciunt & hoc nona, natalitia „eorum prævenientes absque *Gloria in excelſis Deo* & *Alleluia*, miſſa„rum ſolemnia celebrantur, & ipſa nocte ad vigilias eorum paſſiones vel „geſta leguntur. Quodſi in die dominica eorum natalitia evenerint, tam „in adventum Domini, quam & in omni tempore pſalmi cum eorum „paſſionibus, vel geſtis cum reſponſoriis & antephonis de ipſis pertinen„tibus canuntur. Si autem geſta eorum minor fuerit, ut in novem „lectionibus ſufficere non poſſit, in tribus tantum poſterioribus lectio„nibus leguntur, & octavas cum reſponſoriis vel antiphonis, ſeu & miſ„ſarum ſolemniis, ſicut die primo feſtivitatis eorum celebrantur. Quodſi „in octavas eorum natalitia aliorum evenerint, præcedente die eorum octa„vas celebrantur." Frequenter in antiquiſſimis ſacramentariis miſſæ de vigiliis aſſignantur, ac in aliquibus feſtis, ut ſuis locis notabimus, duæ miſſæ in ipſo feſto, altera primo mane, altera publica. Miſſæ in vigiliis ad horam nonam celebrari ſolebant cum ieiunio, id eſt, una refectione. Sicque interpretandus eſt can. I. Concilii *Salegunſt. De abſtinentia carnis & ſanguinis in ſubſcriptis temporibus*, ſc. XIV. diebus ante feſtum S. IOAN. *Baptiſtæ*, & ante Natale Domini, ſimiliter in vigilia Epiphaniæ, in vigilia omnium ſanctorum Apoſtolorum, in vigilia Aſſumtionis S. MARIÆ, in vigilia S. LAURENTII, in vigilia omnium Sanctorum. „Adiicientes prædictis vigiliis unam horam refectionis, excepta infirmita„te, & niſi aliquis ſit, qui in proprio voto maiori abſtinentia uti vult." Rariores ſunt in antiquioribus ſacramentariis octavæ Sanctorum, nec aliquid

T. III. Conc. Germ. p. 55.

Digitized by Google

quid præter diem octavam (cuius rei veſtigium ſupereſt de S. Agnete *ſecundo* i. e. die octavo feſti) uſpiam notatur. „Iuxta *Romanam* auctori„tatem (inquit *Micrologus*) nullorum Sanctorum octavas obſervare debe„mus, niſi unde certam aliquam traditionem a ſanctis Patribus habemus. „Eorum quoque, quorum octavas celebramus, nullam quotidianam men„tionem per interiacentes dies agimus, quia nullam auctoritatem inde „habemus, exceptis de S. Maria, & de S. Petro, quorum memoriam „& alio tempore non ceſſamus celebrare.“ C. 44.

De diſcrimine feſtivitatum, quæ plenum officium habent, ab aliis, quæ trium lectionum vocantur, egimus ſupra, ac legi meretur Radulphi *Tungrenſis* prop. 17. & 18. quæ inſcribitur: *Dies Sanctorum novem lectionum, in morem dominicalem; trium vero lectionum more feriali ſunt inofficiandi.* Ubi etiam de concurrentibus in unum diem feſtis agit verbis ex Micrologo depromtis: „Quodſi (inquit) duæ feſtivitates novem „lectionum ſeu feſtivitas cum dominica, aut una ipſarum cum die trium „lectionum in unum diem concurrat, quarum utraque plenum per ſe „exigit officium, celebrior ex integro obſervetur, & alterius memoria „tantum agatur. Si autem utraque plene obſervanda videtur, altera diſ„feratur in diem ſequentem, ſicut S. Gregorius P. feſtum S. Pauli „poſt feſtum S. Petri voluit obſervari.“ Subdit Micrologus: „Ut au„tem duorum feſtorum officia in uno die ſeparatim compleantur, vel „unum eorum in alium diem differatur: non tam generali totius eccle„ſiæ obſervationi, quam privatæ religioſorum vacationi adiacere videtur, „qui nullum de ſtatutis officiis prætermittere volunt.“ Concernit hoc horas canonicas, quas concurrentibus feſtis dividi ſolitas ſupra diximus, tum officium miſſæ uno die repeti conſuetum. C. 42.

In antiquiſſimis ſacramentariis, atque etiam in noſtro, haud raro eodem die duæ aſſignantur miſſæ, quod præſertim uſu monaſtico proclive fuit, quo præter publicam matutina miſſa ſolebat celebrari. Eoque alludit Micrologus atque etiam Amalarius, qui nobis ritum antiquum in præfat. de officiis eccleſ. deſcribit. „Iuvat multum, quando tempus va„cat lectionis & pſalmodiæ, atque cæterarum orationum, ſeorſum Sacra„menta celebrare dominicis diebus, & ſeorſum de feſtivitatibus Sancto„rum: ſimili modo in cæteris diebus, quando feſtivitas eſt plurimorum „Sanctorum, duas aut tres miſſas. Huic ordini congruit ſacramentarium, „& cantatorius, in quibus inveniuntur ſæpe duo officia Sanctorum in „uno die.“ Ac id quidem etiam de uno feſto præter vigiliam aliquando, ut ſuis locis notabo.

De SS. Anastasia & Eugenia.

Præfat. de Offic. eccl.

VI. Agit ibi Amalarius de S. Anastasia, cui in antiquis ſacramentariis in ipſo Natali Domini propria adſcribitur miſſa. „Principium habuit (ait) „idem ordo de miſſa in nocte Nativitatis Domini, ubi duplex oratio eſt: „una de Nativitate Domini, & altera de S. Anastasia. Ubi reliquiæ „ſunt ſanctæ Anastasiæ, vel ubi corpus eius eſt, dicantur orationes de „S. Anastasia iuxta *Romanum* morem: ubi hoc non reperitur, dicantur „de Incarnatione Domini.“ Fronto in calendarium a ſe editum, quod calendaria & ſacramentaria ſtationem ad S. Anastasiam tantum notent, infert, S. Anastasiam proprium diem feſtum nec *Romæ* habuiſſe, ſed tantum ſtationem: cum tamen paſſim integra miſſa etiam cum præfatione habeatur, ut in noſtro antiquiſſimo inſcripta, *In Natali S. Anaſtaſiæ*, & quidem ante alteram miſſam, *primo mane*, ſeorſim. Hodieque præter conſuetudinem aliorum feſtorum ſummorum commemoratio S. Anastasiæ ubique ſervatur.

T. I. Muſ. Ital. T. II. p. 289.

De S. Eugenia in miſſa vigiliæ Natalis Domini iuxta ſacramentarium *Gallicanum* fit mentio in oratione *ad Pacem*, quæ paſſa eſt die XXV. *Decembris*, atque eo die etiam cum aliis Sanctis in ſacramentario *Leonino* memoratur. In breviario autem ord. eccleſ. ſic eius officium in vigilia Natalis Domini præſcribitur: „Geſta ſanctæ Eugeniæ, vel eius commemorationem pridie Natalis Domini tantum ad vigilias celebrentur, matutinis vero de ſupradicto die pridie Natalis Domini eius miſſa hora tertia cantetur & celebretur . . . & hora nona vigiliæ Natalis Domini miſſæ celebrentur.“ Nihil uſpiam de miſſa illa S. Eugeniæ hora tertia in noſtris monumentis inveni, ac ſacramentaria omnia auſpicantur a miſſa de vigilia Domini hora nona.

Feſtum S. Stephani.

VII. Lib. VIII. Conſtitut. apoſt. c. 33. inſcribitur: *Quibus diebus famuli debeant feriari?* ac poſt præcipua Domini feſta ſequitur: „In Apoſtolorum diebus opus non faciant: doctores enim veſtri fuerunt in „Chriſto, vosque ſpiritu donarunt. In die Stephani primi martyris „ferientur, atque in diebus cæterorum ſanctorum Martyrum, qui Chriſtum prætulerunt vitæ ſuæ.“ Extat S. Gregorii *Nyſſeni* homilia de S. Stephano, ac S. Asterii *Amaſæ* epiſcopi, unde colligitur eius feſtum iam ſæc. IV. ante inventas eius reliquias celebratum fuiſſe. Nulla quidem de eo homilia legitur in antiquiſſimo lectionario *San-Gallenſi* litteris uncialibus ſcripto ante mille annos; ſed tamen in altero *Ottoburano*, quod ad mille annos accedit.

In eccleſia *Mediolanenſi* poſt curſum de Nativitate Domini ſtatim de S. Stephano alterum veſpertinum inchoari officium annotavit Martenius,

Digitized by Google

nius, atque præterea communem fere uſum diaconorum in cappis peculiariter hoc officium celebrantium, de quo ſic in ordine div. Off. *Turicenſi* an. 1260. præſcribitur: „Ad ſecundam veſperam ob ſolemnitatem „Stephani Levitæ omnes, diaconi præcipue, & præterea alii Clerici „tam Sacerdotes, quam ſubdiaconi ad ampliandam ſolemnitatem dalmati„cis induuntur. Dummodo dalmaticæ in theſauraria poſſint omnibus in„veniri." In ordine noſtro operis Dei ſæc. XIV. In natali S. Stephani Protomartyris: „Ad Invitatorium *Regem Protomartyris*, duo diacones „reveſtiantur." Et paullo poſt: „Ad miſſam diaconi induti dalmaticis te„neant chorum, & ſi tanti ſunt, cantent Graduale & *Alleluia*. Unus dia„conus offerat, qui & ad pacem eat." *De ant. eccleſ diſſ. c. 13.*

VIII. In eodem mſc. Ord. operis Dei ad ſequens feſtum S. Ioannis Evang. ſic legitur: „Ad invitatorium, *Adoremus Regem regum*, tres Sa„cerdotes reveſtiantur, quia ſicut præcedens feſtum per diacones, ſic iſtud „debet inofficiari per Sacerdotes. Ad miſſam induantur Seniores caſulis, „cæteri cappis, & cantor aſſumat duos vel tres de Senioribus ad tenendum „chorum &c." In Reinerii monachi S. Laurentii *Leodienſis* Ord. S. Bened. de claris Scriptoribus monaſterii ſui libello III. c. 1. proponitur inter alias quæſtio: „Cur paſſio S. Stephani protomartyris ſecunda domi„nici Natalis die, aſſumtio Sancti Ioannis evangeliſtæ tertia celebretur, „dum alter ſecundum traditionem maiorum III. nonas *Auguſti* paſſus, al„ter VI. Kal. *Iulii* ad perpetuam ſit aſſumtus immortalitatem, moriendo „quidem, ſed celerius tamen reviviſcendo?" *S. Ioannis Evang.* *Anecd. Pez. T. IV. P. III. p. 43.*

In antiquis calendariis ac martyrologiis notatur Aſſumtio S. Ioannis Evang. ac ſimul etiam ordinatio epiſcopi Iacobi apoſtoli apud Martenium in martyrologio: in noſtro, quod habetur in codice ſacramentarii antiquiſſimi *Ioan. apoſt. & Iacobi Alfei frater Domini*, licet in ipſo ſacramentario ſolum feſtum S. Ioannis notetur, ut etiam in lectionario *Gallicano*; in miſſali *Gothico* tamen *Miſſa in natale apoſtolorum Iacobi & Ioannis*, & in ſacramentario *Gallicano* lectiones in feſto apoſtolorum Iacobi & Iohannis, & mox *Miſſa Iacobi & Iohannis.* In appendice antiquarum lectionum B. Pauli apoſtoli ad miſſas in uſum, ut videtur, Eccleſiæ *Mediolanenſis* apud Thomasium poſt feſtum *Innocentorum* annotatur lectio *In ſancti Iacobi* Ad *Galatas. Fratres, Petrus, & Iacobus, & Iohannis:* Et mox: *In ſancti Iohannis Evangel.* Ad *Romanos. Fratres, Hoc eſt verbum fidei.* In ſacramentario *San-Gallenſi* ex ritu *Ambroſiano Gelaſiano*, & *Gregoriano* compoſito habetur *IV. Kal. Ian. Feſt. S. Iacobi apo-* *T. III. Theſaur. Anecdot p. 1563. 1591. 1618.* *Lit. Gall. p. 111* *pag. 196.* *Muſ. Ital. T. I. P. II. p. 293 294.* *T. V. Opp. p. 424.*

T. V. Opp. pag. 21. ſtoli miſſa *Ambroſiana.* In antiquiſſimo homiliario *Ottoburano* ad hoc feſtum notatur *Omelia S. Iacobi & Iohannis.*

Frequenter duæ miſſæ aſſignantur de S. IOANNE: in *Pameliano* ſacramentario, & antiphonario *Gregoriano*, etiam apud THOMASIUM (ubi idem pluribus in not. demonſtrat VEZZOSIUS) & edito inter GREGORII opera a *San-Maurenſibus* in codice RATOLDI, ac miſſali *Lateranenſi*, paſſimque MARTENIUS in *Gallicis*, ac ego idem in Mſſ. *Alemannicis* obſervavi, alteram *primo mane*, alteram *ipſo die.* „ Miſſa (inquit IOANNES *Abrincenſis*) diluculo matutinalis celebretur, ut authentico miſſali demonſtratur, & ſimiliter in nativitate ſancti IOHANNIS *Baptiſtæ*. . . . . maior miſſa in cappis, cuius officiales, qui ſunt ſacerdotes, utantur caſulis. Veſperis ut ſupra finitis finitur ſacerdotale officium." pag. 36.

Deſcripſerat is antea tam hoc die ſacerdotum, quam præcedenti S. STEPHANI diaconorum officium. In concilio *Wormat.* an. 1316. ob graves abuſus reprobatur: „Quod olim a prædeceſſoribus noſtris cauſa devotionis ordinatum fuerat, & ſtatutum, videlicet: ut ſacerdotes ſingulis annis in feſtivitate beati IOANNIS Evangeliſtæ unum ex ſe eligant, qui more epiſcopi illa die miſſam glorioſe celebret & feſtive, nunc in ludibrium vertitur, & in eccleſia ludi fiunt theatrales, & non ſolum in eccleſia introducuntur monſtra larvarum, verum etiam presbyteri, diaconi, & ſubdiaconi inſaniæ ſuæ ludibria exercere præſumunt, facientes prandia ſumtuoſa, & cum tympanis & cymbalis ducentes choreas per domos & plateas civitatis, non attendentes, quod apoſtolus non ſolum a malo, ſed etiam ab omni ſpecie mali præcipit abſtinere &c." T. III. Conc. Germ. pag. 258.

Vocatur etiam hoc feſtum apud nos *Iohannis-Weyhe*, ſoletque vinum benedici, quod *Iohannes-Seegen* nuncupamus, atque ex formula, qua ad bibendum tradi ſolet *Iohannes-Liebe*, cuius etiam nomine vinum illud, quod nubentibus benedictum dari ſolitum eſſe ſupra notavimus, veniebat, refertque HALTAUSEN in Kalend. medii ævi ex MENCKENII ſcriptoribus locum SPALATINI de epiſcopo *Miſnenſi* ducis *Saxoniæ* nuptias benedicente. *Er hat S. Iohannis Liebe zu einem Zeichen wahrer Liebe ihnen zu trinken geben.*

Innocentum.

IX. Præcedens feſtum poſtponitur feſto Innocentum, ſeu ſanctorum infantum, ut inſcribitur & modo vidimus, in indiculo antiquarum lectionum B. PAULI apoſtoli ad miſſas in uſum, ut videtur, eccleſiæ *Mediolanenſis* apud THOMASIUM, & MABILLONIUM in ſacramentario *Gallicano*; ſuo tamen ordine habetur in lectionario *Luxovienſi.* In ord. *Rom.* XI. aucto- T. II. Muſ. Ital. P. II. p. 130.

Digitized by Google

te Benedicto Canonico ſic huius feſti officium præſcribitur: „In nata-
„li Innocentium ad matutinum tres lectiones de *Apocalypſi*, & tres de
„ſermone. In tertio nocturno revertitur ad Natale Domini. Non can-
„tatur *Te Deum*, ſed incipiunt matutinæ laudes. Prima cantatur ſicut
„ſupra (ſc. Prima de ſancto Iohanne, oratio de Natali). Ad miſſam
„non cantatur *Gloria in excelſis Deo*, nec *Allel.* niſi venerit in domini-
„ca, ſed omne officium eſt quadrageſimale. Iſto die *Romani* non com-
„edunt carnem, nec ſanguinem, niſi venerit in dominico die.“ An-
tiphonarius a Thomasio editus „*Gloria in excelſis Deo* non canitur, ne-
„que *Alleluia*: ſed quaſi præ triſtitia dies illa deducitur.“ Paullo aliter
in alio notavit codice. Idem De-Vert in eccleſia *Baſileenſi*, *Metenſi*, & *Explic. T.*
Cameracenſi S. Auberti ſervari dicit, etiam ſubtracto *Gloria Patri*. De *II. p. 13.*
eo Amalarius in ſupplemento ſic loquitur apud Mabillonium: „In *Analect. p.*
„natali Innocentum a quarumdam eccleſiarum clericis non dicitur *Glo-* *96.*
„*ria* in tertiis reſponſoriis, nec ſupradictus hymnus (*Te Deum*) Mona-
„chis vero conſonum videtur, & glorias & hymnum laudis non præ-
„termittere. Unde in duodecimo reſponſorio, quod hymnum antecedit,
„de triumpho laudis non ambigitur, dum dicitur: *Ideo regnant cum Deo*
„*& agno, & Deus cum illis.* Item pſalmi a Domini regno, & iubilo
„orſi ipſis matutinis inſeruntur. Item antiphona dicitur: *Cantabant San-*
„*cti canticum novum.* Hinc & in authentico *Gregoriano* tantum *Alle-*
„*luia* & *Gloria* ad miſſas tollitur propter luctum matrum ſeu eccleſiæ
„dicente evangelio *Vox in Rama audita eſt ploratus & ululatus multus*
„*&c.*“ Notavit De-Moleon in eccleſia S. Mauricii *Viennæ*, & S. Mar- *Voyage li-turg. p. 33.*
tini *Turonis* non omitti *Te Deum*, *Gloria in excelſis*, & *Alleluia*. Et *p. 23.*
Ioannes *Abrincenſis* aliter tantum in aliquot eccleſiis ex more antiquo *De Off. pag.*
obſervari dicit. „Incipiente officio infantum (inquit) in omnibus, ut a *36.*
„diaconis in ſuo, agendum licet, ut in morte Domini, *Te Deum*, &
„*Gloria in excelſis*, & *Alleluia* in aliquot eccleſiis ex more antiquo omit-
„tatur: quia ut Chriſtus occideretur, tot parvuli occidi iubentur; & il-
„lis occiſis fit mors Chriſti ſecundum æſtimationem Herodis: tamen
„quia placuit modernis, placet & nobis, ut cantentur. Subdiaconi &
„diaconi tunicis & dalmaticis utantur, quamvis apud quasdam eccleſias
„hac die caſularum habeatur.“ Fit & hoc, ut ſuo loco dicetur, *more*
quadrageſimali, quo tranſigi hoc feſtum paſſim in monumentis liturgicis
præſcribitur.

Officium infantum in feſto S. Ioannis Evangeliſtæ poſt ſecundas veſpe- *pag. 202.*
ras edidit Prevotius ad Ioannem *Abrincenſem* ex Mſc. ordinario *Ro-* *Calend.*
tomagenſi. Refert Haltausen ex Abb. Coelestini mauſoleo S. Eme- *medii aevi*
rami, *p. 146.*

RAMI, *Ratisbonæ* (ut paſſim alibi) antiquis temporibus ſolennem fuiſſe conſuetudinem: „ut iuniores clerici & ſcholares ex ſuo numero epiſcopum eligerent iocularem, quem in pompa per totam urbem ducebant. „Inde monaſteria ingreſſi licentius agebant, tantaque erant audacia & „impudentia, ut anno 1250. *Prunfening* INNOCENTIO IV. querelas ſuas „deferret, qui etiam quidquid in hoc loco eſſet indecens, atque iniurioſum, abrogari iuſſit. Sed cum anno 1346. civis quidam Canonicum „CONRADUM de *Braunaw*, a quo illuſus erat per huius diei licentiam, „occidiſſet, inhoneſtum illud ludicrum omnino aboleri cœpit." Contra illud extat Canon Concilii *Salisburgenſis* an. 1274. „Ad hæc quidam „ludi noxii, quos vulgaris elocutio *Eptus puor* (epiſcopatus puerorum) „appellat, in quibusdam eccleſiis exercentes adeo inſolenter, quod nonnunquam enormes culpæ & damna gravia ſubſequuntur. Ex ipſis hos „ludos in eccleſiis & a perſonis eccleſiaſticis de cetero fieri prohibemus, „niſi forte parvi ſexdecim annorum, & infra fuerint, qui huiusmodi ludos exercent, quibus alii Seniores ipſis nullatenus ſe miſceant, aut interſint."

T. XIV. Conc. ed. Ven. pag. 552.

S. SILVESTRI P.

X. Feſtum S. SILVESTRI, quod pridie Kal. *Ian.* agitur, eo die notatur in depoſitionibus epiſcoporum Kalendarii *Bucheriani* inter alios *Romanos* Pontifices. In calendario *Romanæ* eccleſiæ, quod MARTENIUS ex MSſ. codicibus *Graſſenſis* monaſterii & S. ANDREÆ *Avenionenſis* edidit, continetque capitula lectionum anni circuli, notatur ad miſſam evangelium *Vigilate* uſque, *ſuper omnia bona ſua conſtituet eum*, ut etiam in noſtris, quæ edimus capitul evangel. ſoletque legi in miſſis Pontificum: cum contra in feſto S. SILVESTRI hodie contra morem evangelium, *ſint lumbi veſtri*, habeatur.

T. V. Theſ. Anecd. pag. 66.

Hinc etiam, tum quod in uſum eccleſiæ *Mediolanenſis* eſſe videatur indiculus lectionum B. PAULI Apoſtoli ad miſſas, ratio patet, cur feſtum S. SILVESTRI deſit: atque unum hoc, ut ad calendarium MARTENII redeamus, in illo eſt, quod non ſit martyris. Quod licet in *Gelaſiano* deſideretur, habetur tamen in *Leonino*, ſed in poſtcommunione nomen SIMPLICII epiſcopi comparet in oratione illa, quæ proprie depoſitioni convenit, atque deinceps eandem notabimus in feſto S. GREGORII & LEONIS, eſtque hæc: *Maieſtatem tuam, Domine, ſuppliciter exoramus, ut animæ famuli tui Simplicii epiſcopi ab omnibus, quæ humanitus attraxit, exuta, in Sanctorum cenſeatur ſorte paſtorum.* In oratione prima hæc leguntur de S. SILVESTRO: *Ut qui nomini tuo miniſterium fidele dependit, perpetua Sanctorum tuorum ſocietate lætetur.* Et infra actionem: *Ut & nobis proficiat huius pietatis affectus, & illum beatitudo ſempiterna glo-*

Murat. lit. Rom. T. I. p. 445.

riſi-

Digitized by Google

rificet. In ſacramentario ab *Angelo* Rocca edito in miſſa pro Papa fit mentio de beato Silvestro, & ut Rocca notavit, orationes ſunt illæ, quæ in miſſa pro Papa recitantur, ac tempore B. Silvestri videntur uſurpatæ, cum eius nomine ſint inſignitæ: niſi dicamus hoc factum eſſe a librario, vel quopiam alio ad maieſtatem pontificiam inſinuandam, quæ novum ſplendorem tempore B. Silvestri accepit. Apud Ioannem *Abrincenſem* ita eius officium plenum præfigitur: *In feſto S. Silveſtri ſex primæ lectiones de Sancto, tres ultimæ de nativitate: miſſa matutinalis de Sancto, maior Nativitatis.* pag. 37.

XI. Inter feſta Sanctorum menſe *Ianuario* nihil habetur in antiquioribus monumentis de octavis SS. Stephani, Ioannis Evang. & Innocentum. Notatur demum in Kalendar. *Alemannico* ſæc. XIII. apud Schilterum T. I. antiq. *Teuton.* ap. p. 70. primo loco in noſtris antiquiſſimis ſacramentariis, uti in *Gelaſiano*, & *Gregoriano* 19. Kal. *Febr.* Natalis S. Felicis in *Penſis*, ut vitioſe in *Rhenaugienſi* ſcribitur, recte in *San-Blaſiano* in *Pincis.* „Cum plures (ut annotavit *Ioſ.* Cari ad Capitulare „evang.) olim in urbe S. Felicis nomine extarent eccleſiæ, ut puta *Pincis*, via *Oſtienſi*, & via *Portuenſi*: quo publicæ ſtationis locus in hoc „feſto certius agnoſceretur, additum eſt in codd. *In Pincis.*" Add. notam 2. Vezzosii T. IV. opp. Ven. Thomasii p. 2. In libro Pontificali memoratur reſtaurata ab Adriano I. *baſilica B. Felicis in Pincis, quæ erat in ruina.* De hoc loco agitur apud Bollandum, quo ſepultus ſit S. Felix *Nolanus.* Feſtum hoc notatur in antiquiſſimo Calendario *Karthaginenſi* a Mabillonio & Ruinarto edito, qui in *Dacheriano* Calendario Martyr., in ſacramentario *Gelaſiano* Confeſſor ſcribitur ſenſu paullo ante explicato. Feſte Ianuarii. *Antiphon.* *P. II. pag.* 144. *T. I. Ian.* *p.* 940.

Poſt feſtum S. Marcelli, atque in *San-Gallenſi* ac *San-Blaſiano* S. Priscæ, quod in *Gelaſiano* deſideratur, ſequitur 4. K. *Febr.* Nat. Mariæ & Marthæ, ut etiam in *Gelaſiano* & aliis paſſim a Menardo notatis ſcribitur, rectius autem in miſſali *Lateranenſi* veteri & hodiernis Marii & Marthæ, cui in *Gelaſiano* S. Sebastiani, Audifacis & Abacuc innectitur, ut tamen oratio II. peculiaris ſit de S. Sebastiano, de eoque ſolo ſecreta & Poſtcommunio, diſtinctum autem mox ſequitur ad eundem diem S. Fabiani, quod in *Rhenaugienſi* Cod. abeſt, (in Calend. *Karthag.* ſolus etiam Sebastianus notatur) ſupplevimus vero ex *San-Gallenſi.* *Not.* 150. *Sacram. Greg.*

Idem præſtitimus de feſto Agnetis ſecundo & aliis etiam converſionis S. Pauli, quod pariter deſideratur in *Rhenaugienſi*, habetur tamen in miſſali *Gothico* & Nat. S. Agnetis ſemel tantum, ut in *Rhenaugienſi*: Ubi

præterea eſt feſtum S. Vincentii Martyris *Hiſpaniæ*, cuius cum *Gallicana*
liturgia alias magna eſt convenientia & communio, nihilominus abeſt hoc
feſtum, quod in omnibus noſtris codd. uti etiam in antiquiſſimis calen-
dariis extat, in *Africa* iam tempore S. Augustini celebre, ut ex ſer-
T. III. lit. Rom. Pont. pag. 242. monibus eo feſto habitis patet. In vetuſtiſſimo Capitulari evangel. apud
Dom. Georgium peculiare evangelium de S. Anastasio monacho & mar-
tyre *Perſa* habetur, quod duorum officiorum indicium eſt, quæ poſtea
in unum coaluerunt. Sequitur in *San-Blaſiano* Nat. S. Agnæ II. Quod
in *San-Gallenſi* inſcribitur *de nativitate*, ut alibi paſſim, prius vero *de*
Lib. IV. ep. 34. *paſſione*, cuius alterum octava eſt, qua teſte S. Ambrosio parentibus ad
tumulum orando vigilantibus S. Agnes apparuit. Aliquando ſecundum
feſtum etiam *octavam* dictam reperi e. g. in ord. noſtro operis Dei ſæc.
XIV. De qua octava legi poteſt epiſtola Caroli M. ad Albinum abba-
pag. 24. tem, ut refertur in miſſali *Lateran.* ab *Em.* De Azevedo edito.

Eodem die V. Kal. *Februarii*, ut etiam in breviariis hodiernis, alicubi
feſtum Caroli M. ponitur in Ord. div. offic. ſecundum conſuetudinem
chori *Turicenſis* an. 1260. Quo pertinet eius officium a Canisio editum
ex vetuſto quodam rituali a P. *Iod.* Mezlero *San-Gallenſi* eidem miſſo,
quod nos vidimus in codice *San-Gall.* ſæc. XIV. Baronius ad an. 814. re-
fert ſub Friderico imperatore poſt annos centum ſexaginta ſex per Pascha-
lem papam dictum (antipapam Alexandri III.) in numerum Sanctorum
adſcriptum. Cuius rei geſtæ diploma in *Aquisgranenſi* eccleſia ſervari tra-
dunt. Sepulchri Caroli M. detecti ſub Ottone III. relatio ex Ademari
monachi chronico legitur T. II. Concil. *Germ.* p. 680. *Non tamen*, ut ibi
habetur, *ſolemnitas de ipſo agitur, niſi communi more anniverſarium de-
functorum.* Hæc ineunte ſæc. X. ſcripta ſunt, ad quod ſæculum ibidem
P. Harzheim in nota revocat mſc. *Colonienſe*, in quo extat hiſtoria Ca-
roli M. per varias lectiones in divino officio recitandas, antiphonæ &
miſſa pro eiuſdem glorificatione D. O. M. oblata. Carolum M. divum
fuiſſe habitum, templa eius titulo dicata, & officii eccleſiaſtici impenſam ei
celebritatem oſtendit Bollandus ad diem XXVIII. *Ianuarii* in vit. Ca-
roli M. ab Eginhardo ſcript. & addit *antea fortaſſis*, & ſaltem poſt
canonizationem a Guidone *Cremenſi* antipapa Paschali III. factam, con-
niventibus ſummis Pontificibus ad cultum Caroli M. in partibus noſtris
publicum continuum. Hæc ibi P. Harzheim ex Pagii critica. Qui ſub-
Ad an. 1000. dit: „Verum hic Ademari locus a Bollando non citatus dubium ſolvit,
„indicatque non niſi poſt illam canonizationem divinos honores Carolo
„M. delatos conniventibus nempe ſummis Pontificibus.“ Vid. eiuſdem
nota T. III. Concilii *Germ.* p. 400. ubi ipſius Friderici Imp. epiſtola eam
in

Digitized by Google

in rem habetur, qua ſolemnis elevationis actus ad an. 1166. Steronis annales annum 1166. notant, quo *facta eſt translatio ſancti Caroli imperatoris feria IV. poſt Nativitatem Domini.* In Kalendario annorum fere 400. manu paullo recentiori ſcripto *Metis* in monaſterio S. Arnulphi notavit Ruinart in Itinere *Alſatico* & *Lotharingico, V. Kal. Febr. Natale B. Caroli magni imperatoris.* De eius dubia canonizatione agit Mesnil. lib. II. n. 14. *pag.* 479.

Feſtum deſponſationis B. M. V. cum S. Iosepho alii menſe *Ianuario*, alii *Februario* celebrant. De eo autem, cum ſileant vetera noſtra monumenta liturgica, qui originem & propagationem noſſe deſiderat, laudatum Trombellium conſulat p. 440. ſeq.

Feſtum Purificationis B. M. V.

XII. Feſtum Purificationis Simeonis inſcribitur in antiquiſſimo noſtro ſacramentario, ut de aliis vetuſtioribus monumentis notant Menardus, Thomasius, & Martenius, ſicque in martyrologio ſub S. Hieronymi nomine deſignatur; & in *Murbacenſi* apud Martenium T. III. Theſaur. Anecd. *Solemnitas S. Mariæ, vel ſuſceptio Domini in templo*; in *San-Blaſiano* autem, ut in *Gelaſiano* Purificatio, quo nomine inter præcipua feſta notatur in concilio *Mogunt.* an. 813. alicubi etiam, ut apud *Græcos* hypapante, quo nomine homiliæ ſub nomine S. Methodii ſæc. III. S. Cyrilli *Hieroſolymitani* & Gregorii *Niſſæni* ſæc. IV. habentur: cum tamen paſſim a *Græcis* auctoribus demum ſæc. VI. inſtitutum referatur, a Cedreno ſub Iustiniani anno 9. quo *Antiochia* gravi terræ motu corruit an. 527. alii ſub eodem an. 542. ſeu 541. *Menſe Octobrio*, ut habet Anastas. Biblioth. *facta Bizantii mortalitas, & eodem anno Hypapanti ſumpſit initium, ut celebraretur apud Bizantium die ſecunda menſis Februarii.* *pag.* 1565.

Nihil de hoc feſto in *Bucheriano*, *Carthaginenſi*, & *Hiſpanico*, cuius fragmentum edidit Pinius, atque ex hoc capite in dubium vocat antiquitatem Calendarii a Martenio editi, in quo hoc feſtum occurrit, revocat autem Martenius ad ſæc. IV. vel initium ſæc. V. Quo ſæculo finiente Gelasium P. lupercalia *Romæ* ſuſtuliſſe ex eius epiſtola adverſus Andromachum ſenatorem patet, ubi tamen nihil de inſtituto feſto legitur. Revera non conveniunt in eandem ſententiam circa hanc rem auctores, quorum momenta in utramque partem diſcutit *Io. Chryſ.* Trombelli quoad ritum ſcilicet & ſtatas ſupplicationes huius diei in locum ſuperſtitionum paganicarum ſubſtitutas. Equidem iam S. Leo hanc eccleſiæ conſuetudinem dilaudat, eoquod quoties cæcitas paganorum in ſuperſtitionibus ſuis eſſet intentior, tunc præcipue populus Dei orationibus & operibus pietatis inſtaret. Et S. Ildephonsus, qui ſæc. VII. vixit, in ſermone de Puriſi-

Apud Boll. T. VI. Iul. p. 79.

Vita, geſta ac cult. S. M. V. T. V. P. II. diſſ. XIII. Sect. IX. q. 2.

Serm. III. de Collectis.

rificatione hoc ſingillatim notavit. „Quam (inquit) luſtrandi conſuetudi-
„nem congrue & religioſe chriſtiana mutavit conſuetudo: cum eodem
„menſe, hoc eſt, hodierna die in honore ſanctæ Dei genitricis, & perpe-
„tuæ Virginis MARIÆ non ſolum Clerus, ſed omnis plebs eccleſiarum lo-
De ratione „ca cum cereis & diverſis hymnis luſtrantes circumeunt." Quæ ad verbum
temp. c. 10. fere leguntur apud BEDAM, ac ſimilis ratio apud S. ELIGIUM. In indicu-
Hom. 2. lo ſuperſtitionum & paganiarum concilio *Liptinenſi* ſub S. BONIFACIO articulus eſt *de Spurcalibus in Febr.* Attinere hæc verba lupercalia dubium
Trav. T. I. haud eſt, quorum reliquias quaſdam in vico *Einſidlen Helvetiæ Alemanni-*
p. 337. *ſeq.* *cæ* refert BLAINVILLIUS. In breviario Ord. eccleſ. ſic hoc feſtum agi præſcribitur: „Poſtea quidem die ſecunda menſe *Februario*, quod eſt IV. Nonas ipſius menſis celebrantur cum magno decore & accenſis multis luminibus Purificationem beatæ MARIÆ, quando obtulit Dominum IESUM Chriſtum in templo, & accepit eum beatus SIMEON in ulnis ſuis, & benedixit Dominum." Ea de cauſa apud nos vocatur *die Lichtmeſſe*, *Kerzweyhe*, *Kerzmeſſe.* Vid. HALTAUSEN Calendar. medii ævi.

Cathedræ S. PETRI.

XIII. Similem cauſam feſti Cathedræ S. PETRI menſe *Februario* fuiſſe, coniicit MENARDUS, ob id, quod Canone 23. Concilii *Turonenſis* II. de eo ſtatuitur: „Sunt, qui feſtivitate Cathedræ Domni PETRI apoſtoli cibos „mortuis offerunt, redeuntes ad domos proprias ad gentilium revertuntur „errores, & poſt Corpus Domini ſacratas dæmoni accipiunt eſcas. Conteſtamur illam ſolicitudinem tam paſtores quam presbyteros gerere, ut „quemcunque in hac fatuitate perſiſtere viderint, vel ad neſcio quas petras aut arbores, aut ad fontes deſignata loca gentilium perpetrare, quæ „ad eccleſiæ rationem non pertinent, eos ab eccleſia ſancta auctoritate repellant." Feſtum hoc beati PETRI epularum dictum fuiſſe DURANDUS in Ration. div. Off. notavit, & ad *Io.* BELETHUM in opere eiusdem argumenti ac inſcriptionis provocat, hicque ad S. AUGUSTINUM: qui lib. VI. *Confeſſ.* c. 2. *De moribus eccleſ.* c. 34. contra FAUSTUM lib. XX. c. 21. epiſt. XXII. n. 6. ſeq. notat uſum conferendi cibos & panem ſuper tumulos defunctorum, qui perſtringitur in ſermone ſub eius nomine in breviario *Romano* in feſto Cathedræ 22. *Febr.* poſito; ſed in editione *San-Mauriana* in appendicem reiectus eſt tanquam incerti auctoris, ut iam *Lovanienſes* VERLINUS & VINDINGUS iudicarunt, annotantque editores ad eum Serm. qui eſt 190. in append. nec putant celebratum eſſe tempore S. AUGU-
T. VII. Opp. STINI. De huius feſti natalibus copioſe diſputat laudatus P. *Ioſ. Mar.* DEL-
pag. 410. PEZZO *la difeſa de' libri lit. &c.* c. 2. ad obiectionem a nonnemine Ven. THOMASIO factam, quod feſtum illud poſt octavum reiecerit ſeculum.

Deeſt

Digitized by Google

Deeſt hoc feſtum in *Gelaſiano*, ac etiam *Gregoriano* per MURATORIUM edito, quod hodie duplex celebratur *Romanæ* & *Antiochenæ* Cathedræ. Ac illud quidem menſe *Ianuario*, quo menſe iuxta *Gallicanam* liturgiam celebratum fuiſſe probat MABILLONIUS not. ad Lectionarium *Gallicanum*, in quo habetur, ac etiam in miſſali *Gothico*. In Calendario *Murbacenſi* & *Corbeienſi* a MARTENIO T. III. *Theſ. Anecd.* editis, notatur utrumque primum *Romæ* in *Ianuario*, alterum *Antiochiæ* in *Februario*. Habetur in antiquiſſimo noſtro ſacramentario (quod ad finem ſæculi VIII. aut ineunte IX. ſæculo ſcriptum videtur) VIII. Kal. *Martii*, quo die in Laterculo *Polemii* SILVII, quem BOLLANDUS edidit ad tomum I. Act. *depoſitio S. Petri & Pauli* notatur. In *Bucheriano* Kalend. VIII. Kal. *Mart. Natale Petri de Cathedra.* Licet vero in *Romanis* a MARTENIO ac FRONTONE, & in *Carthaginenſi* a MABILLONIO editis nihil notetur, in *Gothico* tamen a PINIO edito habetur codice, ac in *Dacheriano*, *Lyrenſi* item martyrologio a MARTENIO ed. ad eundem diem VIII. Kal. *Martii.*

pag. XLIV.

T. VI. Iulii pag. 78.
T. III. Theſaur. Anecd. pag. 1595. 1607.

Eodem VEZZOSIO referenda videtur *Miſſa in cathedra ſancti Petri Apoſtoli*, quæ extat in miſſali *Gothico* ſecus ac MABILLONIO viſum eſt celebratum feſtum unicum cathedræ in *Gallia*, quod etiam in *Luxovienſi* lectionario, & *Bobienſi* ſacramentario occurrit. Nota vero in hoc ſacramentario *Gallicano* in miſſa, quæ *Romenſis* inſcribitur, orationem primam *Deus qui B. Petro apoſt. collatis clavibus &c.* quæ hoc feſto habetur, ac quidem his verbis *animas ligandi &c.* in antiquiſſimo noſtro ſacramentario, uti in edito ab *Aug.* ROCCA; in *Pamiliano* vox, *animas*, deſideratur, uti etiam in noſtro *San-Blaſiano* & aliis paſſim Mſſ. & impreſſis miſſalibus.

T. VI. Opp. Thom. pag. 267.

XIV. Paſſim etiam ritus quidam cum accenſis cereis ad benedicendum fidelium guttur adhibetur III. *Februarii* in feſto ac ſub patrocinio S. BLASII, quod in antiquiſſimis ſacramentariis noſtris deſideratur, in ora autem adnotatur in *San-Blaſiano*, requirendum ad calcem, ubi extat manu circ. ſæc. XII. etſi diu antea patrocinium S. BLASII cum reliquiis, ut veriſimillimum eſt, ex monaſterio *Rhenaugienſi* in noſtrum hunc *ſilvæ nigræ* olim *Martianæ* ſit tranſlatum. In calendario, quod præmittitur in ſacramentario *Petershuſano* eiusdem ætatis ac *San-Blaſianum* illud, imo eadem, ut videtur, manu exarato, notatur.

Alia Feſta Februarii.

Sequitur Nonis *Febuarii*, ut in *Gelaſiano* ac *Gregoriano* feſtum S. AGATHÆ in utroque noſtro ſacramentario cum hoc diſcrimine, quod duæ miſſæ habeantur ad idem feſtum in noſtro *San-Blaſiano*. Aliud eodem menſe *Februario* nullum occurrit feſtum, præter modo relata; nec etiam in

Digitized by Google

San-Blaſiano & *Gregoriano* apud MURATORIUM excepto VI. Kal. *Martii* S. VALENTINI, ubi in *San-Gallenſi* adduntur nomina VITALIS, FELICULÆ, & ZENONIS, ut in *Gelaſiano*; ibique antecedit IV Id. *Febr.* Natal. S. SOTERIS, uti etiam in *San-Gallenſi*, eodemque die notatur: *Item Zotici, Herenei, & Iacinthi*: & XIII. Kal. *Martii* S. *Iulianæ*, quod etiam in in *Gelaſiano* extat.

Conc. edit. Venet. pag. 621. Feſtum S. MATHIÆ in antiquioribus ſacramentariis non apparet; notatur quidem in Calendario, quod præmittitur ſacramentario *Petershuſano* mox laudato, at inter feſta non recurrit. De eo, eiusque vigilia ſic reſcribit ALEXANDER III. epiſcopo *Carnotenſi*, cum eſſent, qui diem vigilias inter & feſtum anno biſſextili interponendum putarent: „Feſtum vero (inquit) B. MATHIÆ „iuxta regulam eccleſiaſticam vigilia eatenus præcedat, ut nec pro biſſexto „nec quolibet alio modo inter ſe & ſolemnitatem admittat alium diem, in „qua utique vigilia, niſi evenerit in die dominica, ieiunium celebratur. „Ipſum autem feſtum, ſive fiat in præſenti die, ſive in ſequenti (qui quaſi „pro uno reputantur) nullus error, ſed eccleſiæ conſuetudo teneatur."

Feſta Martii. XV. Menſe *Martio* Natale SS. PERPETUÆ, & FELICITATIS in ſolo *San-Gallenſi* cod. reperitur nonis *Martii*, ſequiturque IV. Id. *Martii* feſtum S. GREGORII ante Septuageſimam. Quo in feſto, quam notavit orationem PAMELIUS in quibusdam codicibus *Annue nobis Domine, ut animæ famuli tui Gregorii hæc proſit oratio &c.* in *Rhenaugienſi* & *Petershuſ.* codd. coævis noſtro *San-Blaſiano* obſervavi. Cathedra S. PETRI, & converſio S. PAULI loco mota ſunt in *San-Blaſiano* ante Dominicam Quadrageſimæ, cum iam feſtum Annuntiationis anteceſſerit ante Septuageſimam, quod in antiquiſſimo *Rhenaugienſi* poſt Quadrageſimam ponitur, nec in hiſce legitur feſtum S. BENEDICTI in *Martio*, licet eius depoſitio in Calendario, ſacramentario *Petershuſano* præmiſſo, XII. Kal. *Aprilis* annotetur, translatum in *Iulium*, quod nullum in Quadrageſima celebratum ſit olim feſtum. In ſacramentario *San-Gallenſi* ſæc. circ. X. quod eſt ex ritu *Ambroſiano*, *Gelaſiano* & *Gregoriano* compoſitum, feſtum Annuntiationis ante officium Septuageſimæ ponitur, feſtum vero S. BENEDICTI XII. Kal. *April.* poſt ſolemnia paſchalia. Lego tamen in ordine op. Dei *Rhenaugienſi* ſæc. XII. ſequentem rubricam de II. veſperis S. P. BENEDICTI & Annuntiat. Domini. „Nec veſpera, ſicut & ſecunda Annuntiationis „Domini, ſi in aliquo ſabbato ante paſſionem Domini occurrit, ex inte„gro feſto tribuitur. Si vero in ſabbato dominicæ Paſſionis vel Palma„rum, pſalmos tantum habet, ſi autem eadem feſta in Cœna Domini „vel poſtea evenerint, anticipantur. Excepto, quod Annuntiatio Domi-

„ni,

Digitized by Google

„ni, ſi in ipſa ſolemnitate Reſurrectionis dominicæ occurrit in fer. II. „ poſt Palmas celebratur. Quando autem feſtum S. Benedicti in fer, „ II. vel III. poſt Palmas evenerit, Annuntiatio Domini ipſum etiam fe- „ ſtum præveniendo octava ſua die, ut prædictum eſt, anticipatur.“

Antiquiſſimus canon eſt *Laodicenus*, quod concilium etiam apud nos in antiquiſſimis canonum collectionibus locum habuit: *Quod non oportet in Quadrageſima Martyrum natales peragere; ſed ſanctorum Martyrum facere commemorationes in ſabbatis & dominicis.* Quæ nempe ieiuniis ſoluta legitimas miſſas, non vero præſanctificatorum habebant, excepto tamen in Oriente feſto Annuntiationis iuxta Can. 52. Concilii Quini Sexti. Quod ipſum in Concilio *Toletano* X. A. 656. in aliud idcirco tempus menſem nimirum *Decembrem* eſt translatum, licet conſtans fuerit eccleſiæ traditio de Conceptione, ac etiam paſſione Chriſti 25. *Martii*: „Sicut (ut ait Augustinus) a maioribus traditum ſuſcipiens eccleſiæ cuſtodit auctoritas, octavo calendas *Aprilis* conceptus creditur & paſſus.“ Patres autem Concilii *Toletani* ſic loquuntur: „Invenitur autem in multis „ *Hiſpaniæ* partibus huius ſanctæ Virginis feſtum non uno die per omnes annorum circulos agi. Qua de re, quoniam die, qua invenitur „ angelus virgini Verbi conceptum & nuntiaſſe verbis & indidiſſe miraculis, eadem feſtivitas non poteſt celebrari condigne, cum interdum „ Quadrageſimæ dies vel paſchale feſtum videtur incumbere, in quibus „ nil de Sanctorum ſolemnitatibus, ſicut regulari ex antiquitate cautum „ eſt, convenit celebrari. . . . ideo ſpeciali conſtitutione ſancitur, ut ante „ octavum diem, quo natus eſt Dominus, genitricis quoque eius habeatur celeberrimus & præclarus &c.“

T. VI. edit. Labb. pag. 480.

Lib. IV. de Trinit. c. 5.

Can. 1.

Ipſum feſtum Compaſſionis B. V. quod nunc agitur fer. VI. poſt Dominicam Paſſionis, in Concilio *Colonienſi* anni 1423. „Feria ſexta poſt „ Dominicam *Iubilate*, niſi aliquod feſtum eodem die intervenerit, & ex „ tunc prima feria ſexta proxima ſubſequenti celebrari iuſſum eſt.“ Antiquius de hoc feſto nullum monumentum proferre potuit ſæpe laudatus Trombellius: qui ex *I. Al.* Fabricio citat *Ioannis* Trithemii officium miſſæ de Compaſſione Beatæ Mariæ Virginis; de propagatione vero huius pietatis erga Virginem, ut ſcilicet dolores eius peculiari feſtivitate recolerentur, remittit lectorem ad Card. Caietani opuſculum, quod de ſpaſmo beatiſſimæ Virginis inſcripſit. Celebris proſa *Stabat mater* longe ipſo feſto antiquior eſt ex eorum ſententia, qui auctorem illius Innocentium III. P. faciunt, citatque Trombellius *Lud.* Iacobi bibl. Pontif. Pagi brev. *Rom.* Pont. Serry exercitat. 54. n. 10. qui ei opinioni faveant, etſi a pleriſque aliis viro illi piiſſimo, qui Frater Iacobus, ſeu Iacobonus, aut Iaco-

T. XVII. Conc. edit. Venet. p. 94. Labb. p. 87.

pag. 462.

co-

Digitized by Google

COPONUS dicitur, tribuatur. Quem auctorem notavimus *de Cantu & Muſica ſacra* T. II. p. 27.

Aprilis. XVI. Menſe *Aprili* nullum in antiquiſſimo noſtro ſacramentario *Rhenaugienſi* occurrit feſtum, licet eorum magna pars extra Quadrageſimam & paſchale feſtum agatur; perinde ac etiam in antiquioribus calendariis Sanctorum feſta rara ſunt hoc menſe. Supplevimus aliqua ex codice *San-Gallenſi*, qui eſt *Rhenaugienſi* perſimilis, niſi quod feſtis magis abundet ſæculo fere recentior altero.

Primo loco III. Id. *April.* occurrit Natal. S. LEONIS P. ubi oratio *ſuper oblata*, non ea quidem eſt, quam ex nonnullis codicibus proximo de S. GREGORIO notavimus, habet tamen aliquam phraſin, quæ ad eius depoſitionis diem, qui anniverſarius ſolebat agi, referri poſſunt, *per hac pia oblationis officia & illum beata retributio comitetur, & nobis gratia tua dona conciliet.* In Calend. *Corbeienſi* a MARTENIO edito adnotatur: *Poſt iſtum locum non poteſt eſſe Quadrageſima.* Sequens feſtum S. EUPHEMIÆ *Gelaſianum* eſt, quod ſolum eo in ſacramentario menſe *Aprili* habetur, reliqua *Gregoriana* ſunt.

Quin imo *Leoninum* eſt feſtum S. GEORGII (de quo in ſacramentario *San-Gallenſi* triplici, ſæc. X. circ. miſſa etiam *Ambroſiana* legitur, *Romana* autem nec *Gelaſiana*, nec *Gregoriana*, ut alias fere, notatur) ſiquidem recte coniicit MURATORIUS in trigeſima tertia miſſa menſis *Aprilis* loco GREGORII, GEORGII nomen reponendum eſſe. Quod certe feſtum in antiquiſſimis comparet ſacramentariis, fuitque, ac eſt noſtræ *Alemannicæ* provinciæ celebre. P. PEZIUS edidit ſermonem ZACHARIÆ epiſcopi *de S. Georgio* ex codice *Ratisbon.*, ubi quidem glorioſum eius martyrium *poſt dilacerati corporis exquiſita ſupplicia, poſt ignis ac ferri, picis & ſulphuris iniqua tormenta, poſt verberum denique plagas &c.* deprædicat, ac ad tempora DIOCLETIANI reponit. Nihil vero in eo ſermone de dracone, qui ei appingi ſolet, quem miles is confoderit. Militem quidem facit, at qui abiecerit cingulum: „Quia terreni tribunatus, quo fungebatur, officium chriſtianæ militiæ profeſſione mutavit, & ut revera ſtrenuus miles plus omnia ſua pauperibus tribuens, ſarcinam terrenæ facultatis abiecit.“ Reliqua portentoſa non attingit, quæ vero de eius martyrio refert, conveniunt cum iis, quæ FORTUNATUS habet, carcere, cæde, ſiti, fame, frigore, flammis confeſſum Chriſtum. Eiusdem apud S. GREGORIUM M. fit mentio, & apud GREGORIUM *Turonenſem.*

T. I. Rit. R. pag. 307.

T. IV. Anecd. P. II. p. 17.

Lib. II. cap.

Lib. IX. Ep. 68.

De Gloria Mart. lib. I. cap. 101.

Nota in *San-Blaſiano* tantum ſacramentario feſtum S. MARCI Evangeliſtæ die 25. *April.* aliunde celebre ob litanias maiores eo die agi ſolitas, de

Digitized by Google

de quibus dicemus infra. Celebrari ſolitam miſſam de S. Marco ad tertiam teſtatur *Micrologus* c. 58.

XVII. Eodem *Micrologo* teſte feſtum SS. Apoſtolorum Philippi & Iacobi, quod in antiquiſſimis noſtris ſacramentariis pariter ac in *Gelaſiano* & *Gregoriano* ad diem 1. *Maii* recurrit, inſcribebatur olim in ſacramentariis & martyrologiis *Iacobi & Philippi & omnium apoſtolorum.* Supra notavimus poſt feſtum SS. Apoſtolorum miſſam *de vigilia omnium apoſtolorum* & *in natali omnium apoſtolorum*, quæ etiam de communi apoſtolorum cenſeri poſſet pro peculiaribus apoſtolorum feſtis, ex quibus pauca in antiquioribus ſacramentariis notantur cum vigiliis ac ieiunio celebrari ſolita, hoc excepto ob paſchale tempus. *Singulorum quoque apoſtolorum feſtivitates*, ut ſtatuit conc. *Ænhamenſe* an. 1009. c. 15. *religioſe quiſque celebret ieiunio, præterquam Philippi & Iacobi, quibus propter paſchatis gratiam & celebritatem ieiunium non indicimus, niſi voluntarium.* Hoc ieiunium apud nonnullas monaſticas congregationes obtinuiſſe videtur, cum nonnunquam hoc etiam feſtum cum vigiliis celebratum invenerim. Et quidem in ordine noſtro operis Dei ſæc. XIV. adhuc recentiori manu ad oram paginæ cum vigilia celebrandum præſcribitur, etiam ſi cum vigilia Aſcenſionis Domini recurrat. Feſta Maii. c. 55. T. XI. Conc. ed. Ven. p. 1064.

Aliud Sanctorum feſtum menſe *Maio* in antiquiſſimo noſtro ſacramentario non reperitur: quædam ex cod. *San-Gallenſi* ſupplevimus, inter alia S. Ioannis *ante portam Latinam*, quæ poſteriora verba in quibusdam exemplaribus non adiici, obſervavit Pamelius. Sicque in miſſali *Gothico* habetur poſt miſſam in inventione S. Crucis *Miſſa S. Ioannis apoſtoli & evangeliſtæ. Ioſ.* Cari ſeu *Thomaſius* in miſſali Mſc. Card. Sirleti rubricam notat: *Natalis apoſtolorum Ioannis ante portam Latinam & Matthæi. Omnia require de apoſtolorum.* Antiphonar. p. 186.

Feſtum hoc etiam in ſacramentario *Gelaſiano* deſideratur, uti & *dedicatio eccleſiæ B. MARIÆ ad Martyres*, quod ex *San-Gallenſi* ſupplevimus, cum hic mancus ſit codex *Rhenaugienſis.* Teſtatur Pamelius feſtum hoc in duobus antiquiſſimis codicibus defuiſſe, reperit tamen in *Colonienſi* (qui vetuſtiſſimus cenſetur) ac etiam Muratorius in *Vaticano*, quem *Pameliano* antiquiorem iudicat, habetur etiam in noſtro *San-Blaſiano* & aliis *Gregorianis* ex authentico cubiculi deſcriptis; licet hoc feſtum poſt Gregorium a Bonifacio IV. eodem ſæculo VII. inſtitutum legatur, converſo Pantheo in eccleſiam B. Mariæ & omnium Martyrum. Notatur tamen in Calendario antiquiſſimo Martenii ſtatio *ad S. MARIAM ad martyres*, quod ipſo S. Gregorio, qui Bonifacium IV. anteceſſit, longe antiquius cenſet. In antiphonario *Gregoriano* inter opera S. Gregorii edit. PP. S. Mauri om- T. III. p. 694.

nia ad dedicationem eccleſiæ pertinent. In antiquiſſimo noſtro capitulari evangel. ſic legitur: *Dedicatio eccleſiæ S. MARIÆ ad Martyres legitur lectio, cuius concurrerit ebdomade, eoquod ſemper in die dominico celebretur ipſa ſolennitas.*

Præter alia feſta in ſacramentario noſtro *San-Blaſiano* occurrit feſtum S. Bonifacii *Germaniæ* apoſtoli, quod mox poſt mortem in ſynodo *Anglicana* decretum eſſe diſcimus ex epiſtola S. Cuthberti *Cantuarienſis* archiepiſcopi ad S. Lullum S. Bonifacii diſcipulum ac ſucceſſorem, quem
Epiſt. 70 inter Boniſac. non ſegniorem in colendo magiſtro fuiſſe exiſtimandum eſt. „Unde in „ generali ſynodo noſtra (ſunt Cuthberti verba) eius diem natalitii, illiusque cohortis cum eo martyrizantis inſinuantes ſtatuimus annua frequentatione ſolemniter celebrare, utpote quem ſpecialiter nobis cum „ beato Gregorio & Augustino & patronum quærimus & habere indubitanter credimus coram Chriſto Domino, quem in vita ſua ſemper „ amavit, & in morte, ut ipſius meruit gratia, magnifice glorificavit.“

Vel ideo quod alicubi in impreſſis adhuc miſſalibus tempore paſchali de Virginibus feſta interdici videantur, memorare intereſt feſtum S. Walburgæ in plerisque antiquis miſſalibus hoc menſe recurrere, cuius ad præſentem uſque diem perennat *Eichſtettæ* ad eius S. Corpus miraculum, quod Phi-
n. 19. lippus epiſcopus antiquus vitæ ſcriptor commemorat, præſertim tempopore ſacrificii fieri. „Sciendum quod hora celebrationis miſſarum cum „ ſacramentum corporis & ſanguinis Iesu Chriſti in altari conficitur, in quo „ recondita eſt, frequentius nec non uberius oleum de ſacro corpore eius „ diſtillat. Unde hæc hora pro receptione eius olei diligentiſſime obſervatur.“ Generatim in orat. cod. *San-Gall.* miraculorum fit mentio.

Feſta Iunii. XVIII. Menſe *Iunio* non pauca feſta habentur in codice *San-Gallenſi* tentum, ac alia etiam nonnulla diverſa in *San-Blaſiano*, quæ ad nos peculiariter pertinent e. g. SS. Aurei & Iustini. Aureus epiſcopus dicitur *Moguntinus*, Iustinus diaconus, quibus iungitur Iustina ſoror Aurei, quorum acta apud Bollandum ad diem 3. *Ianuarii* habentur. *Rhabanus* Maurus vero in martyrologio ad XVI. Cal. *Iulii: In civitate Moguntiaca paſſio SS. Aurei epiſcopi & Iuſtinæ ſororis eius, qui ab Hunnis vaſtantibus prædictam civitatem in eccleſia occiſi ſunt.*

Nota vero in antiquiſſimo quoque ſacramentario *Rhenaugienſi* vigiliam SS. Ioannis & Pauli, ut in *Gelaſiano*, *Gellonenſi*, *Remenſi* & *Moiſacenſi* obſervavit Martenius, feſtumque etiam in miſſali *Gothico* eſt.

De ant. eccl. diſc. c. 32. In *San-Blaſiano* ſacram. in nat. S. Leonis *ſecret. annue nobis Domine, ut animæ famuli tui hæc proſit oratio*: apud Pamelium ita eſt mutata: *An-*

Digitized by Google

Annue nobis Domine, ut interceſſione famuli tui Leonis &c. Ubi notat: *Erat hoc loco in ſcriptis exemplaribus talis quoque oratio, qualem ſupra in feſto S. Gregorii ad marginem annotavimus* p. 209. 210. Cum noſtro conſentit ſacramentarium S. Eligii, ubi adnotat porro Menardus: *Ita in editis, in codice Ratoldi & apud Pamelium. Subaudi ad gloriam vel ad honorem ut explicat Innocentius III. de celebratione miſſarum* cap. 6. §. 3. *In codice Rodradi legitur* ut intercedente B. Leone. Idem editores S. Gregorii notarunt de Secundo. Theod. & *Angelus* Rocca not. in ſacramentarium a ſe editum col. 111. „Oratio, quæ dicitur ſecreta in feſto B. Leonis mutata eſt, quia ubi olim in ſacramentario „antiquo legebatur: *Annue nobis Domine, ut animæ famuli tui Leonis „hæc proſit oratio &c.* Hodie legitur in miſſali: *Ut interceſſione B. Le„onis hæc nobis proſit oratio &c.* Quæ ſane ſecreta hodie in miſſali S. „Gregorii P. legitur. Hæc autem mutatio facta videtur ad clariorem „expreſſionem & intelligentiam rei, cum Sancti noſtris orationibus non „indigeant, ſed nos potius eorum interceſſionibus opus habemus. Imo „qui pro Sanctis oraret, eis iniuriam faceret, ut S. Augustinus & alii „doctores affirmant.“ Utraque lectio notatur in ſacramentario *San-Gallenſi* ſæc. X. circ. aliiſque ſimilibus.

n. 422.

L. III. decret. Greg. Tit. 41. de celebr. miſſ.

XIX. In concilio *Salegunſtadienſi* an. 1022. c. 1. ſtatuitur: *Ut quatuordecim dies omnes Chriſtiani ante feſtivitatem ſancti Ioannis Baptiſtæ in abſtinentia ſint carnis & ſanguinis, niſi infirmitate impediente, aut alicuius feſti ſolemnitate, quæ in ipſo epiſcopio celebris habetur, intercedente.* In antiquiſſimo noſtro ſacramentario in profeſto tantum notatur: *Ieiunium S. Ioannis Baptiſtæ unacum miſſa pro more vigiliarum, quæ ipſa in Gelaſiano & Gallicanis deſideratur.* In libro ordinis inter monumenta noſtra ita habes: *Tres autem miſſæ celebrantur de ſancto Iohanne. Una in vigilia, duæ vero in eius natali.* Præter conſuetam autem in die aliam ſupplemus ex cod. *San-Gallenſi* inſcriptam *In prima miſſa in nocte*, quam poſt Matutinas Laudes dictam De-Moleon ex Mſc. S. Mauricii *Viennenſis* obſervat, qualis etiam in *San-Blaſiano* & aliis paſſim habetur tum Mſſ. tum editis apud Pamelium, Menardum, notaturque in ordine *Romano* apud Amalarium, vulgatum Alcuinum, ut iam Pamelius ad lectionarium ſeu librum Comitis obſervavit, & Martenius; ac præterea in vetuſtiſſimo codice bibliothecæ regiæ poſt miſſæ tertiæ orationes haberi etiam collectas *Ad fontes*, ad quos perinde ut in Paſchate & Pentecoſte poſt veſperas facta ſit proceſſio, forte quia olim in *Galliis* hac die celebrabatur baptiſmus, ut idem obſervavit in lib. I. *de antiquis Eccleſiæ ritibus*,

Feſtum S. Ioan. Baptiſtæ.

T. XI. Conc. ed. Ven. p. 1130.

Voy. liturg. p. 34.

De ant. eccleſ. diſc. c. 33.

ac nos etiam ſupra. Collectæ eiusmodi in antiquiſſimis noſtris ſacramentariis habentur, ut in aliis paſſim Mſſ. In epiſtola, quam ſub nomine
p. 458. S. AUGUSTINI MABILLONIUS reperit in Mſc. *Carnutenſi*, ediditque ad calcem lit. *Gallic.* Adventus dominici ordo incipiendus præſcribitur *ab octavo Calendas Octobris æquinoctium autumnale pro eo, quod eadem die Iohannes præcurſor Domini a maioribus noſtris traditur & angelo nuntiante conceptus, & Herodis funeſti gladio trucidatus.* Quod ideo obſervo, quia paſſim ad eum diem feſtum Conceptionis S. IOANNIS *Baptiſtæ* reperi in
T. III. Theſ. Anecd. p. 1569. 1602. miſſalibus ac etiam Martyrologiis & Calendariis, veluti in *Murbacenſi* & *Corbeienſi* apud MARTENIUM, ac in non paucis Mſſ. Eiusdem feſti fit mentio in vita S. WUNIBALDI ſcripta a quadam ſanctimoniali *Heidenheim-*
n. 27. *cenſi* primum a CANISIO T. II. P. I. antiq. lectionum edita. Originem ignis, qui paſſim hac die feſtive accenditur, ac tripudiando tranſcenditur, ſingulari diſſertatione oſtendit *Conſt. Fr.* de CAUZ. Primigeniam autem illius denominationem conſervarunt *Bavari*, & ſi qui alii a Sole æſtivo vocant *das Sommer-feur.*

Feſtum SS. PETRI & PAULI. XX. Feſtum SS. PETRI & PAULI in noſtris antiquiſſimis ſacramentariis, uti etiam in Calendario MARTENII, quod ad initium quinti ſaltem ſæculi
T. V. Theſ. Anecd. p. 75. pertinere vult, diſtinctis diebus habetur: cum in *Bucheriano* eodem die III. Kal. *Iulii* feſtum *S. Petri ad catacumbas*, & S. PAULI Via *Oſtienſi* notetur. In ſacramentario *Gelaſiano* tres ad eundem diem comparent miſſæ, mosque antiquiſſimus duo eodem die celebrandi Sacra ex PRUDENTII *Pe-*
Hym. XII. Carm. 63. *ri-ſtephan.* colligitur:

Tranſtiberina prius ſolvit Sacra pervigil Sacerdos,
Mox huc recurrit, duplicatque vota.

In lectionario *Gallicano* & miſſali *Gothico* una ad eundem diem legitur miſſa SS. PETRI & PAULI. Sequiturque miſſa *in natali unius apoſtoli & martyris*, & in ſacramentario *Gelaſiano* una *in vigilia omnium apoſtolorum*, altera *in natali omnium apoſtolorum*, ut iam obſervavimus. Citat ibi
T. VI. p. 342 in nota V. THOMASIUS ex epiſtola S. HIERONYMI ad CHROMATIUM hæc a CASSIODORO relata verba: *ut dies varii non videantur dividere, quos*
De Pœnit. append. p. 123. *una dignitas apoſtolatus in cœleſti gloria fecit eſſe ſublimes:* Notat MORINUS apud *Græcos* feſtum omnium apoſtolorum eſſe feſtum SS. PETRI & PAULI, quod III. Kalendas *Iulii*, ut a *Latinis* celebretur. In Calendario *Murbacenſi* apud MARTENIUM III. Kal. *Iulii Romæ natalis apoſtoli Petri & Pauli. Paſſio Simonis & Iudæ. Pridie Calendas Romæ Timothei.* Antea in eodem Calendario eodem in menſe *Thomæ apoſtoli, Barnabæ apoſtoli.*
Iaco-

Digitized by Google

Iacobi apoſtoli Alphæi. Qui cum primum peculiaria non habuerunt feſta, ſimul forte cum aliis ad finem eiusdem menſis ſunt celebrati.

Feſta Iulii.

XXI. Apud Pamelium habetur *Natalis S. Iacobi apoſtoli & fratris Ioannis*, ritu ſc. *Ambroſiano*, uti etiam in *San-Gallenſi* ſacrament. ad triplicem ritum *Gelaſianum*, *Gregorian.* & *Ambroſianum*, compoſito legitur ad diem 27. *Dec.* quemadmodum in antiquiſſimo noſtro *Rhenaugienſi* notatur. Deeſt in antiquiſſimo ſacrament. *Rhenaug.* officium octavæ apoſtolorum Petri & Pauli, quod tamen in *Gelaſiano* habetur, non vero in codd. Muratorii: nec uſpiam in antiquioribus monumentis S. Ioannis *Baptiſtæ*, quæ tamen notatur in antiquo martyrologio *Hieronymiano* monaſterii *Caſinenſis*, quod citat Sollerius in præfatione ad martyrologium Usuardi. Opportune mox altera die nunc agitur feſtum Viſitationis B. M. V. dum *exurgens MARIA abiit in montana cum feſtinatione in civitatem Iuda: & intravit in domum Zachariæ, & ſalutavit Eliſabeth* Ioanne tunc gravidam *Luc. I.* 39. &c. Quod feſtum Urbanus VI. cum vigilia etiam & ieiunio nec non Octava celebrandum in votis habuit; Concilium *Baſileenſe* autem peculiari decreto ſeſſ. XLIII. ſtatuit, ut toto orbe catholico ageretur. Quæ cum ita ſint, mirum haud eſt, nihil de eo feſto in veteribus noſtris monumentis liturgicis reperiri.

p. X.

Sacramentarium *San-Blaſianum Gregorianum* hoc ac proximis menſibus imprimis abundat feſtis: quod vero nos propius concernit, hoc menſe *Iulio* eſt SS. Kiliani & ſociorum *Germaniæ* ſeu *Franconiæ* apoſtolorum: quod paſſim cum antecedaneo feſto S. Wilibaldi in noſtris monumentis reperi, notanturque ambo in Calendario, quod ex Mſc. *Lyrenſi* ſcripto ante 600. annos edidit Martenius, & S. Kiliani tantum in antiquiore noſtro ſacramentario *Petershuſano*.

T. III. Theſ. Anecd. p. 1611.

Poſt miſſam de S. Iacobo apoſtolo veteri more ad eundem diem diſtincta ponitur de S. Christophoro; cuius acta licet admodum ſint vitiata, memoria tamen ſancti martyris occurrit apud S. Gregorium M. atque exemplo S. Ignatii M. τῦ θεοφόρυ habemus, nomina eiusmodi affectaſſe Chriſtianos.

T. I. Theſ. Antiq. Teuton. append. 73.

Nota demum in Calendario *Alemannico* apud Schilterum feſtum S. Henrici imperatoris, quod etiam ſubinde in noſtris monumentis reperi.

Feſta S. Benedicti.

XXII. Peculiarem mentionem vel ideo facere debemus feſti S. Benedicti, quod diverſis apud ſuos diebus celebretur. Ad diem XII. Kal. *Aprilis* in *Lateranenſi* veteri nuper edito notatur, memoraturque Martenio, in codice eccleſiæ *Turonenſis* eo die aſſignari tres miſſas. Mentionem

huius feſti ad eum menſem paullo ante fecimus, quomodo etiam ſæc. XII. in Quadrageſima fuerit celebratum. In noſtris antiquiſſimis ſacramentariis V. Id. *Iul.* occurrit Natal. S. BENEDICTI, & quidem cum duplici miſſa in codice *San-Blaſiano.* In cod. RATOLDI notavit etiam MENARDUS miſſam in vigilia præcedente die, ac octavam, præter natale XII. Kal. *Aprilis*, qui ceu dies depoſitionis in hodiernis etiam orationibus deſignatur.

Alterum hoc feſtum menſe *Iulio* apud nos *Commemoratio*, apud *Gallos Translatio* vocatur, uti frequenter in antiquioribus monumentis, in Calend. *Murbac.* apud MARTENIUM T. V. Theſ. Anecd. p 1568. *Depoſitio* S. BENEDICTI Abb. i. e. *translatio* ipſius corporis. Non raro, ut alia feſta, *natale* nominatur, nec id abnuit MENARDUS. „Quare (inquit) ſciendum eſt, olim „in die translationis reliquiarum diem depoſitionis celebratum fuiſſe, nulla „translationis facta mentione, ut infra videbitur in translationibus ſancto„rum REMIGII & VEDASTI: ac proinde orationes ſive miſſæ ſuperius pro„ductæ opinionem de translatione corporis S. BENEDICTI in *Floriacenſe* „monaſterium labefactare non poſſunt, de qua fuſe egimus in noſtris ob„ſervationibus in martyrologium *Benedictinum.*" Eſt hæc celebris *Floriacenſes* inter & *Caſinenſes* controverſia fortaſſis *Salomoneo* effato dirimenda, ut inter ſe diviſis gaudeant ſacris lipſanis. Notavit in itinere *Italico* MABILLONIUS codicem Mſc. apud Patres *Olivetanos Neapoli*, qui continet hiſtoriam translationis S. BENEDICTI, & S. SCHOLASTICÆ ex *Italia* in *Galliam*, ut tamen *eorum cadavera partim non ex toto* translata dicantur. Haud raro eius translationis hiſtoriam etiam in MSſ. *Alemanniæ* reperi ac in Kalendariis ad undecimam *Iulii*, vel etiam ad quartam *Decembris*: & feſtum ad diem illum Illationis ſeu translationis vel depoſitionis nominatur in monumentis liturgicis, ut inter alia etiam MARTENIUS citavit conſuetudines *Germanicas* pro eo feſto pleniter tranſigi ſolito. Inſignis vero eſt locus eam in rem BERNONIS *Augienſis* ſchediaſmate de initio Adventus apud PEZIUM ex relatione monachorum *Floriacenſium*: „Transacta quip„pe illa hebdomada extitit octava dies, quæ eſt III. Non. *Decembris* Et „nos *Floriacenſes* fratres, monachi videlicet beatiſſimi Patris BENEDICTI, „initium fecimus Adventus Domini. Cumque in craſtinum, quod eſt II. „Non. *Dec.* feſtum haberetur Illationis eiusdem Patris, & præfati cano„nici tantæ feſtivitati ex more concurrerent, & nos ex conſuetudine mo„naſtica matutinalem celebramus miſſam de Adventu Domini, quem pri„die inchoavimus, cœperunt ipſi *Aurelianenſes* valde inter ſe muſſitare, & „nos incaute arguere." RUINART in *Itin. Alſat.* & *Lotharing.* notat Kalendarium eccleſiæ *Catalaunenſis* annorum circiter 700. in quo tria feſta S. BENEDICTI; primum 21. *Martii* Natale S. BENEDICTI; alterum die

p. 110.

De rit. monach. lib. II. c. 2. n. 8.

T. IV. Anecd. P. II. p. 52.

11.

31. *Iulii* ſc. translatio, ſeu, ut alibi vocatur, commemoratio eiusdem; tertium denique 2. Nonas *Decembris* Depoſitio ſancti Benedicti abbatis.

Feſta Auguſti.

XXIII. In ſacramentario *San-Gallenſi*, unde antiquiſſimum *Rhenaugienſe* ſupplevimus, rubrica eſt *Kal. Auguſti ad S. Petrum ad vincola catena eius oſculantur.* Ipſo die Natal. *Machabæorum*, de quibus tantum in miſſa, nihil autem de S. Petro legitur, uti etiam in *Gelaſiano.* Ex ſermone S. Leonis de *Machabæis* diſcimus dedicationem ſimul eo die celebratam: *Duplex cauſa*, inquit, *lætitiæ eſt, in qua & natalem eccleſiæ colimus, & martyrum paſſione gaudemus.* In *Leonino* ad diem III. *Auguſti* dedicatio quædam aſſignatur. In *San-Blaſiano* & aliis *Gregorianis* duæ eo die ſunt miſſæ, una de Vinculis S. Petri, altera de Fratribus *Machabæis.* Inter octo ſermones S. Maximi a Muratorio editos T. IV. Anecd. una de S. Confeſſore Eusebio & *Machabæis* eſt, cuius feſtum in *Lateranenſi* miſſali primo die habetur.

Sequitur die ſequenti etiam S. Stephani epiſcopi, ut in antiquiſſimo *Rhenaugienſi* notatur & in ſacramentario antiquiſſimo a Muratorio edito, in *San-Blaſiano* vero *Martyr.* Protomartyris inventio die tertio *Auguſti* celebratur. In calendario *Alemannico* ſæc. XIII. notatur Stephani *Wunden ward ſe.* In antiquiſſimo *Theodoricenſi*, ut editores opp. S. Gregorii in præfat. in Libr. ſacrament. notant, legitur: *Miſſa in inventione S. Stephani, quando Romani propter invidiam tulerunt oculos Leoni papæ.* Utrumque deſideratur in *Gelaſiano*: in quo reliqua feſta exceptis SS. Feliciſſimi & Agapiti, ac S. Cyriaci habentur, uti & in *San-Blaſiano* S. Afræ *Auguſtanæ* in *Alemannia* martyris.

Schilter. Antiq. Teuton. T. I. append. p. 73.

T. III. p. IV.

Nihil vero horum in antiquiſſimo *Rhenaugienſi* uſque ad vigiliam S. Laurentii, ubi ex cod. *San-Gallenſi* ſuppletur officium in priori miſſa, prout paſſim apud Pamelium, Menardum & Martenium notatur cum alia miſſa in ipſo die, ac poſtea in Octava. In Lectionario *Gallicano* nec feſtum quidem S. Laurentii comparet, quod tamen in *Leonino* & in miſſali *Gothico* habetur, proxime ſubſequente miſſa S. Yppoliti M. antecedente vero S. Sixti Papæ urbis *Romæ.*

Antea ponitur miſſa in diem paſſionis ſancti Ioannis *Baptiſtæ* & martyris. In ſacramentario *Gallicano* miſſa in S. Ioannis paſſione ſubditur mox eius feſto ante SS. Petri & Pauli. In epiſtola ad Bibianum, ut ſub nomine S. Augustini habetur in codice S. Petri *Carnutenſis*, editque Mabillonius ad calcem liturgiæ *Gallicanæ*, ſic lego: „Eſt & „ præter nativitatem alia ſolemnitas Iohannis *Baptiſtæ*, quarto ſcilicet Ca-

Muſ. It. T. I. P. II. p. 341.

p. 458.

„ len-

Digitized by Google

„ lendas *Septembris*, quando inventum legitur caput dominici præcurſo-„ ris." Quo die decollatio S. IOANNIS *Baptiſtæ* agitur. Rem explicat HONORIUS *Auguſtodunenſis* in ſacramentario c. 46. ac ritum præterea prodit celebrandi feſtum illud ſingularem, ut in die INNOCENTUM ſeu Quadrageſimæ ac Paſſionis. „ Quando agitur decollatio S. IOANNIS *Bap*-„ *tiſtæ*, tunc eſt inventio capitis eius. Nam circa Paſcha, id eſt, in „ Annuntiatione S. MARIÆ eſt decollatus: hic autem rocolitur. Ad miſ-„ ſam *Gloria Patri*, & *Gloria in excelſis* & *Alleluia* non canitur more „ paſſionis Chriſti, & quia ante Chriſti reſurrectionem contigit." In *San-Blaſiano* notatur *decollatio*, in *Rhenaugienſi*, ut in *Gelaſiano* & antiquiſſimo Calendario a MARTENIO edito *Paſſio S. Ioannis Baptiſtæ*.

Pez. Anecd. T. II P. I. p. 294.

T. V. Theſ. an. p. 76.

Deſideratur penitus in *Gregoriano* MURATORII, uti etiam feſtum S. BARTHOLOMÆI & S. AUGUSTINI, quæ in antiquiſſimo *Rhenaugienſi* habentur, deſunt autem alia *Gelaſiana* & *Gregoriana* feſta, quæ ex *San-Gallenſi* ſupplentur. Feſtum S. BARTHOLOMÆI in mox laudato antiquiſſimo Calendario etiam habetur, non vero feſtum S. AUGUSTINI, quod nec hoc die in *San-Blaſiano* & aliis coævis 900. ponitur, licet in Calendario, quod *Petersbuſano* codici præmittitur, eo die notetur, cum S. HERMETE & PELAGIO, cuius corpus SALOMONEM *Conſtantienſem* epiſc. *Roma* ſecum in *Alemanniam* attuliſſe EKKEHARDUS *Iunior* apud GOLDASTUM teſtatur.

Rer. Alem. T. I. p. 19.

Aſſumtio B. M. V.

XXIV. Feſtum Aſſumtionis B. M. V. ritu *Gallicano* olim in *Ianuario* celebratum eſſe iam notavimus ex Lectionario & miſſali *Gothico*, & ſacramentario *Gallicano* in *Muſæo Italico* edito a MABILLONIO die nimirum 18. *Ianuarii*, quo notatur in *Epternacenſi* martyrologio *Hieronymiano* æri inciſo, & *Lucenſi* a FLORENTINO edito, qui in notis multa ea de re diſſerit; citatque MABILLONIUS in not. ad Lectionarium *Gallicanum* etiam veterrimum Calendarium *Corbeienſe*, mille annorum, quod edidit MARTENIUS. Quid quod MABILLONIUS etiam notat in *Itinere Italico* Kalendarium ſeu necrologium monaſterii ord. S. BENED. ad S. CYRIACUM *Romæ*, in quo Aſſumtio ſanctiſſimæ Virginis MARIÆ his verbis in *Ianuario* notatur: XV. *Kal. Febr. depoſitio S. MARIÆ Virginis matris Domini noſtri IESU Chriſti*. VEZZOSIUS tamen not. ad Miſſale *Gothicum* inde quod in *Bobienſi* ſeu *Gallicano* ſacramentario feſtum illud ponatur poſt feſtum cathedræ S. PETRI, dubium movet, an celebratum fuerit menſe *Ianuario* aut potius *Februario*, ad RUINARTUM provocans, qui in annotationibus ad caput nonum lib. I. S. GREGORII *Turonenſis de gloria Martyrum* MABILLONIO adhæret. Locum S. GREGORII, aliaque, quæ ad antiquitatem huius

p. 118.

T. III. Theſ. Anecd. p. 1591. p. 56.

T. VI. opp. Thomaſ. p. 254.

Digitized by Google

huius feſti contra Basnagium aſſerendam faciunt, colligit laud. Vezzosius in præfat. p. XXIII. XXIV. Copioſius vero de hoc feſto laudatus tractat Trombellius. Quoad diem autem, qui etiamnum obtinet, hæc leguntur in Calendario *Romano* a Martenio edito, quod ad initium ſaltem ſæc. V. refert, *Die XV. Auguſti Aſſumptio S. MARIÆ.* Notatur cum evangelio Lucæ *Intravit IESUS in quoddam caſtellum &c.* quod hodieque legitur, ac etiam in ſacramentario *Gallicano*, licet in lectionario illud *Luc.* I. *Exurgens MARIA &c.* habeatur. *T. V. Theſaur. p. 76.*

Vigiliam Aſſumtionis Fronto a Leone IV. cum ieiunio inſtitutam putavit ex teſtimonio Sigeberti ad an. 847. antiquiorem autem ſacramentarium *Gelonenſe* probat. Deſideratur in antiquiſſimo *Rhenaugienſi* ſacramentario, ſupplevimus autem ex cod. *San-Gallenſi*; ubi tamen aliæ ſunt orationes, quam in *San-Bleſiano*, in quo nota veterem lectionem *iucundos faciat*, quam Menardus in aliis antiquis codicibus obſervavit, ac etiam *Angelus* Rocca ad col. 122. notavit, hodie vero habetur *facias.*

Sed notabilior eſt ſecunda collecta, quæ ex codice *San-Gallenſi* ſuppletur, in ipſo feſto Aſſumtionis: *Veneranda nobis, Domine huius diei feſtivitas, in qua ſancta Dei genitrix mortem ſubiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit.* Quæ in aliis etiam vetuſtiſſimis ſacramentariis *Gelaſiano, Gregorianis* exſtat, refertur que a Benedicto XIV. ad probandam piam traditionem de aſſumto etiam corpore B. V. in cœlum. „Neque enim (inquit) ullus alius tribui poteſt ſenſus illis verbis *mortis nexibus*, quam ut corporis corruptionem ſignificent, a qua per triumphalem in cœlum aſſumtionem ſuam liberata eſt.“ Citat porro in eandem ſententiam, quæ in miſſali *Gothico* habetur, collectam poſt nomina: *Fuſis precibus Dominum imploremus, ut eius indulgentia illuc defuncti liberentur a tartaro, quo B. Virginis translatum corpus eſt de ſepulchro*: Et in præfatione: *Recte ab ipſo ſuſcepta es in aſſumtione feliciter, quem pie ſuſcepiſti conceptura per fidem, ut quæ terræ non eras conſcia, non teneret rupes incluſa.* Quæ luculenta ſane ſunt. Noſtris temporibus controverſia hanc ob rem ingens eſt mota in *Galliis* ob cenſuram quandam facultatis *Pariſienſis* an. 1497. ac martyrologium *Pariſienſe* ſuperiore ſæculo editum, in eoque contenta circa eam rem verba Usuardi, quam in rem ultro citroque ſcriptis editis decertarunt Iolius, Gaudinus, L'Advocatus, Launoius, ut in eius operum editione T. I. P. I. videre eſt. *De Feſtis. lib. II. c. 8. n. 17.*

Nos magis perplexos tenent, quæ ad ipſam feſti huius inſtitutionem apud nos attinent, quam Mabillonius S. Bonifacio tribuit: nempe quod attinet dies per annum *Sabbatizandos*, uti in eius ſtatutis præſcribitur; *Lib. II. lit. Gall. p. 104.*

Digitized by Google

T. I. Capit. p. 712. bitur: *In aſſumtione ſanctæ MARIÆ XVIII. Kal. Septembr. diem unum.* In capitulari vero Caroli M. poſt recenſionem feſtivitatum per annum celebrandarum omittitur; ſubiicitur tantum: *De aſſumtione S. MARIÆ interrogandum relinquimus.* Ubi tamen obſerva, agi tantum de præcipuis per annum feſtivitatibus, quibus feriari fideles oporteret, quod decretum eſt in conc. *Moguntino* an. 813. idque ſub Ludovico *Pio* ſtatutum eſt, ut habetur in Lib. II. Capitul. c. 35. & lib. VI. c. 189. In cod. *San-Gallenſ.*, itemque in *San-Blaſiano* aſſignatur quidem octava S. Laurentii, non autem Aſſumtionis.

T. XII. Conc. ed. Ven. p. 109. T. VII. Opp. pag. 457. Vid. Haltauſ. Calend. med. ævi p. 116. ſeq. Feſtum hoc iam obſervavimus promiſcue vocari in antiquis monumentis Aſſumtionem, Pauſationem, Depoſitionem, Dormitionem, quo nomine adhuc in concilio *Moguntino* an. 1071. venit. Ob huiusmodi vocem immerito laceſſitum Ven. Thomasium defendit P. *Ioſ. Mar.* del Vezzo *la difeſa &c.* c. 7. Noſtra lingua feſtum hoc dicitur *die Schydung*, ſive *de Schaydung, Wurzweyhe*, ob herbas benedici eo die ſolitas, *Unſer Frauen Tag de erſte, Marien der Erren Tag*, in Calend. *Aleman.* apud Schilterum T. I. Ant. *Teuton.* append. p. 74.

Nativitas B. M. V. XXV. In eodem Calendario *Alemannico* feſtum Nativitatis B. M. V. quod octavo *Septembris* celebratur, *Marie de iungeren Tag* notatur, alibi *Vrowen Tag der Letzeren, Marie Leze*, ſeu *der Hindern*, quod eodem recidit poſtremum, quod olim inter celebriora fuit feſta: *Frauen-Laterntag* ob lucernas, ac cereos in vigilia huius feſti ſuccendi ſolitas per noctem, ut in Calend. medii ævi probat Haltausen. In ſtatutis S. Bonifacii inter feſtivitates per circulum anni *Sabbatizandas* etiam hoc recenſetur feſtum: *In nativitate S. MARIÆ VI. Idus Septembris diem unum.* Ac ſupra oſtendimus feſtum hoc inter antiquiora quatuor B. V. ſacra fuiſſe, in quibus tradit liber pontificalis, a Sergio I. inſtitutam eſſe proceſſionem ab eccleſia S. Adriani ad baſilicam *Lateranenſem*, quo pertinet collecta, quæ miſſam antecedit in *San-Blaſiano* ſacramentario. In *San-Gallenſi*, ex quo ſuppletur *Rhenaugienſe* antiquiſſimum, adiicitur *Miſſa de nativitate S. MARIÆ ſecunda.* Non notatur feſtum hoc in Calendar. *Rom.* a Martenio T. V. *Theſ. anecd.* edito, habetur tamen in ſacramentario *Gelaſiano.* Antiquitatem huius feſti contra Basnagium, qui illud temere ad ſæc. X. reiicit perinde ac Aſſumtionem, vindicat Vezzosius Præfat. in T. VI. opp. Thomasii p. XXV. Copioſius vero adhuc multo Trombellius *de vita &c.* B. M. V. T. V. P. II. diſſ. XIII. Sect. 2. tum vero, quod nunc dominica infra octavam celebratur, feſtum Nominis B. M. V. ſect. XV. & ſequentibus alia recentiora antiquis noſtris monumentis perſequitur.

XXVI.

Digitized by Google

Alia Feſta Septembris.

XXVI. Calendis *Septembris* in noſtro antiquiſſimo ſacramentario, ut in *Gelaſiano* occurrit feſtum S. Prisci, cætera hoc menſe pauciſſima ſunt, ut nec feſtum S. Cypriani compareat, quod propriam miſſam habet in codice *San-Gallenſi* poſt alteram SS. Cornelii & Cypriani, de quo plures ſermones S. Maximi habentur partim inter eius opera, partim a Muratorio in *Anecd.* T. IV. editi, eiusque celeberrimi natalis meminerunt Cassiodorus & S. Gregorius, Prudentius in hymno de S. Hyppolito:

Lib. III. ep. 33. *Lib. II. Ind. X. ep. 32.*

Inter ſolemnes Cypriani, vel Chelidoni
Eulaliæque dies, currat & iſte tibi.

S. Eulaliæ feſtum habetur in miſſali *Gothico* pariter ac S. Hyppoliti poſt feſtum S. Laurentii, ac conſequenter „ſanctorum Martyrum Cornelii „ & Cypriani, SS. germanorum Ioannis & Pauli, beatiſſimi Sinfuria„ni Martyris, ſancti ac beatiſſimi Mauricii cum ſociis ſuis."

Inter alias martyrum ſolemnitates Theodoretus etiam Mauricii feſtum recenſet. Tertium & Sextum inter Aviti *Viennenſis* fragmenta pertinent ad homiliam ab eo habitam *in baſilica Sanctorum Agaunenſium in fundatione monaſterii*. quod celebre ſemper fuit in *Gallia* feſtum. In codice Ratoldi etiam cum octava, paſſimque in antiquis miſſalibus *Alemannicis* inveni, attamen in noſtris ſacramentariis *Rhenaugienſi* & *San-Blaſiano* aliiſque antiquioribus deſideratur.

Vid. Gallia chriſt. T. XII. p. 770. ſeq.

Habetur vero feſtum S. Matthæi unacum vigilia, quæ in antiquioribus *Gregorianis* deeſt, ac ipſum ſubinde feſtum S. Matthæi, ut *San-Maurenſes* annotarunt ad ſacramentarium S. Gregorii *Eligianum*, ubi habetur vigilia eadem.

T. III. Opp. pag. 120.

Feſta S. Michaelis.

XXVII. Sequitur, poſt alia ex *San-Gallenſi* ſuppleta, III. Kal. *Octobris Dedicatio baſilicæ angeli Michaelis*, prout notatur in aliis ſacramentariis ac calendariis, veluti antiquiſſimo a Martenio edito ad eundem 29. diem *Septembris*. In ſacramentario *Gallicano* p. 356. in *miſſa in honore ſancti Michael*, conteſtatio ſic habet: *In die feſtivitatis hodiernæ, quo in honore beati archangeli Michaelis dedicata nomini tuo loca ſacris ſunt inſtituta myſteriis.* Singulare eſt in miſſali *Lateranenſi* nuper ab *Emman.* Alevedo edito, quod duæ ad eundem diem menſe *Septembr.* conſequenter ponantur miſſæ, prior titulum habet: *Inventio baſilicæ S. Michaelis, altera dedicatio baſilicæ S. Michaelis.* Prior octavo *Maii* celebratur. Ad id feſtum pertinet in antiquiſſimo homiliario *Ottoburano* ſermo cum tit. *Inventio S. archangeli Michaelis.* Inc. *Memoriam beati archangeli Michaelis toto orbe venerandam ipſius & opere conditam & conteſtatam demonſtrat eccleſia &c.* Sequuntur in eodem cod. Sermones in natali S. Ioannis *Baptiſtæ.*

T. V Theſaur. anecd. p. 77.

ptiſta. S. PETRI apoſtoli. S. LAURENTII. De ſancta MARIA. In natale Martyrum. De Confeſſoribus. De Virginibus. VIII. Idus *Maii* notatur a MARTENIO in antiquiſſimo *Corbeienſi* calendario *Inventio S. Michaelis archangeli in monte Gargano.* In alio autem *Corbeienſi* ab eodem edito *revelatio baſilicæ ſancti Michaelis archangeli.* Sic in impreſſo *Baſileenſi* miſſali ſæc. XV. inveni: *In revelatione S. Michaelis in Maio.*

De ant monach. rit. lib. IV. c. 5. T. III. Theſaur. anecd. pag. 1597.

Notat HALTAUSEN proximam poſt feſtum S. MICHAELIS hebdomadam in *Octobri* vocari *die gemeine Wochen*, latine *dies communes*, hancque ex veteri chronico veterum ducum *Brunſv.* affert rationem: „Anno Domini „DCCCXXXIV. VII. Kal. *Oct.* facta eſt a *Saxonibus* occiſio *Thuringorum.* Hæc ergo dies victoriæ læta & celebris apud *Saxones* habita, communio dicebatur. Unde communes dies dicuntur, qui in *Octobri* ſervantur, ut obſervantia ſuperſtitioſa *Saxonum*, qui tunc pagani erant, modo ipſis Chriſtum colentibus, ad religionem tranſeat pietatis.“ Aliorum angelorum, cuſtodum nempe & archangelorum recentiora ſunt feſta, quam antiqua noſtra monumenta liturgica, etſi eorum cultus ſit vetuſtiſſimus, quem a ſuperſtitioſo ac idololatrico probe diſtinguit ORIGENES libro VIII. contra CELSUM, ſic reſpondens obiectioni, *ex eo, quod cum Deo filium eius colamus, conſequens eſſe, ut non ſolum Deum ſolum, ſed etiam eius miniſtros colendos eſſe ſentiamus.* „Si intellexiſſet, quinam ſint poſt Dei „Unigenitum vere miniſtri Dei, ut GABRIEL, MICHAEL, & alii angeli, „atque archangeli, & eos colendos eſſe dixiſſet; fortaſſe repurgatis cum „ſignificatione illius vocis *colere*, tum eius, qui colit, officiis, hoc loco „pro rei momento attuliſſem ea, quæ de hoc argumento aſſequi intellectu „potui. Cum autem miniſtros exiſtimet dæmones illos, qui adorantur a „gentibus, non rerum conſequentia nos cogit eorum admittere cultum, „quos ſcriptura docet eſſe miniſtros mali illius & principis huius ſæculi, „qui a Deo avertit quoscunque poteſt. Detrectamus igitur omnino illos, „quos reliqui homines venerantur, colere, & illis ſervire, quia miniſtri „non ſunt. Nam ſi didiciſſemus illos eſſe ſummi Dei miniſtros, non eos dæmonia eſſe diceremus.“

Calend. m. aev. p. 131.

T. I. pag. 751. n. 13.

Feſta Octobris.

XXVIII. Feſtum S. LEODEGARII, ineunte menſe *Octobri*, quod in miſſali *Gothico* habetur, deſideratur in *Romanis*, recentius eſt omnium, quæ in antiquiſſimo *Rhenaugienſi* ſacramentario habentur, in cuius ac S. MAURICII honorem conſtructum eſt *Lucerienſe* ſeu *Lucernenſe* apud *Helvetos* monaſterium tempore PIPINI regis, atque, ut MABILLONIUS in Annal. ad an. 837. perhibet ex diplomate LOTHARII auguſti (qui paullo poſt obitum donationes a PIPINO & CAROLO M. *Lucernæ* monaſterio factas confir-

firmavit) fuit illud ſubiectum *Morbacenſi* monaſterio longe illuſtriori ſub eiusdem S. Leodegarii patrocinio, cui Adalberti ducis filius Eberhardus originem dedit, illudque in honorem S. Leodegarii conſecrari curavit, quod ex eiusdem Sancti matertera Bereswinda, Sigradæ, Leodegarii matris ſorore, Athici ducis coniuge prognatus eſſet; ut idem Mabillonius ad an. 667. memoriæ prodidit. In antiquiſſimo *Murbacenſi* calendario a Martenio edito ad eundem diem, quo etiamnum apud nos celebratur, ponitur in *Rhenaugienſi* ſacramentario VI. Non. *Oct.* Paſſio S. Leodegarii Pontificis Martyris. Idem vero feſtum notatur eodem die in pervetuſto S. Dionysii ſacramentario, quod tamen in antiquiori *San-Blaſiano* deeſt.

T. III. Theſaur. anecd. pag. 1569.

Nullum vero aliud occurrit in *Rhenaugienſi* menſe *Octobri*, præterquam S. Lucæ evangeliſtæ & SS. Apoſtolorum Simonis & Iudæ cum vigilia. Alia leguntur in *San-Gallenſi* codice; ubi tamen deſideratur feſtum Dionysii & ſociorum eius, quod in *San-Blaſiano* habetur. In appendice demum cod. *San-Gall.* ſæc. X. circ. exarato ponitur miſſa de S. Ursula & ſociabus, quas *Roma* reduces *Baſileam* veniſſe tradunt comite etiam epiſcopo *Baſileenſi*, unde ſecundo *Rheno Moguntiam* primum, deinde *Coloniam* adpulſæ martyrium ſubierint, ut ferunt alii aliter.

XXIX. Prima *Novembris* prius pro more calendarum, ut ſuo loco dicemus, litaniæ, ac ieiunium agebantur, nominatimque ieiunii Kal. *Nov.* Isidorus meminit, atque in vetuſtioribus ſacramentariis collecta miſſæ præmittitur, ut in noſtris, etiam *San-Blaſiano* videre eſt, licet in eo feſtum omnium Sanctorum cum vigilia habeatur, quod tamen in alio coævo *Rhenaugienſi* alias per omnia fere concordante deſideratur: unde colligitur ad prima inſtituti huius apud nos tempora hos codices referendos eſſe, quando non adhuc undique inolevit. In ſacramentario *San-Gallenſi* ſæc. X. circ. ſuo ordine Kal. *Nov.* notatur Nat. S. Cæsarii orat. ad collectam ad ſanctos Cosmam & Damianum: *Adeſto nobis Dne Martyrum deprecatione Sanctorum &c.* Ad miſſam: *Deus qui nos beati Martyris tui Cæſarii &c.* Infra autem inter miſſas varias habetur officium in vigilia & feſto omnium Sanctorum, ubi nec Gregorii, nec Gelasii nec Ambrosii nomen legitur, ut haud raro notatur in hoc ſacramentario, quod eſt triplici illo ritu compoſitum.

Feſtum omnium Sanctorum.

Originem huius feſti primam repetunt ex dedicatione eccleſiæ S. Mariæ ad martyres, converſo *Romano Pantheo* in eccleſiam ad honorem B. V. III. Id. id eſt, duodecima *Maii.* Circa quod tempus *Græci* etiam feſtum aliquod omnium Sanctorum celebrant, ſed mobile in octava Penteceſtes,

Digitized by Google

quæ nobis eſt dominica Trinitatis, unde a Paſchate dependet, ut oſtendit Morinus in append. *de Pœnitent.* Solemnitatem hanc primum in Occidente Bonifacius IV. tempore Phocæ inſtituiſſe traditur in honorem

T. III. Ant. S. Mariæ ac SS. Martyrum, quod Chronicon anonym. apud Canisium
Lect. P. II. ad annum 607. refert his verbis: „Hic petiit Phocam imperatorem, ut in
pag. 243. „veteri fano, quod *Pantheon* vocabatur, quod a Domitiano Cæſare fuerat conſtructum, eccleſiam ſibi liceret conſecrare, ablatis idololatriæ ſordibus, in honorem beatæ ſemper Virginis Mariæ, & omnium Martyrum, ut ubi quondam omnium non deorum, ſed dæmoniorum cultus agebatur, ibi deinceps omnium fieret memoria Sanctorum: quæ ab illo tempore Kalendis *Novembris* in urbe *Roma* celebris & generalis agitur."

Ad hunc diem primum *Novemb.* translatum ac ampliatum in honorem ſcilicet Sanctorum omnium feſtum hoc a Gregorio III. Usuardus perhibet in martyrologio: *Tertius vero Gregorius pontifex poſtmodum decrevit eandem in honore omnium Sanctorum ſolemniter obſervari perpetuo ab omni eccleſia.* Factum hoc intra annum 731 & 741 quo Zacharias Gregorio ſucceſſit. Alii hoc demum ad Gregorium IV. referunt, qui ſæculo poſterior eſt, ſeditque an. 827. Probatque Fronto in notis ad Calendar. *Rom.* in *Gallia* non niſi poſt Carolum M. qui deceſſit an. 813. feſtum hoc celebratum eſſe. Nihil certe de propagato ad nos a tempore Gregorii III. hoc feſto legitur, quandoquidem tamen magna tunc fuit rerum communicatio illum inter Pontificem, ac eius ſucceſſorem Zachariam cum S. Bonifacio, efflореſcente tum maxime eccleſia noſtra. Primum *Romæ* proprium fuit hoc feſtum, ac certæ eccleſiæ adiunctum, uſque ad tempora Gregorii IV. ac Ludovici *Pii*, unde in veteri illo ac parvo martyrologio *Romano*, de quo Sollerius præfat. in martyrologium Usuardi notat: *Feſtivitas Sanctorum, quæ celebris & generalis agitur Romæ.* Rem ediſſerit Ado in martyrologio: „Sed in „*Galliis* monente ſanctæ recordationis Gregorio pontifice piiſſimo Ludovicus imperator, omnibus regni & imperii ſui epiſcopis conſentientibus, ſtatuit, ut ſolemniter feſtivitas omnium Sanctorum in præfata die „annuatim perpetuo ageretur." Quod ad annum 835. refert Sigebertus, „Ut in *Gallia* & *Germania* feſtivitas omnium Sanctorum in Kal. *Novembris* celebraretur, quam *Romani* ex inſtituto Bonifacii Papæ celebrant."

Ab eo certe tempore in omnibus ſacramentariis noſtris deprehendi, paullatim etiam accreſcente octava, quæ in poſterioribus MSſ. ac impreſſis miſſalibus ita diſtributa fuit uſque ad ſæculum XVI. ut poſt commemora-

ra-

Digitized by Google

ſationem omnium fidelium defunctorum, quæ etiam apud nos, ut paſſim de eccleſiis *Gallicanis* notat MARTENIUS, plenum habuit officium per horas canonicas nocturnas & diurnas, deinceps prima die de Angelis, ſecunda de Patriarchis, tertia de Apoſtolis, quarta de Martyribus, quinta de Confeſſoribus, demum de Virginibus ageretur cum aliquo nonnunquam diſcrimine. De quibus videre licet directorium *Conſtantienſe* ſæc. XV. impreſſum.

XXX. In antiquioribus ſacramentariis, ut diximus, in quibus feſtum omnium Sanctorum deeſt, primo *Nov.* feſtum S. CÆSARII ponitur. Atque deinceps etiam diu poſtquam feſtum omnium Sanctorum undique concelebratum eſt, ſtatio ac miſſa de S. CÆSARIO manſit. In noſtro *San-Blaſiano* habetur quidem ante miſſam de vigilia cum oratione etiam ad collectam ad S. COSMAM & DAMIANUM, prout in *San-Gallenſi* inſcribitur, unde nimirum indicta ſtatio procedebat ad eccleſiam S. CÆSARII, quæ etiamnum *Romæ* ſubſiſtit, ſimiliterque notatur in *Gregoriano* ſacramentario a MURATORIO edito, ubi necdum habetur feſtum omnium Sanctorum, omittitur autem in *S. Eligiano* ceſſante ratione mox indicata, cum ibi extet feſtum omnium Sanctorum. Alia feſta Novembris.

Habetur in eodem *San-Gallenſi* codice VI. Idus *Nov.* natal. SS. quatuor Coronatorum, in oratione autem, uti etiam in *San-Blaſiano* & aliis Mſſ. editisque a PAMELIO, MENARDO, & MURATORIO quinque alia nomina ſubſtituuntur, donec, ut in vulgari ordine *Romano* notatur, quatuor illa nomina iterum eſſent revelata. Qua de re USUARDUS „Horum nomina (inquit) cum minime potuiſſent reperiri (quæ poſtmodum „interiectis annis poſtea oſtenſa ſunt) ſtatutum eſt, ut anniverſaria dies „ipſorum ſub nominibus ſupradictorum quinque Martyrum recoleretur.“ Nota autem in martyrologio *Murbacenſi* a MARTENIO edito, omiſſo quinto S. SIMPLICIO alios pro quatuor Coronatis poni: *Natale IV. Coronatorum* CLAUDII, NICOSTRATI, SIMPHORIANI, CASTORIS. In hodiernis miſſalibus retenta oratione omittuntur nomina.

Primum, quod in menſe *Nov.* antiquiſſimo *Rhenaugienſi* ſacramentario occurrit, feſtum S. MARTINI eſt, quod non multo poſt obitum celebratum fuiſſe colligitur ex miſſa *Gothico-Hiſpana* apud PINIUM in tr. de liturgia antiqua *Hiſpanica*, ex qua hæc profert orat. poſt nomina: *Hunc virum, quem ætatis noſtræ tempora protulerunt, iubeasque auxilium ferre noſtris temporibus.* Unde Card. BONA ineunte iam ſæc. V. feſtum hoc fuiſſe celebratum, arguerat, quem defendit PINIUS contra BRUNUM, qui verba illa lato nimis ſumſerat ſignificatu. Vergente certe ſæc. V. quanta eius feſti fuerit celebritas in *Gallia* hæc concilii *Turonenſis* I. an. 461. verba pro- *T VI. Int. pag. 23.* *pag 29.*

Digitized by Google

produnt: *Cum ad ſacratiſſimam feſtivitatem, qua domini Martini receptio celebratur &c.* Eiusdem feſti meminit conc. *Aurelianenſe* I. an. 511. *Turonenſe* II. an. 567. *Altiſiodorenſe* an. 578. (quod ob ſuperſtitioſas *pervigilias, quas in honore domini Martini obſervant, omnimodis* prohibet) *Matiſconenſe* I. an. 581. unde colligitur non in ſola *Turonenſi* eccleſia ſolemne fuiſſe, de quo GREGORIUS *Turonenſis*, ac etiam *Venantius* FORTUNATUS carmen habet, in quo ita canit:

Lib. X. Carm. 10. de natal. S. Martini.

Ecce ſupervenit venerandi in ſæcula civis
Martini meritis luce perenne dies,
Qui modo de Gallis totum mire occupat orbem.

Eidem S. BENEDICTUS prope monaſterii *Caſinenſis* portam oratorium conſtruxit teſte PETRO diacono. Et S. BONIFACIUS ad STEPHANUM P. ſcribit de reſtauratione deſtructæ a paganis eccleſiolæ: Quam S. WILIBRORDUS dirutam uſque ad ſolum in Caſtello *Traiecto* reperit, & eam proprio labore a fundamento conſtruxit, & in honore S. MARTINI conſecravit. Frequens cum aliis celebrioribus in Capitularibus regum *Francorum* mentio miſſæ fit ſeu feſti S. MARTINI, ~~quod ſemper celebre apud nos manſit~~, atque etiamnum habentur veſtigia quædam quorundam Hilariorum, de quo vulgaris eſt verſus:

Lib. IV. Chr. Caſin. c. 8.
Epiſt. 97.

Gaudia Martini facit anſer & amphora vini.

Nonnunquam etiam in noſtris monumentis liturgicis feſtum Tranſlationis eiusdem reperi, quod in fragmento vetuſtiſſimi Calendarii *Corbeienſis* a MARTENIO editi notatur *IV. Nonas Iulii. Tranſlatio corporis ſancti Martini epiſcopi.* Quod etiam teſte MENARDO in codice RATOLDI occurrit, & in affixo Calendario *Translatio S. Martini, & ordinatio & dedicatio baſilicæ ipſius:* idem ex martyrologio RHABANI, & ADONIS notavit, atque iam ex GREGORIO *Turonenſi* lib. II. hiſt. c. 14. & lib. IV. de miraculis S. MARTINI c. 6. Quæ miracula extolluntur in laudato officio *Gothico-Hiſpano.*

T. III. Theſ. anecd. p. 1593.
Not. 431.

Deeſt hoc feſtum in lectionario *Gallicano* initio manco: *Quod forſan,* inquit MABILLONIUS, *in lectionario primum locum habebat feſtum S. Martini, quod per univerſam Galliam celebre tunc fuiſſe diximus.* In ſacramentario *Gallicano* loco motum recurrit poſt communem miſſam unius Martyris, Confeſſoris, ante miſſam unius Virginis, uti in miſſali *Gothico* poſt commune Sanctorum*, cum longe ante feſta præceſſiſſent, quæ menſe hoc *Novembri* aguntur SS. CÆCILIÆ V. CLEMENTIS epiſcopi, SATURNINI epiſc. & martyris, ANDREÆ apoſtoli: ipſa tantum (excepto etiam S. SATURNINI &c. quod habetur in antiquiori *San-Gallenſi, San-Blaſiano* & aliis) in antiquiſſimo noſtro *Rhenaugienſi* occurrunt: ubi etiam

Lit. Gall. p. 161.
Miſ. Ital. T. I. P. II. pag. 343.

nota

nota vigilias S. CÆCILIÆ, & S. ANDREÆ. Vigiliam S. CÆCILIÆ in antiquiſſimo *Theodoric.* notant editores S. GREGORII ad ſacramentarium S. ELIGII, in quo, ut alibi etiam, vigilia S. ANDREÆ habetur, paſſimque in noſtris monumentis Octavam reperi, quæ in ipſo *Gelaſiano* extat, & in vetuſtiori noſtro *San-Gallenſi.* T. III. Opp. pag. 142.

In ſtatutis S. BONIFACII inter celebriora feſta, quibus *per annum ſabbatizandum,* recenſetur: *In paſſione S. Andreæ apoſtoli pridie Kal. Decembr. diem unum.* De religione huius feſti, etiam ſi concurreret cum dominica Adventus, celebrati, eſt cap. 62. GEZONIS de Corpore & Sanguine Chriſti a MURATORIO editi: „Cum ante hos annos ſancti ANDREÆ ſolennitas in prima dominica dominici Adventus concurriſſet, quidam ſacerdos Pagenſibus ſuis utraſque miſſas audire præcepit. Inter quos erat medicus, qui audita prima miſſa diſceſſit. Quem cum ſacerdos increpaſſet, dure ei reſpondit. At ille excommunicavit eum. At vero iratus medicus ad ſuam domum diſceſſit, & in contemptum excommunicationis mox potum accepit, atque protinus vexari cœpit, quouſque animam exhalaret.“ Quod ideo retuli, ut conſtet in ipſa dominica prima Adventus celebratum fuiſſe, ſi concurreret, ut paullo ante obſervavi de feſto Translationis S. BENEDICTI in *Decembri.* Tom. III. Anecd. pag. 298.

XXXI. In antiquiſſimo *Rhenaugienſi* ſacramentario nullum menſe *Decembri* ante Natale Domini eſt feſtum, uti in *Gelaſiano*, excepto S. THOMÆ apoſtoli: quod ipſum antiquiſſimum quidem feſtum ubique terrarum celebratum ex ſermone inter opera S. CHRYSOSTOMI an. 402. habito colligit MARTENIUS; in *San-Blaſiano* tamen ac ſimilibus *Rhenaugienſi* ac *Petershuſano* deſidero, idemque iam editores S. GREGORII notarunt in cod. Reg. *Suec. Calenſi* & Calend. *Rom.* atque apud PAMELIUM uncinis incluſum prodit, in vetuſtiori etiam defuiſſe. Feſta Decembris. T. III. pag. 143.

In quibus tamen ac noſtris occurrit feſtum S. LUCIÆ, ut in omnibus *Gregorianis.* De S. BENEDICTI Translatione Pridie nonas *Decembris* etiam apud nos celebrari ſolita diximus ſupra. Alias vero in Adventu etiam alicubi, ut olim in Quadrageſima feſta celebrari haud conſueviſſe notabimus ſuo loco. Nihil in noſtris antiquioribus monumentis reperi de S. NICOLAI celebri apud nos feſto, id quod de *Gallicanis* notavit MARTENIUS poſt eiusdem Sancti *Barium* translatione. Id feſtum in *San-Gallenſi* antiphon. iam notavit THOMASIUS unacum octava S. ANDREÆ, Nat. S. DAMASI & vigilia S. THOMÆ Apoſtoli, quæ etiam ex eiusdem monaſterii ſacramentario ſuppleta dabimus, habenturque cum aliis in miſſali *Lateranenſi* ab AZEVEDO edito. De ant. eccl. diſcipl. cap. 10. Antiphon. p. 222.

Digitized by Google

Feſtum Conceptionis B. M. V.

XXXII. Demum aliquid dicendum eſt de feſto Conceptionis B. M. V. In antiquiſſimo breviario Ord. eccleſ. quod inter monumenta liturgica edimus, ſic legitur: *Deinde una hebdomada ante Natalem Domini de Conceptione ſanctæ MARIÆ incipiunt canere.* Quod iterum poſtea repetitur: ac quidem feſtum peculiare non videtur denotare, niſi forte quale ſupra notavimus in concilio *Toletano* X. an. 656. inſtitutum hoc menſe, ſeu huc translatum ex *Martio* Annuntiationis feſtum ob vetita olim Quadrageſimæ tempore feſta; unde alicubi antea alibi poſt Quadrageſimam in noſtris etiam ſacramentariis notatum reperi. Id quod forte Patres prædicti Concilii volunt, dum ita loquuntur: „Cur non feſtivitas glorioſæ matris eius eadem obſervantia uno ſimul ubique die, ſimilique habeatur honore? Invenitur enim in multis *Hiſpaniæ* partibus huius ſanctæ Virginis feſtum „non uno die per omnes annorum circulos agi." Ex ſequentibus, quæ ſupra retulimus, patet, agi de feſto, quod in tempus quadrageſimale incidit, quod eſt Annuntiationis feſtum, quodque in Calend. *San-Gallenſi* perantiquo notatur *VIII. Kal Aprilis Conceptio Sanctæ MARIÆ.* Eoque Baluzius interpretatur decretum Ervigii regis adverſus *Iudæos*, in quo enumerantur dies feſti, qui ab iisdem *Iudæis* ſollicita devotione obſervandi ſunt, & in his primo loco ponitur *feſtum ſanctæ MARIÆ, quo glorioſa Conceptio eiusdem genitricis Domini celebratur.*

T. II. Capitul. p. 1172.

Lib. XII. legis Viſigoth. tit. 6.

Ponitur vero ad diem IX. *Decemb. Conceptio B. Annæ & Domini aviæ*, quo in impreſſis etiam miſſalibus, veluti *Baſileenſi* an. 1490. feſtum S. Annæ ac Ioachim ponitur; alicubi vero hodieque, ubi feſta in Quadrageſima non celebrantur, hoc menſe S. Ioſephi feſtum agitur, in menologio autem *Græcorum* a Genebrardo edito ad IX. *Decembr.* notatur. Gretſerus obſervavit tum ex menologio, tum ex novella *Emanuelis* Comneni *de feriis* relata in Nomo-canone Photii tit. 7. c. 1. inter ferias recenſeri *nonam Decembris, utpote quod in eo peragatur Conceptio caſtiſſimæ matris Dei noſtri.* Hinc autem colligitur apud *Græcos* ipſius beatæ Virginis Conceptionem celebrari, quæ in menologio S. Annæ dicitur. Atque hoc ſenſu aperte a S. Hildephonso inſtitutum feſtum iſtud in *Hiſpania* in eius vita narratur: *Feſtum Conceptionis S. MARIÆ, quo ſcilicet ipſa concepta eſt, celebrari conſtituit, & eius conſtitutione per totam Hiſpaniam ſolemniter colitur VI. Idus Decembris.* Feſtum illud poſtea in *Anglia* S. Anſelmus propagavit, ad quem provocat Concilium *Cantuarienſe* an. 1328. ubi idem feſtive ac ſolemniter celebrandum præcipitur. Illud S. Bernardus in eccleſia *Lugdunenſi* celebratum improbavit, præſertim quod inconſulta *Romana* ſede ſit inſtitutum, ubi ſane tardius inolevit. Occurrit tamen in Ca-

Lib. II. de Feſtis. c. 3.

Sæc. II. O. S. Bened.

Epiſt. 174.

Digitized by Google

Calendario, quod Azevedo præmiſit veteri Miſſali *Lateranenſi* ex codice ad finem ſæc. XII. vel XIII. ſcripto, ut in eius fronte adnotavit. *p. XLIX.*

Exorta poſtea *Dominicanos* inter ac *Franciſcanos* de immaculata Conceptione controverſia, *Dominicani* eidem ſunt adverſati feſto, licet Martenius in *Itinere literario* ex ore ipſius *Dominicani* cuiusdem Prioris in *Divionenſi* monaſterio referat, naſcente eo ordine feſtum iſtud etiam a ſuis celebratum eſſe iuxta communem tunc eccleſiæ ſenſum, poſtea autem, cum ſeſe S. Thomas opinioni de immaculata Conceptione a Scoto defenſæ, oppoſuerit, feſtum hoc a *Dominicanis* omiſſum eſſe. Conſecravit feſtum iſtud Conc. *Baſileenſe*. De eoque inſertum eſt Extravag. Commun. Sixti IV. decretum an. 1477. Aliudque eiusdem anni 1483. habetur in *ed. Conc.* Multa etiam Launoius agitavit, ut legere eſt T. I. P. I. Operum, quod immaculatam attinet Conceptionem, quam in ſuſpenſo reliquit Concilium *Tridentinum*, ac ſummi Pontifices Theologorum etiam moderati ſunt æſtus ac diſputationes ſalvo tamen feſto, ac etiam ſententiæ libertate, quam quidem non pauci voto etiam ſanguinario in dogma recipiunt. Qua de re Muratorius egit, ſuos etiam paſſus adverſarios. De hoc feſto diſſertiſſime agit ſæpe laudatus Trombellius diſſertatione XIII. mox ſectione prima inſtituta primum quæſtione: *Quid hic Conceptionis MARIÆ vocabulo intelligatur?* Deinde, *Quonam tempore inſtituta ſit ea feſtivitas?* qua occaſione de conſuetudine eam celebrandi agitur, poſtea de ſolemnitate, ac demum quæſtio ventilatur: *An inſtituta ad celebrandam B. MARIÆ Conceptionem feſtivitas eiusdem Conceptionis ſanctitatem comprobet?* quæ omnia nunc nos nihil attinent, cum in antiquis monumentis feſtum hoc deſideretur perinde ac celebre in *Hiſpania* menſe *Decembri* celebrari ſolitum, ut ſupra notavimus, *Exſpectationis partus*, de quo Trombellius pag. 447. ſeq.

P. I. p. 147.

Lib. III. tit. 12. c. 1.

T. XIX. p. 374.

Vita, geſta & cultus SS. Mariæ T. V. P. II.

DISQUISITIO X.

DE CERTIS AD DIVINUM CULTUM DIEBUS, ET TEMPORIBUS, EORUMQUE OBSERVANTIA.

CAPUT I.

De ſtatis per ſeptimanam ſacris Conventibus.

I.

Sacri Conventus, ac Miſſæ quotidianis diebus.

Dum quidem ab ineunte eccleſia pia paſſim in Oriente & Occidente fuit fidelium contentio quotidie etiam ad ſacram accedendi communionem, de ſtatis quotidianis ſacris conventibus dubium non relinquitur, quamvis, ut mox patebit, non omnium ea in re eadem fuerit diſciplina eccleſiarum. *Gabr.* ALBASPINÆUS tum in libris obſervationum, cum etiam de Euchariſtia lib. II. c. 1. & 2. vocem *Synaxin* apud *Græcos*, & apud *Latinos Collectam* ſynonyma facit pro ſacrificio Miſſæ, atque adeo ſacra communione Euchariſtiæ, quam in conventibus chriſtianis celebrare ſolemne ſemper erat. Paſſim ſic interpretatum fuit illud *Act.* II. 42. *Erant autem perſeverantes in doctrina apoſtolorum , & communicatione fractionis panis & orationibus*; ubi *Syrus* vertit: *In fractione Euchariſtiæ.* Alii tamen etiam promiſcuum hic intelligunt cibum ſeu epulas illas, quas *Agapes* dicebant, quam Euchariſtia ſequebatur. Fuiſſe vero ab ineunte eccleſia frequentes

Digitized by Google

quentes fidelium conventus ad orationem exemplo apoſtolorum, iidem produnt *Actus*, quibus perhibentur apoſtoli *quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo.* S. Clemens *Roman.* epiſt. I. ad *Corinth.* ad divinam revocat auctoritatem, ſtatutis temporibus oblationes & officia perfici. „Cum ergo hæc nobis (inquit) manifeſta ſint, etiam in divinæ cognitio-„nis profunda introſpicientes cuncta ordine debemus facere, quæ nos Do-„minus iuſſit peragere. Statutis temporibus oblationes & officia perfici, „ſed præfinitis temporibus & horis &c.“ S. Ignatius in epiſtola ad S. Polycarpum „Nihil (ſcribit) ſine tua voluntate fiat: neque tu quidquam „ſine Dei voluntate agas; quod nec facis, cum ſis conſtans. Crebrius „conventus fiant.“ A S. Silvestro ineunte ſæculo IV. ſtatutum traditur in libro pontificali, ut hebdomadæ dies feriarum nomine diſtinguerentur, qua ratione tamen iam antea in eccleſia vocari cœperint: quo ſingnificaretur, quotidie Clericos potiſſimum abiecta cæterarum rerum cura, uni Deo prorſus vacare debere. „Silvester papa primus (inquit *Rhabanus* Mau-„rus) apud *Romanos* conſtituit, ut dierum nomina, quæ antea ſecundum „nomina deorum ſuorum vocabant, id eſt. *Solis*, *Lunæ*, *Martis*, *Mer-„curii*, *Veneris*, *Saturni*, ferias deinceps vocarent, id eſt, prima feria, „ſecunda feria, 3. feria, 4. feria, 5. feria, 6. feria: quia in principio *Ge-„neſis* ſcriptum eſt, quod Deus per ſingulos dies dixerit, id eſt, prima „*Fiat lux*: Secunda, *Fiat firmamentum*: Tertia, *Producat terra her-„bam virentem*, ſimiliter & cætera. Sabbatum autem antiquo legis voca-„bulo vocari præcepit, & primam feriam diem dominicam, eoquod Do-„minus in illa reſurrexit.“ Silvestro longe vetuſtior eſt diei dominicæ appellatio; diu vero poſtea obtinuit feriæ VII. pro Sabbato appellatio, ut ex *Gelaſiano* ac noſtro antiquiſſimo patet ſacramentario, & aliunde.

Act. II. 46. *N. 40.* *N. 4.* *De inſtitut. Cler. lib. II. c. 46.*

Habentur in illo ſacramentario eædem, ac in *San-Blaſiano*, & aliis ſimilibus etiam apud Pamelium in ſacrament. Grimoldi ſex miſſæ, quæ in codice *Petersbuſano* & *San-Gall.* ſæpe iam citato ſæc. circ. X. expreſſe deſtinantur pro feria II, III. & cæteris per hebdomadam cum titulo, in *Petersbuſano*, *Miſſæ quotidianis diebus*, in *Rhenaugienſi* vero citato, *Orationes cottidianis diebus ad miſſam cum canone* inſcriptio eſt. In ſacramentario *Gallicano* mox initio occurrit *Lectio in cottidiana legenda. Miſſa Romenſis cottidiana*, ſimiliter cum canone *Romano.* Secunda oratio, *Deus qui culpa offenderis*, eadem eſt ad finem miſſalis *Gothici* eo loco manci cum fragmento miſſæ cottidianæ *Romenſis*, ubi forte etiam canon *Romanus* ſubſequebatur. In ſacramentario *Gallicano* novus titulus poſt præcipua Domini feſta eſt: *Incipiunt in nomine Dei lectiones cottidianos*, & circa finem iterum:

Muſ. Ital. T. I. P. II. 338. pag. 382.

 Item

Digitized by Google

Item lectiones cottidianæ. Miſſa cottidiana. Miſſarum quotidianarum olim uſum hinc collegit in nota marginali MABILLONIUS, quodque paſſim SS. Patres in oratione dominica panem quotidianum Euchariſtiam interpretantur, id expreſſius habet S. AUGUSTINUS ſerm. 58. de ſacrificio miſſæ: „In „ eccleſia ad altare Dei quotidie dicitur iſta dominica oratio, & audiunt „ illam fideles. Non ergo timemus, ne minus diligenter eam teneatis: quia „ etſi quis veſtrum non poterit tenere perfecte, audiendo quotidie tenebit.“ Quæ modo in ſacramentariis *Alemannicis Gregorianis* a nobis ſunt notatæ miſſæ, apud PAMELIUM tribuuntur ALCUINO, diſtributæ per ſingulas hebdomadæ ferias. De quibus *Micrologus* „Sciendum autem (inquit) „ quendam ALBINUM magiſtrum CAROLI imperatoris, rogatu S. BONIFA- „ CII archiepiſcopi, ut aiunt, miſſales orationes de S. Trinitate compo- „ ſuiſſe, & in ſecunda feria de Sapientia, in tertia de Spiritu ſancto, in „ quarta de Charitate, in quinta de Angelis, in ſexta de Cruce, in ſabba- „ to de S. MARIA. Et hoc ideo, ut presbyteri illius temporis nuper ad „ fidem converſi, nondum eccleſiaſticis officiis inſtructi, nondum etiam li- „ brorum copia præditi, vel aliquid haberent, cum quo officium ſuum „ qualibet die poſſent explere, unde & adhuc quidam easdem orationes „ quotidie, etiam cum proprio abundent officio, nolunt intermittere. In „ ſingulis quoque hebdomadibus feria ſexta de Cruce, & ſabbato de S. MA- „ RIA pene uſquequaque ſervatur, non tam ex auctoritate, quam ex de- „ votione.

N. 12. T. II. pag. 533. C. 60.

Ed. MARTENIUS de ant. monachorum ritibus *Benedictinis* in acceptis refert, qui quotidianum officium parvum de B. M. V. frequentarint, atque integrum in hebdomada diem ſabbati eius cultui conſecrarint. Cuius rei rationem myſticam DURANDUS in *Ration. div. off.* explicat. Sic etiam concilia *Vaurenſe* & *Avenionenſe* apud BALUZIUM in conc. *Gall. Narbon.* ieiunium die ſabbati ob reverentiam B. MARIÆ Virginis glorioſæ ſtatuunt, quod ubique religioſe obſervatur, ſtatutis ſynodalibus alibi gentium etiam, atque adeo in noſtra *Alemannia* firmatum.

T. I. lib. II. c. 12. L. IV. c. 1. n. 32. p. 230. ſeq. & 350.

Ioſ. CARI ſeu THOMASIUS in nota ad Capitulare evangeliorum, ubi eædem miſſæ per ferias diſtributæ habentur, obſervat in antiquiſſimo ſacrament. *Gregoriano*, in quo eadem extat appendix, legi: *Feria III. miſſa in veneratione S. MARIÆ.* Ac ſubdit: *Id certe antiquiori diſciplinæ conformius erat; qua olim quartas ſextasque ferias & ſabbata proditioni, paſſioni, ac ſepulturæ dominicæ unacum publicis ſynaxibus ac ieiuniis priſca chriſtiana pietas per annum totum dicare ſolebat.* In concilio *Salegunſtad.* an. 1022. tit. eſt contra laicos, qui quotidie audiunt evangelium „ *In principio*, & miſſas peculiares, hoc eſt, de ſancta Trinitate, aut de

Antiph. P. II. p. 225. T. III. Conc. Germ. pag. 56.

„ ſancto

„ ſancto Michaele. Et ideo ſancitum eſt in eodem concilio, ut hoc „ ulterius non fiat, niſi ſuo tempore, & niſi aliquis fidelium audire pro „ reverentia ſanctæ Trinitatis voluerit, ut ſibi miſſæ cantentur de eodem „ die audiat miſſas vel pro ſalute vivorum, vel pro defunctis.“

II. A primis eccleſiæ temporibus ſtati pro ſacris conventibus dies *De Stationibus, ac feſtis diebus.*
ſtationes vocari ſolent, ac *Romano* uſu fiebat concurſus etiam populi ad
locum indictum, id eſt, eccleſiam, in qua proceſſio Clericorum conſiſtit,
ſtatis diebus ad ſtatas preces faciendas. Antiquus quippe in urbe ritus
eſt, ut certis diebus Clerus conveniat *Romanus* in unam aliquam eccle-
ſiam ſupplicationis cauſa, ubi Sacra fiunt, aliaque divina officia, ut in
ordinem *Romanum* obſervavit Mabillonius, in quo deſcribitur eiusmodi
ſtationum proceſſio, prout iuxta quatuordecim regiones urbis *Romæ* per
certos diſtribuebantur dies, atque uſque hodie in noſtris etiam miſſalibus,
paſſimque in antiquiſſimis liturgicis libris annotantur ſtationes eiusmodi
ſecundum diverſos urbis titulos. Stationis nomen Tertullianus a mili-
tia ſumtum innuit, quatenus nimirum conventum Chriſtianorum deſignat,
qui certis diebus orandi cauſa fiebat: „Si (inquit) ſtatio de militari ex- *De Orat. c. 19.*
„ emplo nomen accipit (nam & militia Dei ſumus) utique nulla lætitia *2 Cor. 10,4.*
„ ſive triſtitia obveniens caſtris, ſtationes militum reſcindit.“ Quæ verba *1 Tim. 1,18.*
etiam *Rhabanus* Maurus ſua fecit lib. II. *De inſtitut. Cler.* c. 18. *Quid
ſit inter ieiunium & ſtationem*, ac dudum antea Lactantius in fine libri
ultimi Inſtitut. & Ambros. ſerm. 36. eandem exprimunt phraſin. No-
minatim autem Lactantius ſtationes a vigiliis diſcernit: *Infatigabilem*, *Lib. VII.*
inquit, *militiam Deo militemus ſtationes vigiliasque celebremus.* De ſta-
tionibus *Ioannes* Belethus plures non inſcite verſat quæſtiones. Earum *Div. Offic.*
frequens apud Tertullianum imprimis eſt mentio, veluti in lib. de ie- *Explic. c. 6.*
iuniis: *Arguunt nos, quod ieiunia propria cuſtodiamus, & quod ſtationes* *Cap. 1.*
plerumque: in veſperam producamus. Et poſtea: *Propterea per ſingulas* *Cap. 7.*
direximus ſpecies ieiunationum, xerophagiarum, ſtationum. Et lib. II. ad *Cap. 4.*
Uxor. *Ut ſi ſtatio facienda ſit, maritus de die condicat ad balneas, ſi ie-
iunia obſervanda ſint, maritus eadem die convivium exerceat.* De fug. *Cap. 1.*
in perſecut. *Tunc fides in expeditione ſollicitior, & diſciplinatior in ieiu-
niis & ſtationibus, & orationibus & humilitate.* De Coron. *Iam ſtatio-* *Cap. 11.*
*nes aut aliis magis faciet, quam Chriſto? aut & dominico die, quando nec
Chriſto.* Quæ noto ob diſcrimen paullo poſt indicandum de ieiunio cer-
tis ſtationum diebus.

Generalius στάσις, ſeu ſtatio paſſim etiam apud *Græcos* Gregorium *Hom. I. or.*
Nazianzenum, Chrysostomum ac alios ſumitur. Apud *Latinos* ea vo- *4. in Vidi Dominum.*
ce *Epiſt. 41.*

ce etiam S. CYPRIANUS utitur: *Qui a Novatiano venerant miſſi, cum in ſtatione inſidioſis quoque convitiis, & clamoribus turbulentis proruerent &c.* In præfat. Libelli precum MARCELLINI & FAUSTINI ad imperatores: *Irrumpit in urbem & ſtationem in Iulii baſilica trans-Tiberim dare præſumit.* Et infra: *Populus per cœmeteria martyrum ſtationes ſine clericis celebrabat.* Quibus in locis proprie ſtatio ſumitur pro religioſo conventu fidelium ad divinum peragendum officium certis ſtatisque diebus ac feſtis, quibus convenire Chriſtianos ad ſacram ſynaxin ſolemne erat, paſſimque deſignantur in Conciliis & Capitularibus, præcipue autem libris liturgicis dies tum pro Clericis, tum pro fidelibus tantum feſti: quo referri poteſt, quod articulatim refertur in vita S. OTTONIS *Sueviæ* comitis, ac *Pomeraniæ* apoſtoli, quomodo neophyti inſtruerentur „de feſtivitatibus „ & obſervationibus chriſtianæ religionis, de ieiuniis Quatuor temporum, „ de quadrageſimali ieiunio, de Incarnatione, de Nativitate, Circumciſio„ ne, Apparitione, Præſentatione, Baptiſmate, Transfiguratione, Paſſione, „ Reſurrectione, atque Aſcenſione Domini noſtri IESU Chriſti, de Adven„ tu Spiritus ſancti, de vigiliis & natalitiis apoſtolorum & aliorum Mar„ tyrum & Sanctorum, de die dominica, de ſexta feria, de diſtributio„ ne menſium & inſtitutione totius anni.“ In regula CHRODEGANGI c. 18. notari hic meretur, quod habetur de diebus a capitulo poſt primam exemtis: „In unoquoque die aliquod capitulum præter diem dominicam, „ quartam & ſextam feriam & ſolemnitates Sanctorum, in quibus tracta„ tus & alias homilias, vel quod ædificet audientes, relegant.“

Lib. II. c. 8.

T. I. Conc. Germ. pag. 103.

De certis Stationum ac Synaxium per Septimanam diebus.

III. Sed nunc nobis eo progrediendum eſt, quo maxime ſpectant dicenda de ſtationibus per hebdomadam in monumentis noſtris liturgicis uſque ad proxima nobis tempora deſignatis, ut mox videbimus feria IV. ſcilicet & VI. quarum obſervationem videtur TERTULLIANUS ex ſententia *Pſychicorum* ſeu Catholicorum ad apoſtolos referre in libro *de Ieiun.* „ Sic (inquit ex eorum ſententia) & apoſtolos obſervaſſe nullum aliud „ imponentes iugum certorum & in commune omnibus obeundorum ie„ iuniorum, proinde nec ſtationum: quæ & ipſæ ſuos quidem dies ha„ beant, quartæ feriæ & ſextæ: paſſive tamen currant, neque ſub lege „ præcepti, neque ultra ſupremam diei, quando & orationes fere hora nona „ concludat de PETRI exemplo, quod *Actis* refertur.“ Et infra: „Hæc „ autem propter illos, qui ſe putant ex forma PETRI agere, quam igno„ rant, non quaſi reſpuamus nonam, cui & quarta ſabbati & ſexta plu„ rimum fungimur.“ Itemque in eodem libro: „Cur ſtationibus quar„ tam & ſextam feriam dicamus & ieiuniis Paraſceven?“

Ubi

Digitized by Google

Ubi palam eſt diſcrimen ſtationis ac ieiunii pleni ſcilicet: unde ſtationum *ſemiieiunia* ibidem vocat c. 13. quod nimirum producta tantum ad nonam eſſent apud Orthodoxos, cum *Montaniſtæ*, quorum cauſam agit, ad veſperam producerent ieiunium; etſi aliud innuere videantur verba illa c. 10. „Non quaſi reſpuamus nonam, qui & quarta ſabbati & ſexta pluri„mum fungimur.“ Qui probe notandus eſt indicans ſtationem vocari non promiſcue ſynaxin, ſed cum ieiunio coniunctam, quod die dominico haud fit. „Die dominico (idem ait c. 3.) ieiunium nefas ducimus.“ Idem etiam de alio ſtationis genere meminit cap. ult. de Orat. „Die ſta„tionis nocte vigiliæ meminerimus. Sub armis orationis ſignum noſtri im„peratoris cuſtodiamus.“ *Græcis ςάσις πάννυχος* appellatur *ſtatio pernox.* Ita accipitur a S. Greg. *Naz.* orat. IV. a S. Chrysostomo hom. I. in *Vidi Dominum.* Tertii generis ſtationis cum ieiunio ad veſperam Tertullianus c. 10. de ieiuniis meminit. „Hæc erit ſtatio ſera, quæ ad veſpe„ram ieiunans pinquiorem orationem Deo immolat.“ Atque hinc plana eſt ratio eius, quod in Hermæ paſtore legitur lib. III. ſimil. 6. „Cum „ieiunarem & ſederem in monte quodam, & gratias agerem Deo pro om„nibus, video paſtorem illum ſedentem iuxta me, ac dicentem mihi, „*quid tam mane huc veniſti?* Reſpondi, *quoniam Domine ſtationem* „*habeo. Quid eſt*, inquit, *ſtatio?* Et dixi, *ieiunium.*“ Atque ita ſimpliciter can. apoſtol. 69. „Si quis epiſcopus vel presbyter vel diaconus, „vel lector vel cantor ſanctam Paſchæ Quadrageſimam non ieiunat, vel „quartam vel Paraſceven, deponatur.“ Et lib. VII. Conſtitut. Apoſt. c. 23. „In quarta vero feria & Paraſceve iuſſit Dominus nos ieiu„nare. In illa quidem propter proditionem, in hac vero propter paſ„ſionem.“ Origenes hom. 10. in *Levit.* „Habemus quartam & ſextam „ſeptimanæ dies, quibus ſolemniter ieiunamus.“ Ita quartæ feriæ & Paraſceves meminit Clemens *Alexandrinus* lib. 7. *Stromat.* quæ vocantur *Mercurii & Veneris* dies. Et in actis S. Fructuosi apud Ruinart. *pag.* 220. „Cumque multi ex fraterna caritate eis offerrent, ut conditi permixti „poculum ſumerent, ait: Nondum eſt hora ſolvendi ieiunii. Agebatur „enim hora diei quarta. Siquidem in carcere quarta feria ſtationem ſo„lemniter celebraverant. Igitur ſexta feria lætus atque ſecurus feſtina„bat, ut cum martyribus & prophetis in paradiſo, quem Dominus præ„paravit amantibus ſe, ſolveret ſtationem.“

Quamvis igitur dies hic cum ſemiieiunio, iuxta Tertulliani phraſin agerentur, aliquid tamen ſingulare habebant, ut mox dicemus, quoad conventum publicum, ac communionem fidelium his potiſſimum, ſicut aliis diebus, quos quatuor enumerat S. Basilius. „Nos igitur quater ſin- *Epiſt.* 289. *ad Cæſar.*

„ gulis ſeptimanis communicamus dominica, feria quarta, in Paraſceve & „ ſabbato.“ Sabbatum in Oriente, ac *Mediolanenſi* eccleſia diutius etiam in Quadrageſima feſtum cum dominica habebatur, ſolutum a ieiunio contra eccleſiæ *Romanæ* morem. „Conſidera (inquit S. Ambrosius) quadrageſima totis præter ſabbatum & dominicam ieiunatur diebus.“ Excipiebatur ſabbatum S. Paſchæ. „Quo quidem uno (inquit S. Augustinus) ſic ab omnibus ieiunatur, ut etiam illi ſabbati ieiunium devotiſſime celebrent, qui cæteris per totum annum ſabbatis prandent.“ More nimirum a *Romano* diverſo, de quo ibi tractat S. Doctor. Et in epiſt. ad Ianuarium: „Alibi nullus dies prætermittitur, quo non offeratur; „ alibi ſabbato tantum, & dominico; alibi tantum dominico.“ Meminit idem in laudata ad Casulanum epiſt. obſervationis fer. IV. & VI. cum ea ratione, quam mox ex Epiphanio afferemus. Notabilis idcirco eſt ad rem præſentem S. Basilii locus, qui promiſcue ponit cum ſabbato & dominico feriæ quartæ & ſextæ ſtationem ſeu ſynaxin, de qua diſcrimen S. Epiphanius faciens, eiusdem tamen rei teſtis eſt iuxta morem *Romanum* veluti ab apoſtolis inſtitutæ. „Synaxes porro celebratæ (inquit) ab „ apoſtolis inſtitutæ ſunt his potiſſimum diebus, quarta ſextaque feria, & „ dominica. Item quarta ſextaque feria ieiunium ad horam uſque nonam indictum propterea, quod quarta feria comprehenſus ſit Dominus „ & ſexta crucifixus.“ Et paullo infra: „Cæterum per totum quidem „ annum hoc ieiunium in eadem obſervatur ſancta catholica eccleſia, quarta, inquam & Sexta feria uſque ad horam nonam; præterquam in ſola Pentecoſte tota, quinquaginta dierum: in quibus neque genuflexiones „ fiunt, neque ieiunium eſt præceptum. Pro ſynaxibus vero, quæ ad „ Nonam celebrari ſolent; Quartarum ſextarumque feriarum ſynaxes perinde ac in die dominico ad matutinas horas celebrantur.“ Alibi eandem in rem ad Conſtitutiones etiam apoſtolicas provocat. Sed hic memorabilis eſt locus, quod ſynaxin earum feriarum nobis prodat, etiam ubi lex ieiunii ceſſat. Albaspinæus lib. I. obſervat. 16. *de ſtationibus Chriſtianorum* ſynaxin apud Epiphanium pro communione Euchariſtiæ accipiendam vult, qua illis diebus ad horam nonam concluſa fuit ſtatio ſeu conventus, quem primo mane auſpicabantur, ut ibidem probat. S. Hieronymus earum feriarum celebritatem pariter ac S. Epiphanius unacum die dominico memorat. „Quartam (inquit) ſabbati obſervantes & Paraſceven, & diem dominicum & ieiunium Quadrageſimæ, & Paſchæ „ feſtivitatem & Pentecoſtes lætitiam.“ Quæ verba Amalarius repetit: „ Quartam feriam & Paraſceven, & diem dominicam & ieiunium Quadrageſimæ & Paſchæ feſtivitatem & Pentecoſtes lætitiam & pro varietate „ regio-

De Elia & ieiunio. c. 10. n. 34.
Epiſt. 86. ad Caſulan.
Epiſt. 54.
Expoſ. fidei n. 22.
Hæreſ. 75. n. 6.
Lib. II. in Epiſt. ad Galat. c. 4.
Lib. IV. de Off. c. 37.

Digitized by Google

„ regionum diverſa in honore martyrum tempora conſtituta obſervamus." CASSIANUS de inſtit. Cleric. cautionem ſervatam innuit: „Ut absque le- Lib. V. c. 24.
„ gitimis quartæ ſextæque feriæ, quocunque pergebamus, quotidiana ſta- „ tio ſolveretur." Quod de ieiunio intelligitur, coniuncto tamen illis potiſſimum diebus cum ſynaxi. S. BENEDICTUS in ſua regula c. 41. ieiunium hoc a Pentecoſte uſque ad Adventum præſcribit: *A Pentecoſte autem tota æſtate quarta & ſexta feria ieiunent uſque ad nonam.* S. FULGENTIUS ieiunium hoc commune in *Africa* conſtituit, quod eius vitæ auctor perhibet: *Ut per ſingulas ſeptimanas omnes clerici ac viduæ & quicunque potuiſſent ex laicis quarta & ſexta feria ieiunarent.* Nihil hic apud ipſum quoque S. BENEDICTUM de ieiunio ſabbati an forte, quod hic etiam ſe inſtitutis monachorum orientalium accommodaverit, uti etiam *Gallicani* ex parte adhuc multo diſſertius, quod palam fit ex SS. CÆSARII & AURELIANI regulis, qui expreſſe ſabbatum cum dominica a ieiunio excipiunt, S. CÆSARIUS in regula pro monialibus tantum. Præfuit is concilio *Agathenſi*, ſæc. VI. ubi ieiunium ſabbato more eccleſiæ *Romanæ* firmatum fuit c. 8. ut etiam in conc. *Matiſconenſi* can. 6. *Aurelianenſi* IV. can. 2. ſed in Quadrageſima tantum, paullatim ſeſe aliis Occidentis eccleſiis ad obſervantiam eccleſiæ *Romanæ* componentibus, a qua primum pleræque differebant: uti de *Africana* eccleſia ex TERTULLIANO oſtendimus. De *Hiſpanica* autem obſervat ALBASPINÆUS lib. I. obſ. 13. in conc. *Eliberitano* can. 26. novam rem inductam ieiunio ſabbati: *Errorem placuit corrigi, ut omni ſabbathi die ieiuniorum ſuperpoſitiones celebremus.* Neque tamen hoc fixa adeo lege ſuſceptum videtur, quin *Gothico* ritu cum *Græco* conveniente non ſolum *Hiſpania*, ſed etiam pars *Galliæ* abrepta ſit. Certe INNOCENTIUS III. adhuc haud ſe difficilem præbuit in reſponſione archiepiſcopo *Braccarenſi* data conſulenti de obſervatione ieiuniorum, ut apud BZOVIUM legitur Annal. BARON. T. XIII. ad annum 1206. non credens eos puniendos, *qui propter debilitatem in ſabbato carnes ſumunt.* Cum *Græcis* ſchiſmaticis ſemper circa hunc uſum fuit diſceptatum, ut ex HUMBERTI Card. *Sil. Cand.* tractatu contra *Græcorum* calumnias palam fit: qui iure magis *Iudaicum* morem *Græcis* obiicere potuit, quam *Græci Romanis*, qui obſervantiam ſabbati feſtivam, ne cum *Iudæis* ſabbatizarent, repudiarunt præter dominicam, quartam potius & ſextam feriam celebrantes.

Manſit vero ieiunium feriæ ſextæ per annum, etiam poſtquam ſynaxis ceſſavit, quam adhuc in laudato loco auctor vitæ S. OTTONIS comitis *Sueviæ* ac *Pomeraniæ* apoſtoli notavit ſolam (non memorata feria quar-

Digitized by Google

ta) inter feſtivitates referens. Durandus hic potius, neſcio qua auctoritate, feriam V. computat ex primitivæ eccleſiæ inſtituto: „Primitiva eccleſia (inquit) obſervabat Quintam feriam, & fiebat in ea proceſſio in „memoriam dominicæ Aſcenſionis: ſed multiplicatis Sanctorum feſtivitatibus ſublata eſt ſolemnitas feriæ quintæ, & eius proceſſio per Agapitum in dominicam translata eſt, ut a populo tunc ad eccleſiam conveniente ſimul & ſolemniter valeat celebrari; ut propter hoc dies *Iovis* dicatur vulgariter cognata diei dominicæ, quia videlicet antiquitus „par ſolemnitas fuit utrique.“ De hac re poſtea recurret dicendi occaſio, quando de Quadrageſima agemus.

Fer. IV. & VI. ac nonnunquam ſabbato officium peculiare, ac in monumentis liturgicis per annum lectiones pro miſſa.

IV. Tertullianus peculiari capite de ſtationibus aliquid, quod hic probe notandum, de ſuo tempore ſæc. ſcilicet tertio carpit in plerisque. „Similiter (inquit) & ſtationum diebus non putant plerique ſacrificiorum orationibus interveniendum, quod ſtatio ſolvenda ſit accepto „corpore Domini. Ergo devotum Deo obſequium Euchariſtia reſolvit? „An magis Deo obligat? Nonne ſolemnior erit ſtatio tua, ſi & ad aram „ſteteris? Accepto corpore Domini & reſervato, utrumque ſalvum eſt, „& participatio, & executio officii.“ Etſi ergo ſacrificium his ſtationum diebus requirat, promiſcuam tamen fidelium communionem ſic reſtringit, ut pro more illorum temporum, de quo S. Cyprianus & alii vetuſtiſſimi doctores, Euchariſtiam reſervandam, domum ſcilicet portandam innuat. Morem vero illum, ſacrificiorum orationibus non interveniendi, quem Tertullianus carpit, *Alexandrinæ* eccleſiæ uſitatum fuiſſe, Socrates teſtatur. *Alexandriæ*, inquit, *feria IV. & ea, quæ dicitur Paraſceve, leguntur ſacræ ſcripturæ, easque doctores interpretantur: & cuncta fiunt, quæ ad collectam pertinent, præter myſteriorum celebrationem.*

De Orat. cap. 19.

Lib. V. c. 22.

In laudata paullo ante regula Chrodegangi feria IV. & VI. dominicæ & ſolemnitatibus martyrum æquiparantur, *in quibus tractatus, & alias homilias, vel quod ædificet audientes, relegant.* Quod ideo noto, quia nonnunquam in antiquis monumentis noſtris pro his feriis peculiariter, ut in aliis diebus feſtis, aſſignatas reperi homilias ſeu ſermones, quibus nimirum etiam ſuæ peculiares lectiones apoſtolicæ & evangelicæ aſſignantur. Ritum *Romanum* ad veterem morem accommodatum nobis Amalarius ſignificat: „Quoniam iſti dies antiquitus erant in obſervatione, ritus *Romanæ* eccleſiæ obtinuit, ut iisdem diebus mutaret officia „& miſſam celebraret hora nona; per quod forinſecus populus congregaretur in unum, quando aliqua cauſa nova imminebat ad deprecandum, „in quibus obſervatio celebrabatur.“ Ubi tamen innuere videtur, non eſſe

Lib. IV. de eccleſ. off. cap. 37.

Digitized by Google

eſſe ordinarium eum uſum. Attamen circa ea tempora in ſynodo habita ab Aldrico an. 840. peculiares etiam orationes afferuntur ad miſſam ſingulis illis feriis pro epiſcopo dicendam apud Baluzium: „Hæc eſt miſſa, *T. III. Miſcell. p. 148.* „quæ pro domno epiſcopo, & pro omnibus ſibi commiſſis in unaquaque „hebdomada, id eſt, quarta & ſexta feria, unacum letania adimpleri „debetur &c.“

Radulphus *Tungrenſis* de Feriali officio alium obvium modum nobis *Propoſ. 15. de Canon. obſerv.* declarat: „Ad maiorem miſſam aliquando repetendum eſt officium domi„nicale cum epiſtolis & evangeliis de feria quarta & ſexta. Aliquando ſer„vandæ ſunt miſſæ peculiares de beata Virgine, de ſancta Cruce ſuo tem„pore, de Sancto Spiritu, & ſimiles, ſecundum exigentiam ordinis & „loci.“ Modum in dominicis poſt Pentecoſten ex *Tullenſi* S. Apri ordinario exhibet Martenius *de antiquis monachorum ritibus.* Ubi etiam notanda eſt rubrica, quam ex ordinario *Beccenſis* monaſterii conſequenter affert: „Epiſtolæ & evangelia de fer. IV. & VI. poſſunt dici fer. II. vel III. *Lib. III. c. 26. n. 14. ſeq.* „vel V. vel Sabbato, quando non fit de S. Maria; ita tamen, ut VI. fe„ria non dicatur ante IV. nec IV. poſt VI. ſed ante legatur IV. & in eius „loco ſi neceſſe ſit VI. ſic VI. Sabbato, & in eius loco IV. &c.“ In ordine mſc. operis Dei *Rhenaugienſi* ſæculi XII. ita præſcribitur: „Le„ctiones & evangelia feria IV. & VI. Si in eisdem feriis feſto aliquo im„pediente legi nequeunt, in aliis feriis a feſto vacantibus legimus, & ita „in alio tempore.“ Agit tunc de tempore inter Epiphaniam & Septuageſimam, ubi rubrica præceſſit de eisdem lectionibus infra octavam ipſam Epiphaniæ, quando feſtum hoc in dominicam incidit: „In craſtino, id „eſt, feria II. publica miſſa de communi canitur addita oratione de Epi„phania, quod item in fer. IV. & VI. propter ferialem lectionem & evan„gelium eſt agendum, quamvis interdum pro temporis prolixitate idem „officium in ſequenti hebdomada ſit repetendum. Nam Sanctorum feſta „ferias legi tum impediunt in feria IV. & VI.“

Lectiones haſce pro fer. IV. & VI. per annum, ut in noſtris Capitularibus evangeliorum *Rhenaug.* & *Friburgenſi* Carthuſiæ, alio illuc allato, cum ſit antiquius ipſo *Carthuſianorum* ordine, paſſim non ſolum in mſſ. lectionariis, verum etiam in variis miſſalibus typis impreſſis omnium diœceſium noſtræ *Alemanniæ* reperi, uſque dum miſſale *Romanum* iuxta reformationem Clementis VIII. & Urbani VIII. introductum eſt. Animadverti in editis etiam antea pro uſu *Romano* eadem deſiderari, veluti in ordine miſſali ſecundum conſuetudinem curiæ *Rom.* edito 1484. *Nurembergæ.* Cum tamen in calendario antiquiſſimo, quod exeuntis ſæculi IV. vel ineuntis ſæculi V. Martenius exiſtimat, qui illud edidit, pro ſingulis

T. V. Theſ. Anecd. his feriis IV. & VI. per annum lectiones & evangelia habeantur. Ac etiam in libro Comitis, ſeu lectionario a Pamelio edito. Deſunt vero in edito a *Ioſ* Cari ſeu Thomasio, & a Baluzio T. II. Capitularium. Habentur nihilominus in Lectionario ab eodem Thomasio edito, & in Capitulari evangeliorum ſimiliter unacum evang. Sabbati. Quod frequens quoque eſt in noſtro antiquiſſimo Capitulari evangeliorum, ſed nullo certo ordine, ut ſæpe etiam omiſſa VI. ſoli IV. feriæ evangelium aſſignetur.

Ibid. p. 66. In Calendario Frontonis (quod, ut admonuit Martenius in Calendar. a ſe editum, idem eſt cum calendario præfixo veteri codici evangeliorum aureis characteribus tempore Ebonis archiepiſcopi *Remenſis* exarato, atque in *Altivillenenſi* monaſterio aſſervato) ſimiliter non ſolum quarta & ſexta feria, ſed etiam ſabbato evangelia aſſignantur: „Quia nimirum poſtea (addit Martenius) quartæ & ſextæ feriæ ieiunium ſabbati additum „eſt, cuius inſtitutionem ad Innocentium P. I. qui anno 410. *Roma-*
T. I. Epiſt. Rom. PP. p. 859. „*nam* regebat eccleſiam, referunt.“ At vero Innocentius I. potius de eo more ceu inolito loquitur in epiſtola ad Decentium eius reſpondens quæſtioni: „Sabbato vero (inquit) ieiunandum eſſe, ratio evidentiſſima „demonſtrat. Nam ſi diem dominicum ob venerabilem reſurrectionem Do- „mini noſtri IESU Chriſti non ſolum in Paſcha celebramus, verum etiam „per ſingulos circulos hebdomadarum ipſius diei imaginem frequentamus, „ac ſexta feria propter paſſionem Domini ieiunamus, ſabbatum prætermit-
Lib. V. c. 22. „tere non debemus.“ Memorandum hic eſt, quod Socrates in ſua hiſtoria refert: „Circa celebritatem collectarum quædam diverſitas eſt: nam „dum per eccleſias in univerſo terrarum orbe conſtitutas die ſabbatorum „per ſingulas hebdomadas ſacrificia celebrentur, hoc in *Alexandria*, & in „*Romana* quadam priſca traditione non faciunt. *Ægyptii* vero *Alexandriæ* „vicini & *Thebaidis* habitatores ſabbato quidem collectas agunt, ſed do- „minica, ſicut moris eſt, Sacramenta percipiunt.“ Quod is dicit, vel reſpiciendo ad contrarium Orientis uſum, ubi ſabbati par cum dominica fuit celebritas, vel obſcurius innuendo præcipua quædam per annum tempora, quibus ſingularis fuit obſervantia ieiunii, ac ſingularis etiam in ſabbato, ut mox, & inferius de IV. temporibus pluribus declarabimus,
Epiſt. 86. officii ratio, de qua S. Augustinus in epiſt. ad Casulanum: „Chriſtia- „nus, qui quarta & ſexta feria, & ipſo ſabbato ieiunare conſuevit, quod „frequenter *Romana* plebs facit.“ Et infra: „Videat, quanta afficiat con- „tumelia ipſam *Romanam* eccleſiam, ubi & his hebdomadibus, in quibus „quarta & ſexta, & ſabbato ieiunatur tribus tantum diebus continuis, do- „minico ſcilicet, deinde ſecunda & tertia prandetur.“ Amalarius, dum

hanc

hanc præ manibus habuit epiſtolam, S. Hieronymum notat ſabbatum in ordine dierum obſervationis omittentem. „Habemus (inquit) ex *Romano* „ordine Sabbati diem in obſervatione, quem non computavit Hierony- „mus in ordine dierum obſervationis. Novimus enim ex multis auctoribus, „quod dies ſabbati, ſicut quarta ſabbati, & ſexta incluſa erat ieiunio apud „*Romanos*, & in eo officium mutatum ſæpe habemus, ſicut in quarta & „ſexta ſabbati, & præcipue in ea benedictio datur, quia ipſa eſt, quam be- „nedixit Dominus.“ Ubi per benedictionem hymnum trium puerorum intelligit conſuetudine *Romana* ſabbatis IV. temporum ſeu XII. lectionum cantandum. *Lib. IV. de offic. c. 37.*

Tantum vero abeſt, ut officio careat ſabbatum illud, ut longius cæteris hodieque ſit, olim per vigilias uſque in dominicam protractum, quo forte deceptus eſt Socrates. Vigiliarum harumce S. Leo in ſuis ſermonibus ad ea tempora pertinentibus meminit, memoranturque in ordine *Romano*, atque in ſacramentario *Gelaſiano* in denunciatione eorum temporum ſic exprimuntur; *Quarta ergo & ſexta feria ſuccedente ſolitis eandem conventibus exequamur ſabbatorum die ſacras acturi vigilias.* Inde ſunt dominicæ vacantes. *Quæ* (inquit *Micrologus*) *huiusmodi ieiunia proprie ſubſequuntur, in libro ſacramentorum* vacantes *prætitulantur, eoquod propriis careant officiis.* Quod identidem iisdem recurrentibus temporibus repetitur. Nec hic etiam omittendum eſt, ipſam ſabbati veſperam ordinarie diei dominicæ accenſitam eſſe. Qua de re in conc. *Tarraconenſi* an. 516. c. 7. ſtatuitur: *Ut omnis Clerus die ſabbati ad veſperam ſit paratus: quo facilius die dominico ſolemnitas cum omnium præſentia celebretur.* *Cap. 25.*

De ſtatis conventibus die dominica.

V. Celeberrimus ſemper ab ineunte chriſtiana eccleſia fuit dominicus *dies Solis* ſacris conventibus dicatus. *Solis qui dicitur dies*, inquit S. Iustinus M. *omnium, qui vel in urbibus, vel ruri degunt, in eundem locum conventus fit.* *Apol. II.* Et quamvis in Oriente ei iungebatur ſabbatum, ut etiam in Conſtit. Apoſtol. legitur (*ſabbato autem & dominica vacent in eccleſia propter doctrinam pietatis*) nihilominus teſte etiam Eusebio, *quod alias in ſabbato peragere ſancitum erat, ea nos in dominicam transtulimus.* *In pſal. 91.* *Rhabanus* Maurus id demum Silvestro auctoritate libri pontificalis tribuit ſtatutum: „Ut ocium ſabbati magis in diem dominicam transferatur, „ut ea die a terrenis operibus ad laudandum Deum vacaremus iuxta il- „lud, quod ſcriptum eſt: *Vacate & videte &c.*“ *Lib. II. de inſtit. Cler. p. 46.* In lege *Alemannorum* (ut noſtra tantum attingamus) quæ ad ritum chriſtianum ſub Dagoberto rege an. 630. accommodata eſt, id ſancitur: *Die dominico nemo opera ſervilia præſumat facere, quia hoc lex prohibet, & ſacra ſcriptura in* *T. I. Capit. p. 67.*

omnibus

omnibus contradicit. Eo ſenſu olim apud nos dies ſolis *Frontag* dicebatur, ut apud SCHILTERUM in *Gloſſar. Teut.* legitur. Paſſim vero feriæ ſanciuntur in antiquioribus noſtris Conciliis atque Capitularibus regum *Francorum*, ut in ſuo CAROLUS M. indigitat: *Statuimus quoque ſecundum quod in lege Dominus mandavit, ut opera ſervilia diebus dominicis non agantur, ſicut genitor meus in ſuis ſynodalibus edictis mandavit, quod nec viri ruralia exerceant &c.*

T. I. Capit. c. 81.

Studuerunt etiam Patres noſtri in uſum revocare, quod ab exordio eccleſiæ commune fuit hac die fidelibus, atque attingit S. IUSTINUS loco primum citato. *Et diſtributio communicatioque fit eorum, in quibus gratiæ ſunt actæ.* Unde ſcilicet nomen habet Euchariſtia, dominici corporis & ſanguinis Domini conſecratio & ſumtio. Quare idem fuit antiquis nomen dominicum celebrare, ſeu *dominica ſolemnia*, ut habet TERTULLIANUS, *collectam & dominicum celebrare,* ut in actis SS. SATURNINI &c. apud RUINARTUM ac paſſim alibi habetur. In Concilio autem *Aquisgranenſi* an. 836. ſtatuitur Can. III. c. 22. „Sane communicatio corporis „Domini omni die dominica debuit celebrari. Ideoque neceſſe eſt, quantum ratio permittit, ut moderna corrigatur conſuetudo: ne forte, qui „longe eſt a ſacramentis, quibus eſt redemtus, longe ſit a ſalute, quam „fuerat conſecutus.“ Quod vero obtineri promiſcue non poterat apud vulgus fidelium, ſaltem in perſonis Deo dicatis caute poſtulatum eſt, ſicut legimus in capitulis monachorum ad *Augiam* directis: „Ut in do„minicis diebus omnes pariter ſecundum quo ingreſſi ſunt ordine in mo„naſterium, ſic accedant ad communionem, præter illos, qui pro ni„mia ſenectute vel infirmitate inter illos ſtare non poſſunt, qui tamen „ſeparatim communicant. Si quis vero hoc ſpiritali dono, id eſt, cor„poris & ſanguinis Domini noſtri IESU Chriſtri ſe privaverit, Pater mo„naſterii, qui præſens ſemper eſſe debet, dum communicant, cur hoc „illi evenerit, ſcire omnino debet.“

pag. 181. T. II. Conc. Germ. p. 90.

T. II. Capit.

Pro officio ſeu miſſa publica non ita in liturgia *Gallicana*, ut in noſtris antiquiſſimis ſacramentariis pro ſingulis per annum dominicis aſſignantur preces; nec ita facile olim ac nunc impediebantur, omittebanturque per incurrentia feſta, ut etiamnum ritu *Ambroſiano* cavetur, translatis in alium diem, ſi dominica recurrant, natalibus Sanctorum. Aliam nobis antiquam conſuetudinem *Micrologus* indicat cap. 62. quod inſcribitur: *De dominicali officio non facile prætermittendo:* Ubi ſic loquitur: „Iuxta *Romanam* conſuetudinem in omni dominica eccleſiaſtico conven„tui cum officio dominicæ ſatisfacimus, niſi aliqua multum celebris feſti„vitas in ipſa die occurrat, ut feſtum IOANNIS *Baptiſtæ* vel ſancti PETRI

„apoſtoli

Digitized by Google

„apoſtoli: pro quibus non minus, quam pro dominica populus ſolet
„congregari, quas & in aliis diebus ſolemniſſime celebraremus.“ Ra-
dulphi *Tungrenſis* de contrario uſu querelas iam audivimus, atque con-
ſilium feſta Sanctorum communia ad ritum trium redigendi lectionum.
Aliter in eccleſia *Burdigalenſi* proviſum teſtatur De-Moleon, omnibus
dominicis ad duplicia maiora revocatis. In concilio *Mogunt.* an. 1549. *Can. 61.*
de hac re cavetur: „Sed & Sanctorum celebritates in diem dominicam
„incidentes, cenſemus ſubmovendas, & in feriam aliquam præcedentem
„vel ſequentem transferendas, quo Sanctorum omnium Domino ſua con-
„ſervetur ſolemnitas: exceptis beatæ Mariæ, apoſtolorum, & aliis ſum-
„mis feſtivitatibus. Nec tamen legem imponimus his, qui peculiaria ſin-
„gularum dominicarum officia propter cantorum paucitatem obſervare
„non valentes officia de Trinitate, de Spiritu Sancto, aut, quod decen-
„tiſſimum erat, de reſurrectione Domini, diebus dominicis ſervaverint.“

At hic etiam error ex ignorantia veteris moris enatus eſt, quo præ-
ter miſſam publicam etiam matutinalis celebrabatur, præſertim in mona-
ſticis congregationibus, ut in die dominico paſſim de S. Trinitate, præter-
miſſo diei officio, ageretur, qua de re cavit concilium *Colon.* an. 1536.
„Mos inolevit non admodum improbandus, ut diebus dominicis toto
„ferme anno officium miſſæ vel de Sacroſancta Trinitate, vel de Spiritu
„ſancto dicatur. Nobis ſatius videtur, ut quæ priſca eccleſia ſingulis
„dominicis peculiaria fecit, obſerventur. Quodſi illorum loco alia uſur-
„panda erunt, videbitur, quod de reſurrectione Domini eſt, diei domi-
„nico magis convenire, quod dies illa potiſſimum reſurrectioni dedicata
„ſit. Neque ignoramus, non abſque cauſa in concilio *Triburienſi* con-
„ſtitutum, ne propter miſſas peculiares, miſſa, quam de feria vocamus,
„prætermittatur.“

CAPUT II.

De Adventu Domini, & dominicis poſt Natale Domini.

I.

Incerta Adventus Domini exordia. T. I. *Muſ. Ital. P. II. p.* 283.

Sicut hodie annum eccleſiaſticum auſpicamur ab Adventu Domini, ita etiam ſacramentarium *Gallicanum* inde incipere recte MABILLONIO videtur, cum, quæ præcedunt, fere ex ordine *Romano* deſumta ſint. Sunt, qui originem eius officii univerſim e *Gallia* repetunt; alii a *Romana* eccleſia, ac quidem a S. GREGORIO, quod pariter incertum eſt. Nihil de eo in antiquioribus conciliis, aut regulis monaſticis, quæ ſive in *Italia*, uti S. BENEDICTI, ſive in *Gallia* SS. CÆSARII, AURELIANI, FERREOLI, ſæc. V. & VI. prodierunt, nec apud CASSIANUM memoratur. Nihil etiam de eo, cum locus eſſet in ſacrament. *Leonino*, atque alio codice *Gregor.* occurrit, quem cum *Pameliano* contulit, additionesque notavit THOMASIUS; ut tamen in omnibus liturgiis notetur. In antiquiſſimo homiliario *San-Gallenſi*, ante mille annos litteris uncialibus ſcripto, duo ſermones habentur pro die dominica ante Natale Domini cum titulo: *Dictum ante Natale Domini.* Inc. *Etiamſi ego taceam fratres, tempus nos admonet, quod Domini Chriſti Natalis in proximo eſt &c.* Sequitur. *De Natale Domini ſalvatoris.* Inc. *Proxima dominica dilectionem veſtram admonuimus fratres de diei huius Adventu &c.* Nec aliter *Adventus* nomen comparet.

In homiliario vero *Ottoburano*, quod ad mille annos accedit, initio ſtatim occurrit, *Imprimis omelia domni Gregorii de Adventu.* Inc. *Dominus ac redemtor noſter paratos nos invenire deſiderans &c.* quæ hodieque prima dominica Adventus legitur.

Ac varia epocha.

II. Epiſtola, quæ ſub S. AUGUSTINI nomine inſcripta ad BIBIANUM *Santonicæ* civitatis antiſtitem a MABILLONIO eſt edita ad calcem liturgiæ *Gallicanæ* ſuppoſititia quidem, ſed tamen antiquiſſima, libellus a ſuo aucto-
p. 458. re inſcribitur; *In quo totius anni opificium in lectionibus divinis perfloran-*

do

ſo perſtrinximus, incipientes ordinem Adventus dominici ab octavo calendas Octobris æquinoctium autumnale. Alium tamen aliorum morem indigitat. *Sed quia ſunt nonnulli, qui Adventum Domini a feſtivitate beati Martini Turonenſis urbis epiſcopi videntur inſipienter excolere; nos eos non reprehendimus: quia non omnes omnia poſſunt, & maxime cum apoſtolus dicat, unicuique ſicut Deus diviſit menſuram fidei. Sed longe aliter eſt plenitudo ordinis, & religionis noſtræ.* Reſpondet tamen huic tempori numerus hebdomadarum, quas cenſet in antiquiſſimo lectionario *Gallicano* Mabillonius, licet initio mutilo, ut nimirum ſex notæ numericæ pro totidem officiis dominicarum Adventus ſint, quot etiam in *Mozarabico* & *Ambroſiano* habentur repetendo a dominica proxima feſto S. Martini, ut Quadrageſimam conficiat ante Natale Domini, qualis in ſacramentario Ratoldi & alibi notatur. Talem uſum etiam poſt Menardum n. 640. ad ſacrament. S. Greg. ritu *Gallicano* obſervavit, atque poſt eum Vezzosius in not. ad ſacrament. *Gelaſ.* affertque S. Greg. *Turon.* locum lib. IX. hiſt. ubi Perpetuum *Turon.* epiſc. inſtituiſſe narrat, *ut a depoſitione domni Martini uſque Natale Domini terna in ſeptimana ieiunia ſervarentur.* Nihilominus in miſſali *Gothico* & veteri *Gallicano* duo tantum, in ſacramentario autem *Bobienſi*, ſeu *Gallicano* tria ſaltem occurrunt officia, ſed cum nec aliarum dominicarum plena in illis ſacramentariis ſit partitio, nihil inde poteſt concludi. In lectionario apud Thomasium quinque Dominicæ in Adventu ac præterea dominica ante Natalem Domini ad ritum *Ambroſianum* ſpectant, uti etiam Miſſæ *Ambroſianæ* Dominicæ quintæ & ſextæ Adventus in cod. *San-Gallenſi.*

T. VI. opp. Thomaſ. p. 161.

T. V. p. 427.

Quatuor aut quinque dominicæ Adventus in noſtris liturgiis.

III. Amalarius diverſitatem aliam notavit in libris antiquis liturgicis *Romanis.* „In antiquis (inquit) libris miſſalium & lectionariorum re„peritur ſcriptum, *Hebdomada quinta.* Totidem enim lectiones haben„tur in lectionario, & totidem evangelia a tempore memorato per dies „dominicos uſque ad Nativitatem Domini.“ Et poſtea dum eandem rem memorat, iuxta S. Gregorium diſcrimen facit, qui auctor miſſalis habetur: *Poſſe initiari Adventum Domini in quinta, ſeu quarta hebdomada ſequendo auctores lectionarii & antiphonarii, ac miſſalis, cuius auctorem credimus eſſe beatum papam Gregorium.* Berno *Augienſis*, qui in citanda mox epiſtola de Adventu Domini Amalarii locum a nobis indicatum exſcribit, alibi eundem hac de re citat, ac lectionarium tantum indigitat, ſeu librum Comitis pro dominica quinta Adventus. Et poſtea: *Auctor miſſalis ſive antiphonarii eandem præparationem hortatur nos facere per quatuor hebdomadas.* Prius S. Hieronymo, alterum S. Gregorio adiudicat.

Lib. III de eccleſ. offic. c. 40

Lib. IV. c. 30.

De rebus ad miſſam pertinent. c. 4.

In ſacramentario, quod ſub Gelasii nomine edidit Thomasius, quinque hebdomadæ numerantur, uti etiam in antiquiſſimo noſtro ſacramentario pariter ac antiphonario, quin imo in ſacramentario *Gregoriano* S. Eligii & aliis codicibus Mſſ. quos Menardus & Martenius non parvo numero citant a nongentis & octingentis annis. Idemque adhuc obſervavi in *Rhenaugienſi* Mſc. ſæc. X. vel XI. in *Einſidl.* ſæc. XII. & in *San-Blaſiano* ſæc. XIII. vel XIV. ut nihil de Durando dicam, qui de præparatione in quinta hebdomada ante Nativitatem Domini loquens ad librum tantum Comitis reſpicit: „Nam (inquit) ab illa dominica uſque ad Nativitatem Domini ſunt quinque officia dominicalia, quinque epiſtolæ & „quinque evangelia.“ Atque hinc etiam homiliarium *Augienſe* iuſſu Caroli M. a Paulo diacono digeſtum, & aliud recentius *Einſidlenſe* quinque dominicas Adventus ponunt, tot etiam evangelia notantur in recentiori noſtro Capitulari evangeliorum, in antiquiori autem quatuor tantum. Et pro totidem pugnavit Berno in alio paullulum argumento agitato in concilio *Aurelianenſi*, quod ſic proponit apud Pezium: „Quotieſcunque Natalis Domini in ſecunda feria, velut in præſenti anno, evenerit, magnus error per eccleſias Dei ſe infundit, aliis dicentibus non „plus, quam quatuor dies dominicos cum ipſa ſacratiſſima dominicæ Nativitatis vigilia celebrari debere: aliis vero e regione contendentibus, magis oportere quatuor plenas hebdomadas Adventum Domini habere, „quintum diem dominicum ſpecialiter vigiliæ Domini dedicantes.“ Atque inde credo eſt, quod quinque hebdomadæ in vetuſtis libris liturgicis occurrant. Contra hoc vero Berno pugnat, & inter alia teſtimonium Bedæ, dubium tamen, profert, quod ex cod. Mſc. *Romano* a Thomasio refertur in fronte antiphonarii: „Notum ſit omnibus; ut quicumque Adventum Domini veraciter vult celebrare, caveat, ne ante V. „Kal. *Decembris* tranſeat: ſed in his ſeptem diebus, ubi dies dominicus „advenerit, ibi ſine dubio Adventum Domini celebrare valebit.“ Atque hoc prævaluit, ſervaturque uſque in hodiernum diem. Quod ſe perviciſſe ipſe Berno teſtatur altera apud Pezium epiſtola in concilio *Aurelianenſi*: „Ibi nos quippe *Floriacenſes* Patrum auctoritate armati & ingladiabiliter perarmati adſuimus, & ita contradicentes in omnibus convicimus, ut in æternum eis ſilentium ſuper hoc negotio imponeremus. „Ex illo die & deinceps non eſt apud *Gallos* vel *Germanos* præſumtor „inventus, qui huic tam ſanæ diffinitioni vellet contraire.“ Aribo etiam archiepiſcopus *Moguntinus*, ad quem dedit illam epiſtolam, eius auctoritatem implorans, idem approbavit in reſcripto, quod epiſtolæ adiicitur. Scripſit in eodem argumento Herigerus *Lobienſis* dialogum, quem He-

Men. Not. 640. *Mart. De antiq. eccl. diſcipl. c.* 10.

Lib. VI. Ration. c. 2.

T. IV. Anecd. P. II. p. 42.

T. V. opp. p. 2.

p. 52.

p. 49.

DA

DA in hiſtoria epiſcoporum *Ultraiectenſium* ADELBOLDO epiſcopo eius urbis tribuit, qui BERNONI coævus, atque tunc *Romæ* exiſtens ea de re eſt conſultus, forte de uſu, quem *Romana* eccleſia teneat.

IV. Atque iſta ratione officium Adventus Domini appoſite admodum decurrit iuxta *Gregorianum* ſacramentarium & antiphonarium ab officio dominicæ quartæ *Ad te levavi animam meam &c.* „Humanum genus „(inquit HONORIUS *Auguſtodunenſis*) in peccatis, quaſi in ſomno obdor„mierat, quod tuba prophetarum ad ſuſcipiendum Adventum Domini „excitat: ipſum vero evigilans inhianter ſuſcipit Adventum Domini di„cens: *Ad te levavi &c.* Vetus lex per prophetas genti *Iudæorum* an„nuntiat Adventum Domini dicens: *Populus Sion &c.* Nova lex per „apoſtolos eccleſiæ ſecundum Domini Adventum pronuntiat dicens: *Gau„dete in Domino ſemper &c.*" Diximus in opere *de cantu & muſica eccleſiaſtica a prima eccleſiæ ætate uſque ad præſens tempus* quomodo ſingulari ritu olim hic incœperint officia cantorum, *quæ*, ut ait AMALARIUS, *celebrantur in ſacramentario, & habent initium in quarta hebdomada ante Nativitatem Domini.* Notandum vero, quod alibi dixerat: „Vidi tem„pore priſco *Gloria in excelſis Deo* prætermitti in diebus Adventus Do„mini, & in aliquibus locis dalmaticas." Præciſius de priori uſu loquitur *Micrologus:* „Ab adventu Domini uſque ad Nativitatem eius. *Te „Deum laudamus. Gloria in excelſis Deo. Ite miſſa eſt* dimittimus." Subdit: „In Nativitate tamen apoſtolorum ſive dedicatione eccleſiæ præ„dictas glorificationes non omittimus." Sic in Mſc. an. 1260. ord. div. off. *Turicenſi* additur, *exceptis natalibus apoſtolorum*, & in margine rec. manu *& feſto Nicolai.* RADULPHUS *Tungrenſis* de eadem re loquens, *Nec*, inquit, *in feſtivitatibus ſine auctoritate dici debent*, additque: *& in nigris veſtimentis ſit ſervitium.* Ven. THOMASIUS ad Reſponſoriale & Antiphonarium *Rom.* Eccl. adnotavit ad uſque ſæculum XII. perduraſſe veterem morem in eccleſia *Romana* celebrandarum dominicarum de Adventu cum lætitiæ notis, veſtibus &c.

De officio & ritibus Adventus.

Sacramentar. c. 9.

Lib. IV. de off. eccleſ. c. 30.

Lib. III. c. 40.

c. 30.

Vid. Vezzoſ. T. IV. opp. V. Thomaſii n. 2. *p.* 20.

Propoſ. 554.

T. IV. p. 35.

Suo loco notavimus promiſcuum olim nigrum ac violaceum fuiſſe colorem, qui hodie in Adventu uſitatus eſt, atque etiam in cathedralibus, collegiatis & regularibus eccleſiis inſignioribus caſulæ plicatæ ante pectus ob veterem ſcilicet caſularum formam excepta dominica III. *Gaudete.* De qua tamen exceptione nihil in antiquis monumentis occurrit, laudatusque ordo *Turicenſis* id generatim præſcribit. *Ad miſſam miniſtri dalmaticis non utuntur.* Et Mſc. noſter ordo operis Dei ſæc. XIV. *Ad miſſam ſacerdos & miniſtri altaris caſulis utuntur uſque ad Natalem Domini: ab hac enim*

Digitized by Google

die, & deinceps per totum Adventum ad miſſam non veſtiatur diaconus dalmatica, neque ſubdiaconus tunica, ſed caſula. Varium adhuc ſuo tempore, id eſt ſæc. XI. circa hoc notavit *Micrologus* uſum: „Quidam ſo- c. 30. „lito more veſtiuntur, eoquod miſſam ad Tertiam & *Allleluia*, ſicut & „tota æſtate dicunt." De hoc ceu communi uſu loquitur RUPERTUS *Tuitienſis*: „Ex tunc uſque ad ſacram dominici Natalis noctem diaconus „& ſubdiaconus imminuti procedunt. Nam neque diaconus dalmaticam, „neque ſubdiaconus induit tunicam." Ubi nota, quod ſequitur: „Utun- „tur autem interdum caſulis, quam veſtem ſacerdotis eſſe diximus, cum „de habitu eius loqueremur: Quod neminem movere debet. Non enim „ſic utuntur caſulis ſubdiaconus aut diaconus, ut in ipſis legant vel mi- „niſtrent, ſed lecturi aut miniſtraturi illas exuunt." Solet hodie diaconus depoſita ad evangelium caſula latiorem ſolito induere ſtolam, cuius originem ex ord. *Rom.* XIV. a MABILLONIO ed. habes: „Quando per- „gere debet ad legendum evangelium, deponat planetam, & acolythi „decenter eam complicent, & imponant ſuper ſiniſtrum humerum eius, „ac ſub dextero brachio ligent eam, ut melius poterunt, ita quod ab „humero ſiniſtro deſcendat ad latus dexterum, ſicut diaconalis ſtola de- „ſcendit, & hoc modo diaconus planetam teneat, dum legit evangelium, „& uſque quo dicatur ultima oratio poſt communionem." Eadem in ſequenti ord. XV. præſcribuntur.

De div. off. lib. III. c. 2.

Quod in antiquiſſimo ord. eccleſ. notatur, una hebdomada ante Natalem Domini *de conceptione S. MARIÆ incipiunt canere*, explicat nobis AMALARIUS: *Octo dies ante Nativitatem Domini renovantur ferme tota nocte reſponſorii & antiphonæ.* Huc etiam pertinent antiphonæ illæ ſolemni ritu ad *Magnificat* decantari ſolitæ *O Sapientia &c.* de quibus medio ævo nonnulli integros ſcripſerunt tractatus: quales edidit PEZIUS ENGELBERTI abbatis *Admontenſis*, & REINERI monachi S. LAURENTII *Leodienſis.* Variavit autem eorum uſus aliquando ad cant. evang. *Benedictus*, fuit item numerus multiplicatus uſque ad duodecim in noſtra etiam *Alemannia.* Vid. THOMASII Reſponſ. & Ant. ac notas etiam VEZZOSII. T. IV. p. 27. &c. De feſtis in Adventu Domini occurrentibus mentionem fecimus ſupra de feſtis menſis *Decembris*, atque breviarium ord. eccleſ. tationem etiam præſcribit eorum in ipſis dominicis Adventus, uti in aliis per annum. Nullum toto illo intervallo feſtum occurrit in antiquiſſimo Calend. a MARTENIO edito.

Lib. IV. de off. eccleſ. c. 30.

T. V. Theſ. Anecd.

De ieiunio Adventus.

V. Peculiariter etiam aliquid de ieiunio dicendum eſt, quod hodieque ab ordinibus regularibus obſervatur, idque aliqui incipiunt a die feſto

ſto S. Martini, vel etiam S. Catharinæ, alii a prima Adventus Dominica, & nonnulli a celebritate omnium Sanctorum, uti Benedictus XIV. inſtitut. eccleſ. XI. notavit ex Card. Cozza Tract. dogmat. & moral. de ieiunio part. 2. & *Ioſeph.* Garampius *Memorie della B. Chiara di Rimini* diſſert. VI. p. 204. &c. Recurretque mentio poſtea, ubi de tribus Quadrageſimis per annum aliquid dicemus. In Calendario *Corbeienſi* a Martenio edito notatur *XVIII. Kal. Decemb. Quadrageſima antenatalis Domini.* Ad eundem diem in Calend. *Caſtellano* T. II. *ſcript. Rer. Ital.* P. II. p. 1033. *Initium Quadrageſimæ ante Natale Domini.* Pertinent huc, quæ paullo ante ex epiſtola ſub nomine S. Augustini attulimus de vario ritu auſpicandi Adventum. Hinc primam Adventus originem ex *Gallia* repetunt nonnulli, quod teſte Gregorio *Turonenſi* S. Perpetuus ſæc. V. *a depoſitione domni Martini uſque ad Natale Domini terna in ſeptimana ieiunia ordinarit.* Falſo igitur Morinus epocham huius ieiunii a ſæc. VIII. demum repetiit. In Concilio *Matiſconenſi* an. 582. ſtatuitur: *Ut a feria ſancti Martini uſque ad Natale Domini ſecunda, quarta & ſexta ſabbati ieiunetur & ſacrificia Quadrageſimali debeant ordine celebrari.* In regula Chrodegangi c. 35. idem tempus aſſignatur. In concilio *Salisburg.* an. 1281. ita habetur: *A feſto S. Martini ab omnibus religioſis uſque ad Nativitatem Domini ieiunium obſervetur.* S. Benedictus cap. 40. ſuæ regulæ præſcribit: *Ab Idibus autem Septembris uſque ad caput Quadrageſimæ ad Nonam ſemper reficiant fratres.* In regula S. Isidori & S. Fructuosi ac aliis monaſticis & canonicis ab eodem tempore ieiunium præſcribitur, in regula S. Aureliani a Cal. *Novembris*, quod etiam in reg. S. Francisci cap. 3. præſtituitur tempus a feſto omnium Sanctorum nempe. Alexander III. vero apud Du-Chesinum aliquanto tardius in epiſt. ad reg. *Noverit regia ſublimitas Quadrageſimam, quæ dicitur B. Martini, ab Octavis omnium Sanctorum, & non antea incohari.* Quod magis congruit cum antiquiori obſervantia præſertim in *Gallia*, licet in conc. *Turonenſi* II. an. 567. tantum *in Decembri uſque Natale Domini,* perinde ac in Quadrageſima ieiunium præſcribatur.

T. XI. oper. p. 58. 59.

T. III Theſ. Anecd. p. 1605.

Can. 9.

T. XIV. Conc. p. 711.

T. IV. ſcript. Rer. Fr. n. 114.

Can. 17.

In ſerm. ſynod. Ratherii præſcribitur: *In Adventu Domini, niſi feſtivitas intercedat, quatuor hebdomadibus a carne noveritis abſtinendum & coitu.* Apud nos vero in concilio *Salingeſt.* an. 1022. quatuordecim diebus ante Nativitatem Domini abſtinentia a carne & ſanguine indicitur. In Capitulari *Aquisgranenſi* an. 817. ſtatuitur pro monachis: *Ut fratres aliquid pinguedinis in victu quotidiano habeant excepta ſexta feria, & diebus octo ante Natale Domini, & a quinquageſima uſque ad Paſcha.* Occurrit tunc peculiare ieiunium IV. temporum menſis X. quod Egbertus

T. III. Conc. Germ. p. 9.

T. I. Capitul. p. 588.

Ebo-

Digitized by Google

Eborac. apud MABILLONIUM de lit. *Gall.* in dialogo inſtitutum dicit *propter advenientem venerabilem ſolemnitatem Domini Noſtri I. C. ut unusquisque fidelis præparet ſe ad communionem Corporis & Sanguinis Chriſti cum devotione ſumendam. Quod & gens Anglorum ſemper in plena hebdomada ante Natale Domini conſuevit*, ſcilicet ieiuniis, ſolitudini, & aliis piis operibus vacando. Diſtinctum ab hoc fuit reliqui Adventus Domini ieiunium, de quo quæſtione orta in *Hiſpania quibusdam dicentibus, ſed paucioribus, ieiunandum eſſe, pluribus vero ſe ad hoc aſſerentibus non teneri*, conſultus INNOCENTIUS III. *Bracarenſis* epiſc. reſpondit: *Ieiunium etiam apud nos in Adventu Domini tenetur.* In Cerimoniali *Greg.* X. apud MABILLONIUM ſic præſcribitur: *Ab ipſa vero prima dominica de Adventu uſque ad feſtum Natalis cum ieiunatur quadrageſimaliter.* Sedit GREGORIUS X. eodem ſæc. XIII. poſt INNOCENTIUM III. *Oſtienſis* ad laudatum INNOCENTII Capit. dicit de hoc ieiunio, *nec ab omnibus, nec in omnibus provinciis celebratur.* Et INNOCENTIUS IV. Comment. in tit. 46. lib. III. decretal. idem iisdem fere verbis memorat. *Io.* BELETHUS & DURANDUS eiusdem ieiunii teſtimonium perhibent, ac diu poſtea RADULPHUS *Tungrenſis. Apud Romanos etiam in Adventu Domini ieiunium agitur.* De eo plura, etiam hodierna exempla notavit in *Gallia* DE-MOLEON in *Itinere liturgico*, ac quidem de anteriore obſervantia *Rotomagenſi: Per totum Adventum ſingulis diebus ieiunamus, bis in omnibus dominicis ſolummodo comedentes.* Vide MARTENIUM de ant. eccleſ. diſciplina c. 10.

Muſ. Ital. T. II. p. 233. — p. 391.

De officiis dominicalibus poſt Natale domini & Epiphaniam. — c. 38. — c. 41.

VI. Subiicimus hic aliquid de officiis poſt Natale Domini, ubi primum occurrit miſſa dominicæ infra octavam, *Dum medium ſilentium.* „Quamvis autem (inquit *Micrologus*) duæ dominicæ multoties eveniant „eo tempore, nunquam tamen ambas dominicali officio occupari feſta „Sanctorum permittent: niſi eo tantum anno, dum vigilia Epiphaniæ „in dominica evenerit. Unde S. GREGORIUS ſatis competenter unum do„minicale officium eo tempore ordinavit, eoquod & ibi una tantum do„minica omni pene anno occurrat, quæ huiusmodi officio indigeat. Nec „hoc utique S. GREGORIUS vel poſt Epiphaniam vel poſt Pentecoſten ſer„vare curavit, ut tot officia ſemper haberemus, quot dominicæ poſſent „evenire. Nam optime prævidit huiusmodi inæqualitatem repetitione of„ficiorum facile emendari poſſe.“ Sic poſtea de dominicis poſt Epiphaniam: „Primæ ergo dominicæ officium infra hanc octavam omni anno „rite obſervatur, etiamſi propter pluralitatem hebdomadarum uſque ad „Septuageſimam repetendum videatur: ſicut & alia duo officia, *Omnis* „*terra. Adorate*, Cum multoties ſex occurrant hebdomadæ his officiis in-

„ inofficiandæ.“ Tot, non plura officia dominicarum poſt Epiphaniam apud Pamelium inveniuntur, quartum adiicitur in noſtro antiquiſſimo antiphonario dominicali, cum tamen in ſacramentario, quod in eodem codice *Rhenaugienſi* continetur, ſex ponantur, uti etiam in *San-Blaſiano* & aliis.

Berno *Augienſis* hic etiam redundare officia in ſacramentariis teſtatur. „ At vero (inquit) miſſæ in libro Sacramentorum plures inveniuntur ap- *De Celebrat. Advent. c. 3.* „ poſitæ, utpote poſt Epiphaniam abundant tres, poſt octavam Penteco- „ ſtes una &c.“ Hoc ita ſe habet iuxta Capitulare evangeliorum, quod in *Carthuſia Friburgenſi* ſervatur, ubi novem officia dominicalia poſt Epiphaniam numerantur, quibus decimum adiicitur in antiquiori adhuc *Rhenaugienſi*. Sicque editores S. Gregorii ex Congregat. S. Mauri nota- *T. III. p. 26.* runt in Kalend. *Romano* nulla dominicarum facta mentione aſſignari decem hebdomadas poſt Epiphaniam cum ſingulis evangeliis: & intra illas hebdomadas multæ ſæpe feriæ tanquam ſolemnes notantur, ut fer. IV. fer. VI. & ſabbatum, in quibus porro indicuntur evangelia. Ita etiam habes in Capitulari evangeliorum apud Thomasium, ubi is adnotavit: „Plures hic *T. V. opp. p. 442.* „ hebdomadæ numerantur Theophaniam inter ac Septuageſimam, quam „ quoquo anno occurrant: fortaſſis hæc olim facta fuit numeratio a Theo- „ phania ad Quadrageſimam ante inſtitutionem Septuageſimæ, Sexageſi- „ mæ, & Quinquageſimæ: quibus propria ſunt poſtea evangelia attri- „ buta.“

Digitized by Google

CAPUT III.

A Septuageſima uſque ad Paſcha per ieiunium Quadrageſimæ.

I.

Septuageſimæ, Sexageſimæ &c. denominatio.

Laudatus iam Thomasius, cum in vetuſtioribus ſuis codicibus alibi quidem per annum, non vero in hebdomadibus Septuageſimæ & Sexageſimæ evangelia deprehendiſſet, quod pariter in noſtris deprehendere licet, eius rei id forte cauſæ fuiſſe putat, quod de quota hebdomada poſt Theophaniam evangelia feriarum eſſent accipienda, in quam ipſæ dominicæ Septuageſimæ ac Sexageſimæ incidiſſent: Scilicet de illis officiis, quæ ex novem aut decem abundant, poſtquam Septuageſimæ &c. nomina & officia invaluerunt, de quibus nihil dum in liturgiis *Mozarabica* & *Gallicana*, Miſſali *Gothico*, *Gallicano*, ſacramentario *Gallicano* & lectionario, uti Mabillonius ex conciliis *Aurelianenſibus*, quibus etiam *Alemanni* epiſcopi intereſſe conſueverunt, obſervat, & quidem in primi can. 24. „Id „a ſacerdotibus omnibus decretum eſt, ut ante Paſchæ ſolemnitatem non „Quinquageſima teneatur.“ Et in quarti can. 2. „Hoc etiam decernimus obſervandum, ut Quadrageſima ab omnibus eccleſiis æqualiter te„neatur; neque Quinquageſimam, aut Sexageſimam ante Paſcha quilibet „ſacerdos præſumat indicere.“ In lectionario antiquiſſimo apud Thomasium ad uſum eccleſiæ (ut videtur) *Mediolanenſis*, omiſſa Septuageſima notatur *lectio In caput Sexageſ. Ad Corinthios*: *Fratres non anguſtiamini.* In ſæpe laudato ſacramentario *San-Gall.* ſæc. circ. X. compoſito ex *Gelaſ. Gregor.* & *Ambroſ.* ritu, miſſa *Ambroſiana* pro dominicis Septuageſ. Sexag. Quinquag. & Quadrag. ſeu *in caput Quadrag.* habetur.

Lit. Gall. p. 123.

T. V. opp. p. 424.

In veteri codice reperiſſe ſe teſtatur Cassander epiſtolam ſub Caroli M. nomine ad Alcuinum abbatem de ratione Septuageſimæ & Sexageſimæ, & Quinquageſimæ, qualis etiam ex collectione canonum Mſc. Cardinalis Laborantis cum miſſali *Lateranenſi* eſt edita: ubi rationem repetit ex varia incipiendi ieiunium conſuetudine, ſecundum dierum tamen non heb-

p. 32.

Digitized by Google

hebdomadarum computationem. Quam tamen rationem non ſibi conſtare recte *Rhabanus* Maurus obſervavit lib. II. *de inſtitut. Cleric.* c. 34. ubi varias recenſet ſententias de his nominibus, illam autem præ cæteris probat, Septuageſimam dictam eſſe propter decem hebdomadas, quæ ſunt ab ipſo die uſque ad clauſum Paſcha, quo die alba tolluntur veſtimenta a nuper baptizatis. Quam rationem etiam Honorius *Auguſtodunenſis*, & Rupertus *Tuitienſis* probant, mox tamen ad allegoriam delabuntur de captivitate *Babylonica*. Altius vero & conſtantius, quid Septuageſimam nominemus, pandendum ſuſcipiens Rupertus: *Septem*, inquit, *dominicas continue ſequentes magnis ac myſticis officiis inſignes Septuageſimam nominamus.* Atque ita in Mſc. Miſſali *Weingartenſi* ſæc. XIII. reperi. Dominica in Septuageſima. Dominica II. in Septuageſima. Dominica III. in Septuageſ. quod ſingulare eſt, cum ſingulæ hebdomadæ deinceps uſque ad Quadrageſimam peculiaria nomina ſoleant habere. *Idcirco autem*, idem ait Rupertus, *primam dominicam, quæ ſeptima eſt ab ultima Septuageſimam potius nominamus, & Sexageſimam, quæ ſexta, & Quinquageſimam, quæ quinta eſt, quia idem commemoratur officium &c.* In antiquiſſimo noſtro Capitulari ordinis eccleſiaſtici ulterius proceditur. *Et non ſolum Septuageſima ſed & Sexageſima L.ma XL.ma XXX.ma XV.ta & VIII.va ſemper pro ipſo ordine celebrantur.* In breviario ord. eccleſ. XX. & X. computatur numeris poſterioribus pro XV. & VIII. Sic vero tota illa denominatio demum in hebdomada mediana Quadrageſima terminatur, conſequente dominica, quæ de paſſione proprium nomen habet. Neque aliquam firmam rationem habere poteſt tota illa nomenclatura, ubi per ſingulas ſeptimanas numerus decennarius cadit a Septuageſima, cuius dies non cum ieiunio quadrageſimali, ſed cum Paſchate ipſo clauduntur. Interim vero, dum aliquid planius aſſertiusque affertur, rationem potius attingit, quod in Caroli M. hoc de argumento habetur epiſtola ex diverſitate ieiunii, dum alii ſex, alii ſeptem, alii octo, nonnulli vero novem abſtinerent hebdomadis: „Exhinc (ait) & deinceps collecta ratione, qui „octo hebdomadas obſervare ſtuduerunt, Sexageſimam gradatim nominaverunt. Similiter qui novem, Septuageſimam iuxta præfatam rationem „nomen impoſuerunt. Et non ob numerum hebdomadarum, vel die„rum, ſed tenorem nominis ſervantes hæc omnia cenſuerunt."

Sacramentar. C. I. De off. div. lib. IV. C. I. C. 2. C. 3. Miſſ. Latin. p. 34.

II. In Pezii ſcriptor. *Auſtr.* p. 1138. Septuageſima dicitur *der Tag undt daz man* Alleluia *niderlegt.* Et hoc ad quamdam ieiunii quadrageſimalis initiationem pertinet. In concilio *Tolet.* IV. c. 11. ſic ſtatuitur: „Item cognovimus quosdam *Hiſpaniæ* ſacerdotes, qui in Quadra-

Ubi Alleluia deponitur.

Digitized by Google

„ geſimæ diebus *Alleluia* decantant præter in ultima hebdomada Paſchæ: „ quod deinceps interdicimus fieri, ſtatuentes, ut in omnibus prædictis „ Quadrageſimæ diebus, quia tempus eſt non gaudii, ſed mœroris, *Al-* „ *leluia* non decantetur.“ S. Isidorus de eo more in *Hiſpania* teſtatur, *Lib. I. de off. eccleſ. c. 13.* quatenus ab *Africano* fuerat diverſus: „In *Africanis* autem regionibus „ non omni tempore, ſed tantum dominicis diebus, & quinquaginta poſt „ Domini reſurrectionem *Alleluia* cantatur. Verum apud nos ſecundum „ antiquam *Hiſpaniarum* traditionem præter dies ieiuniorum vel Quadra- „ geſimæ omni tempore canitur *Alleluia*.“ Attamen S. Benedictus eiuſ- *C. 15.* dem moris in *Italia* nobis teſtis eſt, qui in ſua regula a Pentecoſte ad Caput Quadrageſimæ omnibus noctibus cum ſex poſterioribus pſalmis ad nocturnos, omni vero tempore extra Quadrageſimam cantica &c. cum *Alleluia* dici præcipit. Mutatus poſtea hic mos apud nos eſt iuxta Conventum *Aquisgran.* an. 817. *ut* Alleluia *in Septuageſima dimittatur.* Amalarius hanc mutationem iam ad tempora Gregorii M. refert: inter alia eius iuſſu factum, ut monachi varietates officiorum per annum communiter cum *Romana* eccleſia obſervarent, ac cum Clericis *Alleluia* in Se- *Supplem. apud Mabill. Analect. p. 99.* ptuageſima dimitterent. Modum vero ita explicat: „Monachis, qui in „ noſtris provinciis ſunt, mos eſt unanimiter nobiſcum in Septuageſima „ *Alleluia* dimitti: & ea die tantum, nocte reſponſoria cum *Alleluia* re- „ citari.“ In reſponſali S. Gregorii in eius edit. nov. PP. *San-Maurenſium* cernere licet, qua cum pompa multiplicando *Alleluia* hac die dimiſ- *De off. p. 42.* ſum tandem ſit poſt matutinas laudes. Idem etiam apud Ioannem *Abrincenſem* legitur, & apud Durandum de ritu vario in hac re ſuo tempore variis in eccleſiis; *Micrologus* vero eum morem nobis declarat, qui *C. 47.* nunc obtinet, veluti ex inſtitutione Alexandri II. *Alleluia etiam in ſabbato ad veſperam iuſſit dimitti ante Septuageſimam.* Et ita in variis ordinibus oper. Dei *Alemanniæ* noſtræ deprehendi, atque expreſſe quidem in *Turicenſi* an. 1260. „In Septuageſima ad veſperas ant. pſ. Benedictus „ & cæteros pſalmos, ymnus cantemus. ℣. *Veſpertina oratio aſcendat ad* „ *te Domine.* In evang. ant. ymnum & ad finem iſtius antiphonæ non „ canitur *Alleluia.* Nullum etiam *Alleluia* ad horas nocturnales vel diur- „ nales vel ad miſſam abhinc uſque ad vigiliam Paſchæ dicitur aut ca- „ nitur.“ In libro ord. inter noſtra monumenta: „In ſabbato Septua- „ geſimæ ad veſperam ſuper pſalmos, & in evangelio *Alleluia*.“ Agit de hac re Berno ad Meginfridum &c. *de varia pſalmorum atque cantuum modulatione*, ubi inter alia tractans *de ſolemnitate, quæ LXX. prætitulatur, quæ ad veſperam incipit, & contra morem eccleſiaſticum ad matutinas deſinit.* Ubi nimirum ritu frequenti ad matutinas Laudes primum *Alle-*

Digitized by Google

Alleluia fuit depoſitum. Quod improbat. *Igitur*, inquit, *rectius mihi videretur ut ipſius* ALLELUIA *cantus in VI. feria ad veſperam inciperetur & per diem ſabbatum celebraretur, & in veſpera cum Alleluiæ cantu in Domini laude finiretur.* Nihilominus contrarium apud nos obtinuiſſe patet ex ord. operis Dei, qui ſcriptus ſæc. XIV. uſque ad XVI. apud nos uſitatus fuit. Id vero nota, HONORIUM *Auguſtodunenſem* iuxta lunæ curſum ad certum diem hoc figere: *In ſecundo menſe decima luna* ALLELUIA *deponitur.* Et ſic antea dixerat: *Septuageſima incipitur in decima luna ſecundi menſis.* De *Gloria in excelſis Deo* a Septuageſima omitti ſolito diximus ſupra, perinde ac de ſequentia in locum *Alleluia* ſubſtitui ſolita, ut tamen diſpenſaretur, veluti in ſtatutis ſynod. Io. epiſcopus *Leodienſis* an. 1287. ſtatuit „prout (inquit) anteceſſores noſtri ſtatuerunt, quod „ in feſto Annunciationis & in feſto Purificationis B. Virginis, quando in- „ fra Septuageſimam evenerint, *Te Deum, Gloria in excelſis, & ſequen-* „ *tia* cantentur.“

Sacrament. C. 1.

T. III. Conc. Germ. p. 699.

III. Inter accuſationum capita eccleſiæ orientalis contra occidentalem hoc quoque erat, *eoquod octo hebdomadibus ante Paſcha a carnium & ſeptem hebdomadibus a caſei & ovorum eſu more ſuo non ceſſamus*, ut ſcribit NICOLAUS I. ad HINCMARUM *Remenſem.* Et PHOTIUS ad Patriarchas Orientis: *Primam ieiuniorum, quadrageſimalium ſcilicet, ſeptimanam de cetero ieiunio diſcerpentes in lactis potionem, caſei eſum & ſimilium ingurgitationem traxerunt.* Apud *Græcos* variis veluti gradibus ad ſtrictius ſemper ieiunium proceditur, prima ipſis hebdomada vocatur προφωνήσιμος, quæ ipſis etiam Αρτζιβύριον vocatur, ſeu Αρτζιβούριον. De qua nomenclatura ALLATIUS in diſſertatione de dominicis & hebdomadibus *Græcorum* ex *Græcis* auctoribus fabulam quamdam de cane mortuo affert, quam Card. QUIRINI explodit, convenientiusque *Artziburii* vocabulum indicare nuncium prodromum ieiunii (videlicet, quod Orientales magnum vocant) proxime futuri eſſe vult, quæ hebdomada etiam nomen habet ab evangelio τοῦ τελώνου καὶ Φαρισαίου, quod in eo de publicano & Phariſæo parabola proponatur. Secundam in Triodio ſeu officio quadrageſimali *Græcorum* dominicam itidem ab evangelio, quod in ea legitur, nomen ſuum trahentem τοῦ Ἀσώτου, *filii prodigi* reſpondere dominicæ Septuageſimæ dicit, quæ MORINO hebdomas προφωνήσιμος, P. LEQUIEN vero τῆς ἀπόκρεω, *carnis privii*, demum Septuageſimæ noſtræ reſpondere exiſtimatur, quam QUIRINUS tertio loco ponit in Triodio, cuius officium ex codice *Barberino* edidit, ſequiturque hebdomas τῆς τυροφάγου, quod in ea adhuc liceat comedere caſeum, ova, butyrum, quod deinceps vetitum eſt, unde ſequentes hebdo-

De varia epocha auſpicandi ieiunium.

Epiſt. 70.

Epiſt. 2.

Diatr. IV. in Triod.

Append. de pænit. p. 122

Diſſert. Damaſc. p. LXVIII.

madæ τῶν νηςειῶν, *ieiuniorum* proprie vocantur, noſtræque iuxta Quirinum reſpondet primæ dominicæ in Quadrageſima, novem computatis dominicis a προφωνησίμω, ſeu *nuntiatoria*.

Id innuere videtur Ratramnus *Corbeienſis* monachus in reſponſione ad obiecta *Græcorum*, ubi variam tam Orientis quam Occidentis notat obſervantiam. „ Tranſeamus iam (inquit) ad illud, quod de Quadrageſima „paſchali conantur redarguere dicentes, quod non ieiunemus ſicut illi, „ octo hebdomadas ante Paſcha a carnium, & ſeptem hebdomadibus a ca- „ſei & ovorum eſu more ſuo non ceſſemus. Sic iſta dicentes, hanc illo- „rum conſuetudinem omnes orientales & occidentales præter *Romanos*, ec- „cleſiæ obſervent. Quandoquidem tam in orientalibus quam in occiden- „talibus eccleſiis multa diverſitas inveniatur, ſicut iam ſuperius oſtenſum „eſt, aliis ſex hebdomadibus præter dominicam eccleſiis ante Paſcha ieiu- „nantibus, aliis ante ſex ſeptimanas, aliis ante ſeptem ſeptimanas Paſchæ „ieiunium inchoantibus. Id eſt, quidam ieiunium paſchale inchoant ſex- „ta hebdomada ante Paſcha, nonnulli ſeptima, plures octava. Superaddunt „etiam alii nonam.“ Paullo ante vidimus eandem Caroli M. computationem in epiſtola I. nunc ex ſecunda referre etiam iuvat obſervantiam eiuſdem ieiunii ſecundum varietatem illam hebdomadarum: „Quadrageſima „velut patuit, propterea ieiunatur, ut ieiunantium tempus vel potius in „tempore caro Domino decimetur. Quinquageſima ideo dicitur & obſer- „vatur a nonnullis, ut & decimas dierum ieiunando omnipotenti Deo „offerre valeant, & imitari Dominum Chriſtum, qui quadraginta diebus „ieiunium ſacratiſſimum implevit. A Quinquageſima namque uſque in „Paſcha ſeptem hebdomadæ ſunt, quæ faciunt dies quadraginta novem, „ex quibus ſi ſeptem dominicos dies abſtraxeris, in quibus non licet ie- „iunium obſervare, remanent quadraginta & duo dies, & hi duo dies, „quinta videlicet, & ſeptima feria, qui quadrageſimum numerum exce- „dunt, apud quoſdam in refectione propter Cœnam dominicam & ſanctum „ſabbatum habentur. Sexageſima autem, ut æſtimamus, propterea a non- „nullis obſervatur, ut & decimas dierum corporis ſui Deo omnipotenti „dare poſſint, & demum Hiesum Chriſtum in quadragenario numero par- „ticulatim ieiunando imitari, & ut prima & quinta feria a ieiunio vacare „debeant; Sexageſima quippe uſque in ſanctum diem reſurrectionis octo „hebdomadæ ſunt, ex quibus, ſi de ſingulis hebdomadibus primam & „quintam feriam abſtraxeris ante ſanctum diem Paſchæ, quadraginta tan- „tum dies remanent in abſtinentia.“ Ratio hæc in Oriente etiam locum ideo habere potuit; quia ſabbato pariter, ac dominica a ieiunio vacant; neque tamen Socrates & Sozomenus ultra ſeptem hebdomadas numerant.

Miſſ. Later. p. 42.

Lib. V. hiſt. c. 21.

Digitized by Google

ſant. „Nam, qui ſunt *Romæ* (inquit Socrates) tres ſeptimanas ante Pa-
„ſcha ſabbato & dominico exceptis ſimul ieiunant: qui autem in *Illyria*
„& tota *Græcia*, quique *Alexandriæ* habitant, ante ſex ſeptimanas ieiunia,
„quæ ante Paſcha fiunt, ordiuntur, illudque tempus Quadrageſimam
„nuncupant; alii præter horum conſuetudinem ſeptem ſeptimanas ante il-
„lud feſtum initium ieiunandi facientes, quamvis quindecim ſolum dies
„quibusdam intervallis interpoſitis ieiunent, nihilominus tamen tempus il-
„lud Quadrageſimam vocant.“ Qui certe ſibi haud cohæret computus,
ac duplex error manifeſte ſe prodit circa *Romanam* obſervantiam: primum,
quod ad tres ſeptimanas reſtringat ieiunium, deinde quod ſabbatum cum
dominica a ieiunio exemptum *Romæ* dicat, cum S. Leo & Cassianus
ſex hebdomadarum ieiunium *Romæ*, nec Sozomenus pauciores uſ- *Lib. VII. c.*
piam notet: „Iam illam (inquit) quæ huic præceſſit, quæque appel- *19.*
„latur Quadrageſima, in qua populus ieiunat, alii ſex dierum ſeptima-
„nas computant, ut *Illyrici*, & qui ad Occidentem ſiti ſunt, nec non &
„univerſa *Lybia* & *Ægyptus* cum *Palæſtinis*: alii ſeptem, ut *Cpolitani* & na-
„tiones circumiacentes uſque ad *Phœnices*.“ Nec tamen hic eouſque pro-
ducit, quo apud *Græcos* ἀπόκρεων, ſeu *carnis privii*, quæ reſpondet Sexa-
geſimæ noſtræ, inchoatur, atque ſic in antiquiſſimo noſtro Capitulari Ord.
eccl. notatur: „*Græci* autem a LX.^{ma} de carne levant ieiunium. Monachi
„vero & *Romani* devoti vel boni Chriſtiani a L.^{ma} levant, primum autem
„ieiunium IV.^{ta} & VI.^{ta} feria poſt L.^{ma} id eſt ante Quadrageſima apud
„eos publice agitur.“

Breviarium Ord. eccleſ. poſtquam de celebratione Septuageſimæ & Sexa-
geſimæ dixiſſet, hæc ſubiungit de ieiunii exordio apud nos: *Monachi ve-
ro & Romani devoti vel boni Chriſtiani a Quinquageſima, ruſtici autem &
reliquum vulgus a Quadrageſima.* Non eo uſque aſcendit, ſcilicet ad Se-
ptuageſimam, ut obſervantiam quorumdam ex Caroli M. epiſtola retu-
limus, quam monachis tribuit Petrus *Bleſenſis*; *Ieiunium quadrageſima-* *Serm. 13.*
*le regulares cœnobitæ incipiunt a Septuageſima. Græci vero a Sexageſima.
Clerici vero noſtri autore Teleſphoro Papa a Quinquageſima.* In Remedii *Gold. T. II.*
Curienſis epiſcopi *Alemannicæ* eccleſiæ veteribus canonibus refertur decre- *p. 127.*
tum illud ex ſuppoſititia Telesphori epiſtola de ieiunio ſeptem hebdo-
madarum ante Paſcha a Clericis obſervando. Supra adduxi ex Capitul. *A-
quisgranenſi* an. 817. cap. 87. quo monachi a Quinquageſima uſque ad Pa-
ſcha a pinguedine abſtinere iubentur, quod butyrum cum lacticiniis inter-
pretari licet, reſpondetque uſui *Græcorum* mox memorato. De ieiunio
vero apud nos a Quinquageſima uſque inſignis locus eſt in vita S. Udalrici, *Sæc. V. ord.*
ſcilicet *ea dominica, in qua mos eſt Clericorum ante Quadrageſimam carnes* *S. Bened. p.*
man- *437.*

Digitized by Google

manducare & deinceps uſque ad ſanctum tempus Paſchæ devitare. Id eſt, ut Mabillonius adnotavit dominica Quinquageſimæ; quæ dominica *carnis privium* ſacerdotum appellatur apud veteres, ut apud Willelmum *Neubrigienſem* in lib. V. cap. 10. In Wilhelmi epiſcopi *Pictavienſ.* teſtimonio de Concilio *Claromontano* hoc refertur eius Concilii anno 1095. ſtatutum: *Vetitum eſt etiam Laicis a die Cinerum ad feſtum Paſcha carnibus veſci. Clericis autem & in eccleſia promotis, a Quinquageſima dominica ad diem reſurrectionis Domini.*

Vid. Gloſſar. Congian. H. V.
T. XII. Conc. ed. Ven. p. 838.

In concilio *Salisburg.* an. 1281. c. 3. *de ieiunio religioſorum: & a Quinquageſima eisdem præcipimus ieiunium in cibis quadrageſimalibus inchoari; ſalvis omnibus ieiuniis aliis a ſuorum regulis inſtitutis.* Et in ſtatutis ſynodal. eccleſiæ *Leodienſis* an. 1287. *Item præcipimus omnibus ſacerdotibus ſub pœna ſuſpenſionis & excommunicationis, quod feria ſecunda & tertia ante diem Cinerum ab eſu carnium abſtineant.* Quem uſum in eccleſia *Viennenſi* tantum uſque ad an. 1100 perſeveraſſe teſtatur De-Moleon, atque in eius rei memoriam adhucdum diem lunæ eius hebdomadæ vocari *Lun di gras.* In liturgia *Mozarabica* dominica illa vocatur *carnis privii ſeu ad carnes tollendas.*

T. III. Conc. Germ. p. 654.
T. XIV. Conc. p. 1132.
Voy. liturg. p. 35.

Mox de Fer. IV. *Cinerum* ſeu *in capite ieiunii* dicturi, attingemus, quæ Thomasius Menardo, & Vezzosius Mabillonio opponit, dum is, quæ in Lectionario *Gallicano*, Miſſali *Gothico* & ſacramentario *Gallicano* habetur miſſa, in initium Quadrageſimæ, pro dominica prima, aut die ſequenti coniicit ponendam, quod necdum Quadrageſima tunc inciperet a feria IV. Cinerum, id quod ex allatis ſupra canonibus Conc. I. & IV. *Aurelianenſis* firmari poſſe videatur, in quibus reiecta Quinquageſima & Sexageſima, Quadrageſimæ obſervatio ſtabilitur, quod etiam ad noſtram *Alemanniam* pertingere potuit, habeturque in oratione Secreta illius diei in noſtris ſacramentariis *quadrageſimalis initii* mentio, atque uſque in hodiernum diem apud nos manſit dominicæ primæ appellatio *die alte Faſnacht*, prioris vero, id eſt, Quinquageſimæ *die Herren-* ſeu *Pfaffen-faſnacht.* Nota hic, quod mox retulimus ex breviario ordinis eccleſ. ruſticos & reliquum vulgus a Quadrageſima initium ieiunii facere. Quæ forte verba atque diſtinctio perſonarum ad conciliandos hos auctores appoſita ſit, ut prius a Clero, aut etiam a pœnitentibus ieiunium a feria illa quarta initium acceperit, quam a promiſcua fidelium plebe.

T. VI. opp. præf. pag. XXXVII. p. 15. 16. 269. 270. T. VII. p. 187. &c.

In ſacramentario *San-Gallenſi* compoſito ex trino ritu Fer. IV. Ciner. nullum legitur officium miſſæ *Ambroſianum* uſque ad ſequentem Dominicam, inſcriptam *in Capite* Quadrageſimæ, ut iam notavi. Mos is uſque ad S. Carolum *Borromæum* fuit *Mediolanenſis* eccleſiæ, de quo vide Mu-

RA-

RATOR. T. IV. antiquit. *Ital.* p. 852. vitam S. CAROLI, ac concilia ab eo habita *Mediolani.* Sed non perduravit ævum mos pius.

IV. Homilia quædam MAXIMI *Taurinenſis*, qui ſæc. V. vixit, extat in evangelium, quod hodie fer. IV. Cinerum legitur: *Cum ieiunatis &c.* quæ ſic incipit: „Quia nonnullorum eſt conſuetudo advenientis Quadra„geſimæ dies devotiores ieiunio prævenire, neceſſario præſens evangelii „decurſa eſt lectio, in qua Dominus noſter virtutum ſpiritualium retri„butor ſanctam nobis perfectamque dedit regulam ieiunandi dicens: *Cum* „*ieiunatis, non eritis ſicut hypocritæ triſtes.*" Necdum vero *Romæ* tempore S. GREGORII id obtinuiſſe ex eius homilia 16. in evangelia colligimus: „A præſenti enim (inquit) die uſque ad paſchalis ſolemnitatis „gaudia ſex hebdomadæ veniunt, quarum videlicet dies quadraginta duo „ſunt: ex quibus dum ſex dies dominici abſtinentiæ ſubtrahuntur, non „plus in abſtinentia, quam triginta & ſex dies remanent." Locum hunc AMALARIUS reſpexit, ſic de fer. IV. Cinerum ſcribens: „Opinio „eſt aliquorum, ut propterea hac die inchoetur ieiunium quadrageſimale, „quia exceptis diebus ſex dominicis infra Quadrageſimam quadraginta „tantummodo ſunt a memorata feria uſque in Sabbato ſancto. Illud enim „occurrit, quod S. GREGORIUS tantummodo triginta & ſex dies abſtinen„tiæ nobis inſinuat quadrageſimalis temporis: forſan quia nondum erant additi quatuor dies a ſupradicta feria quarta uſque ad dominicam Quadrageſimæ." *Micrologus* ex ſacramentariis antiquis argumentum repetens hoc ipſum S. GREGORIUM initiaſſe ſtatuit, ut tamen agnoſcat ſubſequentem dominicam proprie initium Quadrageſimæ dici: „Sciendum autem „(inquit) non ſolum modernos, ut quidam putant, ſed & antiquos a ca„pite ieiunii incepiſſe, cum & S. GREGORIUS ibi quadrageſimalia officia „videatur initiaſſe. Sic enim in *Gregorianis* ſacramentariis, ſive Gradua„libus evidentiſſime declaratur. Subſequens tamen dominica proprie ini„tium Quadrageſimæ dicitur." In ſacramentario *Gelaſiano* primum occurrit miſſa cum titulo: *Orat. & preces a Quinquageſ. uſque Quadrageſ.* ac mox: *In ieiunio prima ſtatio feria IIII.* Sic porro feria VI. & VII. ſubiungitur, omiſſa, ut alias, fer. quinta. Eiſdem feriis in antiquiſſimo Calendario *Rom.* a MARTENIO edito evangelia adſcribuntur, ubi tamen deinceps etiam pro feria quinta habentur, atque antea pro Septuageſima, Sexageſima & Quinquageſima, quæ ex dictis dicendiſque argumento ſunt, non eſſe tantæ antiquitatis Calendarium iſtud, ut putavit MARTENIUS ſæc. IV. ſcilicet finientis, aut ordientis ſæc. V. Pro feria IV. Cinerum aſſignatur evangelium *Cum ieiunatis &c.* quod pariter ex MAXIMO *Taurinenſi* notavimus,

Feria IV. Cinerum.

Lib. I. de off. eccl. c. 7.

Vid. Vezzoſii not ad Sacram. Gelaſ. T. VI. opp V. Thomaſii p. 16. C. 49.

T. V. Theſ. Anecd. pag. 69.

Digitized by Google

vimus, ſed ſimul intelleximus, non communem fuiſſe obſervantiam eo die inchoandi ieiunium.

pag. 17. Nota quidem in appendice antiquiſſimi Ord. *Romani*, a MABILLONIO editi, titulum III. Fer. IV. initium Quadrageſimæ, ſed mox ſe prodit primum poſt CAROLUM M. hæc fuiſſe adiecta ex his verbis: *Nam ſabbato tempore Adriani inſtitutum eſt, ut flecteretur pro Carolo rege, antea vero non fuit conſuetudo.* His tamen nihil obſtantibus Ven. THOMASIUS in ſingulari opuſculo, quod extat T. VII. Opp. p. 187. contra MENARDUM, & eius operum editor contra MABILLONIUM paullo ante citatum tuentur feriam IV. in capite ieiunii non eſſe S. GREGORIO M. poſteriorem primario *Gelaſiani* ſacramentarii argumento, in quo feria illa quarta ante dominicam primam Quadrageſimæ inſcribitur *in ieiunio prima.* In ſæpe laudato ſacramentario *San-Gallenſi* ſæc. circ. X. in quo officia ſuis auctoribus GELASIO, GREGORIOque adſcribuntur, pro ſingulis feriis illis miſſa *Gelaſiana* notatur; ita quidem, ut feria IV. orationes (in quarum prima, ut in illa *Gelaſ. Incboata ieiunia* exprimitur ieiunium) geminato GG. *Gregoriana* dicantur, excepta Præfatione *Qui corporali ieiunio &c.* ubi nihil adnotatur. Quæ tamen Præfatio manifeſte prodit feriam illam cum ieiunio fuiſſe transactam. Id quod aliis etiam cum monumentis probet THOMASIUS, miror nec VEZZOSIUM attigiſſe rubricam, quæ habetur iam in *Gelaſiano* ſacramentario, ut in noſtro *San-Gallenſi* ad ordinem agentibus publicam pœnitentiam eiuscemodi: *Suſcipis eum IIII. Feria mane in capite Quadrageſimæ.* In antiquiſſimo codice *Rhenaug.* inſcribitur: *Feria IV. caput de ieiuniis,* ut in gemino *San-Gallenſi,* & aliis, quaſi ad diſtinctionem Quadrageſimæ.

Sæc. V. Ord. S. Bened. p. 614. vita S. ETHELWOLDI epiſcopi *Winton.* ad annum 963. ſabbatum in capite Quadrageſimæ notatur „dum monachi venientes de *Abbandonia* ſtarent „ad ingreſſum eccleſiæ Clericos miſſam finire communionem canendo, *ſer„vite Domino in timore &c.*“ Quæ hodieque canitur ſabbato ante dominicam primam Quadrageſimæ. Sed potuit nomen iſtud generalius ſumi pro quatuor illis diebus, vel ſecundum morem necdum ubique inolitum, ut ab omnibus ieiunium celebraretur, aut certe Quadrageſimæ nomine non veniret. Sic in antiquiſſimo breviario & Capitulari Ord. eccleſ. notatur: „Primum autem ieiunium IV. & VI. feria poſt Quinquageſima, id „eſt una hebdomada ante Quadrageſima apud eos publice agetur.“

Ritum *Ambroſianum* contrarium iam notavimus. Obſervat nihilominus MURATORIUS ex vetuſtiſſimo mſc. miſſali *Ambroſiano*, quod in bibliotheca *Ambroſiana* aſſervatur, in officio feriæ IV. & fer. VI. infra Quinquageſimam ieiunii inchoati mentionem fieri, cum ſcilicet feria V. tantum a ieiunio vacaret; at in noſtro antiquiſſimo ſacramentario eiusdem ieiunii etiam

iam

Digitized by Google

ſam in officio feriæ V. fit mentio. Ubi ordinem agendi pœnitentiam fer. IV. ex codice *San-Gall.* ſupplemus, habetur tamen in *Gelaſiano* ſacramentario, ac aliis ſacramentariis a MARTENIO notatis, CAROLO M. ſaltem æqualibus, qualis etiam eſt *San-Gallenſis*, cuius ætate necdum dierum illorum ieiunium obtinuiſſe exiſtimavit THOMASINUS. Eiusdem ritus meminit CHRODEGANGUS in ſua regula anni 762. De eo egimus ſupra, etiam qua ratione uſus cinerum ſucceſſu temporis fidelibus communis fuerit redditus, ante pauca adhuc ſæcula humiliori ritu nudis pedibus tranſactus, ſaltem in cœtibus monaſticis, ut in ordine noſtro operis Dei ſæc. XIV. & aliis invenimus.

De diſcipl. eccl. c. 18.

De ieiun. P. II. c. 20

V. Feriæ V. per Quadrageſimam officium, quod in *Gelaſiano* vulgato ubique deſideratur, in noſtris habetur quidem, ſed variat, notatur etiam in antiquiſſimis Calendariis a MARTENIO & FRONTONE editis cum aſſignatis evangeliis. Ex illis ſunt, quæ GELASIO etiam ſuperiora cenſentur ætate. In ſæpe laudato ſacramentario *San-Gallenſi* ſæc. circ. X. (in quo plerumque miſſis GELASII vel GREGORII aut AMBROSII nomen præfigitur) ſingulis feriis quintis per Quadrageſimam duæ ut alias, aſſignantur, quarum prima *Gelaſii* nomine inſignita eadem ſemper eſt, quæ in antiquiſſimo ſacramentario *Alemannico* cod. *Rhenaugienſis*, ſuppleti ex *San-Gallenſi* ſuppari, habetur. Unde etſi argumentum, quod ex omiſſione officii eius feriæ pro vulgato *Gelaſiano* ſacramentario petitur, vacillet, antiquiſſimus tamen mos manifeſtatur, olim feriam quintam a ieiunio fuiſſe immunem; quapropter etiam officio proprio ſaltem alicubi vacare potuit. In laudata epiſtola II. CAROLI M. ad MELCHIADIS decretum provocatur, *ut nulla ratione in prima vel quinta feria ieiunium quis de fidelibus agere præſumeret.* *Walafridus* STRABO nobis indicat officium tunc ex dominica fuiſſe repetitum: ut, quia feſtiva erat velut dominica, etiam diei dominicæ celebris haberetur. Eius rei veſtigium hodie adhuc e. g. infra octavam Penteconſtes habetur, quæ etiam in antiquiſſimo noſtro ſacramentario officio caret. „*Micrologus* (qui omnia, quæ ex CAROLO M. retulimus, complexus eſt, præterea ſubdit ex WALAFRIDO aliquibus ex ſua „penu additis) ſed quia eadem feria ieiuniis poſtmodum applicata eſt, ut „reliquæ GREGORIUS iunior (id eſt, II.) ſtatuit eſſe ſolennem officiis un„dequaque collectis, & maxime æſtivalibus dominicis, unde & antipho„næ ex dominicalibus evangeliis quintis feriis adhuc aſcriptæ reperiun„tur, ut ex evangelio *Homo quidam erat dives:* & *Ibat IESUS:* & in „hebdomada quoque Pentecoſtes, quinta feria officio dominicæ inofficia„tur.“ In præfat. P. II. ſacramentarii, cuius auctorem facit PAMELIUS

De feriarum per Quadrageſimam officiis.

De rebus eccl. c. 20.

Cap. 50.

Grimoldum abbatem, dicitur, hæc officia olim virgulis antepoſitis fuiſſe iugulata, quia nimirum poſt S. Gregorium addita. At vero ſi *Micrologo* poſt Anastasium & Walafridum fides adhibenda in eo foret, quod de Gregorio II. dicit, perperam illa omnia ſacramentaria, in quibus extant miſſæ Feriæ V. Gregorio M. adſcriberentur: falleretque ubique inſcriptio ſacramentariorum antiquiſſimorum tum editorum cum manuſcriptorum.

In antiquiſſimis noſtris breviario & capitulari ord. eccleſ. ſicut infra Quinquageſimam, ita prima hebdomada Quadrageſimæ nihil memoratur de officio feriæ, ſed nec de ſecunda & tertia ob aliam rationem: „Prima „ vero hebdomada in Quadrageſima IV. & VI. feria & ſabbato ſtationes „ publicas faciunt, ieiunium & XII. lectiones in ipſo ſabbato conſumantur, & ſi fuerit ipſo ſabbato de *Martio* menſe ordinationes faciant.“ Idem obſerva in antiquiſſimo noſtro antiphonar. dominical. quod in codice ſacramental. *Rhenaug.* eadem manu a mille circ. annis ſcriptum habetur. Cumque in ſacramentario pro ſingulis feriis orationes miſſales habeantur, in antiphon. nullo certo ordine pro feriis quibusdam quadrageſimalibus officia aſſignantur.

In cod. *San-Gallenſi* ſæc. circ. X. in quo cum *Gelaſiano*, & *Gregoriano* integrum pro tota Quadrageſima extat *Ambroſianum*, nihil tamen habetur in feriis ſextis nec quidem Paraſceve; uti etiam in antiquiſſima
T. V. p. 425. lectionum tabula apud Thomasium; dum quidem in liturgia *Ambroſiana* notavit Pamelius feriarum ſextarum excepto Paraſceve deeſſe officia, id-
T. IV. Rer. Ital. p. 854. que hodieque obſervari ritu *Ambroſiano* teſtatur Muratorius; cum tamen ex S. Ambrosio conſtet ſingulis diebus Quadrageſimæ conventus fuiſſe celebratos, ac etiam communionem populi: „In Quadrageſima vero mo-
Serm. 25. „ neo (inquit) ut omni die, aut ſaltem, ut dixi, omni dominica offe-
Ad verſ. 6. „ ratis & communicetis.“ Et in pſalm. 118. „Indictum eſt ieiunium: *ca- „ ve ne negligas, & ſi te fames ad quotidianum cogit prandium, aut in- „ temperantia declinat ieiunium; tamen cœleſti te magis ſervato convi- „ vio.*“ Meminit deinde diverſitatis in officio vel ad veſperam, diebus nimirum ieiunii, vel meridianis horis. „Plerique (inquit) ſunt eiusmodi „ dies, ut ſtatim meridianis horis adveniendum ſit ad eccleſiam.“ Idem
Cap. 10. nihilominus *De Elia & ieiunio.* „Quadrageſima (inquit) totis fere præ- „ ter ſabbatum & dominicam ieiunatur diebus.“

Sabbati officium in Calendar. Frontonis deſideratur. De hoc extat canon 12. conc. *Agathenſis*. *Placuit, ut omnes eccleſiæ filii exceptis diebus dominicis in Quadrageſima etiam die ſabbati ſacerdotali oratione & diſcretionis communione ieiunent.* In conc. *Aurelianenſi* quarto poſt allatum

tum

tum ſtatutum de Quadrageſima, non Quinquageſima vel Sexageſima ieiunii indicenda, ſubditur: *ſed neque per ſabbata absque infirmitate quisquam ſolvat ieiunium, niſi tantum die dominico prandeat.* Ubi putat Mabillonius Sexageſimam aut Quinquageſimam feciſſe, qui ſabbatum a ieiunii religione eximebant, quod convenit cum relatis ex Caroli M. epiſtola etiam quoad feriam quintam, quando fuit a ieiunio ſoluta.

De Lit. Gall. pag. 185.

Sic ratio patet, quomodo tandem fixum ſit quadrageſimale ad ſuos terminos ieiunium. Quod pro veteri pietate ſemper etiam cum divini officii celebratione fuit coniunctum. In concilio *Aurelianenſi* II. ſtatuitur: „Ut nulli civium Paſchæ, Natalis Domini, vel Quadrageſimæ ſolemnia in „villa liceat celebrare, niſi quem infirmitas probabitur tenuiſſe.“ Et in *Cæſarauguſtano*: „Ne Quadrageſimæ diebus ab eccleſiis fideles abſint. Et „ad alienas villas agendorum conventuum cauſa non conveniant.“ Officia ſcilicet hæc ſolemniter in præcipuis eccleſiis celebrari conſueverant, unde etiam Clerici tunc convenire ſolebant, atque in Quadrageſima rationem officii ſui epiſcopis ſic commode reddebant, quod in ſynodo *Germanica*, cui *Alemanniæ* epiſcopi aderant, ſtatutum eſt ſub S. Bonifacio; „Ut presbyteri ſuis epiſcopis pareant, munerisque ſui rationem eis quot„annis in Quadrageſima reddant.“ Quod in Capitul. Caroli M. an. 769. c. 8. repetitur.

Can. 24. *Can. 2.* *An. 742.*

VI. Qui vero a ieiuniis ſoluti erant dies, veluti dominica, in iis olim nec ciborum delectus promiſcue erat uſitatus, carnesque edebantur adhuc initio ſæc. XII. iuxta De-Moleon, quare etiam, ut mox notabimus, Præfatio, *Qui corporali ieiunio non canebatur*; nec una erat ratio iſtius delectus ciborum.

De abſtinentiæ Quadrageſ. obſervantia. *Voyage liturg. p. 313.*

Concilium *Laodicenum* præſcribit univerſim de Quadrageſima per totos hos dies ieiunare & arido victu uti, νηστεύειν ξηροφαγοῦντας Genus abſtinentiæ xerophagiorum iam etiam in veteri teſtamento eſſe frequentatum multis declarat *I. Rud.* Kiesling ad uberiorem *Ezech. IV.* 9. interpretationem ſingulari diſſert. ed. *Lipſ.* 1746. Ex veteribus vero ad ſententiam uſumque *Montaniſtarum* ſæpe de hoc abſtinentiæ genere agit Tertullianus; alii vero pium eccleſiæ inſtitutum celebrant, præſcribuntque Conſtitutiones Apoſt. Theophilus *Alex.* in epiſt. III. Paſchali, eſtque iuxta Epiphanium panem duntaxat cum ſale & aqua ſub veſperam adhibere, id quod, conſtitutionibus apoſtolicis conformiter, per ultimam tantum hebdomadam *ſex illos dies Paſchatis* conſuetum dicit ad finem libri de hæreſ. ubi varietatem circa obſervantiam delectus ciborum apud monachos ſequentibus annotat verbis: „Sunt & alia in eadem catholica inſtituta vivendi præſtan-

Can. 50.

„ tia, nimirum quod alii carnibus prorſus abſtineant, tam quadrupedum „ & avium, quam piſcium, nec non ovis & caſeo. Tum ſunt alia vitæ „ genera, propter quod unusquisque ſecundum proprium laborem merce„ dem accipiet. Igitur ſunt, qui omnibus illis abſtineant, alii quadru„ pedibus dumtaxat, ſed avibus ac cæteris veſcuntur, alii etiam ab avi„ bus temperant, ova & piſces adhibent: alii etiam ova repudiant. Sunt „ qui ſolos piſces retineant, quibus nonnulli etiam abſtinent, qui tamen „ caſeum ſibi permittunt. Alii vero caſeo non utuntur. Præterea quidam „ a pane abſtinent. Quidam ab arborum fructibus & coctis omnibus.“ Hæc ille quidem non de conſueto fidelium quadrageſimali ieiunio dicit, *Lib. V. c. 21.* ſed SOCRATES: „ Quin etiam (inquit) non de numero dierum ſolum di„ ſcrepant, verum etiam de abſtinentia a cibis variam ſequuntur ratio„ nem. Nam alii omnino ab omni animantium genere abſtinent: alii in„ ter animantia piſces ſolos comedunt: alii cum piſcibus volucres etiam „ manducant, easque ex aqua, ut eſt apud MOYSEN, naſci aſſerunt. Alii „ a fructibus, duris integumentis involutis, & ab ovis temperant. Alii ari„ do pane ſolo veſcuntur. Alii ne illo quidem. Sunt qui cum ad horam „ nonam ieiunaverint, variis ciborum generibus utuntur.“ S. CHRYSO*Hom. III. ad pop. Antioch.* STOMUS paſſim in homiliis de delectu ciborum agens altius evehit abſtinentiæ contentionem, ac meritum: „Quæ enim utilitas, cum avibus qui„ dem & piſcibus abſtinemus, fratres vero mordeamus & comedamus.“ *Hom. IV. p. 63.* Et poſtea: „Et ſicut quidam ſunt inter ſe ciborum abſtinentia æmulan„ tes, & mirabilem contentionem facientes; & hi quidem integros duos „ dies tranſigunt ieiuni, hi vero non vini tantum & olei, ſed & omnis „ ferculi uſum a ſua menſa reiicientes, pane & aqua utentes dumtaxat, „ Quadrageſimam omnem expediunt &c.“

Frequentius vero de abſtinentia a carne & vino mentionem ingerit S. CHRYSOSTOMUS, uti etiam SS. CYRILLUS, AUGUSTINUS & alii loquuntur. *Can. 10.* Atque ita concilium *Tolet.* IV de Quadrageſimæ & aliis ieiuniis ſtatuit: „ In „ quibus etiam præter piſcem & olus, ſicut & in illis quadraginta diebus „ cæteris carnibus abſtinetur, & in quibus etiam nec vinum bibitur. Si „ quis ergo epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus contra fecerit, ordinis „ ſui officio carere cogatur, & communione eiusdem Paſchæ privetur.“ Præceptum, quod hic Clericos tantum ſtringit, generalius eſt in concilio *Can. 9.* *Toletano* VIII. ad fideles promiſcue, ſed quoad carnes tantum: „ Quis„ quis ſine inevitabili neceſſitate atque fragilitate & evidenti languore, ſeu „ etiam impoſſibilitate ætatis diebus Quadrageſimæ eſum carnium præſum„ pſerit attentare, non ſolum reus erit reſurrectionis dominicæ, verum et„ iam alienus ab eiusdem diei ſancta communione.“ Notabilem hic inſe-

ram ex Collect. ſacramentarii *Gallicani* locum de præcepto quadrageſimalis ieiunii: „Nam ſicut reliquo anni tempore ieiunare præmium eſt: ita in his „diebus non ieiunare peccatum eſt. Illa enim voluntaria ſunt ieiunia; „iſta neceſſaria: illa de arbitrio; iſta veniunt de mandato: ad illa denique „invitamur; ad iſta compellimur.“ Apud Anonymum *San-Gallenſem* lib. I. de Geſtis Caroli M. tragicum ac ſingulare refertur exemplum: „Erat „quidam epiſcopus in *Francia nova* miræ ſanctitatis & abſtinentiæ, incom„parabilis etiam liberalitatis & miſericordiæ, cuius bonitate invidus omnis „iuſtitiæ hoſtis antiquus nimirum exaſperatus, tale illi deſiderium edendæ „carnis in diebus Quadrageſimæ immiſit, ut ſe abſque recraſtinatione mo„riturum putaret, niſi eiusmodi recrearetur edulio. Conſilio tandem mul„torum ſanctorum & venerabilium ſacerdotum roboratus, ut carnes pro „recuperatione ſanitatis acciperet, & poſtea per totum annum more ſoli„to ſe maceraret; ne ipſis inobediens, & vitæ ſuæ proditor inveniretur, eo„rum cedens auctoritati, & ultima neceſſitate conſtrictus, parum quid de „quadrupedante carne miſit in buccam, quod cum maſticare cœpit, & gu„ſtum illius ſenſu palati tenuiſſime percepiſſet, tanto tædio, faſtidio, vel „odio non ſolum carnium, ſeu cæterarum eſcarum, ſed & lucis ipſius & „vitæ præſentis cum ſalutis ſuæ deſperatione correptus eſt, ut ultra nec „manducare vellet, aut bibere, aut ſpem ſuam in Salvatore perditorum „ponere conſideraret. Cum autem hæc prima hebdomada Quadrageſimæ „gererentur, ſuggerebant ei prælati Patres, ut quia diabolica ſe illuſione „deceptum agnoſceret, acrioribus ieiuniis & contritione cordis, eleemo„ſynarum largitate momentaneum illud peccatum ſuper ducem extenuare „vel abluere niteretur.“ Notatur a Canisio lectio *ſuperducere* loco *ſuper ducem*, quæ nullum reddit ſenſum; illamque genuinam cenſeo ſynonymam voci *ſuperponere* a ſuperpoſitionibus, de quibus ſupra, & mox iterum attingemus. Narrat porro Anonymus, quomodo his aliisque exercitiis pietatis diabolica tandem patuerit, ceſſaritque deluſio.

Muſ. It. T. I. P. II. p. 305.

Apud Caniſium T. II. P. III. p. 65.

Monachis, quibus iugis abſtinentia a carnibus, aliis nihilominus temporibus aliquid pinguedinis indulgebatur in victu quotidiano, *Excepta feria ſexta & diebus octo ante Natale Domini, & a Quinquageſima uſque ad Paſcha*, ut habet Capitul. *Aquisgranenſe* an. 817. Id etiam antiquiſſimis aſcetis in more fuiſſe ex Eustatii *Sebaſteni*, ut *Iul.* Garnierius putat in præf. Conſtitut. monaſt. ſub S. Basilii nomine c. 25. colligitur: „Sed licet con„tingat, ut hoc obſonium ſale conditum, quod ſancti Patres, loco alterius „cuiuspiam condimenti adhibendum iudicarunt, tantillum aliis cibis ini„ciatur, immixtum ſcilicet reliquo edulio, aqua aut oleribus confecto, „neutiquam aſceta obtentu & nomine vanæ videlicet & voluntariæ pietatis,

vel-

Digitized by Google

„ velut qui carnes recuſet, alimenta pretioſiora ac delicatiora perquirat, ſed „ fruſtum panis citra attentionem intingens in minimi huius fruſti ſale con„ diti iuſculo cum omni gratiarum actione comedat. Nam minimum illud „ fruſtum in tantam aquæ copiam aut leguminum (ſi ita ſors ferat) inie„ ctum, non præfert delicias, ſed ſeveriſſima vereque aſperrima eſt abſti„ nentia aſcetarum. Oportet igitur, quæ eiusmodi ſunt, nequaquam a „ ſanctimoniæ cultore obſervari. Neque enim *Iudæorum* more, ſed deli„ ciarum ſatietatem fugientes, ab eiusmodi rebus abſtinemus." De fruſto lardi ſagimine ſeu pinguedine intelligendum eſt. In Gerardi *Cameracenſis* epiſc. decreto ſæc. XI. damnatur gravis ſuperſtitio, dummodo „ieiu„ nium in pane & aqua omni ſexta feria ſervarent, & in ſabbato a car„ ne & liquamine abſtinerent, ſoloque hoc contenti ieiunio in omnium „ peccatorum remiſſionem nullam ſibi aliam adiiciendam pœnitentiam."

T. III. Conc. Germ. p. 102.

In concilio *Salegunſtad.* an. 1022. c. 1. Ubi dies ieiunii aſſignantur apud Leibniz T. I. ſcript. *Brunſw.* habetur: *In abſtinentia ſint carnis & ſaginimis* pro *ſanguinis.* Paſſim apud Hergottum de ſagimine, adipe, ſeu pinguedine legitur exceptio in conſtitut. monaſt. Notatque ad laudatum canonem, Hildemarum *Francigenam* ſæc. adhuc IX. & Teuzonem *Italum* in ſuis in reg. S. Benedicti commentariis huius rei uſum impugnaſſe. De quo is in præfat. num. XCVI. & Du-Cangius voc. *Sagimen.* Ubi inter alia ex pœnitentiali Mſc. affert can. *A carne, ſagimine, & a caſeo, & ab omni pingui piſce abſtinere debes.* Bertholdus *Conſtantienſis* ad an. 1085. refert canonem concilii *Quendelburgenſis*, cui adfuerunt *Wirceburgenſis*, *& Wormatienſis*, *Auguſtenſis quoque & Conſtantienſis de Alemannia epiſcopi*, in quo ſtatutum, *ne quis caſeum & ova comedat in Quadrageſima.*

De vet. diſc. monaſt. p. 31.

Varia diœceſium *Alemannicarum* hodieque circa eiusmodi eſt obſervantia, nec tantus fervor, ut olim in ſuperpoſitionibus, quas vocabant ieiuniorum adiectiones ſpontaneas, *Græci* ὑπερθέσεις, de quibus ſupra, ubi de pœnitentia, prout ſæpe præprimis in pœnitentiali S. Columbani occurrit, in regulis item monaſticis, atque apud Ruinartum in paſſione SS. Iacobi & Mariani de Æmiliano milite chriſtiano, qui ad quinquageſimum prope ætatis annum cum carnis continentia pervenerat, continuatis in carcere gemina ſuperpoſitione ieiuniis & orationibus ſæpe repetitis &c. Vid. Menard. in Concord. Regul. c. 54. & Du-Cangium in Gloſſar. h. V. Hæc copioſius deduxi ob Proteſtantes ſelectum ciborum ac abſtinentiam a carnibus errori deputantes, quem ſemper deteſtata eſt in variis *Encratitarum* a prima ætate eccleſia, atque etiam medio ævo damnavit in *Manichæis*: „Qui (ut Trithemius ad an. 1051. in chronico *Hirſaug.*

Act. ſinc. p. 226.

„ *ſaug.* refert) inter alios pravi dogmatis articulos eſum cuiuscunque animalis, quod vitam habuit, ut mortale peccatum & pernicioſum damnabant." Quos Henricus Imp. „comprehendi fecit, & in errore pertinaces, ne macularent alios, laqueo ſuſpendi."

VII. Supra, ubi de ſtationibus agebamus, ſemiieiuniorum, ut Tertulliano dicebantur (quæ ad Nonam tantum protrahebantur, reſpondentem horæ noſtræ tertiæ pomeridianæ) mentionem iniecimus, extant vero innumera SS. PP. teſtimonia de ieiunio uſque ad veſperam, quod *Micrologus* ab aliis diſtinguit quoad Quadrageſimam: „In hoc enim (inquit) „ quadrageſimale ieiunium ab aliis differt diebus, quod in aliis poſt Nonam, in hoc autem poſt veſperam reficere debemus. Nec iuxta canones quadrageſimaliter ieiunare cenſemur, ſi ante veſperam reficimus." Edidit epiſtolam Amalarii Dacherius, quam etiam in codice *Einſidlenſi* reperi, ad finem lib. III. de officiis, de obſervatione Quadrageſimæ, in qua abuſum arguit mox poſt ſignum ad Nonam edendi, cum primum tunc ad divinum officium concurrendum eſſet ad miſſam, qua de re Burchardus ſub nomine Siricii refert decretum: „Solent plures, qui ſe ieiunare putant in Quadrageſima mox, ut ſignum audierint, ad horam nonam manducare. Qui nullatenus ieiunare credendi ſunt, ſi ante manducaverint, quam veſpertinum celebretur officium. Concurrendum eſt enim ad miſſas, auditisque miſſarum ſolemnibus & veſpertinis officiis largitis eleemoſynis ad cibum accedendum eſt. Si vero aliquis neceſſitate conſtrictus fuerit, ut ad miſſam venire non valeat, æſtimata veſpertina hora, completa oratione ſua ieiunium abſolvat." Quod totidem verbis in Capitul. incerti auctoris in collect. concil. refertur. Aliquid remiſſum videtur in Conc. *Rotomagenſi* an. 1072. ubi ſtatutum eſt, can. 21. „Ut nullus Quadrageſima prandeat, antequam hora nona peracta „ veſpertina incipiat. Non enim ieiunat, qui ante manducat." In ſermone ſynod. Ratherii eodem ſæc. ac citius quidem, tantum præcipitur: „ Ut ſecunda, tertia, quarta, & quinta feria hebdomadæ maioris ieiunetis uſque ad nonam: exceptis parvulis & ſenio confectis, atque infirmis."

Ieiunium uſque ad veſperam.

Cap. 49.

Decret. lib. XIII. c. 13.

T. XI. edit. Ven. pag. 1387.

T. XII. pag. 213.

Indultum hic eſſe aliud legitur iam in Capitulari *Aquisgranenſi* an. 817. etiam monachis: „Ut ſi neceſſitas popoſcerit ob operis laborem, „ poſt refectionem veſpertinam, etiam & in Quadrageſima pari modo, & „ quando officium mortuorum celebratur, priusquam lectio completorii legatur, bibant." Sed nihilominus refectio ad veſperam erat, atque hic potus ante completorium etiam ad ferendum ſequentis diei ieiunium da-

C. 12.

Digitized by Google

batur, ut ex conſtitutionibus *Hirſaugienſibus* S. Wilhelmi colligimus apud P. Herrgott, ubi lib. I. c. 101. inſcribitur: *Quando fratres infra collationem bibant*, ac ſic inter alia habet: „Bibant etiam quotienſcun„que in æſtate in craſtina die debent ieiunare, & quotiens inſuper prio„ri videtur vel propter nimium calorem vel propter huiusmodi cauſam „rationabilem, & uſque ad Idus *Septembris*.“ In antiquiſſimo noſtro Capitulari etiam obſonium additur: „Tempore æſtatis, quomodo Sol oc„cumbit, colleguntur ad collecta .... & omne ſive æſtate ſit ſive hi„berno tempore ſemper lectionem ad collectam leguntur & ibi fructum, „quod eis Deus dederit, manducantur & bibent, poſtea pulſato ſigno „canuntur completurio.“ Ex lectione monaſtica ſecundum regulam S. Benedicti, cui potus vini aliquando cum aliquo obſonio iungebatur, ut diximus, origo habetur cœnulæ nomine collationis diebus ieiunii, poſtquam mos inolevit diebus etiam ieiunii prandendi ad meridiem, quod Caietanus notavit ex ſcriptis S. Thomæ tunc, id eſt ſæc. XIII. necdum uſu inoleviſſe, ut tamen indiſcriminatim ieiunii tempus circa horam nonam ſtatuat 2. 2. q. 147. art. 7. ad 3. & *Alexander* de Ales P. IV. q. 28. n. 7. *Hora*, inquit, *magis congrua refectioni tempore ieiunii*, *eſt hora nona*, *quam uſque ad veſperam*. Teſtaturque De-Moleon apud *Irlandos* adhuc veterem morem obtinere, ac alicubi in *Galliis* veluti in monaſterio *San-Sirano*.

De vet. diſc. monaſt. pag. 473.

Voyage lit. pag. 108. & 138.

Veteris moris veſtigium ſupereſt in officii horæ nonæ vel veſperarum anticipatione, quod cum Carolus M. hora etiam octava, id eſt, ſecunda pomeridiana faceret, epiſcopus indigne tulit, ut apud Anonymum *San-Gallenſem* lib. I. de vita S. Galli narrat, atque rationem indicat, quæ facile etiam auſterum illum permovere ſua experientia potuit. „Religio„ſiſſimus & temporatiſſimus Karolus hanc conſuetudinem habebat, ut „in Quadrageſimæ diebus octava hora diei miſſarum celebritate pariter „cum veſpertinis laudibus peracta cibum ſumeret, nec tamen idcirco ie„iunium violaret: cum ſecundum Domini præceptum ab hora in horam „comederent. Quod epiſcopus quidam contra interdictum ſapientis vi„ri multum iuſtus, & nimium ſtultus improvide reprehendit: ſapientiſ„ſimus autem Karolus indignatione ſimulata admonitionem eius humi„liter ſuſcepit dicens: *Bene admonuiſti læte vir epiſcope*; *ego autem tibi* „*præcipio*, *ut nihil deguſtes*, *antequam externi officiales*, *qui ſunt in cur*„*te mea*, *reficiantur*. Comedente autem Karolo miniſtrabant duces & „tyrranni vel reges diverſarum gentium: poſt cuius convivium, cum „illi comederent, ſerviebant eis comites & præfecti, vel diverſarum digni„tatum proceres: ipſis quoque manducandi finem facientibus militares

Apud Caniſ. T. II. P. III. pag. 61.

„viri,

„ viri, vel ſcholares aulæ reficiebantur: poſt hos omnimodorum officio„rum magiſtri: deinde miniſtri, ita ut ultimi ad noctis medium non „manducarent. Cumque iam prope finita eſſet Quadrageſima, & præ„fatus epiſcopus in tali caſtigatione permanſiſſet, dixit ad eum clemen„tiſſimus KAROLUS, *ut puto probaſti epiſcope, quod non intemperantiæ,* „*ſed providentiæ gratia ante veſpertinam horam in Quadrageſima con*„*vivor.*“

VIII. Pertinet huc rubrica ſingularis in ſacramentario S. ELIGII: *Per totam Quadrageſimam cotidianis diebus finita miſſa epiſcopus & clerici diſcedunt, & exuuntur ſacris veſtibus, & tunc redeunt ad veſperos.* In ſacramentario ed. *Pamelianæ* poſt omnes alias orationes una notatur *ad veſperos* ſingulis Quadrageſimæ diebus, quod tamen nuſpiam in noſtris monumentis reperi.

De Ritibus officii quadrageſimalis.

T. III. Opp. S. Greg. p. 38.

In antiquiſſimo quidem noſtro ſacramentario talis habetur, quam alia ſequitur *ad fontes*, ſed in officio dominicæ primæ Quadrageſimæ, ac ad diſtinctum officium veſpertinum pertinet, ut de aliis feſtis ſuo loco notavi, ac infra iterum recurret oratio, quando de letaniis ſeu proceſſionibus agemus, quo pertinet altera illa oratio *ad fontes* ob catechumenorum officia in Quadrageſima, fuitque ad proximam ætatem frequens letaniarum ac proceſſionum in Quadrageſima uſus a feria uſque quarta Cinerum. Sic in impreſſo miſſali *Baſileenſi* an. 1480. poſt reſponſorium ad proceſſionem pſ. *De profundis.* ℣. *Requiem æternam*, habetur rubrica: *ſequitur letania, quæ per Quadrageſimam dicitur ſemper in feria II. & fer. IIII. & feria VI.* In conſtitut. *Hirſaugienſibus* S. WILHELMI ad dominicam I. Quadrageſimæ notatur: *In craſtinum vero poſt letaniam auferuntur cuncta ornamenta.* In cod. *San-Gallenſi* ſæpe memorato duabus conſequenter prioribus Quadrageſimæ leguntur duæ litaniæ ritu *Ambroſiano cum miſſa Ambroſiana de Abraham*, ut ad alteram prænotatur. Congruit his litaniis quodammodo *Benedictio populi in initium Quadrageſimæ*, quæ in miſſali *Gothico* legitur poſita poſt conſummationem miſſæ, non vero poſt orationem dominicam, ut alias: una dominica ſecunda Adventus in miſſali veteri *Gallicano* excepta, ut VEZZOSIUS adnotavit T. VI. opp. THOMASII p. 272.

Quidam iam inde a dominica Septuageſimæ pro veteri obſervantia, de qua ſupra, inducti ſunt ritus, qui ad Quadrageſimam pertinent, uti de *Alleluia* notavimus, quam in rem AMALARIUS illud HEREMIÆ adducens: „Et ceſſare faciam a vobis vocem gaudii & lætitiæ. Quapropter „*Alleluia* (ſubdit) in illo tempore non cantatur apud nos & dulciſſimus

Lib. I. de eccleſ. off. c. 1.

„ hymnus angelorum *Gloria in excelſis Deo*, ſed Tractus pro *Alleluia*.“ Et paullo poſt: „Sunt, qui primam hebdomadam Septuageſimæ ſine ali„quo articulo novellæ converſationis ducunt excepta mutatione *Alleluia* „& in aliquibus locis dalmaticarum, & intermiſſione *Gloria in excelſis*
c. 47. „*Deo*.“ *Micrologus* præciſius loquitur: „Abhinc uſque in Cœnam Do„mini *Te Deum*, *Gloria in excelſis*, *Ite miſſa eſt*, item dalmaticæ & ſub„diaconalia antiquo more omittuntur.“

Diximus de poſteriore hoc uſu de Adventu Domini, ubi paſſim etiam vi-
De Off. pag. 27. get, ac apud IOANNEM *Abrincenſem* alia etiam notantur tempora: „In „Adventu vero & Septuageſima uſque ad diem Cœnæ & quatuor tempo„rum ſabbatis & agendis mortuorum diaconus & ſubdiaconus induantur „caſulis: ſi autem in eisdem temporibus feſtivitas evenerit, dalmaticis & tu„nicis.“ Accurate iam ante omnes cærimonias hic concurrentes explica-
pag. 18. verat. Brevius in ordine noſtro operis Dei ſæculo XIV. „Notandum pa„riter, quod ad miſſam non debet diaconus indui dalmatica, nec ſubdia„conus tunica, ſed uterque caſula, uſque ad Cœnam Domini. Cantato „*Kyrie eleiſon* exuat ſubdiaconus caſulam, legatque epiſtolam, qua perle„cta iterum induet eam. Diaconus vero ad Tractum veniat in veſtiarium, „& exuat caſulam, & plicet eam in longum, & ponat eam in humerum „ſiniſtrum in modum ſtolæ uſque poſt communionem, & iterum eam in„duat, mox poſtquam corporale plicatum habuerit. Excipitur feſtum S. „VINCENTII, & Purificationis S. MARIÆ & S. BLASII, & Annuntiationis „feſta.

Sunt vero hæc apud nos principalia feſta. Paſſim legi in mſſ. ac etiam impreſſis adhuc ſæc. XV. & XVI. ad primam collectam ſeu orationem
Explic. T. III. p. 99. præſcriptam formulam *flectamus genua. Levate.* (quod DE-VERT adhuc ſervari pluribus in eccleſiis teſtatur) a die Cinerum. In libro ordinis inter monumenta noſtra ſic præſcribitur: „In capite ieiunii pronunciatur *flecta„mus genua*, & dicitur oratio *ſuper populum* cum inclinatione capitis.“ In mſc. miſſali monaſterii *S. Georgii* an. 1459. hæc rubrica adiicitur: „In die „Cinerum ad I. oration. miſſæ: *Oremus. Flectamus genua. Levate.* dicatur „quotidie in Quadrageſima in miſſa de ieiunio exceptis dominicis & die „Cœnæ, & ſabbato Paſchæ, & extra Quadrageſimam nunquam dicatur.“ Nec notatur hic quidem eadem formula in fer. IV. VI. & ſabbato IV. temporum extra Quadrageſimam dici ſolita.

In alio tamen miſſali eiusdem monaſterii ſæc. XV. hæc tantum habetur rubrica: *Dicitur per totam XL.mam præter dies dominicos. Omittitur etiam diebus dominicis oratio ſuper populum*; quæ vero in noſtris, ac aliis antiquioribus his etiam dominicis ac aliis temporibus ponitur. Iam quidem

AMA-

Digitized by Google

Amalarius in officio tantum quadrageſimali hanc orationem ſuo tempore, hoc eſt ſæc. IX. uſitatam fuiſſe, innuit. „Hic notandum eſt (inquit) „quod in diebus Quadrageſimæ, quando populus hora nona convenit ad „eccleſiam, celebretur apud noſtros oratio benedictionis *ſuper populum*, & „populus ſe humiliet proſtratus ad orationem iuxta dicta S. Augustini.“ Honorius *Auguſtodun.* ſequentem eius rei rationem affert in *Gemma animæ*; „Statutum eſt, ut panis poſt miſſam benediceretur: & populo pro bene„dictione communionis partiretur; ſed quia hoc in Quadrageſima fieri non „licet propter ieiunium, orationem *ſuper populum* dici eccleſia inſtituit, ut „per hanc particeps communionis ſit.“ Paullo aliter rationem init *Micrologus*: „Oratio (inquit) poſt communionem pro ſolis communicantibus „ſolet orare. Populus autem etſi quotidie in Quadrageſima conveniat, non „tamen quotidie, ut deberet, communicat. Ne ergo populus ita oratio„ne, ut communione careret, adiecta eſt oratio *ſuper populum*. In qua „non de communicatione, ſed pro populi protectione ſpecialiter oratur.“ Sed neutra ratio ſatis congruit cum antiquiori huius orationis uſu etiam in dominicis Quadrageſimæ ac aliis per annum diebus. Equidem communio S. Euchariſtiæ frequens olim fuit in dominicis diebus in Capitulis *Latino-Saxonicis* a Spelmanno editis T I. Concil. p. 615. his verbis præſcripta: *Singulis diebus dominicis in Quadrageſima Sacramenta Corporis & Sanguinis Chriſti ſumenda ſunt.* Sed in his ipſis diebus magis olim ſolemnior illa epiſcopalis benedictio in miſſa obtinuit, quæ in Benedictionali Lambecii domin. Sexageſimæ inſcribitur *Benedictio SS. Euchariſtiæ*, ac deinceps per dominicas Quadrageſimæ notatur etiam benedictio in indice evangeliorum apud Schilterum T. I. *Antiq. Teuton.* append. pag. 64. ſeq. Atque hinc forte eſt, quod altera illa poſt communionem iſtis diebus omiſſa fuerit, prout vocatur ab Amalario: „Eſt (inquit) ultima bene„dictio, de qua nunc agimus, quam potiſſimum frequentamus tempore qua„drageſimali.“ Poteſt etiam valere altera *Micrologi* ratio c. 51. „In do„minicis tamen diebus non dicitur, quia genuflexio vitatur, quæ huic o„rationi a populo antiquitus perſolvebatur.“

Proœm. de off. eccleſ.

Lib. I. c. 61.

Cap. 51.

Lib. III. de eccl. off. cap. 37.

Non poſſum hic ſingulare exemplum quadrageſimalis obſervationis præterire, quod ad *Alemanniam* noſtram peculiariter pertinet in S. Udalrico epiſcopo *Auguſtano*, relatum ab eius vitæ auctore præſente: „Tempus vero Quadrageſimæ, quanta devotione celebraret, ſermo mihi „non ſufficit ad narrandum; ſed tamen ea, quæ vidimus, non decet no„bis in totum omittere. Matutinis namque laudibus expletis, aurora diei „prima illuceſcente, aliis orationibus expletis pſallere pſalterium cœpit: „quo expleto & letania expleta, aliis orationibus firmiter inſiſtebat, uſque

Sæc. V. Ord. S. Ben. pag. 427.

 „dum

„ dum ſignum ad vigilias defunctorum ſonaret, quo audito ſtatim ſurrexit,
„ & cum fratribus vigiliam celebravit, & Primam. Prima vero expleta,
„ fratribus ſolito more crucem portantibus, ipſe remanens in eccleſia codi-
„ culum breviatum ex pſalmis cum aliis orationibus interim decantavit, uſ-
„ que dum fratres cum cruce redirent, & miſſam ſacrificationis celebrare
„ cœpiſſent: ipſe primum Deo ſacrificium offerens manum ſacerdotis hu-
„ militer oſculans. Expleta vero miſſa, Tertiam cum fratribus explevit;
„ fratribus vero ad capitulum pergentibus ipſe ſolito more in eccleſia re-
„ manſit, donec ſignum ad Sextam ſonaret. Sexta autem hora expleta, al-
„ taria circuibat cum venia cantans, *Miſerere mei Deus*, & *De profundis*.
„ Tunc demum ad cubiculum rediit ad lavandam faciem ſuam, & ad miſſam
„ ſe præparandum. Miſſarum autem celebrationibus expletis, & Veſperis
„ decantatis, ad hoſpitium pauperum pervenit, & XII. pauperum pedes
„ lavit, & unicuique eorum de aceolo pretium unius denarii donavit. In-
„ de rediens ad menſam pranſurus conſedit: ibi lectio non defuit, nec
„ prædictorum pauperum multitudo copioſa. Appoſita cum gaudio ſum-
„ pſit, & cum eo manentibus maxima hilaritate diſtribuit, recordans il-
„ lud apoſtoli: *Hilarem enim datorem diligit Deus.* Unicuique enim præ-
„ bebat, quod eum libentiſſime ſumere æſtimabat. Cibo vero conſumto,
„ & omnibus cum eo commorantibus lætificatis, congruo tempore Com-
„ pletorium recitavit, inſuper aliis orationibus peractis ſecreta cubiculi cum
„ ſilentio repetivit, & omne colloquium, niſi cum Deo & Sanctis, uſque
„ ad alterius diei Primam peractam, omnino devitavit."

De feſtis Sanctorum in Quadrageſima.

IX. Cum apud nos nunquam frequentior, quam in Quadrageſima ſit ſacrificii celebratio, ut ex omnibus antiquiſſimis liturgiis occidentalibus palam eſt, id contra in Oriente factitatur, qui ſacrificii ſolemnitatem cum luctu ieiunii non recte componi exiſtimant, Præſanctificatis tantum tunc locum relinquentes, quod ita factum Balsamon adnotat: *Quia ſacrificium offerre, eſt feſtum agere, ſolemnem eccleſiæ exultationem celebrare, ſic autem agere, non eſt lugere nec ieiunare.* Quare etiam feſta Sanctorum non quidem penitus excluſerunt ex Quadrageſima, ſed iuxta canonem 51. *Laodicenum* ſabbato vel dominica memoriam agunt: *Quod non oporteat in Quadrageſima martyrum natales peragere, ſed eorum in ſabbato & dominica tantum memoriam fieri.* Idem ſancitur in capitulis Martini *Bracarenſis*: *Non liceat in Quadrageſima Natales martyrum celebrare, ſed tantum ſabbato & dominico die pro commemoratione eorum oblationes offerri.* C. 48.

An hoc ita in *Hiſpania* obtinuerit, me latet. Potius accommodata videtur fuiſſe occidentali uſui ſanctio, quæ etiam in aliis collectionibus vel-

uti

uti apud noſtrum Burchardum legitur, quo, ut ex antiquioribus monumentis liturgicis conſtat, feſta omnino locum non habuerunt in Quadrageſima, atque feſtum Annuntiationis (quod *Græci* in Quadrageſima celebrant, ſed ob ſacrificii feſtique ſolemnitatem ieiunium ſolvunt) ut iam diximus, in *Hiſpania* in menſem *Decembrem* eſt translatum. Qua de re etiam actum eſt an. 1002. in concilio *Gallicano*: „Nec non etiam de „die Annuntiationis dominicæ, qui celebratur VIII. Kalendarum *Aprilium*, ſi forte quolibet alio tempore præter Quadrageſimam excoli con„gruentius potuiſſet, ab iisdem pontificibus non parva illa eſt quæſtio. „Ferebatur enim a quibusdam eamdem Adnuntiationem dominicam mo„re *Hiſpanorum* quinto decimo Kalendarum *Ianuariarum* die irreprehen„ſibiliter poſſe celebrari. Quid plura. Apud nos antiqua conſuetudo, uti „decebat, prævaluit.“ *T. XI. Conc. pag. 1048.*

Radulphus *Tungrenſis* tamen in eccleſia *Ambroſiana*, ubi hactenus inviolabiliter ſervatur, ut nullum in Quadrageſima celebretur feſtum, obtinuiſſe teſtatur eandem translationem in Adventum Domini, quo forte apud Pamelium pertinet officium de *Exceptato*, ſed tamen apud Beroldum, quem Muratorius edidit T. IV. *antiq. Ital.* alium habere locum videtur. „Cum omnia (ſunt Radulphi verba) illius temporis (Advent„tus) officia de eadem reſonent Annuntiatione, ut in *Ambroſiana* ſerva„tur eccleſia, in qua eadem Annuntiatio ſolemniſſime agitur in dominica „ante Natale Domini. Et præterea in *Ambroſiano* officio nullum feſtum „in Quadrageſima ſervatur, prout dicta concilia ſtatuerunt. Et prop„terea antiquitus feſta Gregorii & Ambrosii ad dies ordinationis eo„rum transferebantur, Gregorius ſcilicet ad diem tertium *Septembris*, & „Ambrosius ad octavam Andreæ, & Benedictus ad diem Translationis „ſuæ in *Iulio*. Sed poſtea Annuntiatione in *Romana* eccleſia ad lo„cum ſuum redeunte, ſimiliter alii apud nos redierunt. Et exinde re„tenta eſt translatio Benedicti, Ambrosius tamen apud *Romanos*, & „*Mediolanenſes* remanet in octava. Sic igitur in iſtis quatuor feſtis, me„moratis conciliis eſt generaliter derogatum: ergo & in reliquis obſerva„ri deberet, nec admitti in Quadrageſima quodcunque aliud feſtum no„vem lectionum.“ *Prop. 16.*

Notabilis eſt locus in ſerm. ſynod. Ratherii *Veronenſis* ac ſimul *Leodienſis* epiſc. „Si feſtivitas, quæ non ſit ſanctæ Dei genitricis Mariæ, „aut apoſtolorum evenerit in Quadrageſima, vel quatuor temporum ie„iuniis, magis ieiunium tenendum, quam feſtivitatem celebrandam ſcito„te: niſi forte illius Sancti ſit feſtivitas, qui in eadem parochia iacet: quia „nulla ſolemnitate amplius delectatur Deus, quam illo ieiunio, quo a ci„bis *T. III. Conc. Germ. pag. 9.*

„ bis abſtinetur & vitiis. Otioſitas quoque inimicia eſt animæ." Unde colligitur feriatos dies a ieiunio ſolutos fuiſſe. Apud Canisium de vita & miraculis S. Ruperti epiſc. *Salisburg.* cauſa eadem translationis feſti eiusdem Sancti affertur: „Et dies tranſitus eius VI. Kal. *Aprilis* die re„ſurrectionis dominicæ propter officia Quadrageſimæ vel ipſius Paſchæ „ raro, ſicut dignum eſt, contigit celebrari. Ideo poſtera dies, id eſt „ VII. Kal. *Octob.* conſuetudinaliter inofficiatur atque vacatur; ſed intra ur„ bem illam tantum." Hinc tamen colligitur, prius in ipſa Quadrageſima fuiſſe celebratum, quod etiam de *Romana* conſuetudine teſtatur *Micrologus* c. 48. „Item Cathedram ſancti Petri etiam intra Septuageſimam, „ & Annuntiationem ſanctæ Mariæ infra Quadrageſimam ſolemniſſime „ cum dalmaticis & *Gloria in excelſis*, *Romano* more celebramus." Et poſtquam contrarium uſum eccleſiæ *Hiſpanicæ* & *Ambroſianæ* notaſſet, ut modo retulimus ex Radulpho, ſubdit: „Sed nos magis ſanctæ *Roma„ næ* eccleſiæ morem gerentes, infra Quadrageſimam illam celebramus, ſic„ ut & aliorum quorumdam Sanctorum." In Calendario *Alemannico* ſæc. XIII. apud Schilterum notatur hoc feſtum *Marien in der Faſten Tag.* Ex conſtitutionibus *Hirſaugienſibus* S. Wilhelmi apud P. Herrgott patet, non inſueta fuiſſe feſta in Quadrageſima. In Occidente vero, contrario uſu ab Orientali, fit, ut feſta, quæ a Septuageſima incidunt in dominicam, potius in ferias transferantur, exceptis ſummis feſtis in minus ſolemnibus dominicis, de quibus articulatim agit Belethus, ac quidem cap. 81. de Purificatione B. Mariæ. c. 82. de feſto S. Blasii. c. 83. de Cathedra S. Petri. Capite ſequenti de feſtis generaliter, quæ tempore fiunt Septuageſimæ, ſic loquitur: „Ut autem de omnibus magnis „ ſolemnitatibus, quæ infra Septuageſimam celebrantur, ſive ipſo paſſio„ nis tempore ſive ante, nos ſimul expediamus (ut ſunt tria illa feſta præ„ dicta beatæ Agathæ, S. Mathiæ, Annunciationis Domini, S. Grego„ rii, & ſi forte contingat feſtum ipſius patroni eccleſiæ, vel eius an„ niverſarium vel Paſcha alicuius annotinum) dicimus generaliter, quod „ cantica laudis, ſcilicet *Te Deum laudamus*, *Gloria in excelſis*, & *Ite „ miſſa eſt*, & alia, quæ, ſi aliis temporibus contingerent, cantarentur, „ in iis cani debent præter *Alleluia.* Nam huiusmodi feſta ad paſchale „ tempus generatim videntur pertinere." Quoad alia minus ſolemnia feſta conſilium Radulphi locum habere poſſet, de feſtis Sanctorum minus ſolemnibus redigendis ad ritum ſimplicem trium lectionum, quod etiam Benedicto XIV. arriſit, ut officia Quadrageſimæ pulcherrima non ita impedirentur.

T. III. P. II. p. 284.

T. I. Antiq. Teuton. App. p. 71.

De vet. diſc. monaſt. p. 122.

X. De

Digitized by Google

X. De IV. temporum ordine I. menſis hebdomadæ ſecundæ Quadrageſimæ affixis dicemus ſuo loco. Ubi ex antiquiſſima conſuetudine vigilias ſabb. XII. Lectionum in dominicam uſque protrahendi, unaque miſſæ celebratione concludendi remanſit, ut idem ſabbati, & dominicæ ſit evangelium de Transfiguratione Domini in monte, licet in libro Comitis S. Hieronymo adſcripto notetur evangelium de *Cananæa*, quod etiam in compluribus antiquis miſſalibus obſervavit Martenius. Suo loco indicavimus, quæ in officiis Quadrageſimæ peculiaria ad Catechumenos ſpectabant, diſtributis ſeptem ſcrutiniorum diebus; quæ inter ſolemniſſimum erat, quo quatuor legebantur evangelia, oratio dominica tradebatur & ſymbolum, nunc vero unica, ut notavit Amalarius, *Varietas eſt per adiectionem unius lectionis & unius reſponſorii fer. IV.* poſt dominicam quartam *Lætare*, *der frölicbe Sonntag*, ut in noſtris monumentis notavit Haltausen, ſeu etiam *der Roſen-Sonntag*, a roſa aurea a Pontifice benedici ac principibus transmitti ſolita. Cuius rationem litteræ apoſtolicæ produnt Henrico VI. *Anglorum* regi miſſæ an. 1446. ab Eugenio IV. vocaturque etiam *dominica mediana*, ſeu *in media Quadrageſima* in monumentis noſtris. Atque tota illa *ſeptimana mediana* a Pelagio I. & Gelasio I. appellatur, ut notat Mabillonius contra Valesium, qui Socratis relationem, *Romanos* tribus tantum hebdomadibus ante Paſcha ieiunaſſe in Quadrageſima, inde confirmari putavit, nec aliam cauſam, cur dominica de Paſſione *mediana* dicta ſit, ſe invenire ait, *quam quod ex tribus hebdomadis, quibus Romani in Quadrageſima ieiunabant, hæc erat ſecunda dominica.* Hanc nimirum *ſedes apoſtolica medianam voluit nuncupari*, ut in ordinibus *Romanis* habetur, eoque pertinet noſter *ordo a dominica mediana*, ut etiam apud Mabillonium, & in ſupplemento Amalarii: „In dominica, quæ „ *mediana* vocatur, quando in reſponſoriis & invitatorio prætermittitur „ *Gloria*, hymnus *Te Deum laudamus* non prætermittitur.“ In ordine officii in domo S. Benedicti ante Paſcha apud eundem, & P. Herrgottum ſic legitur: „Inprimis in dominica, quæ eſt ante Palma, id eſt „ quindecim dies ante Paſcha, non cantant reſponſorium parvulum cum „ *Gloria*, & ſecunda feria iconias velant.“

De aliis quadrageſimalis temporis ritibus, præſertim a dominica mediana.

De vet. eccl. diſc. c. 19.

Lib. I. de eccleſ. offic. c. 8.

T. XIX. Conc. edit. Venet. p. 33.

Comment. in ord. Rom. pag. CXXVII.

pag. 18.

Analect. p. 96.

pag. 151.

De diſc. monaſt p. 5.

Non exprimit imaginem crucis, alias vero per totam Quadrageſimam ſubmoventur ornamenta ac velantur fer. IV. Cinerum, quod in conſtitution. *Hirſaugienſ.* lib. II. c. 34. præſcribitur ad Dom. I. „Dominica „ Quadrageſimæ prima poſt Completiorum per ipſius (Prioris) providen„ tiam ſuſpenditur velum inter maius altare & chorum, in feria quarta „ ante Paſcha itidem auferendum... In craſtinum vero poſt litaniam au„ feruntur omnia ornamenta. Quæ vero auferri nequeunt, velantur.“

Ib. p. 522.

Digitized by Google

Goldaſt. rer. Alem. p. 9. Apud RATBERTUM notatur de HARTMOTO *S. Galli* abbate: „Iſte etiam „ HARTMOTUS velum optimum, quod adhuc hodie in Quadrageſima ante „ te crucem extra chorum appenditur, per manus ſororis ſuæ nomine *pag. 111.* „ RICHLIN contextum donavit." De abbatia *Fontis Ebraldi* in itinere liturgico refert DE-MOLEON iuxta ordinar. an. 1115. dominica prima Quadrageſimæ cum cæteris ornamentis altaris etiam crucem ſublatam eſſe, *Explic. T. IV. p. 31.* quod DE-VERT ad antiquiſſimum eccleſiæ uſum revocat, in Quadrageſima minus variatum, ut nec tempore ſacrificii crux in altari fuerit, *Ib p. 33. & T. II. p. 19.* contra ac ſupra ex S. PAULINO & aliis documentis probavimus.

Nihilominus admittit etiam conſuetudinem velandi crucem, quæ etiamnum a dominica Paſſionis obtinet, inde, quod in evangelio eius diei legatur: *IESUS autem abſcondit ſe &c.* In ord. *Rom.* auctore PARIDE *Craſſo* ſic habes: „In dominica de Paſſione idem fit, ut in prima, niſi „ quod hodie crux cooperitur, & tres tantum orationes dicuntur, & cum „ dicitur *Chriſtus autem abſcondit ſe &c.* cooperiuntur imagines altaris, & „ chorus non cantat cantum figuratum uſque ad Paſcha, niſi in die *Iovis* ſan- *p. 69.* „ ctæ hebdomadæ &c." HALTAUSEN in Calend. medii ævi notavit apud nos eam dominicam dictam *der ſchwarze Sonntag*, quoniam in eo altaria, imagines Servatoris crucifixi &c. apparent atra veſte nupta, ſeu violacea.

De eleemoſyna & fermento ſabb. ante Dominicam Palmarum. XI. Sabbatum ante dominicam Palmarum inſcribitur in antiquiſſimo noſtro ſacramentario *ſabbato vacat hebd. V. San-Gallenſis* codex habet *Eleimoſyna datur*, prout paſſim apud PAMELIUM, in libro Comitis & ſacramentario, atque adhucdum in noſtro Mſc. miſſali, quod ad ſæc. XIV. accedit, notatum reperi *ſabbato ad S. Petrum, quando eleemoſyna datur.* Rationem ex ANASTASIO diſcimus in vita ZACHARIÆ P. quem conſtituiſſe perhibet „crebris diebus alimentorum ſumtus, qui & eleemoſyna uſque „ nunc appellatur, de venerabili Patriarchio a paracellariis pauperibus & „ peregrinis, qui ad beatum PETRUM morantur, deportari, eisque ero- „ gari, necnon & omnibus inopibus, & infirmis per univerſas regiones *Hittorp. p. 52.* „ iſtius *Romanæ* urbis conſtitutis." Vulgatus ALCUINUS de officiis rationem peculiarem ex officio huius diei repetit, „in memoriam (inquit) de- „ votiſſimæ mulieris membris Chriſti hodie facit, quod ipſa fecit capiti, „ & ideo a ſtatione publica vacat; non tamen a celebratione miſſæ, quia „ huic negotio inſiſtit." Lotionem etiam pedum ſeu mandatum notat DURANDUS poſt AMALARIUM, IOANNEM *Abrincenſem*, & RUPERTUM *Tuitienſem.* Auctor præfationis partis II. ſacramentarii, qui PAMELIO GRIMOLDUS eſt: Non, ſicut (inquit) quorumdam relatu didicimus, domnus „ in eisdem diebus a ſtationibus penitus vacat, eoquod cæteris Septima-

„ næ

Digitized by Google

„ næ feriis ſtationibus vacando fatigatus, eisdem requieſcat diebus: ob id „ ſcilicet, ut tumultuatione populari carens, & eleemoſynas pauperibus „ diſtribuere, & negotia exteriora liberius valeat diſponere.“ Exemplum autem hoc etiam in *Alemannia* æmulatos eſſe epiſcopos diſcimus ex EKKEHARDO iuniore apud GOLDASTUM, ubi de SALOMONE epiſc. *Conſtantienſi* narrat, *quod aliquando pridie Palmarum, id eſt, ſabbato, quo Papa vacat, & eleemoſynam dat, cum primo Sole ipſe per ſe omnibus urbis ſive regiones diſperſiſſet pauperibus, fatigatus his, ut ſolebat &c.* Cumque advenilſet ad monaſterium S. GALLI poſt cœnam, *quod reliquum diei erat, mandato & pauperibus impendebat.* *T. I. Rer. Alem. p. 20.*

Sed obſcurius eſſe videtur, quod in FRONTONIS Calendario, ſeu Capitulari evangeliorum a FRONTONE & THOMASIO editis legitur: *Sabbato datur fermentum in conſiſtorio Lateranenſi.* Ambiguam vocem ſatis declarare videtur, quod in MELCHIADIS vita legitur: „Hic fecit, ut oblationes conſecratæ per eccleſias ex conſecratu epiſcopi dirigerentur, quod „ declaratur fermentum.“ Et in vita SIRICII: „Hic conſtituit, ut nul„ lus presbyter miſſas celebraret per omnem hebdomadam, niſi conſecra„ tum epiſcopi loci deſignati ſuſciperet declaratum, quod nominatur fer„ mentum.“ Quæ obſervantia in epiſtola INNOCENTII I. P. ad DECENTIUM explicatur his verbis: „De fermento, quod die dominica per ti„ tulos mittimus, ſuperflue nos conſulere voluiſti, cum omnes eccleſiæ „ noſtræ intra civitatem ſint conſtitutæ, quarum presbyteri, qui die ipſa „ propter plebem ſibi creditam nobiſcum convenire non poſſunt, idcirco „ fermentum a nobis confectum per acolythos accipiunt, ut ſe a noſtra „ communione, maxime illa die, non iudicent ſeparatos: quod per parochias „ fieri debere non puto, quia nec longe portanda ſunt ſacramenta (nec „ nos per cœmiteria diverſa conſtitutis deſtinamus presbyteris) & presby„ teri eorum conficiendorum ius habeant atque licentiam.“

Totus vero horum verborum contextus pro Euchariſtia facit, contra ac BARONIUS, ALBASPINÆUS & nonnulli alii ſenſerunt, eulogiam, ſeu etiam eleemoſynam interpretantes. MABILLONIUS vero diſcrimen non ſolum ex vocis, ſed etiam ex loci diſcrimine collegit: quippe eleemoſyna ad *S. Petrum* in *Vaticano*, fermentum in palatio *Lateranenſi* erogabatur. Licet vero etiam in Patriarchio *Lateranenſi* ab ADRIANO I. omni die eleemoſynæ pauperibus eroganda decreta ſit, non ideo tamen cum ea fermentum confundi debet in hoc ſabbato expreſſe diſtribui memoratum diſtincto loco & nomine, quod minime obſcuram ſignificationem, vel ſaltem in Ordine *Rom.* I. habet: „Quando dici debet *Pax Domini ſit ſemper vobis„ cum*, deportatur a ſubdiacono oblationario particula fermenti, quod ab *Comment. in ord. Rom. pag. LXV.* *N. 21.*

 „ apo-

„ apoſtolico conſecratum eſt.“ Eandemque interpretationem in vetuſtiſſi-
pag. 132. mo codice *Ratisbon.* notavit MABILLONIUS Gloſſa in decretales Pontificum, atque in eandem ſententiam abſtraxit Ven. THOMASIUM, qui ut MABILLO-
Antiph. P. II. p. 160. NIUS narrat in *Itinere Italico*, alia eius ſententiæ argumenta ſuppeditavit, ac idem affirmat in nota ad Capitulare evangel. gratanterque habet cum aliis ſe pro ea opinione citatum a *Io* CIAMPINI in libro ſuper hac re edito, nimirum de azymo. Ubi varias variorum de hac re affert ſententias, atque etiam opuſculum, quod in confirmationem ſuæ ſententiæ ſcripſit ad eundem CIAMPINUM THOMASIUS, extatque T. VII. Opp. ed. VEZZOS. p. 60. Qua in re licet contrariam ſententiam habuerit SIRMONDUS, nihilominus ex illis, quæ de MELCHIADE, SIRICIO, INNOCENTIO retulimus, eandem eſt ſecutus interpretationem, nec nos retractandum exiſtimamus, quod in eandem ſententiam iuvenili admodum ætate in *Apparatu ad eruditionem theologicam* aſſeruimus.

Dominica Palmarum. XII. *Dominica ad Palmas*, prout in noſtro antiquiſſimo ſacramentario,
T. V. Anecdot. & in antiquiſſimo calendario apud MARTENIUM inſcribitur, *dominica indulgentiæ* nuncupatur in ordine *Romano*, apud PAMELIUM & MORINUM in
Append. de Pœnit p.60. codice *Toloſano*, uti etiam in concilio *Francofordienſi*: in vita S. GEBHAR-
T V O S.B. p. 428. DI & S. UDALRICI; ubi refertur, quomodo Quadrageſimam traduxerit, *uſque in diem indulgentiæ, quem dicunt Paſcha Palmarum.* Explicatur-
Rer. Alem. T. I. p. 20. que in EKKEHARDO iuniore de caſibus monaſterii *S. Galli* apud GOLDASTUM, ubi de SALOMONE *Conſtantienſi* epiſcopo refert, quomodo ſabbato ad monaſterium advolavit „ Craſtinam autem proceſſionem ad manſionariam ſuam S. Crucis diſponens eccleſiam in proximo prato ſtationari iuſſit. Ibi de gradibus ligneis ESDRAS Domini populum legem „ novam edocuit, & quod ESDRÆ veteri non licuit, indulgentiam dedit.“ Attamen hac de cauſa feria V. potius in Cœna Domini dies indulgentiæ vocari videtur apud HEPIDANNUM: „ In quarto autem die, qui vulgo *in-„ dulgentiæ* dicitur, ipſe gradum cum pontifice THEODORICO facundus o-„ rator aſcendit, & luculento ſermone populum ad pacem cohortari cœ-„ pit.“ Quartum hunc diem P. HARZHEIM T. III. *Conc. Germ.* pag. 111. cenſet a Fer. II. maioris hebd. qua ſynodi inchoari ſolebant, in cuiusmodi hæc acta ſunt. Eius rei poſtea p. 221. exemplum affert ad an. 1094. quo „ GEBEHARDUS *Conſtantienſis* eccleſiæ epiſcopus, magnam ſynodum *Con-„ ſtantiæ* in hebdomada maiore ante Paſcha, cum Abbatibus, & Clericis in-„ numerabilibus, & Ducibus WELPHONE *Baioariæ*, & BERTHOLDO *Ale-„ manniæ* ac *Carinthiæ*, & reliquis *Alemanniæ* principibus canonice cele-„ bravit.“ Laudatum, qui ad rem pertinet EKKEHARDI locum etiam VEZ-
T. V. p. 455. ZOSIUS verſat in not. ad Capitulare Evangel. inter opera Ven. THOMASII,

hæret.

Digitized by Google

hæretque, quo ſenſu *indulgentiæ* vox apud eundem ſumatur: quod Vezzosio obſcurum, nec tanti videtur, ut Martenio, qui conceſſam eo die ſolemniter indulgentiam interpretatur, ſuffragetur: „Aliquis enim fortaſſe (Vezzosius addit) haud perperam contenderet, Salomonem in „die Palmarum indulgentiam dediſſe, hoc eſt, certiores reddidiſſe pœnitentes de proxima eorum reconciliatione, aut eam illis promiſiſſe vel „prænuntiaſſe.“ Sed amplius aliquid innuunt verba; diesque *Indulgentiæ* pro pœnitentibus dies Cœnæ Domini potius, ad quos nihil refertur in officio huius dominicæ. „Ordo in dominica indulgentiæ (ut habet liber Ord, „inter monumenta noſtra) quæ multipliciter nominatur, veluti dies Palma„rum, ſive florum atque ramorum, *Oſanna* petitum ſive competentium „& capitolavium... quia tunc moris erat lavandi capita infantum unguen„dorum, ne per obſervantiam Quadrageſimæ ſordidata, ad unctionem ac„cedant.

Eius diei officium ſic deſcribit ordo officii in domo *S. Benedicti* ante Paſcha, quem Mabillonius ex codice *Auguſtano* edidit, & Herrgottus inter S. Sturmii *Fuldenſis* Abb. Conſuetud. „Item in dominica, quæ eſt in „olivæ benedictionem, cantant Tertiam in *S. Petro* reſidentes. Omnes „legunt lectionem ſecundum conſuetudinem. Poſt lectionem vero ſequitur „Introitus & lectio apoſtoli & Gradualis ad ipſam diem pertinentes, & e„vangelium de ramis palmarum: & benedicunt olivas, & incipiunt anti„phonam, *Hoſanna filio David.* Poſt hæc, *Ecce quam bonus*, & intrant „in *S. Benedictum*, & dicta oratione incipiunt aliam antiphonam, *Turba* „*multa.* Sequitur letania, & cum ipſa intrant ad miſſam maiorem. Ad „ipſam legunt lectionem de apoſtolo, Gradalem & Tractum, Evangelium, „Paſſionem Domini ſecundum Mathæum. Completa miſſa vadunt cum „pſallentio in refectorio.“ Apud *S. Udalricum* prior illa *miſſa matutinalis* nominatur.

Analect. pag. 151. De vet. diſc. monaſt. p. 5.

Conſuetud. Cluniac. lib. I. c. 54.

In Mſc. miſſali vero ſæc. XIV. bibliothecæ noſtræ præſcribitur „Domi„nica in Palmis ad priorem miſſam una tantum oratio, quæ ad maiorem „dicitur. Lectio *Hoc enim ſentite.* Cantus ut ad publicam miſſam: Paſſio „Domini non dicitur, ſed evangelium *Factum eſt cum appropinquaſſet.*“ In Decret. Lanfranci de privata miſſa hoc inſuper additur: *Paſſionem nullus legat, niſi fratres, qui in formis cantant.* Paſſionis lectæ eo die haud dubie meminit S. Leo ſerm. V. de Paſſione Domini die dominico habito, hancque ob cauſam puto, titulum in ſacramentario *Gelaſiano* eſſe *Dom. in Palmis de Paſſione Domini.*

Paſſim tum in Mſſ. cum etiam impreſſis ad hunc diem mutatam Præfationem in miſſa reperi, & quidem cum rubrica adhuc in miſſali *Conſtant.*

Digitized by Google

ſub *Marco* Sittico an. 1579. edito: „Hic, eoquod paſſiones legi incipiunt„tur, dicitur præfatio de ſancta Cruce, *Qui ſalutem humani generis*, uſque „ad Cœnam Domini incluſive.“ In Miſſali *Bursfeld.* an. 1608. *In die Palmarum & tribus ſequentibus diebus.* In Mſc. ſæc. XIV. vel XV. de præfatione *Qui corporali ieiunio &c.* „Et hæc præfatio cottidie dicitur a „feria IV. Cinerum uſque ad dominicam Palmarum, niſi dies feſtus fuerit. „Et ſequens præfatio dicitur in die Palmarum, & in Cœna Domini, & de „Cruce: *Qui ſalutem &c.*“ In miſſali *Baſileenſi* ſæc. XV. Præf. *Qui corporali &c.* „quæ quotidie dicitur uſque in diem Palmarum excluſive, cum „de tempore agitur tam diebus dominicis, quam privatis.“

In libello de eccleſ. Officiis inter monumenta noſtra ita legitur: „Iux„ta ſtatutum Pelagii Papæ præfatio, *Qui corporali ieiunio vicia*, in „Quadrageſima dicitur non minus in dominicis, quam in earum feriis. A „dominica tamen Palmarum &c.“ Haud raro dominicam excipiunt rubricæ antiquiores quoad præfationem *Qui corporali ieiunio* per Qurdrageſimam, quando nimirum, ut iam notavi, necdum die dominica abſtinentia a carnibus fuit præſcripta.

Feriæ ſequentes hebd. maioris.

XIII. S. Leo ſerm. III. de paſſione Domini die dominico habito, *ſed quia*, inquit, *multum eſt*, *dilectiſſimi*, *ut omnia hodiernus ſermo percurrat in quartam feriam*, *qua lectio dominicæ paſſionis iterabitur*, *reſidua differantur.* Similiter in ſerm. V. eodem recurrente die habito, a nobis iam citato, loquitur: *Hæc hodie*, *dilectiſſimi auribus veſtris inſinuata ſufficiant: cætera in quartam feriam differantur auxiliante Domino orationibus veſtris.* Ut iam Thomasius notavit ad Capitulare evangel. fer. III. non paſſio ſecundum Marcum, ut hodie fit (quamque tempore S. Leonis in ſabb. S. lectam coniicit) ſed „Lectio ſecundum Ioannem *ante* „*diem feſtum Paſchæ ſciens IESUS.* uſque: *Et continuo clarificavit eum*,“ pariter ac in noſtro antiquiori Capitulari evangeliorum notatur; in altero tamen paſſio ſecundum Marcum, ut in libro Comitis apud Pamelium; in editione Baluzii etiam lectio ex Ioanne aſſignatur: *Niſi granum frumenti cadens in terram;* in *Lateranenſi* veteri iterum alia ex eodem Ioanne: *Amen dico vobis*, *non eſt ſervus maior domino ſuo*, quæ omnes notantur apud Thomasium, atque etiam apud Martenium variis in codicibus antiquis, convenitque ordo officii in domo *S. Benedicti* ante Paſcha, in quo hæc annotantur: „Item poſt Palma tantum tres noctes „faciunt nocturnum. Quarta autem feria, id eſt in vigilia Cœnæ Domi„ni hora nona expleta intrant ad Miſſam: legunt lectiones duas, & cantant „Graduales duos, unumquemque cum quinque verſiculis. Sequitur paſ„ſio Domini ſecundum Lucam.“ In

Antiph. P. II. p. 164.

pag. 87.

De ant. eccleſ. rit. lib. IV. c. 21. § 9.

Analect. Mab pag. 151.

In ordine a dominica mediana uſque in octavas Paſchæ *Paſſio Domini noſtri IESU Chriſti ſecundum Matthæum*, & mox prætermiſſis aliis feriis ordo miſſæ fer. IV. ac *Paſſio D. N. I. Ch. ſecundum Lucam*: præſcribunturque in edito a MABILLONIO (quod in noſtro mſc. deſideratur) orationes ſolemnes ad eundem diem, quæ hodie in Paraſceve leguntur, atque in ſacramentario *Vaticano* ab *Angelo* ROCCA, & S. ELIGII a MENARDO editis. De orationibus, quæ in Paraſceve dici ſolent, hac etiam die dici ſolitis, iam memini, idque iuxta *Romanum* ordinem fieri notatur etiam in libello de Officiis eccleſ. inter monumenta noſtra. De officio huius feriæ IV. Paſſioni dominicæ rememorandæ accommodato multa affert AMALARIUS ſingulari capite 11. libri I. de eccleſ. Offic. & *Micrologus* c. 52. ubi etiam rationem affert, cur hæc hebdomada iuxta *Romanum* ordinem maior appelletur: *Eoquod ex ſanctiſſimo dominicæ paſſionis Sacramento inſignior cæteris habeatur*, ut etiam legitur in mox citato libello de eccleſ. Offic. velut HALTAUSEN obſervavit ex mſc. expoſit. bibl. *Paulinæ*: *Quia ob maxima officia inſignis habetur.* Uti ob excellentiam itidem officiorum hebdomas authentica; noſtra vero lingua *die Marterwoche*, *die Carwoche*, quaſi luctuoſa & feralis vocatur iuxta WACHTERUM.

Calend. medii ævi. p. 79.

XIV. Demum hic aliquid etiam dicendum de tribus per annum quadrageſimis, quarum quidem ſuperſtitioſam obſervationem in pervicacibus *Montaniſtis* primis eccleſiæ ſæculis eccleſia reprobavit. „Nos (inquit S. „HIERONYMUS) unam Quadrageſimam ſecundum traditionem apoſtolorum „toto anno, tempore nobis congruo ieiunamus; *Montaniſtæ* tres in an„no faciunt Quadrageſimas, quaſi tres paſſi ſint ſalvatores; non quod & „per totum annum, excepta Pentecoſte, ieiunare non liceat, ſed quod „aliud ſit neceſſitate, aliud voluntate munus offerre.“ Et in *Agg.* cap. I. „Multa abſque auctoritate & teſtimoniis ſcripturarum, quaſi traditione „apoſtolica ſponte reperiunt, atque confingunt, percutit gladius Dei: ho„mines autem & iumenta, vel λογισμὺς & αἰσθήσεις, id eſt cogitationes „& ſenſus eorum accipiamus. Vel certe rationabiles in eis, & irratio„nabiles, id eſt, doctos & indoctos pariter, & omnem laborem ma„nuum & ieiunia eorum & obſervationes varias, & *chameunias*, id eſt, „humi dormitiones. Qui tribus Quadrageſimis per annum ieiunantes, „& ξηροφαγίοις humiliantes animam ſuam, & vel maxime de TACIANI „radice creſcentes, ſuper huiuſcemodi laboribus audiunt: Tanta paſſi eſtis „ſine cauſa.“

De tribus Quadrageſimis, & aliis quibusdam ſtatis, ſeu indictis ieiuniis.

Epiſt. 54. ad Marcellam.

Poſterioribus temporibus duæ Quadrageſimæ celebres fuerunt S. MARTINI ante natale Domini, & ante Paſcha *maior* dici ſolita; ut tamen tertia

tia etiam haud infrequens fuerit poſt Pentecoſten, quin etiam quarta in Epiphania, etſi hæc ieiunia non ſtricte per quadraginta dies fuerint prorogata. In Concilio *Turon.* II. an. 567. ſtatuitur: *Poſt Epiphaniam uſque Quadrageſimam ter in Septimana ieiunent.* Ieiunii cuiusdam cum aliis in Epiphania meminit iam PHILASTRIUS de hæreſ. c. 145. „Nam (inquit) „ per annum quatuor ieiunia in eccleſia celebrantur: in Natali primum, „ deinde in Paſcha, tertium in Epiphania, quartum in Pentecoſte: Nam „ in Natali Salvatoris Domini ieiunandum eſt, deinde in Paſchæ Quadra„ geſima, atque in Aſcenſione itidem in cœlum poſt Paſcha die Quadra„ geſimo, inde uſque ad Pentecoſten diebus decem." Qui loco *in Epiphania* ſubſtituendum volunt *in Aſcenſione*, non attenderunt tunc unum ex quatuor deficere ieiuniis, ut recte animadvertit *Ioſ.* GARAMPIUS agens de Quadrageſima a S. CLARA in Epiphania celebrata, quæ in antiquioribus monumentis non occurrit.

Diſſ. V. pag. 216.

Extat ANASTASII *Sinaitæ* tractatus *de tribus Quadrageſimis*, contra eos, qui temere Quadrageſimas apoſtolorum & Natalis Domini, hoc eſt ieiunium, quod a Pentecoſte ad feſtum SS. apoſtolorum PETRI & PAULI, & quod quadraginta ante Natalem Domini diebus ſervaretur, ceu inventum monachorum ſuggillabant. Apud nos S. ECBERTI auſterum referens ieiunandi modum V. BEDA ſubdit: „Cuius modum continentiæ etiam XL. „ diebus ante Natale Domini totidem quoque poſt peracta ſolemnia Pen„ tecoſtes, hoc eſt, Quinquageſimæ ſemper obſervare curabat." In Capitularibus regum *Francorum* apud ANSEGISUM lib. VI. c. 187. ſtabiliuntur tria legitima hæc in anno ieiunia: „Iterum admoneant ſacerdotes, ut „ ieiunia tria legitima in anno agantur, id eſt, quadraginta dies ante Na„ tivitatem Domini & quadraginta dies ante Paſcha, ubi decimas anni ſol„ vimus, & poſt Pentecoſten quadraginta dies. Quamquam enim non„ nulla ex his canonica priventur auctoritate, nobis tamen omnibus ſi„ mul propter conſuetudinem plebis & parentum noſtrorum morem hunc „ obſervare, ut ſuperius comprehenſum eſt, convenit. Et licet omnibus „ diebus orare, & abſtinere conveniat, his tamen temporibus amplius ieiu„ niis & pœnitentiæ ſervire oportet. Præter hæc autem legitima tempora „ ieiuniorum omnis ſexta feria propter paſſionem Domini ieiunetur. Sed & „ ſabbati dies a plerisque, propter, quod in eo Chriſtus iacuit in ſepul„ chro, ieiunio conſecratus habetur.

Lib. III. Hiſt. Angl. cap. 27.

Baluz. T. I. Capitul. p. 954.

Agit de his & aliis ieiuniorum diebus *Rhabanus* MAURUS lib. II. *de inſtitutione Clericorum*, & quidem diſtinctim etiam de tribus Quadrageſimis, ſed non ſtricte adeo definit tempus. In concilio *Salegunſtadienſi* præter ieiunia vigiliarum XIV. dies ante feſtivitatem S. IOANNIS *Baptiſtæ* in abſti-

Cap. 20. 21. 22.

nentia

ſtentia carnis & ſanguinis fidelibus indicuntur. Ac poſtea ſingularis canon affertur de ieiunio bannito, *ut omnes bannitum ieiunium, in quocunque epiſcopio celebratur, diligentiſſime obſervent, & ſi quis illarum VIII. interdictarum rerum aliquam redimere voluerit, unum pauperem, prout ſua facultas erit, eadem die reficiat.*

T. III. Concil. Germ. p. 57 c. 1. Can. 15.

Bannus in *ſpeculo Saxonico* multa eſt, unde videri poſſit pro pœnitentia iniungi ſolitus. Sequitur c. 21. tit. *Bannitum ieiunium III. dierum in ebdomada Paſchæ.* Servatur hodieque in diœceſi *Moguntina* fer. II. IV. & VI. poſt dominicam *Salus*, XIX. poſt Pentecoſten, ieiunium, quod vocatur *die Bannfaſten*, de quo Haltausen in Calend. medii ævi p. 93. adducit verſiculum:

Poſt salus *&* miseri *tibi erunt ieiunia banni.*

Originem vero deducit ex conc. *Mogunt.* 1022. quod eſt *Salegunſtadienſe*, ac probabilius nomen habere dicit a *banno* ſive publico edicto pœnali, quo erat ſancitum. Unde ſynonymum eſſe queat cum ieiunio indicto, de quo apud Reginonem ex Concilio *Moguntino*: „Si quis indictum „ieiunium ſuperbiendo contempſerit, & obſervare cum cæteris Chriſtianis „noluerit in *Gangrenſi* præcipitur, ut anathematizetur.“ Nominis huius originem ex gentilitate deſumit *Rhabanus* Maurus, uti etiam ſupplicationis. *Supplicationis nomen quodammodo nunc ex gentilitate retinetur. Nam feriæ, aut legitimæ erant apud eos, aut indictæ.* Indici autem ſolebant triduana, aut biduana ieiunia, ut apud eundem Rhabanum notantur. In Capitulari Ahytonis epiſcopi *Baſileenſis* ſic legitur: *Indictum vero ieiunium quando a palatio vel a domo fuerit denuntiatum, ab omnibus generaliter obſervetur.* Exempla in antiquiſſimis Capitularibus regum *Francorum* occurrunt. Bachiarius ſcriptor ſæc. V. tribus ſtatis per annum ieiuniis, de quibus infra de IV. temporibus, adiungit: *Et ſi quando indicta ieiunia eccleſiæ.*

T. II. Conc. Germ. pag. 483.

De Univerſo lib. V. c. 15.

Lib. II. de Inſtit. Cler. c. 25.

C. 8.

CAPUT IV.

De Tempore Paſchali.

I.

Hebdomada in Albis, ac Dominica.

De inſtitut. Cleric. lib. II. c. 39.

Proxima poſt dominicam Paſchæ officia in ſacramentario *Gelaſiano* inſcribuntur *totius albæ orat. & preces.* Nimirum iuxta *Rhabanum* Mauꝛum „quos VII. dies albas vocitamus propter eos, qui in ſancta nocte baptizati albis „per totam hebdomadam utuntur veſtibus: & „tunc maxime dum alba tolluntur a baptizatis veſtimenta per manus impoſitionem a pontifice Spiritum ſanctum accipere conveniens „eſt, qui in baptiſmo omnium receperunt re„miſſionem peccatorum, & per VII. dies in „angelico caſtitatis habitu & luminibus cœleſtis claritatis, ſanctis aſſiſte„re ſacrificiis ſolent.“ Ratio hinc plana eſt, cur in noſtris antiquiſſimis ſacramentariis, ut paſſim in antiquioribus monumentis dominica poſt albas, *dominica in albis depoſitis* nominetur, quæ hodie detrita ſere memoria veteris ritus, dominica in albis vocatur, vernacula noſtra, *der weiſſe Sonntag.* Nihilominus antiquiſſimæ inſcriptioni a Fabretto editæ ſua conſtat fides, atque numerus dierum octo in albis ſervatur a ſabbato S. inde. Quare etiam in miſſali *Gothico* Miſſa in die ſabbato octava Paſchæ inſcribitur. Haltausen in Calendar. medii ævii obſervat apud *Solodurenſes* vocari etiam *der Bohnen-Sonntag* ſingulari ex ratione ob fabas eo die diſtribui ſolitas in memoriam elevatorum corporum ſanctorum ex *Thebæa* legione. Idem notavit vocari dominicam *Invocavit*, primam ſcilicet Quadrageſimæ *der weiſſe Sonntag*, non vero dominicam *Iudicavit*, ſeu Paſſionis, ut Tentelio viſum, quæ nigra potius, ſeu *der ſchwarze Sonntag* dicta fuit, ut ſupra notavimus. Neque enim eſt probabile, ut recte Haltausen iudicat, unam eandemque dominicam ſcil. *Iudica*, contrariis vocabulis ſimul albam ac nigram vocari. Obſolevit etiam alterius dominicæ, *Invocavit* ſcilicet, denominatio, quam notavimus; communis vero eſt dominicæ *Quaſi modo*, quam etiam λάμπραν κυριακήν, ſeu λάμπραν ἡμέραν *Græci* vocant, forte eadem, ob quam apud Gregorium *Nazianzenum* orat. 43. inſcribitur *de nova dominica de vere*, *& de ſancto Mamante*, niſi malis pro Paſchate annotino ſumere.

Vid. Ven. Thomaſii opp. T. VI. pag. 82. pag. 90.

pag. 62.

II.

II. Eadem dominica in lectionario *Gallicano*, Miſſali *Gothico* & *Gallicano* veteri inſcribitur *clauſum Paſchæ, miſſa clauſum Paſchæ*, in *Gothico*; *clauſa Paſchæ* in veteri *Gallicano*. In lectionario vero poſt aliquem hiatum n. 53. occurrit legenda *IIII. dominica poſt clauſum Paſchæ*, prout nimirum dominicæ poſt Paſcha, in *Gelaſiano*, & noſtris antiquiſſimis ſacramentariis *poſt octabas Paſchæ*, in Mſc. vero, quod ad ſæc. XIV. accedit, *poſt albas* I. II. III. inſcribuntur, ita ut prima adhucdum conveniat dominicæ *Quaſi modo*. In regula CHRODEGANGI inter feſta præcipua etiam occurrit *clauſum Paſchæ*, ac puto potius Paſcha annotinum, quam ipſam hebdomadam paſchalem, quæ integra feriabatur. In concilio *Matiſc.* can. 2. ſtatuitur: „Ut illis ſanctiſſimis ſex diebus nullus ſervile opus faceret: ſed omnes ſimul coadunati, hymnis paſchalibus indulgentes „perſeverationis noſtræ præſentiam quotidianis ſacrificiis oſtendamus, laudantes creatorem & regeneratorem noſtrum veſpere mane & meridie." In miſſali *Gothico* poſt miſſam primam *die ſanctum Paſchæ* & veteri *Gallicano* notatur *miſſa matutinalis per totam Paſcham pro parvulis, qui renati ſunt, mature dicenda.* Hodieque, ut annotavit MABILLONIUS apud *Mediolanum* tota Paſchæ hebdomada miſſa pro neophytis celebratur. Id quod etiam ex ſæpe laudato *S. Galli* nunc *Turicenſi* codice eluceſcit, in quo ipſo die Paſchæ *Miſſa Ambroſiana in eccleſia minore pro baptizatis*, moxque *alia miſſa Ambroſiana in eccleſia maiore* ac deinceps ſingulis diebus *alia miſſa Ambroſiana pro baptizatis* habetur, uſque ad diem ac miſſam dominicæ *albis* depoſitis. Miſſæ eæ habentur in cod. *San-Gall.* ex ritu *Gelaſ. Gregor.* & *Ambroſiano* compoſito.

Tempus paſchale. C. 36.

Tota hæc Pentecoſte ſeu Quinquageſima ſolemnis ſemper fuit habita: ſic quandoque de regibus ac imperatoribus noſtris in chronicis notatur, ubi ſacris Quinquagenalibus vacarint. Dies Pentecoſtes ſeu quinquageſimus (prout ex GREGORIO *Turonenſi* notavit MABILLONIUS de feſtivitatibus, quas PERPETUUS epiſcopus *Turonenſis* apud eundem recenſuit) in concilio *Aurelianenſi* Quinquageſima vocatur. Modo retulimus ieiunium a S. EGBERTO agi ſolitum, ſeu Quadrageſimam poſt peracta ſolemnia Pentecoſtes, hoc eſt, Quinquageſimæ. In ſacramentario *Gallicano Miſſa in Quinquageſimo*, ad diem Pentecoſtes pertinet. Quam vero *Græci Teſſaracoſten* nominant, S. AUGUSTINUS Quadrageſimam vocat ſolemnitatem a Paſchate uſque ad Aſcenſionem Domini. Pertinet huc antiquiſſimus canon 43. concilii *Eliberitani* de celebratione Pentecoſtes huiuſcemodi: „Pravam inſtitutionem emendari placuit iuxta auctoritatem ſcripturarum, ut cuncti diem Pentecoſtes poſt Paſcha celebremus „non Quadrageſimam, niſi Quinquageſimam. Qui non fecerit, novam

Vid. Gabri Albaſpinæi lib. I. obſervat. 15. *De lit. Gall. pag. 103.* *Serm. 267.*

Digitized by Google

„ hæreſin induxiſſe notetur.“ Quem canonem rectius de Quinquageſima inter Paſcha & diem Pentecoſtes accipi adnotat *Gabr.* ALBASPINÆUS.

Quædam ſingularia in officio cum Alleluia.

III. In antiquiſſimo breviario & inſtructione ord. eccleſ. præſcribitur: „Uſque Quinquageſimo die a Paſcha, quod eſt Pentecoſten tam pſalmi quam reſponſuria cum verſibus vel antephonis omnes cum *Alleluia* „ ſunt canendæ.“ In Mſc. miſſali Teutonico *Einſidlenſi* ſæc. XV. tempore Paſchali etiam in feſtis Sanctorum, quæ in dominicam incidunt, verſus in Graduali de Paſchali tempore notatur. In manuſcripto *Fiſchingenſi* an. 1500. hanc reperi rubricam: „Abhinc uſque ad Pentecoſten in „ privatis diebus dicitur tantum unum *Alleluia* ad miſſam. In dominicis „ vero diebus & in feſtis plenum officium habentibus, ſive cum de beata Virgine cantatur duo canimus *Alleluia.* Sed in ipſis feſtis primum „ *Alleluia* de feſto, ſecundum de Reſurrectione dicitur, ſive de Aſcenſione ſuo tempore, & cum duo *Alleluia* canimus, non primum ſed ſecundum repetimus.“ Qua de re vid. *Microlog.* c. 55.

Paſſim tam in Mſſ. quam etiam impreſſis ſingularem banc reperimus rubricam e. g. in Mſc. miſſali *San-Blaſiano* ſæc. XIV. ad feſtum S. WALBURGÆ, I. *Maii* feſto SS. PHILIPPI & IACOBI. *Eodem die S. Walpurgis, & nota in tempore paſchali feſtum nullius Virginis plene agitur.* In miſſali Mſc. *Rhenaug.* an. 1512. additur, *ſed habetur tantum commemoratio.* Ea rubrica adhuc habetur in miſſali *Conſtantienſi* an. 1559.

Id demum obſervandum, quod de nocturno officio tempore paſchali adhuc an. 1316. in conc. *Wormatienſi* habetur: Videlicet: „quod a „ feſto Paſchæ, uſque ad dominicam, qua imponitur hiſtoria: *Deus omnium &c.* in matutinali officio tres pſalmi cum tribus lectionibus obſerventur, & idem ordo infra octavas Sanctorum, veras octavas habentium, „ poterit obſervari: pro reliqua vero parte anni totius, ſingulis diebus, „ aut novem lectiones cum totidem pſalmis, aut nocturnus cum tribus „ lectionibus obſervari debet.“ De Paſchate annotino diximus ſupra. Poſt quod in *Gelaſ.* ſequuntur *orat. & prec. in Parochia.* Qui ipſe ordo manifeſtat falli VEZZOSIUM, dum hæc ex iis illuſtrari putat, quæ MARTENIUS notavit de miſſis parochialibus ipſo die Paſchatis ob populi frequentiam celebratis ſeorſim, ut ritu *Ambroſiano* obſervavimus, aliam miſſam in minori, aliam in maiori eccleſia *Mediolani* celebratam: ſequuntur orationes Veſpertinales in *Gelaſiano,* ut paſſim in aliis ſacramentariis etiam Matutinales, quas THOMASIUS ad univerſa officia pertinuiſſe dicit. (*T. II. p.* 470) In noſtris *Alemannicis*, ut alibi, aliæ *orationes paſchales* prænotantur, poſt orationes ſingulis diebus octavæ paſchalis *ad veſper. ad fontes. ad S. Andream.*

IV.

Digitized by Google

IV. Ab antiquiſſimis eccleſiæ temporibus ieiunium tempore paſchali interdicitur. „Die dominico (inquit Tertullianus) ieiunium nefas „ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate a die Paſchæ „in Pentecoſten uſque gaudeamus.“ S. Ambrosius lib. VIII. in *Luc.* XVII. n. 25. *Ergo*, inquit, *per hos quinquaginta dies ieiunium neſcit eccleſia, ſicut Dominica, qua Dominus reſurrexit, & ſunt omnes dies tanquam Dominica.* S. Epiphanius in expoſ. fidei: „Porro iſtiusmodi „ieiunium per totum annum in ſancta catholica eccleſia diligenter obſer„vatur, quarta dico, ſextaque feria uſque ad horam nonam, exceptis „quinquaginta Pentecoſtes diebus.“ Qui locus in bibliotheca *Coisliniana* p. 112. citatur, ceu ex S. Athanasii ſermone de fide. Hieronymi locum ex epiſtola ad Marcellam paullo ante adduximus, quo dicit, quod per totum annum, excepta Pentecoſte ieiunare liceat. S. Ambrosius, Augustinus & alii Patres idem affirmant, licet Philastrius ſtatis diebus decem in eccleſia ab Aſcenſione uſque Pentecoſten, iëiunii mentionem faciat in lib. de hæreſ. c. 145. quem locum ad finem prioris capitis retulimus, de ieiunio vero in diebus Rogationum dicemus poſtea. In Concilio *Gallicano* an. 1002. exceptio innuitur de ſpontanea ieiunii ſuſceptione: „Nam de ieiuniis fidelium, quæ inter Aſcenſionem Salvatoris & „Pentecoſten obſervant, ita decreverunt, ut ne per imperium ſacerdotum „fierent, excepto ſabbato Pentecoſtes; & a quibus fieri vellent, ne pro„hiberentur fieri.“ Rem explicatius habet *Rhabanus* Maurus lib. II. *de inſtitut. Cler.* c. 21. ubi ſingularem quorundam rationem affert, vacationem a ieiunio tantum uſque ad Aſcenſionem ſtatuentium: „Dicunt enim, „(inquit) poſt reſurrectionem Domini quadraginta illis diebus, quibus „cum diſcipulis poſtea legitur converſatus, non oportere, nec ieiunare, „nec lugere, quia in lætitia ſumus: poſtea vero, quam tempus illud „expletur, quo Chriſtus advolans ad cœlos, præſentia corporali receſſit, „tunc indicendum eſſe ieiunium.“ Ipſe vero, bene & regulariter hoc poſt Pentecoſten a Patribus conſtitutum eſſe, inchoare, cum dixiſſet, ſubdit: „Tamen ſi qui monachorum vel Clericorum ieiunare cupiunt, non „ſunt prohibendi, quia & Antonius & Paulus, & cæteri Patres anti„qui his diebus in eremo leguntur abſtinuiſſe, nec ſolviſſe abſtinentiam, „niſi tantum dominico die.“ Nec hic omiſerim, quod in miſſali *Baſileenſi* ſæc. XV. inveni. „Notandum, quod tempus paſchale ſignat octa„vam ætatem, in qua non ieiunabitur, nec genua flectentur, ſed erit „perfectum gaudium cum omnibus Sanctis. Unde toto tempore paſchali „non ieiunamus ex neceſſitate, ſed ex voto bene licet. Nec orantes „genua flectimus, niſi in duabus letaniis.“

Ac relaxatione ieiunii.
De Corona militum. cap. 3.

Celebritas Quinquageſimæ Paſchalis.

V. Ritus huius, ut modo audivimus, TERTULLIANUS meminit ceu inoliti. Feſtivitatem totius illius Quinquageſimæ, ut in can. 43. *Eliberitano* vocatur, ethnicis etiam obiicit: *Excerpe*, inquit, *ſingulas ſolemnitates nationum & in ordinem texe, Pentecoſten implere non poterunt.* (De Idol. c. 14.) Et lib. de ieiunio: *Cur*, inquit, *Paſcha celebramus annuo circulo in menſe primo? Cur quinquaginta exinde diebus in omni exultatione decurrimus?* Qualis vero fuerit illorum quinquaginta dierum hilaritas, iterum in libro *de baptiſmo* declarat. (T. I. n. 42.) S. AMBROSIUS in *Apol.* DAVID. c. 8. iubilæi quoddam quinquageni hic conſectatus myſterium ex *Hebræorum* uſu: „Hunc (pergit) numerum læti celebramus poſt Domini paſſionem, remiſſo culpæ totius debito, chirographo quoque vacuato, ab omni nexu liberi; & ſuſcipimus advenientem in nos gratiam Spiritus ſancti die Pentecoſtes: vacant ieiunia, laus dicitur Deo, *Alleluia* cantatur." Et (T. II. n. 25.) lib. VIII. in *Luca* XVII. „Quodſi (inquit) *Iudæi* ſabbatum ita celebrant: ut & menſem & annum totum quaſi ſabbatum habeant; quanto magis nos reſurrectionem Domini celebrare debemus! Et ideo maiores tradidere nobis Pentecoſtes omnes quinquaginta dies ut Paſchæ celebrandos, quia octavæ hebdomadis initium Pentecoſten facit." Talis vero fuit celebritas & lætitia huius temporis, ut tamen theatrorum & Circenſium ſpectaculorum voluptates lege THEODOSII iunioris eſſent vetitæ. Prætereo alias leges inde a CONSTANTINO, quæ ad hanc Pentecoſten pertinent, hæcque, aliaque collegit ſolertiſſimus *Er. Frid.* WERNSDORFFIUS in commentatione *de Quinquageſima Paſchali Lipſ.* 1752. ed.

CAP.

CAPUT V.

De Dominicis poſt Pentecoſten.

I.

In vulgato ſacramentario *Gelaſiano* poſt orat. & prec. in dominica octavar. Pentecoſt. nullum deinceps officium pro dominicis poſt Pentecoſten legitur. Qua de re inter alios legi meretur Vezzosius Præfat. in T. VI. operum V. Thomasii n. XV. p. XXXIV. In ſæpe laudato ſacramentario *San-Gallenſi* ſæc. X. circ. in quo ſingulæ fere miſſæ ſuis auctoribus adſcribuntur, pleræque Gelasii nomen præfixum habent in dominicis poſt Pentecoſten, nuſpiam vero Gregorii nomen comparet, una & altera ſolum excepta oratione. Continet autem hoc ſacramentarium viginti octo officia dominicarum poſt Pentecoſten ita feſtis Sanctorum intermixta, ut ultima ponatur poſt feſtum S. Chrysogoni VIII. Kal. *Dec.* integra adeoque hebdomada, menſe *Novembri* currente. Et ſic hic annus eccleſiaſticus clauditur. Poſt longam ſeriem miſſarum communium ac votivarum iterum deſignantur officia pro Dominicis poſt Pentecoſten viginti tribus tantum. Numerus Dominicarum poſt Pentecoſten.

Magna eſt diverſitas in numero dominicarum poſt Pentecoſten in antiquis libris liturgicis, dum modo 23. 24. 25. 26. aut etiam viginti ſeptem ponuntur, ut in noſtro antiquiſſimo ſacramentario, ubi præterea quinque dominicæ Adventus habentur. Antiphonarium tamen antiquiſſimum, quod in eodem *Rhenaugienſi* codice cum dicto ſacramentario eadem manu ſcriptum extat, viginti tres tantum complectitur, uti *San-Blaſianum* cum aliis ſacramentarium: ubi etiam quatuor ſolum numerantur dominicæ Adventus, reponuntur autem ad calcem primæ partis. Quod ideo noto, ut ratio defectus pateat in codice, quo uſus eſt Pamelius; deſuntque officia pro dominicis illis. Quod etiam perplexum habuit Mabillonium in lectionario *Gallicano*, ubi unam tantum dominicam poſt Pentecoſten reperit, cum plures poſt Epiphaniam & poſt Paſcha aſſignentur. Hæſit an alio in libro pro aliis dominicis præſcripta fuerint officia, an vero unum officium per alias dominicas repeteretur? *Lit. Gall. pag.* 157.

„ At

„ At (ſubdit) fruſtra appoſitum fuiſſet in titulo *Proxima dominica poſt Pen-* „ *tecoſten.* In miſſali *Gothico-Gallicano* aſſignantur ſex miſſæ dominicales. „ Ergo eas repeti neceſſe erat. Idem in *Mozarabico*, in quo ſeptem „ dumtaxat miſſæ habentur poſt Pentecoſten uſque ad dominicam ante „ ieiunium Calendarum *Novembrium.* Itaque repetebantur illæ miſſæ, „ quando feſta Sanctorum in dominicis non occurrebant.“ Idem uſuveniſſe etiam apud nos olim, ut officium dominicæ XXII. repeteretur, ſi plures hebdomadæ eſſent, tradit *Micrologus* cap. ultimo, ut tamen ſequens officium dom. XXIII. ſemper dicatur proxima dominica ante Adventum Domini, & ſic in miſſali Mſc. ſæc. XV. bibl. noſtræ inſcribitur XXIII. poſt Pentecoſten, & ultima, quæ præparatoria dicitur. *Dicit Dominus ego cogito &c.* Quod officium ſupra notavi haud raro dominicam V. ante Natale Dni ſignari. In cod. *Weingart.* ſæc. XIV. hæc eſt rubrica: „ De differendis officiis dominicalibus. Quando poſt octa- „ vam Pentecoſtes dominicæ inchoantur, illud eſt obſervandum, ut ſi nu- „ merus ebdomadarum hinc uſque in Adventum Domini ſupercreſcit nu- „ merum officiorum, unum quodlibet officium cum appendiciis ſuis, quo- „ tiens opus fuerit, per duas hebdomadas canitur. Quod tunc tamen „ congrue fit, cum feſta Sanctorum continue celebrantur.“ Similem in aliis monumentis reperi rubricam. Quod iuxta antiquiſſimum noſtrum ſacramentarium opus haud fuit, nec etiam iuxta antiqua lectionaria. Qua de re peculiari capite agit Berno *Augienſis*: „ Inter hæc (inquit) non „ otioſe quærendum puto, cur auctor officiorum tantummodo viginti „ tres inter octavas Pentecoſtes & Adventum Domini, ordinator vero le- „ ctionarii viginti quinque lectiones poſuerit exceptis his, quæ in octa- „ va Pentecoſtes & dominica quinta ante Nativitatem Domini, & in ſan- „ cta Trinitate legi ſolent. Quæ ſi viginti quinque adduntur XXVIII. „ numerus adimpletur. Qui officia ordinavit emboloſimales annos in de- „ cennovenali cyclo attendit, in quibus Paſcha tardius ſolet occurrere, & „ breviora temporum ſpatia inter octavas Pentecoſtes & Adventum Do- „ mini conficere: alter vero communes, in quibus eadem paſchalis fe- „ ſtivitas maturius conſuevit provenire.“ Numerus, quem hic Berno notavit, etiam in antiquo ord. *Turicenſi* an. 1260. habetur. Ab octava Pentecoſtes uſque ad Adventum Domini habemus in Graduali XXIII. officia dominicis aſſignata. Sed in epiſtolario XV. ferias reperimus.

De quibusdam rebus ad miſſam ſpectant. c. 6.

II. Nec hic prætereundum eſt, quod laudatus Berno, ac etiam *Micrologus* de concordia officiorum dominicalium pulchre differunt, quomodo nimirum lectiones, cantus, & orationes ſibi concinant, ſi miſſa,

Concordia officiorum.

quæ

quæ tertio loco in antiquis liturgiis, noſtris etiam ſacramentariis ponitur, oratio ſcilicet miſſalis, *Deprecationem noſtram*, omittatur, quam libellus de eccleſ. officiis inter noſtra monumenta in ipſa octava Pentecoſtes aſſignat. Per id vero etiam concordiam officiorum turbari notat, ſi tertio loco ponatur. „Et in hunc modum (inquit BERNO) per viginti „tres hebdomadas, ſi illa miſſa ſuperius dicta tertio loco prætermittitur, „aut omnia cum omnibus, aut aliqua cum aliquibus, maxime autem, ſi „diligenter inſpicitur, miſſæ concordant cum evangelicis lectionibus.“ Cuius rei rationem habitam fuiſſe poſt BERNONEM, patet ex hodiernis miſſalibus, ubi orationes illæ prætermittuntur. Cum vero ceſſante officio in octava Pentecoſtes ex ipſo feſto repetito nimirum Spiritus Domini officia dominicarum retrahi neceſſe fuerit, hinc unum officium ſuperadditum eſt, ut ſint 24. hodie, cum BERNO 23. tantum numeret pro ſua concordia. „Nam viginti tres (inquit) hebdomadæ computantur ita „concordes, ut aliquando omnis cantus, videlicet antiphonarum, quæ „dicuntur Introitus, Gradualium, Offertorium, Communionum cum le„ctionibus apoſtolicis & evangeliis ita conveniant, ut velut quoddam or„ganum diſtantis inter ſe vocis concordem ſymphoniam reddant. Ut „enim exempli gratia pauca ex plurimis proferamus, primam domini„cam poſt octavam Pentecoſtes intendamus, ubi Introitus ita incipit: *Do„mine in tua miſericordia ſperavi:* & reſponſorium: *Ego dixi Domine „&c.* & verſus: *Beatus qui intelligit ſuper egenum.* Offerenda quoque: „*Intende voci orationis meæ.* Nonne ſuis vocibus videtur tibi prophe„tam in voce pauperis LAZARI, vel in perſona S. Eccleſiæ hoc quidem „tempore pauperis & afflictæ ad Deum proclamare, ut in hac convalle „lacrymarum dignetur miſerere membrorum ſuorum? Et quid ipſo die „lectio IOANNIS, niſi tota charitatis melle redundans, dum dicit: *Deus „charitas eſt, & qui manet in charitate &c.* Quid autem ſanctum evan„gelium ſonat, niſi ut ad miſericordiæ opera nos provocet, quando & „pauperis LAZARI patientiam in ſinu ABRAHÆ remuneratam, & divitis „ſuperbi avaritiam oſtendit damnatam? Pro huiusmodi re ſacerdos illud de„precatur, qui eſt ſperantium in ſe fortitudo, ut adſit invocationibus „noſtris propitius, & quia ſine illo nihil poteſt noſtra mortalis infirmi„tas, ſicut nec LAZARI ſine eius adiutorio potuit, præſtet nobis auxi„lium gratiæ ſuæ, ut in exequendis mandatis eius, illum diligendo ex „toto corde, & ex tota anima, & ex omnibus viribus, & proximum „noſtrum ſicut nosmetipſos, & voluntate illi, & actione placeamus, ut „quandoque poſt huius vitæ terminum in ſinu ABRAHÆ recepti, unus„quiſque noſtrum læto cordis iubilo cantare poſſit cum LAZARO: *Nar-*

De quibusdam rebus ad miß. ſpectantib. c. 5.

„ *rabo omnia mirabilia &c.*“ Quæ nimirum eſt antiphona ad communionem eius officii, ac omnia hodieque concinunt, excepto Evangelio de Lazaro, quod in Capitulari evangeliorum Mſc. *Carthuſiæ Friburgenſis* aſſignatur, in antiquiori vero *Rhenaugienſi*: *Eſtote miſericordes*, ut hodie habetur, quod in *Carthuſienſi* dominica IV. demum occurrit. Ubi tamen defectus ſe prodit dominicarum poſt Pentecoſten in Capitulari *Rhenaugienſi*, quod poſt duas ebdomadas poſt Pentecoſten, ſex poſt natale Apoſtolorum, quinque poſt S. Laurentii, ſeptem poſt S. Cypriani numerat, quæ viginti tantum conficiunt. Quodſi ſecundum antiphonarium a Thomasio editum quatuor ponantur officia dominicarum poſt octavas Pentecoſtes ante dominicam primam poſt natale apoſtolorum, ut ibi etiam deſignantur, & aliæ deinde poſt natale S. Laurentii, S. Angeli, prodit numerus 23. hebdomadarum, & in concordiam redeunt evangelia noſtrorum Capitularium evangel. atque laudata tantopere officiorum harmonia. Eadem concordia habetur etiam iuxta antiquiſſimum noſtrum ſacramentarium uſque ad officium poſt ſabb. XII. Lection. in *Septembri dominica vacat*, ubi orationes variant, atque deinceps etiam ad complendum numerum XXVII. dominicarum ſubinde officia inſeruntur. Quando *dominica vacat* officium ex feria IV. repeti ſolebat, quod ipſum laudatus Berno cum ſua concordia officiorum pugnare dicit, idque etiam mutatum, ex hodiernis miſſalibus eluceſcit. Et in libello de eccleſiaſticis officiis inter monumenta noſtra concordiam illam officiorum dominicalium illi maxime confundere dicuntur, qui vacantiam dominicarum incongrue aſſumunt.

T. V. Opp. ed. Vezz. p. 134. ſeq.

Præfatio de SS. Trinitate per has dominicas.

III. Id porro ex antiquiſſimo noſtro ſacramentario eſt obſervandum, ſingulare haberi officium in octava Pentecoſtes *Timentium te Domine*, cum præfatione de SS. Trinitate, ac deinceps peculiari in ſingulis dominicis, quod etiam Menardus in omnibus antiquioribus MſſT. & in editis ex *Vaticano* obſervavit, *Micrologum* notans, qui de uſu ſui temporis loquens dicit, præfationem de SS. Trinitate in dominicis frequentari. Quem etiam ad hoc citat Radulphus *Tungrenſis*, tempusque determinat *diebus dominicis intra Trinitatem & Adventum tam in miſſa dominicali, quam in feſto 9. lectionum. Et hoc ſervant*, addit, *Anglici*, *Alemanni*, *& multæ nationes*. Mutationem hac in re, ut alias, fratribus minoribus tribuit. Id certe paſſim in miſſalibus tam MſſT. quam etiam impreſſis præſcriptum reperi, poſtquam feſtum SS. Trinitatis celebrari cæpit, unde paſſim dominicæ poſt Pentecoſten numerari cœperunt, aut etiam *poſt feſtum Corporis Chriſti*. Præfatio autem de SS. Trinitate tantum pro dominicis aſſignatur, & quidem in nonnullis impreſſis ſæc. XV. cum hac rubrica: *Quæ uſque ad*

Not 401. in ſacrament. Microl. cap. 60. Propoſ. 23. de Canon. obſerv.

Digitized by Google

ad Adventum Domini omnibus diebus dominicis dicitur, *cum de tempore celebratur.* In impreſſo directorio *Conſtantienſi* ſæc. XV. de Adventu Domini expreſſe notatur: *Neque præfationem dominicis diebus de ſancta Trinitate recipimus.* Et in miſſali *Conſtantienſi* impreſſo eiusdem ſæc. ſub Ottone IV. epiſcopo ad dominicam III. poſt Epiphaniam rubrica eſt: *Præfatio quotidiana*, *quæ ſingulis diebus dominicis dicitur uſque ad* Invocavit. Scilicet dominicam I. Quadrageſimæ, quæ propriam habet. Alicubi etiam in dominicis poſt Paſcha eandem præfationem communem aſſignatam reperi, quibus hodie præfatio de reſurrectione Domini præſcribitur, cæteris autem dominicis per annum ex decreto Clementis XIII. præfatio de SS. Trinitate, non ſolummodo, ut olim, dominicis poſt Pentecoſten, quibus etiam miſſa matutinalis de SS. Trinitate dici ſolebat, ut paſſim in ord. operis Dei notatum reperi. De feſto SS. Trinitatis etiam dominica ultima poſt Pentecoſten celebrato, ut in antiphonario a *Ioſepho* Cari, ſeu Thomasio, & in operibus S. Gregorii edito, diximus ſuo loco.

CAPUT VI.

De IV. Temporibus.

I.

Quatuor ſtata celebrantur in eccleſia ieiunia, veluti appoſita ad quatuor anni tempora. „Nam „quatuor temporibus (inquit Berno in dialogo „de quatuor temporibus apud Pezium) volvitur „annus Vere, Æſtate, Autumno, Hieme.“ Et paullo poſt: „In unoquoque tres dies ſunt, „quia unumquodque tempus tres menſes habet. „Pro unoquoque menſe ſinguli dies ieiunio „conſecrantur.“ Agit de iisdem alibi, atque etiam ad genium temporum allegoria ſumta de quatuordecim generationibus ter in genealogia Chriſti repetita pro illis figendis temporibus utitur in controverſia mox indicanda, quamobrem in epiſtola *Leodienſium* reſcripta *Trevirenſibus de differentia quatuor temporum* a Martenio, ac Hontheimio cum aliis edita ſugillatur: „Tres (aiunt) generationum Chriſti ordines tribus „ieiuniorum ordinibus allegorice reſpondent, quid confertur quarto ie-

Origo trium vel quatuor temporum ieiunii.

T. IV. anecdot. P. II. p. 60.

De quibusdam reb. ad miſſ. ſpect. c. 7.

T. I. Theſ. anecd.

T. I. hiſt. Trevir. diplom. pag. 452. ſeq.

Digitized by Google

„ iunio, quod etiam hebdomadarum mutilatur numero? Placet hæc alle„goria, ſed non ita, ut pro certa figatur ieiuniorum regula. Placet & „BERNONIS regula, quæ vos a quodam intellectuali linearis numeri filo a „primo ieiunio ad ſecundum, a ſecundo ad tertium, a tertio ad quartum „ieiunium ducit, & utinam ſine errore."

Vocantur apud nos *Fronfaſten*, ac latine etiam *Angariæ*, cuius rei hanc rationem in itinere *Germanico* reddit MABILLONIUS: „Iisdem quatuor „temporibus ſubditi quique in *Germania* perſolvunt cenſus ſuos, quos *an„garias* vocant. Hinc quatuor tempora vulgari nomine *angariæ* appel„lantur." Quæ quidem etſi apud nos fallat ratio, quodammodo tamen accommodatior eſt, quam quæ ipſos *Germanos* ex imperitia veteris dialecti *Teutonicæ* ad hanc duxit nuncupationem, eoquod ſervitia & operæ (*die Frohnen*) dicantur *angariæ*. Indictiones, operæ, vel angariæ in chartis *Alemanniæ* apud GOLDASTUM cap. 42. notantur, ac in Capitular. regum *Francorum*, & alibi, ut DU-CANGIUS obſervavit. „Rectius expoſueris „(inquit HALTAUSEN) ieiunium ſacrum ac præcipuum eiusdemque ſignifi„cationis eſt nomen *Goldfaſten*, quippe quod etiam a ſolemnitate profe„ctum.

Calendar. med. ævi pag. 14.

Idem annotavit paſſim in noſtris documentis dici *Wichfaſten*, *Weichfaſten*, *Wyhfaſten* a conſecrationibus Clericorum, quas illis diebus fieri iuſſerat GELASIUS. Qua de re dixi ſupra, atque etiam AMALARIUS obſervat: „Quod quamvis ordinatio in memoratis temporibus non celebretur, „ſicut nec a primis epiſcopis celebrata fuit: tamen neceſſario oportere no„ſtræ religioni quatuor ieiunia annuatim celebrare. Qua de re cogito, „quia illa præceſſerunt, in his duodecim lectiones ſtatutas eſſe, & non ie„iunium propter ipſas, ſed ipſas propter ieiunium præcedens."

Lib. II. de off. c. 2.

In libro pontificali CALLISTO P. tribuitur, conſtituiſſe ieiunium quater in anno fieri, frumenti, vini & olei gratia ſecundum prophetam. „At (ut „obſervat BENEDICTUS XIV. Inſtit. IV.) in vetuſtiſſimo eiusdem libri ex„emplari ſervato in celebri bibliotheca *Colbertina* (a quo nihil omnino „diſſentit alterum, quod in reginæ *Suecorum* bibliotheca extabat) ita ſcri„ptum invenimus: *Hic conſtituit ieiunium die ſabbati ter in anno fieri, „frumenti, vini, & olei gratia ſecundum prophetam, quarti menſis, ſe„ptimi, & decimi:* utrumque teſtimonium in hanc ſententiam ISIDORUS „*Mercator* coniunxit: *Ieiunium, quod ter in anno apud nos celebrare di„dicisti, convenientius nunc per quatuor tempora fieri decernimus.*" Hæc doctiſſimus Pontifex. Quamvis autem nec liber pontificalis, nec ISIDORUS *Mercator* rem conficiant, nec certa origo aliunde habeatur, monumenta tamen antiquiſſima alia de his ieiuniis ſuppetunt.

T. XI. opp. p. 12.

Incer-

Digitized by Google

Incertum quidem eſt an Bachiarius ſæc. V. ſcriptor de his, prout primo fuiſſe ter in anno liber Pontificalis, & Isidorus dicunt, intelligendus ſit ieiuniis, dum dicit: „Ieiunia attentiora ſecundum eccleſiaſticam „regulam, diſciplinamque ſervamus, ut tribus temporibus anni maſculinum noſtrum, hoc eſt, opus virtutis, quod cætero operi præcellat, „appareat." Nec etiam ſatis congruunt recenſita quatuor per annum ieiunia a Philastrio de hæreſ. c. 145. *In Natali, in Paſcha, in Epiphania, in Pentecoſte.* Certiora teſtimonia ſunt ſermones S. Leonis ſæc. V. his temporibus habiti, qui inter eius opera plures habentur.

Apud nos in ſtatutis S. Bonifacii præſcripta leguntur: „Doceant etiam presbyteri populum quatuor legitima temporum ieiunia obſervare, „hoc eſt, in menſe *Martio*, *Iunio*, *Septembrio*, & *Decembrio*. In Capitul. Caroli M. an. 779. ſimiliter ſtatuitur. „Ut ieiunium quatuor temporum & ipſi ſacerdotes obſervent, & ipſi plebi denuntient obſervandum." Et apud Ansegisum: „Doceant presbyteri populum quatuor „legitima temporum ieiunia obſervare, hoc eſt menſe *Martio*, *Iunio*, *Septembrio*, & *Decembrio*, quando ſacri ordines iuxta ſtatuta canonum diſtribuuntur." Quæ tempora Concilium *Mogunt.* an. 813. accurate præfigit: „Conſtituimus, ut quatuor anni tempora ab omnibus cum ieiunio obſerventur, ut eſt in menſe *Martii* hebdomada I. in menſe *Iunii* hebd. 2. in menſe *Septembris* hebd. 3. & in menſe *Decembris* hebdomada, quæ fuerit plena ante Vigiliam Nativitatis Domini, ſicut eſt „in *Romana* eccleſia traditum."

T. I. Conc. Germ. p. 74. *Ib. p. 127.* *T. I. Capit. p. 954.*

II. Veteri more anni exordio conſtituto in *Martio* menſis primi, in *Iunio* menſis quarti, & ſic in *Septembri* & *Decembri*, prout hodieque nomina ſonant, atque etiam ieiunia illa nomen habebant. Sic in noſtro antiquiſſimo ſacramentario ex cod. *Rhenaug.* & *San-Gallenſi*, perinde ac altero S. Galli nunc *Turicenſi* ſæc. circ. X. ſæpe laudato denunciatio ieiuniorum Primi, Quarti, Septimi & Decimi menſis poſt hebdomadam tertiam Pentecoſtes ponitur, cum officiis menſis quarti. Poſt canonem vero miſſæ, verba nempe illa *Pax Domini ſit ſemper nobiſcum. Et cum Spiritu tuo* additur: *Poſt hæc commonenda eſt plebs pro ieiuniis primi, quarti, ſeptimi & decimi menſis temporibus ſuis, ſive pro ſcrutiniis &c.* In ſacramentario *Gelaſiano* vero, & *Gregoriano* antiquiſſimo, quod citat Card. Bona, notatur tantum denunciatio menſis quarti, ſeptimi, & decimi, quod nimirum primum cum Quadrageſima coincideret, & ſic etiam in noſtris antiquiſſimis ſacramentariis ſine omni nota ſabb. XII. lectionum hebdomada II. Quadrageſima ponitur; & id quidem etiam in Pentecoſte,

In illis celebrandis varietas. *Lib. II. rer. liturg. c. 16.*

tecoſte, ut tamen in antiquiſſimo *Rhenaugienſi* menſis IV. ieiunium, ut diximus, poſt dominicam III. poſt Pentecoſten, in noſtro autem *San-Blaſiano* immediate poſt ſabb. XII. Lect. Pentecoſtes ſine novo titulo ponantur officia pro menſe IV. Prius illud congruit S. Leoni, qui id præciſe dicit ſerm. VIII. de ieiun. menſis X. „Huius (inquit) obſervantiæ „utilitas dilectiſſimi, in eccleſiaſticis præcipue eſt conſtituta ieiuniis, quæ „ex doctrina ſancti Spiritus, ita per totius anni circulum diſtributa ſunt, „ut lex abſtinentiæ omnibus ſit adſcripta temporibus. Siquidem ieiuni„um vernum in Quadrageſima, æſtivum in Pentecoſte, autumnale in „menſe ſeptimo, hyemale autem in hoc, qui eſt decimus, celebramus.“ Nec alicubi ieiunium vernum ab ipſa diſtinguit Quadrageſima. At iuxta laudatum canonem *Moguntinum* aliter ratio eſt inita, affixaque ſunt ſuis menſibus ieiunia, menſis *Martii* hebdomadæ primæ vernum, menſis *Iunii* hebdomadæ ſecundæ æſtivum &c.

Controverſiam vero de hac re agitatam Sigebertus refert in libro de ſcriptoribus eccleſiaſticis. „De quibus (inquit) celebrandis inter mul„tos eſt diſſonantia: dum alii ſecundum conſiderationem temporum ad „ieiunium quartæ & ſextæ feriæ accipiunt dies *Februarii* vel *Maii*, vel „*Septembris*, & ſabbato in Calendis proveniente terminant ieiunium: alii „vero ſine conſideratione temporum non ieiunant, niſi quarta & ſexta „feria ieiunii cum ipſo ſabbato in *Martio* vel *Octobri* proveniant. Et „talem ieiunandi ritum auctorizant multi maxime *Teutones*.“ Recenſet ibi, quod Berno *Augienſis* ſcripſit de ieiunio IV. temporum, impugnavit autem ipſe Sigebertus, cuius nomine edidit Martenius reſcriptum pro Clericis *Leodienſibus*, præceditque altera prolixior epiſtola *Leodienſium* reſcripta *Trevirenſibus* de differentia quatuor temporum: cuius etiam auctorem eſſe Sigebertum, Martenius annotavit ex codice Mſc. *Gemblacenſi*. Epiſtola autem *Trevirenſium* reſcripta Clericis *Leodienſibus* inquirentibus de ieiunio quatuor temporum, Bernonis fere expreſſa eſt verbis, quæ habet tum capite ſeptimo de quibusdam rebus ad miſſam ſpectantibus, tum eadem opuſculo ad Aribonem archiepiſcopum *Moguntinum* ſcripto de obſervatione ieiunii quatuor temporum, quod ex cod. *Friſingenſi* edidit *Bern.* Pezius. Ubi ſic quæſtionis ſtatum ponit: „Nam cum „in libris ſacramentorum ita ordinatum prætituletur, ut in primo ſabbato „primi menſis XII. Lectiones cum ieiunio ſint celebrandæ: in quarto „menſe ſecundo, in ſeptimo tertio: in decimo proximo ſabbato ante „Natalem Domini: alii ſic intelligendum putant, ut ſi *Martius* V. „vel VI. vel ipſa VII. feria incipiat, mox eum præcedente *Februarii* menſis „quarta feria, ſeu etiam aliquando VI. ieiunium in ſabbato celebrent, „eadem-

T. I. Theſ. Anecd. pag. 306.

pag. 294.

T. IV. Anecd. P. II. pag. 57.

„ eademque conſequentia ſecundum ſabbatum in *Iunio*, tertium obſervent „ in ſeptimo abſque aliqua conſideratione quartæ ſeu ſextæ feriæ. Alii ve- „ ro e diverſo nolunt in *Martio* primum ſabbatum ieiuniis deputare, ni- „ ſi eiusdem quarta feria antecedat eodem utentes ordine per ſuas qua- „ tuor ferias in *Iunio* & *Septembri*." Pro hac ſententia pugnat Berno ſic effatus: „ Ad quod tibi ex conſuetudine ſanctæ eccleſiæ, quæ pro ma- „ xima auctoritate tenenda eſt, reſpondeo, quod abſque ulla refragatio- „ ne ſemper eiusdem menſis quarta feria debeat exſpectari, quoniam idem „ ieiunium, quod quarta feria incipitur, ſabbato finitur, nequaquam *Fe- „ bruario*, ſed *Martio* totum deputatur ea videlicet ratione, ut in eo „ menſe primum ieiunium noſtrum Domino conſecretur, in quo prin- „ cipium anni, ac ipſa creatio cœpit mundi. Unde iſte terminus firmi- „ ter eſt obſervandus, ut nec ante IV. Nonas *Martii*, nec poſt VI. Idus „ eiusdem menſis aliquis ſtatuat ſabbatum ieiunandum, ſed in his ſeptem „ diebus, ubicumque primum evenerit, ieiunare licite valebit. Ex quo „ velut intellectuali quodam filo rectiſſimæ regulæ linea per quatuorde- „ cim hebdomadas uſque in ſecundum *Iunii* menſis ſabbatum ducatur, in- „ deque per alias quatuordecim ad aliud proximum ante Nativitatem Do- „ mini ſabbatum, ut abſque errore eorundem ſabbatorum termini poſſint „ inveniri." *pag.* 61.

Hanc regulam impugnant *Leodienſes*, nec ita ſtrictim ſibi agendum putarunt. „ Ut ſi in quolibet temporum ieiunio (aiunt) intercurrat ſpecia- „ lis feſtivitas, ieiunii ſedes transmutetur, aut ſabbatum æſtivalis ieiunii, „ ſi concurrat ſabbato Pentecoſtes, quæ utraque ſabbata prænotantur ti- „ tulo XII. lectionum, differtur ieiunium in hebdomada Pentecoſtes, quia „ non poſſunt expleri una celebritate duo authentica officia, & duo my- „ ſteria unum baptizandi, & unum ordinandi. Quamvis noſtra pene me- „ moria tres archiepiſcopales ſedes vos, ſcilicet *Trevirenſes*, *Colonienſes*, „ & *Moguntienſes*, voluerint hæc duo myſteria duplicis ieiunii uno unius „ diei officio compleri, ſed ea cauſa nec ad conſenſum omnium, nec ad „ uſum eccleſiæ potuit pervenire. Quid, inquam, adeo gravamini ſolius „ primi ieiunii mutatione &c." Antea ita *Trevirenſium* obiectionem attu- lerunt. „ Dicitis: Quando primum ſabbati ieiunium ante Quadrageſimam „ evenerit, ex conſuetudine eccleſiæ veſtræ in ſecundum vel tertium *Mar- „ tii* nobis mirum videtur obſervari. Miramur de vobis, cur ſuper hoc „ miremini de nobis. Numquid hoc facimus ſine auctoritate Patrum anti- „ quorum, vel iuniorum? Siquidem non longo abhinc tempore, iuſſu „ Kounradi imperatoris apud *Triburias* habito generali conventu & con- „ ſilio epiſcoporum, epiſcopi inter cætera voluerunt decernere hoc capi- „ tulum:

B. Pez. T. I. Theſ. Anecd. pag. 302.

„ tulum : ut ſi quando ieiunium primi menſis evenerit infra hebdomadam, „ qua caput ieiunii in feria IV. conſtat, amborum ieiuniorum celebritas „ unius officii expletione compleretur. Sed huic multorum decreto pauci „ noſtratum refragantes ſaniori conſilio obtinuerunt, ut ieiunium primi „ menſis in altera hebdomada, in qua habetur officium, celebraretur iux- „ ta antiquorum conſuetudinem.

Congruit hoc, quod ex noſtris ſacramentariis retulimus, quodque, ut mox dicemus, univerſim eſt conſtitutum. In breviario ordinis eccleſiaſtici, poſtquam ieiunium feriæ IV. & VI. poſt Quinquageſimam fuerat conſtitutum, ita ſequitur: „ Inde vero prima ebdomata in Quadrageſima „ iterum IV. & VI. feria ſeu & ſabbato ſtationes publicas faciant, & ie- „ iunium cum XII. lectionibus in ipſo ſabbato conſumantur. Et ſi fuerit „ ipſum ſabbatum de *Martio* menſe, ordinationem ſacerdotum faciant. „ Si autem in alia ebdomada, vel tertia, quando pontifex iudicaverit iterum „ IV. vel VI. feria, ſeu & ſabbato cum XII. lectionibus ſicut prius or- „ dinare videntur, & ordinantur, qui ordinandi ſunt." At vero nuſpiam officia peculiaria pro hoc menſe I. diſtincta ab hebdomada II. Quadrageſimæ reperio, ſicut e contra de menſe IV. ac Pentecoſte ex noſtris ſacramentariis notavimus, habeturque idem in ſacramentario S. Eligii apud Menardum, donec fixum fuit poſt Pentecoſten ieiunium, de quo iam S. Athanasius in apol. II. In breviario autem ac capitulari ord eccleſ. ſic præſcriptum habetur: „ In ipſa vero hebdomada poſt Pentecoſten quarta „ & ſexta feria, ſeu & ſabbatum ieiunium faciunt, & miſſarum ſolemnis „ cum omne officio divino, ſicut in Sacramentorum commemorat, cele- „ brantur." Nihil de ieiunio menſis IV. ſequitur, quod tamen, niſi ita coincideret, non fuit affixum octavæ Pentecoſtes. In ord. IV. tempor. „ Sabbato Pentecoſtes in XII. lect. ſi autem ipſa hebdomada in menſe „ quarto venerit, ieiunium faciant IIII. & VI. feria, & in ſabbato uſque „ ad horam nonam, & eas lectiones legantur, quæ in menſe quarto ſcri- „ ptæ ſunt cum reſponſoriis quatuor & benedictione. Sin autem in antea „ tempore ſuo agatur." De quo in conventu *Aquisgranenſi* an. 817. ſtatuitur: *Ut in hebdomada Pentecoſtes non flectantur genua, & non ieiunetur, niſi ſtatuti fuerint dies ieiunii.* Adhuc ſæc. XIV. memoria veteris varietatis ſervata eſt, ut ex rubrica miſſalis eius ſæc. quod in noſtra bibliotheca ſervatur, colligitur. *Feria IV. ieiunium æſtivum, quod infra Pentecoſten ſemper eſt celebrandum. Et in hoc ieiunio non dicitur* flectamus genua. In ſacramentario *Leonino* notatur ieiunium in menſe *Iulio*, quod ideo obſervo, quia apud *Rhabanum* Maurum ieiunium menſis IV. in menſe *Iulio* dicitur celebrari, quin etiam ieiunium menſis V. in *Auguſto.*

Murat. T. I. p. 346.
Lib. II. de Inſtit. Cler. c. 19.

Digitized by Google

guſto. Sed mox diſtinguit ieiunium illud menſis quarti a ieiunio IV. temporum, ſecundumque poſt Pentecoſten celebrari dicit.

III. Berno, qui canoni concilii *Moguntini* accuratius inſiſtere viſus eſt, atque Ariboni lucubrationem ſuam inſcripſit, apud eundem pervicit, ut in concilio *Salegunſtadienſi* iuxta ſuam decerneretur mentem ac ſententiam an. 1022. hoc canone: „De incerto autem ieiunio quatuor temporum hanc certitudinem ſtatuimus, ut ſi Kalendæ *Martii* in quarta feria, ſive antea evenerint, eadem hebdomada ieiunium celebretur. Si autem Kalendæ *Martii* in quintam feriam, aut ſextam, aut ſabbatum diſtenduntur, in ſequentem hebdomadam ieiunium differatur. Simili quoque modo, ſi Kalendæ *Iunii* in quartam feriam aut antea evenerint, in ſubſequente hebdomada ieiunium celebretur. Et ſi quintam feriam aut ſextam, aut ſabbatum contigerit, ieiunium in tertiam hebdomadam reſervetur. Et hoc ſciendum eſt, quodſi quando ieiunium menſis *Iunii* in vigilia Pentecoſtes ſecundum prædictam regulam evenerit, non ibi celebrandum erit, ſed in ipſa hebdomada ſolenni Pentecoſtes, & tunc propter ſolemnitatem Spiritus S. diacones dalmaticis induantur & *Alleluia* cantetur & *flectamus genua* non dicatur.“ De conc. *Triburienſi* an. 1030. ita habetur: „Poſt aliqua dictorum ſuorum, hoc habuerunt capitulum; ut ſi quando ieiunium primi menſis in ea hebdomada, qua conſtat caput Ieiunii, ſicut ſolet, eveniret: amborum ieiuniorum celebritas una officii expletione compleretur. In hoc rurſus moderatiſſimus paſtor Gerardus *Cameracenſis* epiſcopus, antiquam Patrum conſuetudinem ſervari monebat, & in altera hebdomada officium primi ieiunii celebrandum pro conſuetudine antiqua cenſebat: cuius oblata ſententia viſa eſt congrua, & ab eis decreta eſt tenenda.“

Donec ſæc. XI. fixa ſunt tempora menſis I. & IV.

T. XI. Concil. ed. Ven. p. 1130.

T. III. Concil. Germ. p. 55. 58.

T. III. Concil. Germ. pag. 101.

Licet vero etiam huic regulæ eccleſia *Trevirenſis* acceſſerit, ut modo audivimus, multa obiectantibus *Leodienſibus*, cum nihil ſic fixi eſſet, re ad novum examen revocata in concilio primum *Quendelburgenſi* anni 1085. conformiter ad uſum primigenium, conſuetudinemque eccleſiæ *Romanæ*, quam eodem tempore Gregorius VII. teſte *Micrologo* c. 24. firmaverat, ſtatutum eſt: *Ut vernum ieiunium in prima ebdomada Quadrageſimæ, æſtivum in Pentecoſte ſemper celebretur*, ut Bertholdus *Conſtantienſis* ad illum annum perhibet, & poſtea ad an. 1094. de magna ſynodo *Conſtantienſi* ſub Gebhardo Urbani II. legato, unde maius acceſſit robur præſentibus etiam eo in conventu *ducibus & reliquis Alemanniæ principibus*, ubi ſancitum eſt *iuxta ſtatuta SS. Patrum, ut ieiunium Martii in prima hebdomada Quadrageſimæ, & ieiunium Iunii in hebdomada Pentecoſtes*

T. III. Concil. Germ. p. 221.

C. 14. *ſemper celebretur.* Adfuit idem GEBHARDUS anno ſequenti ſynodo *Placentinæ*, ubi iterum ſtatutum: „Ut ieiunia quatuor temporum hoc or„dine celebrentur. Primum ieiunium in initio Quadrageſimæ, ſecundum „in hebdomada Pentecoſtes; tertium & quartum in *Septembri* & *Decem„bri* more ſolito fiant.“

Idem decretum quoad priorem partem repetitum eſt ſequenti anno in ſynodo *Claromontana* cap. 27. ſub eiusdem pontificis præſentia, & auctoritate, ut laudatus refert BERTHOLDUS. Atque etiam in epiſtola *Leodienſes* adducunt. „Sed & hoc adiiciendum eſt, quod anno „milleſimo nonageſimo quinto dominicæ Incarnationis tota pene eccle„ſia recepit a ſede *Romana* eccleſiæ decretum apoſtolicæ auctoritatis, ut „ſemper in prima Quadrageſimæ hebdomada ieiunium Veris, ſemperque „in ipſa Pentecoſtes hebdomada ieiunium æſtatis celebretur. Cum „ergo *Februarius* ſæpe unam ſæpe duas aliquando in primo ſcilicet „Paſcha, tres Quadrageſimæ obtineat hebdomadas; eodemque modo „*Maius* ſæpe una, ſæpe duabus, aliquando in primo ſcilicet Paſcha tri„bus hebdomadibus ultra dominicam Pentecoſtes excurrat. Conſtat to„tum ieiunium Veris in *Februo* ab illis celebrari; ieiunium vero æſtatis „non ſolum a ſecunda *Iunii* hebdomada, ſed etiam ab initio *Iunii* longe „removeri.“ Nulla certe eſt controverſia apud iſtos de ſpectanda quarta vel ſexta feria ante Calendas *Martii*, *Iunii*, vel *Septembris*, quippe, qui non ad certos menſes, ſed ad rationem temporum referunt ieiunium, prout laudatis conciliis iterum ſæc. XI. ſunt fixa. Atque in concil. *Northuſenſi* an. 1105. *Romano more* celebrandum *apoſtolica auctoritate* indictum eſt. Nihilominus in conc. *Oxonienſi* an. 1222. adhuc ad normam laudati concilii *Moguntini*, ſimiliter ac antea in conc. *Rothomagenſi* an. 1072. decretum eſt. Et GOFFRIDUS *Vendocinenſis* circa an. 1229. HILDEBERTUM *Cenomanenſem* interrogat: *In qua hebdomada Iunii ieiunia ſitis celebraturi?*

T. I. Theſ. Anecd. pag. 305.

T. III. Conc. Germ. pag. 760.

Menſis VII. & X.

IV. In citato *Salegunſtadienſi* concilio: „Eodem modo de *Septem„bris* ieiunio conſtitutum eſt, ut ſi Kalendæ *Septembris* in quarta Feria „evenerint, aut antea ieiunium in tertia hebdomada celebretur: & ſi in „quinta aut ſexta aut ſabbato contigerit, in quarta hebdomada ieiunan„dum erit. In *Decembri* illud obſervandum erit, ut proximo ſabbato „ante vigiliam Natalis Domini celebretur ieiunium: quia ſi vigilia in ſab„bato evenerit, ſimul vigiliam & ieiunium celebrare non convenit.“ Nihil hoc, utpote inolitum, difficultatis habuit, unde in concilio *Placentino*

Digitized by Google

tino tantum cautum eſt, ut ieiunium tertium & quartum in *Septembri* & *Decembri* more ſolito fiant.

Diverſitas tamen etiam aliqua fuit quoad ieiunium menſis decimi, de qua Berno in epiſtola de celebratione Adventus, & in dialogo de ieiuniis IV. temporum Amalarium citat: „De hoc ieiunio (inquit) quod C. 6.
„ in ipſa vigilia ſolebant antiquiores celebrare ſupra nominatus dixit Ama-
„ larius, quod conſecratio habet finem in ipſa Nativitate Chriſti, ſicut
„ quorundam *Italorum*, neſcio an omnium, adhuc mos eſt agere, ut
„ ego ipſe ibidem poſitus cognovi. Sed uſus in noſtris excrevit eccle-
„ ſiis, ut in anteriori hebdomada anticipetur: quia illa duo officia ieiu-
„ nii & Natalis Domini non conveniunt ſimul celebrari.“ *Itali* illi, quos notat, *Romani* non ſunt, de quibus *Micrologus*: „Ieiunium (inquit) C. 27.
„ hyemale iuxta traditionem ſanctæ *Romanæ* eccleſiæ ſemper in tertia heb-
„ domada de Adventu Domini debet celebrari: ſicut & ſancti Patres in-
„ ſtituerunt, qui eiusdem ieiunii officia eidem hebdomadæ indiderunt, &
„ ſequentem dominicam vacantem vocaverunt, nec ad hoc ullo ſpecia-
„ li ſtatuto indigemus, in quo ſanctorum Patrum veſtigia non excedi-
„ mus.“

V. Tractat ſequenti capite operoſe de officiis eorundem ieiuniorum *Micrologus*, de quibus peculiarem ordinem habemus, quæ ſingula cum collecta celebrari conſueverunt. Hinc in antiphonario a Thomasio edito officium miſſæ præcedit antiphona ad Introitum collectæ: *Exurge Domine &c.* ſequuntur *antiphonæ per viam proceſſionis. litania.* annotaturque: „ Quando fit collecta ad miſſam non cantatur *Kyrie*, quia ſubdiaconus „ regionarius dixit in litania,“ atque hæc eodem modo ad omnes tres dies præſcribuntur, qui ſinguli ſua officia habent, quæ quoad lectiones potiſſimum differunt, ſabbatum imprimis inde XII. Lectionum dictum conſtanter uſque ad hodiernum diem, conſpirantibus omnibus codicibus, ut fruſtra hic Fronto emendationem attentarit, legendum ſuſpicatus in duodecima lectione nimirum ex evangelio, quæ poſt undecim alias ex variis ſacræ ſcripturæ libris fiebat. Quæ tamen in ſabbatis IV. temporum fallit ratio, conſpirant vero auctores omnes in aliam ex ſingulari *Romanæ* eccleſiæ conſuetudine, quæ in hymno S. Bedæ adſcripto de celebritate IV. temporum ſic deſcribitur:

Eorum officia. Pag. 8.

Septima cum ſenas habeat, titulat duodenas:
Romana quod in urbe, caput quæ dicitur orbis

Ob populos varii ſermonis in urbe fluentes,
Tum Græco, tum Romano ſermone leguntur
Taliter ex ſenis fieri conſtat duodenas,
Non ſenſu vario, ſed tantum diſpare bombo.

Eandem conſuetudinem Amalarius iam *Romæ* quidem obſoletam ſuo tempore, apud *Conſtantinopolim* adhuc perſeverantem tradit: „Ni fallor (in- *Lib. II. de offic. c. 1.* „quit) propter duas cauſas, unam quia aderant *Græci*, quibus incognita „erat latina lingua, aderantque *Latini*, quibus incognita erat græca: al- „teram propter unanimitatem utriusque populi. Duodecim lectiones pro- „pter duodecim lectores dicuntur, non propter duodecim varietates ſen- „tentiarum: ſex lectiones ſunt tantummodo in ſententiis.“ Amalarium *cap. 3.* ad ſolutionem huius quæſtionis citat Berno in dialogo, idemque habetur *cap. 21.* apud auctorem de divinis officiis ſub nomine Alcuini, & apud Hono- *cap. 28.* rium *Auguſtodunenſem* in ſacramentario. Nec abludit *Micrologus*, & Rupertus *Tuitienſis*, exprimiturque in mſc. Ord. operis Dei ſæc. XIV. *Lib. III. de off. c. 8.* „Hoc autem ſabbatum, quamvis ſex tantum lectiones habeat, dicitur ta- „men XII. lectionum, eoquod antiquitus eædem lectiones bis legebantur, „græce videlicet & latine.“ Annotavimus in ſacramentario noſtro, quod Martenius obſervavit ex ordine *Romano* ad uſum eccleſiæ *Salisburgenſis* ante annos ſexcentos exarato, diſtinctas has fuiſſe lectiones habitas in eccleſia, unde Clerus, populusque facta collecta cum letania proceſſerit ad *S. Petrum.* In noſtro tamen Capitulari eccleſ. Ord. ſtatio hoc die notatur *cum duodecim lectionibus ad S. Petrum.* In ordine IV. temporum numerus lectionum non exprimitur, officiumque tantum præſcribitur, prout in ipſa ſtatione habebatur, omiſſis, quæ de collecta memoravimus. Quodſi autem orationum numerum ſpectemus, atque inter alias poſtremam de tribus pueris reſpondentem lectioni, quæ in præfato ordine IV. temporum notatur, idem provenit lectionum numerus, qui hodie obtinet, cum benedictione ſeu hymno trium puerorum.

Serm. IX. de ieiun. VII. menſis. Olim vero maius fuiſſe officium, vigiliæ produnt, de quibus S. Leo, indicunturque in denunciatione ieiuniorum horumce in *Gelaſiano* & no- *De div. off. p. 79.* ſtro antiquiſſimo ordine; cauſam vero Iohan. *Abrincenſis* hanc reddit: „In his itaque temporibus in ſabbatis poſt nonam in miſſa veſpertinali „quidem hora, quæ pars eſt dominicæ reſurrectionis, a beato Leone „ſummo pontifice, cæterisque SS. Patribus ordinum conſecratio fieri con- „ſtituitur, quæ ieiunis a ieiunantibus conferatur. Ante nonam vero fie- „ri, ſacra auctoritate prohibetur.“ Quæ verba etiam ex ordinario *Roto-*

magenſi

Digitized by Google

magenſi citat De-Moleon. Prout nimirum in epiſtola S. Leonis ad Dioscorum *Alexandrinum* tempus deſignatur: „Ut non paſſim diebus omnibus ſacerdotalis vel levitica ordinatio celebretur, ſed poſt diem ſabbathi eius noctis, quæ luceſcit in prima ſabbathi, exordia conſecrandi eligantur, in quibus his, qui conſecrandi ſunt, ieiunis a ieiunantibus ſacra benedictio conferatur.“ In antiquis ſacramentariis titulus habetur *Dominica vacat.* Quam in rem „Quatuor dominicæ (inquit *Micrologus*) quæ huiusmodi ieiunia proxime ſubſequuntur, in libro ſacramentorum vacantes prætitulantur, eoquod propriis careant officiis. Unde & ex præcedentibus quartis feriis ieiuniorum *Romano* more inofficiantur, ut illæ quæ vernale ieiunium ſubſequuntur, & hyemale &c.“ Etiamnum evangelium dominica II. Quadrag. idem eſt, ac in ſabbato, inque antiquiſſimo noſtro Capitulari evangel. cum titulo: *Eb. III. die dominico vacat*, nihil aſſignatur; at in altero aliud præſcribitur *Egreſſus IHESUS ſeceſſit.* In antiquiſſimis etiam ſacramentariis orationes miſſales habentur, quod iam ad mutatam conſuetudinem vigiliarum ſpectat, atque in ordine quatuor temporum ſtatio *hora tertia, vel quali voluerit*, deſignatur. Vid. Vezzosius ad antiphonar. ordinatum a S. Greg. T. V. opp. *Ven.* Thomasii not. 2. p. 13. &c.

Voyage liturg. p. 309.
Epiſt. XI. cap. 1.

CAPUT VII.

De Litaniis, Proceſſionibus, ac Peregrinationibus ſacris.

I.

Supra de ambiguo ſtationis vocabulo egimus chriſtiano uſu pro concurſu Cleri ac populi ad eccleſiam, in qua proceſſio Clericorum ſtatis diebus ſubſiſtit, ad ſacra facienda. Hanc collecta præcedit condicto in loco, ſeu eccleſia, unde in locum ſtationis fit proceſſio ſolemni eccleſiæ *Romanæ* ritu, de quo eſt *Ordo proceſſionis ad eccleſiam, ſive ad miſſam* ſecundum varias urbis regiones diſtincto ac diſtributo ordine. *Diebus itaque ſolemnibus*, ut habetur eo in ordine a nobis ex antiquo *Turicenſi* codice edendo: „Sicuti eſt Paſcha primo omnes acolythi regionis tertiæ, & defen-

Collectæ, ſtationes, proceſſiones.

„ ſores omnium regionum venientes diluculo in patriarchio *Lateranenſe* „ præcedent pontifices pedeſtres ad ſtationem, ſtratores autem laici a dex- „ tris equi ambulant, ne alicubi titubet, qui autem eos equitantes præ- „ cedunt, hi ſunt diacones primicerius &c.“ Huc referri poteſt, quod
Can. 56. in concilio *Laodiceno* ſtatutum eſt: „Non oportere presbyteros ante pro- „ ceſſionem epiſcopi introire in ſacrarium, & ſedere, ſed cum epiſcopo „ debent ingredi, vel in ſubſelliis ſedere; niſi forſitan infirmitas detinea- „ tur, vel proficiſcatur epiſcopus.“ Proceſſiones autem huiusmodi cum- primis ſolemnes fuerunt in *Romana* eccleſia de una, ut diximus, in al- teram eccleſiam, in quarum prima collecta, in altera ſtatio fiebat.

Unde haud raro in noſtris etiam ſacramentariis diſtinguitur Collecta a ſta- tione, atque conſuetudine *Romana* etiam loca, ſeu eccleſiæ deſignantur. E. g. *Collecta ad S. Anaſtaſiam.* Concede nobis &c. Et mox: *Ad miſſam ſtatio ad S. Sabinam*, ubi orationes miſſales ſequuntur, quæ in ipſo ſtatio-
Myſter. lib. II. c. 27. nis loco, *Collecta* autem in priori dicebatur. Unde Innocentius III. „Propriæ tamen (inquit) Collectæ dicuntur, quæ ſuper Collectam populi „ fiunt, dum colligitur populus, ut ad ſtationem faciendam de una eccleſia
cap. 5. „ procedant ad alteram.“ Hoc *Micrologus* exemplo a me relato applicat. „ Illæ tamen (ait) ſpecialius Collectæ vocari videntur, quæ apud *Roma- „ nos* ſuper Collectam populi fiunt, dum colligitur, ut procedat de una „ eccleſia in aliam ad ſtationem faciendam, ut in capite ieiunii illa oratio „ *Concede nobis Domine* apud S. Anastasiam ſuper Collecta populi dicitur, „ qui ſtationem apud ſanctam Sabinam celebraturus eſt.“ Tales Collectæ in feſtis B. M. V. in noſtro *San-Blaſiano* ſacramentario notantur, quæ alibi etiam *ad proceſſionem* inſcribuntur. Vox ea a communi uſu ad Sacrum tra- ducta primum de promiſcuo concurſu paſſim apud Tertullianum, & S. Hieronymum, tandem peculiari ratione eiusmodi, de quibus agimus, proceſſionibus attributa in noſtra etiam vernacula hæſit. Atque in primario ſuo uſu ſic in laudato ordine proceſſionis ad eccleſiam, ſive ad miſſam de- ſcribitur: *Denunciata ſtatione diebus feſtis primo mane præcedit Clerus a- poſtolicum ad eccleſiam, exceptis his, qui in obſequio illius comitantur, ut ſupra diximus, qui ordine ſuo ſcribitur exſpectantes Pontificem in eccleſia cum ſupplementario & baiulis, & reliquis, qui cruces portant, ſedentes in presbyterio &c.* Cruces hæ, ut ſupra notavimus p. 196. ſtationales vo- cantur, videnturque *Romæ* pro regionum numero ſeptem fuiſſe. De qui- bus Anastasius in Benedicto III. *Ipſe vero inſignis & beatiſſimus Papa fecit cruces argenteas ſeptem, quæ per olitana tempora per omnes catholicas eccleſias, more ſolito præcedebant.* Communis earum uſus eiusmodi in O-

riente

riente etiam fuit. Veluti NICEPHORUS ex SOCRATE & SOZOMENO de proceſſione orthodoxorum oppoſita a S. CHRYSOSTOMO ſupplicationibus *Arianorum*, perhibet. *Proceſſionem cruces argenteæ cereos incenſos habentes præibant*, EUDOXIA *imperatoris coniuge impenſas ad eam rem præbente, quæ hoc* BRISONI *cubiculi ſui præfecto iniunxit, ut hymnorum cantus procuraret, & ad eum uſum quam plurimum lucernarum pararet.* Et iam ante S. CHRYSOSTOMUM PORPHYRIUS, *Gazenſis* epiſcopus, ut a MARCO diacono refertur in eius vita, ac IUSTINIANUS etiam meminit eiusdem in Novella CXXIII. c. 32. & alibi, atque Concilium *Nicænum* II. Apud nos vero paſſim memorat GREGORIUS *Turon.* veluti *de Gloria Martyrum*, lib. I. c. 44. *de Gloria Confeſſorum*, c. 20. & 79. in hiſtoria *Franc.* lib. X. c. 11. atque id nominis etiamnum apud nos in noſtra lingua vulgare eſt, qui proceſſionem vocamus *ein Creuz*, *Creuzgang*. *Socrat. lib. VI. c. 8. Sozom. lib. VIII. c. 8. Lib. XIII. c. 8.*

In præcepto II. ALDRICI *Cenomanenſis* præterea aliorum ornamentorum fit mentio apud BALUZIUM: „Conſtituit etiam, ut iam dicti canonici „ pleniter & decenter venirent cum pſallentio, id eſt, cum crucibus & „ reliquis divinis obſequiis & ornamentis, ut decet, nobilibus ad veſperas „ & vigilias iam dictæ feſtivitatis & dedicationis Domini Salvatoris & ipſius „ monaſterii eccleſiæ &c.“ Singulariter etiam textum S. Evangelii prælatum; antiquiſſimum circa finem ſæc. IV. habemus exemplum apud MARCUM diaconum. „Congregato populo in ſancta eccleſia, quæ appellaba„ tur *Irene*, iuſſit omnes pſallentes ſimul proficiſci in *Marnium*, quod olim „ fuerat. Ipſe vero ſequebatur portans ſanctum evangelium, & circa ſe „ habens pium Clerum: præcedebat autem populum ſemper memorandus „ BAROCHAS venerandæ crucis portans effigiem.“ In conſuetudinibus *Germaniæ* ac paſſim in ordinibus operis Dei eius rei fit mentio: atque in hunc finem pretioſis arculis incluſa evangelia paſſim habentur, ac etiamnum apud nos circumferuntur. Hoc iam notavimus, ac paullo poſt recurret mentio etiam de vexillis & fanonibus in noſtra lingua *Fahnen.* Diſtinguit autem duo hæc liber ordinis inter monumenta in deſcriptione proceſſionis in dominica Palmarum mentionem iniiciens *de ſchola Laicorum cum vexillis & fanonibus praeunte.* Ceſſavit vero baculorum uſus in proceſſionibus, quem haud raro in Mſſ. monumentis liturgicis notatum reperi etiam cum ſuis exceptionibus, ſi quando baculi circumferri non deberent. *T. III. Miſcell. p. 49.*

II. Ex iis, quæ modo ex NICEPHORO retulimus, facilius intelligitur, quod in reſcripto ARCADII ad CLEARCHUM urbis præfectum adverſus hæreticos habetur: *Interdicatur iis omnibus ad litaniam faciendum intra civitatem,* Litaniæ, ſupplicationes, ſeu rogationes. *Cod. Theo-*

Digitized by Google

Cod. L. XVI. tit. V. de haeret. leg. 30. *vitatem, noctu vel interdiu, profanis coire conventibus.* Nomen id apud S. Chryſoſtomum ac antiquiores etiam Euſebium & Baſilium occurrit pro ſupplicationibus publicis, ſeu Rogationibus, prout contractius λιταὶ dicebatur, aut etiam λιτανεῖαι. In vulgato apud Hittorpium ordine *Romano* breviter explicatur: *Litania autem græce, latine Rogatio dicitur, inde & rogationes.* In conc. *Moguntino* an. 813. *Litaniæ autem græco nomine appellantur, quæ latinæ dicuntur rogationes. Inter litanias autem & exomologeſes pro ſola peccatorum Confeſſione agantur: Litaniæ vero indicantur propter rogandum Deum & impetrandum in aliquo miſericordiam eius. Sed nunc iam utrumque vocabulum ſub una deſignatione habetur.* *Tom. I. Conc. Germ. p. 411.* Quæ verba repetens *Rhabanus* Maurus addit: *Nec diſtat vulgo, utrum letaniæ an exomologeſis dicantur.* *De Univerſo lib. V. c. 15.* Inter epiſtolas S. Bonifacii extat Pipini regis *Francorum* ad Lullum S. Bonifacii ſucceſſorem reſcriptum pro ſolemni ſupplicatione agenda ob fructuum ubertatem poſt ſuperioris anni annonæ penuriam. „Et ob hoc, atque pro aliis cauſis noſtris opus eſt „nobis illi gratias agere, quia dignatus eſt ſervos ſuos conſolari per eius „miſericordiam. Sic nobis videtur, ut abſque ieiunio indicto unusquis„que epiſcopus in ſua parochia litanias faciat, non cum ieiunio, niſi „tantum in laude Dei, qui talem nobis abundantiam dedit, & faciat „unuſquisque homo ſuas eleemoſynas, & pauperes paſcat.“ *Walafridus* Strabo ſingulari capite *de litaniis agendis*: *De reb. eccl. c. 28.* „Notandum autem (inquit) „non tantum dici illam recitationem nominum qua ſancti in adiutorium „vocantur infirmitatis humanæ: ſed etiam cuncta, quæ ſupplicationibus „fiunt, Rogationes appellari. Litania autem ſanctorum nominum poſt„ea creditur in uſum aſſumta, quam Hieronymus martyrologium, ſe„cutus Euſebium *Cæſarienſem*, per anni circulum conſcripſit.“

In codice Bibliothecæ *Carolinæ Turicenſis* ſæc. IX. vel X. qui continet pſalterium cum canticis, ſubditur ad calcem letania (ut paſſim in eiusmodi pſalteriis reperi) quæ ſic incipit: „Litania peccavimus Domine, „peccavimus, parce peccatis noſtris & ſalva nos. Qui gubernaſti Noe „ſuper undas diluvii, exaudi nos. Qui Petro mergenti manum por„rexiſti, auxiliare nobis, Chriſte filius Dei. Qui feciſti mirabilia Do„mine cum patribus noſtris, & nobis indulge peccata, & mitte manum „tuam de alto, libera nos Chriſte audi nos &c.“ Tum ſequuntur Sanctorum nomina magno numero, ac ſic finit: „Dicamus omnes Domine „miſerere. Domine miſerere. Suſcipe orationem noſtram, qui ſedes ad „dextram Patris miſerere nobis. *Alleluia. Alleluia. Alleluia.* Explicit li„tania maior. Incipiunt litaniæ in ſabbato ſancto Paſchæ.“ *Prima ſeptena:*

Digitized by Google

ptena: & poſt paucos ſanctos *Secunda*, Quina. tertia *Terna* De his litaniis mentionem fecimus agendo de ſolemni baptiſmo in ſabbatis Paſchæ & Pentecoſtes, notanturque in rituali *Auguſtano* ſæc. XII. In ordine operis Dei ſæc. XIV. bibl. noſtræ præſcribuntur etiam in iisdem ſabbatis, ubi nulla tamen ſolemnis baptiſmi adminiſtratio habetur. Sic dictæ ſunt ob ternam, quinam & ſeptenam nominum, ſeu invocationum repetitionem, quæ in ſua origene rationem habet in eccleſia *Romana*, prodeunte ex diverſis urbis regionibus proceſſione ſeu letania, prout a S. Gregorio ſept formis letania inſtituta legitur. Mabillonius vero ex vetuſto Rituali *Romano* ad feſtum Aſſumtionis B. M. V. in codice *Caſinenſi* ſupplicationem notavit cum ter centena veluti repetitione: „Una voce per numerum dicunt centies *Kyrie eleiſon*, centies *Chriſte eleiſon*, item centies *Kyrie eleiſon*, fuſisque lacrymis, & precibus per ſanctum Adrianum recta via vadunt ad *ſanctam Mariam maiorem* auditaque miſſarum celebritate ad palatium revertuntur.“ *Comment. in ord. Roman. pag. XXXIV.*

Nihil ibi memoratur de ſancti alicuius invocatione. In ſupplicationibus, quas Gregorius M. *Romæ* inſtituit, ad peſtem depellendam, Gregorius *Turonenſis* ſolum memorat *Kyrie eleiſon* per plateas cantatum fuiſſe. *Lib. X. hiſt. cap. 1.* Habenturque alia eiusmodi exempla antiquiſſima, ubi ſolummodo *Kyrie eleiſon* in letaniis fit mentio, quo aliæ litaniæ ordiri aut finiri ſolebant in Collectis,* unde ad miſſam ſequentem referebantur, ut paullo ante ex Antiphonario a Thomasio edito notavimus, in quo paſſim hæc rubrica occurrit: „Quando fit collecta ad miſſam, non cantatur *Kyrie*, quia ſubdiaconus dixit in litania.“ Antiquiores letaniæ illis vocibus non incipiebant, qualis habetur in antiquiſſimo ſacramentario *San-Gallenſi*, cuius character ad *Merovingicum* accedit, incipit: *Chriſte audi nos. Sancta MARIA &c.* quod in codice eiusdem monaſterii ſæc. XIII. vel XIV. adhuc deprehendi. Vidi aliam in eodem monaſterio litteris uncialibus auro & argento in membrana purpurea perſcriptis, quæ incipit a κύριε ἐλεησόν &c. In eadem bibliotheca litania habetur in cod. 900. annorum. Alibi egimus de ea, quæ eſt a Goldasto edita *Alemannicæ* eccleſiæ veteris letania, finita oratione poſt *Gloria in excelſis* dicenda a ſacerdote. *Chriſtus vincit. Chriſtus regnat. Chriſtus imperat* tribus vicibus; ſimiliter & Clerus. *Exaudi Chriſte.* ℟. *Nicolao pontifici & univerſali papæ vita. Salvator mundi.* ℟. *Tu illum adiuva. Sancte Petre.* ℟. *Tu illum &c.*

Litaniæ *Carolinæ* editæ a Mabillonio ſic incipiunt. *Kriſte audi nos. Sancta Maria. Ora pro nobis. Sancte Michael. Ora &c.* Sequunturque varia archangelorum nomina, cuiusmodi etiam auctores tractatus Diplomatici ex Congr. S. Mauri T. III. p. 435. notant in codice bibl. re- *Analect. p. 170.*

gæ ſæc. VI. quæ nomina in Capitularibus *Franc.* ſunt reſtricta ad ea, quæ ex authenticis ſacris ſcripturis ſunt cognita in concilio *Romano* ſub ZACHARIA P. contra ADALBERTUM hæreticum, ut in vita S. BONIFACII refertur: „Cumque per ordinem legeretur, pervenit ad locum, ubi ait: „*Precor vos & coniuro vos & ſupplico me ad vos angele Uriel, angele* „*Raguel &c.* Octo enim nomina angelorum, que in ſua oratione A„DALBERTUS invocavit, non angelorum præter MICHAELIS, ſed magis „dæmonum ſunt nomina &c." Lib. I. Capitular. cap. 16. eſt de ignotis angelorum nominibus: „Item in eodem concilio præcipitur, ut ignota „angelorum nomina nec fingantur, nec nominentur, niſi illorum, quos „habemus in auctoritate. Hi ſunt MICHAEL, GABRIEL, RAPHAEL." BURCHARDUS lib. III. decreti c. 198. ex conc. *Aurelian.* III. affert canonem in eandem ſententiam. In Capit. AHYTONIS epiſc. *Baſileenſis* 19. ſtatuitur, ut *Nec falſa angelorum nomina colant, ſed ea tantum, quæ prophetica & evangelica docet ſcriptura: id eſt Michael, Raphael &c.* In litaniis, quas deſcriptas ex libro precum CAROLI *Calvi* edidit BALUZIUS, tria tantum conſueta archangelorum nomina leguntur. Quoad Sanctos nonnunquam reperi arbitrio cantorum relictum, quos vellent nominare pro ratione nimirum proceſſionis. Unde in ordine *Turicenſi* an. 1260. ante longiſſimam litaniam præmittitur: *Hæc letania propter plurima Sanctorum nomina ſecundum exigentiam temporis ſufficere poſſunt ad quamlibet proceſſionem quantumvis longam.*

T. I. p. 707.

T. II. Capit. p. 1486.

De proceſſione in feſto Purificationis & aliis B. M. V. *Explic. T. II. p. 40.*

III. Satis confidenter, pro more, aſtruit DE-VERT *Kyrie eleiſon*, quod communiter principio miſſæ canitur, reſtare ex litaniis olim miſſæ præmitti ſolitis: quando diebus ſynaxis ſeu Collectæ in una eccleſia facta ad alteram, ubi indicta ſtatio erat, fiebat proceſſio, ut mox diximus. Antiquiſſimum quidem noſtrum ſacramentarium ſingulare hoc habet cum ſacramentario *Gelaſiano*, ut in omnibus fere miſſis duas habeat collectas, ubi una tantum Secreta & Poſtcommun. ſequitur: unde quis forte coniiceret priorem collectam illam fuiſſe, quæ in ipſa eccleſia, qua conventus ſeu Collecta fiebat, dicebatur; niſi ſuis locis & temporibus Collectæ huiuſmodi indicarentur: quod tamen etiam ſic quis accipere queat, ut mutata deinceps diſciplina circa hanc rem, ſeu potius accommodatis codicibus ſacramentorum ſeu miſſalibus pro uſu diverſarum eccleſiarum, ubi ea proceſſionis conſuetudo non ita ut *Romæ* frequentabatur, Collectæ illæ remanſerint ſine ſuis titulis, ac uſibus illis, niſi ſtatis tantum diebus e. g. in feſto Purificationis, quod SIMEONIS inſcribitur in noſtro illo antiquiſſimo ſacramentario, notaturque more *Romano Collecta ad S. Adrianum.*

EXAUDI

Digitized by Google

Exaudi &c. *Ad miſſam ſtatio ad S. MARIAM.* In libro ordinis inter monumenta noſtra habes integrum ritum, uti hodieque cereorum benedictio & proceſſio agitur inſtituta a Gelasio P., ut ex eius epiſtola ſeu libello adverſus Andromachum conſtat. Idque poſtea quadam ratione Sergius P. in aliis etiam B. V. feſtis iuxta librum pontificalem conſtituit: „Ut diebus Annuntiationis, Nativitatis, & Dormitionis S. Dei genitricis „ſemperque Virginis Mariæ ac S. Simeonis, quod Hypapantem *Græci* „appellant, litania exeat a S. Adriano, & ad S. Mariam populus con- „currat:“ quibus feſtis in ſacramentario *SanBlaſiano* peculiaris collecta ponitur ante orationem ad miſſam; non vero in antiquiſſimo *Rhenaugienſi.* Unde colligitur eius antiquitas Sergio I. anterior, perinde ac quod *Agnus Dei* in eo non notetur a Sergio etiam ad miſſam dici inſtitutum. In eodem ſacramentario *Rhenaugienſi* oratio præmittitur, quæ in cod. *San-Gallenſi ad collectam* inſcribitur. *Statio ad S. Sabinam* prænotatur etiam in *Rhenaugienſi* codice ubi in aliis Collecta ad S. Sabinam, ſtatio autem ad S. Petrum aſſignatur; ut tamen hic varient codices, quod in antiphonario a *Ioſ.* Cari, ſeu Thomasio edito videre eſt, atque etiam proceſſionis ritus eo die inſtitui ſolitæ.

IV. In neutro noſtrorum ſacramentariorum quidquam occurrit de proceſſione in die Palmarum, quæ tamen in obſequiali *San-Blaſiano* 800. annorum notatur, atque inter antiphonas *Gloria laus*, qui celebris hymnus dicitur a Theodulpho *Aurelianenſi* compoſitus, cum eſſet *Andegavis* in carcere, tranſeuntique Ludovico *Pio* cum proceſſione primum decantatus, quam fabulam Menardus in notis ad ſacrament. S. Gregorii explodit. Proceſſionis ſolemnis ſupra ex Ekkehardo Iuniore de caſibus monaſt. S. Galli mentionem fecimus, quæ prout hodie paſſim obtinet, in vita S. Udalrici deſcribitur his verbis: „Eo die mane diluculo ad ſanctam Afram veniebat, ſi in præterita nocte non ibi remanebat: miſſam „de ſancta Trinitate cantabat, & ramos palmarum diverſarumque fron- „dium benedicebat, evangelioque & crucibus & fanonibus, & cum ef- „figie ſedentis Domini ſuper aſinum cum Clericis & multitudine populi „ramos palmarum in manibus portantis, & cum cantationibus ad hono- „rem eiusdem diei compoſitis & cum magno decore pergebat uſque ad „collem, qui dicitur *Perleich*: ibique obviam ei veniebat chorus cano- „nicorum cum pulchritudine magna, & cum civibus, qui in civitate re- „manſerant, & qui de oppidis circumiacentibus ipſis ſe iungere volue- „runt, ibi ad imitandum humilitatem puerorum, cæterorumque populo- „rum ramis palmarum & veſtimentis ſuis viam ſternentium.“ Reliquias etiam

In die Palmarum cum Euchariſtia etiam circumgeſtatione, ut in feſto Corporis Chriſti.

Apud Goldaſt. Rer. Al. T. I. p. 10.

Act. O.S.B. P. V. p. 428.

Digitized by Google

etiam ea in proceſſione circumferri ſolitas apud noſtros diſcimus ex Conſtitut. *Hirſaugienſ.* S. WILHELMI apud HERRGOTTUM: „In die quoque „Palmarum debet aliquos diligentiores, de converſis eligere, qui capſas „& arcas SS. reliquiarum ad proceſſionem humeris ſciant portare. In „qua videlicet proceſſione præfertur aqua benedicta, poſtea cruces, tex- „tus evangelii duo, candelabra quatuor, thuribula duo deinde converſi „omnes, ad ultimum ſeniores, ſicut & in qualibet proceſſione, quæ ex- „tra clauſtrum agitur. Sed famuli ante prædictam proceſſionem vexilla „ferunt, quod & in tribus diebus Rogationum faciunt.“ Vexilla in ſuperiore loco ex vita S. UDALRICI fanones dicuntur, ut in vernacula dicunt *Fahnen.* In Mſc. Conſuetud. *German.* hæc notantur: „Mane in „palmis cuſtodes præparent diligenter quoddam portatorium in modum „feretri, in quo reponantur parvæ capſæ, ſive textum evangeliorum. De- „ſuper quoque appendantur philacteria, ſive buxæ reliquiarum. Ferant „autem illud latenter ante horam primam ad eccleſiam ad locum, quo „procedere debent, & cruces & candelabra, & thuribulum, & aquam „benedictam, & textum evangelii, & albas, flores, palmas, & omnia „quæ proceſſioni illi conveniunt.“

De vet. diſc. monaſt. pag. 522.

Quem locum notavit MABILLONIUS Commentar. in ord. *Romanum* p. LXVI. ac præterea quorundam locorum morem, in quibus loco evangelii reponebatur in feretro Euchariſtia, qui uſus in *Nortmannia* monaſteriis olim obtinuit, etiam ante BERENGARII hæreſim. Cuius ritus ordinem, prout in ſtatutis ſuis LANFRANCUS, BERENGARII adverſarius deſcribit, vid. apud citatum MABILLONIUM. Mos eſt antiquus Euchariſtiam præferendi pontifici in proceſſione ſtationali. Recentior autem eſt conſuetudo ſolemnis cum venerabili Sacramento in feſto SS. Corporis Chriſti, ut ſupra ſuo loco notavimus.

De proceſſionibus paſchalibus ob baptiſmum.

V. De ritibus huius proceſſionis plura collegit MARTENIUS de antiqua eccleſiæ diſciplina in divinis officiis celebrandis, uti etiam de illa, quæ quæ cum letania ſeptena, quina & terna agitur in ſabbato Paſchæ & Pentecoſtes ob ſolemnem baptiſmum, ſingulisque diebus per octavam Paſchæ habebatur proceſſio; quo pertinent orationes in noſtris antiquiſſimis ſacramentariis *ad S. Ioannem*, *ad veſperos*, *ad fontes*, *ad S. Andream*, de quibus nihil in *Gelaſiano* ſacramentario, paſſim vero in *Gregorianis* etiam in feſto SS. IOANNIS *Evangeliſtæ* & *Baptiſtæ*: ubi in noſtris ſacramentariis cum aliis orationibus una *ad fontes* notatur. Sunt, qui id fieri putant propter baptiſmum eo die alicubi celebrari ſolitum: quod editores operum S. GREGORII ex Congregatione *S. Mauri* ad reſponſale obſervarunt, ubi ſicut

ſicut in ſacramentario in octava Theophaniæ *ad crucem*, *ad fontes* habentur orationes, licet in *Romana* eccleſia baptiſmus non legatur in Epiphania adminiſtratus, minus etiam in feſto S. IOANNIS *Evangeliſtæ*, ubi in antiquiſſimo *Rhenaugienſi* ſacramentario ultima oratio *collecta* inſcribitur, quod ad proceſſionem refertur. In *San-Blaſiano* cum aliis ad idem feſtum orationes etiam *Ad veſper. ad fontem*, *ad S. Andream* notantur. Quæ ritu *Romano* fiunt, ubi erant eiusmodi ſacella, ad quæ procedendo orationes congruentes dicebantur. Altaria vocat AMALARIUS, ubi agit *de glorioſo officio*, quod fit circa veſpertinales terminos in paſchali hebdomada in *Romana* eccleſia: „In veſpertinali (inquit) poſt tres pſalmos canitur „unum *Alleluia* ante hymnum S. MARIÆ poſt quartum unum, poſt quintum „unum, quæ pertinent ad crucem, & ad fontes. In *Romano* enim ordine „invenitur in ipſa die reſurrectionis Domini repetitus pſalmus *In exitu Iſrael.*“ Hoc enim fit propter multiplicia altaria illius loci, ubi illa die ſtatio fit, nimirum ad *S. Petrum* in *Laterano*. Rem optime pandit IOANNES diaconus in libro de eccleſia *Lateranenſi*, ubi n. 12. agit *de Oratoriis ad fontes &c.* notatque diverſa oratoria ſub diverſis abſidis inter alia S. ANDREÆ, S. IOANNIS *Baptiſtæ* & S. IOAN. *Evangeliſtæ* e regione fontium: qui *ſunt rotundi inter columnas porphyreticas poſiti in medio eccleſiæ, quæ pulcra eſt & rotunda, ubi Conſtantini imperatoris fuit camera.* Agit poſtea de oratorio S. Crucis & ornamentis eius, ad quam haud raro occurrit oratio. *De ord. antiphon. cap. 52.* *Muſ. Ital. T. II. pag. 571.*

Atque ita ad imitationem *Romanæ* eccleſiæ proceſſiones eiusmodi alibi etiam inſtitui ſolebant. Cuiusmodi exempla quædam inſignium eccleſiarum *Lugdunenſis* & *Aurelianenſis* apud DE-MOLEON, ac apud MARTENIUM videre eſt. Qua de re vide IOANNEM *Abrincenſem*, & RUPERTUM *Tuitienſem* lib. VIII. c. 2. Quod vero ad nos magis pertinet, legitur in ordine officii in domo *S. Benedicti* ante Paſcha. Ubi a Sabbato ſancto uſque ita proceſſiones ſingulæ deſignantur, poſt cerei & aquæ benedictionem. „Exeuntes vero cum letania procedunt ad *S. Petrum.* Finita ibidem „ipſa letania dicta oratione incipient aliam, & cum ipſa procedunt „inde ad *S. Benedictum* cum alia letania: & illa ibidem finita, ſimiliter di„cta oratione incipient aliam, & cum ipſa procedunt ad miſſam maiorem. „Poſt miſſam peracta veſpera vadunt cum pſallentio in refectorio. Item „dominico die vadunt cum antiphona & aqua ſancta per ſingulas manſio„nes. Finita omnia & completa procedunt in refectorium cum pſallentio. „Secunda feria eunt cum cruce, & patrocinia & aqua ſancta per ſingulos „labores, redeuntes agunt miſſam in *S. Petro.* Tertia vero feria procedunt „iuſo (deorſum) iungentes ſe invicem & ſalutantes ſe mutuo ad *S. Petrum* *De off. eccl. pag. 681.*

Digitized by Google

„ in civitate: incipientes letaniam intrant in eccleſiam, legunt lectionem A-
„ ctus apoſtolorum, Gradalem *Alleluia*, ſequitur evangelium. Dicta ora-
„ tione incipientes antiphonam procedunt in cellam ad *Sancto Salvatore*."

De proceſſionibus triduo poſt Natale Domini: IV. Temp. *Goldaſt. rer. Alem. p. 16.*

VI. Apud EKKEHARDUM iuniorem de caſibus monaſterii S. GALLI c. I. inſignis habetur locus de proceſſionibus veſpertinalibus tridui poſt Natale Domini, quas SALOMON abbas & epiſcopus *Conſtantienſis* CONRADO regi, *Conſtantiæ* Natalem Domini celebranti tantopere dilaudavit, ut rex eo cum epiſcopo concederet: „Longum eſſet (ſubdit EKKEHARDUS) di- „ cere, quibus iocunditatibus dies exegerit, ac noctes, maxime in pro- „ ceſſione infantum, quibus poma in medio eccleſiæ pavimento anteſterni „ iubens, cum nec unum parviſſimorum moveri, nec ad ea attendere vi- „ diſſet, miratus eſt diſciplinam." Unde patet coniunctas fuiſſe has pro- ceſſiones cum feſtis illis, de quibus ſupra, diaconorum, presbyterorum, puerorum. In concilio *Moguntino* anni 813. can. 34. de quatuor temporibus obſervandis præſcribitur, ut *Fer. IV. & VI. & ſabbato veniant omnes ad eccleſiam hora nona cum litaniis ad miſſarum ſolemnia*, de quibus paullo ante diximus.

T. I. Conc. Germ. pag. 410.

De proceſſione ſingulis diebus dominicis.

VII. Die dominico erat per ſingulas hebdomadas conſueta proceſſio, de qua etiam in CAROLI M. reſcripto ad monachos *Fuldenſes* fit mentio, ac paſſim in libris liturgicis etiam recentioribus, veluti in ord. operis Dei ſæc. XIV. qui uſque ad ſæc. XVI. apud nos in uſu fuit, mosque erat per ſingulas manſiones ſeu officinas procedendi: „Facta aſperſione in „ choro ordinet cantor (ita habetur in illo ordine) proceſſionem, id eſt „ tres converſos alios, quam hebdomadarios, quorum duo lumina, ter- „ tius incenſum ferat, hebdomadario unacum cruce præcedente. Interim „ ſacerdos viſitat officinas ſolito more, & ſic in omnibus minoribus feſtis „ fiat." Pertinere huc videntur orationes *in ſcriptorio, pirali, dormitorio, ad introitum caminatæ &c.*

De litaniis menſtruis. *pag. 18. ſeq. Lib. VII. ep. 76. indict. 2.*

VIII. In antiquiſſimo Calendario bibliothecæ reginæ *Sueciæ*, quod in appendice T. VI. *Iunii* apud BOLLANDUM editum eſt, ſingulis menſibus litaniæ indicendæ præſcribuntur. Quod etiam in martyrologio ADONIS T. XVI. Bibl. PP. adhuc integrius cernere eſt. Pluresque fuiſſe per annum meminit S. GREGORIUS M. ad CASTORIUM notarium *Ravennæ* quatuor aut quinque ſolemnium litaniarum, quibus epiſcopus *Ravennatium* pallio utebatur, cuius uſum eidem concedi non vult in aliis litaniis communibus, ſeu non ſolemnibus, ut annotatur ad martyrolog. ADONIS,

atque

Digitized by Google

atque etiam hebdomadariarum litaniarum, & quidem ſtato ſabbati die mentio iniicitur ex ANASTASIO, ubi a HONORIO I. conſtitutum traditur, ut per omnem hebdomadam ſabbato die exeat litania a B. APPOLLINARE, & ad B. PETRUM apoſtolum cum hymnis & canticis populus omnis occurrere debeat. Idem a STEPHANO III conſtitutum cum viciſſitudine quadam ſtationum apud eundem legitur.

IX. S. GREGORIUS lib. XI. *Reg.* ep. 51. ad univerſos *Siciliæ* epiſcopos ſcribens hortatur: *Ut omni hebdomada quarta & ſexta feria litaniam inexcuſabiliter indicatis, & contra barbaricæ crudelitatis incurſus ſupernæ protectionis auxilium imploretis.* Mentionem paullo ante fecimus epiſtolæ PIPINI regis ad LULLUM de litaniis faciendis pro ubertate terræ, datæ an. 762. quæ eſt 96. inter *Bonifacianas*, præceditque ipſius LULLI directa DENEARDO *Canbertho*, ubi eos admonet. „Ut rogetis omnes „ubique Deo ſervientes, tam ſervos Dei, quam ancillas Chriſti in pro„vincia *Thuringorum*, univerſamque plebem, ut in communi miſericor„diam Domini deprecentur, quatenus ab imminenti pluviarum flagello „liberemur, id eſt, ut unam hebdomadam abſtineant ſe ab omni carne, „& ab omni potu, in quo mel ſit: ſecunda feria, quarta feria, & ſex„ta feria ieiunetis uſque ad veſperum, & unusquisque ſervorum Dei & „ſanctimonialium quinquaginta pſalmos cantet omni die in illa ſeptimana, „& illas miſſas, quæ pro tempeſtatibus fieri ſoleant, celebrare vos pres„byteri recordemini.“ Extat etiam epiſtola CAROLI M. ad FASTRADAM de litaniis inſtitutis ad *Laureacum* inſtante bello *Hunnico*.

De Litaniis, ſeu proceſſionibus quibusdam extraordinariis. *T. II. pag.* 1138 *Epiſt.* 62.

Nec hic penitus tacuerim proceſſionis pompam, qua epiſcopi diœceſin obeuntes ſolebant excipi, qualiter in vita S. UDALRICI memoratur: „Ad loca autem illa cum perveniſſet, ubi concilia ſua denuntiata fuerant, „cum evangelio & aqua benedicta, & ſonantibus campanis, & tanta ho„norificentia ſuſceptus eſt, quantum illis, qui ibi congregati ſunt, virtus „ſuppetebat.“ Tragicum eius rei legitur exemplum apud EKKEHARDUM de caſibus monaſterii *S. Galli* de epiſcopo cum evangelio, occurrentibus omnibus, ſuſcipiendo. Frequens ab antiquiſſimis temporibus fuit monachorum mos, præcipuos cum proceſſione ſuſcipiendi hoſpites.

Act. O.S.B. ſac. V. pag. 431.

X. Præcipua eſt litania maior, cuius S. GREGORIUS M. meminit in principio lib. II. *Reg. Solemnitas annuæ devotionis nos, fratres dilectiſſimi, admonet, ut litaniam, quæ maior ab omnibus appellatur, ſollicitis ac devotis debeamus, auxiliante Deo, mentibus celebrare.* In appendice T. II. opp. S. GREGORII legitur charta, *quæ relicta eſt de litania maiore*,

Litania maior.

pag. 1284.

in

in baſilica ſanctæ Mariæ, qua denunciatur ea celebritas, eiusque cauſæ ac ordo. Præterquam vero, quod etiam HONORIUS *Auguſtodunenſis* notet litaniam maiorem inſtitutam eſſe a *Romanis* propter bella, quæ inimici tunc commovebant adverſus vicina regna, confundendam tamen hanc non eſſe cum ſeptiformi illa ab ipſo inſtituta graſſante lue, vel ipſa temporis ratio dictat, cum ſeptiformem ille indixerit IV. Kalend. *Septemb.* convocato ad concionem populo in S. SABINÆ baſilicam, cum maior VII Kal. *Maias* ſit fixa, id eſt 25. *Aprilis*, atque indici quidem in eccleſia S. GEORGII M., collecta vero fieri in eccleſia S. LAURENTII, quæ *Lucinæ* nuncupatur, conſueverit, ut ex ANASTASIO in LEONE III. diſcimus. „Cum die quadam more ſolito in litaniis, quæ ab omnibus maio„res appellantur, procederet: ubi ſibi populus obviam ſacra religione „occurrere deberet, & ſecundum annuam conſuetudinem litanias & miſ„ſarum ſolemnia cum ſacerdotibus celebraret; & omnipotenti Deo pro „ſalute Chriſtianorum populi preces funderet; & ſecundum olitanam tra„ditionem a notario ſanctæ *Romanæ* eccleſiæ in eccleſia B. GEORGII Chri„ſti martyris in eius natali ipſa litania prædicata fuiſſet; omnes tam viri, „quamve feminæ devota mente catervatim in eccleſia beati Chriſti mar„tyris LAURENTII, quæ *Lucinæ* nuncupatur, ubi & Collecta prædicta me„rat, occurrerunt.“ Conſpirant orationes liturgicæ, quarum prima *ad S. Laurentium in Lucinæ eſt*, ubi nempe Collecta facta, indeque ad S. VALENTINUM, ad pontem *Molbi* &c. proceſſum eſt, prout etiam in noſtris notatur ſacramentariis, excepto antiquiſſimo *Rhenaugienſi*, ubi nihil de hac litania maiori reperitur; habentur vero Rogationes more *Francico*, ut mox dicemus, unde ſacramentarii huius antiquitas conicitur, cum iam ſæc. VIII. in monumentis etiam *Francicis* notetur litania maior XXV. *April.* quale adducunt auctores tractatus novi diplomatici ex Congreg. *S. Mauri* lectionarium, ubi legitur: *In letania maiore die XXV. menſe primo.* Notat etiam BALUZIUS antiquiſſimum Calendarium Mſc. in bibliotheca *Colbertina*, ubi legitur *VII. Kal. Maii Nat. S. Marci evangeliſtæ. Letania maior.*

Sacrament. cap. 29.

T. III. pag. 196.

T. II. Capit. pag. 1219.

In ſacramentario *San-Gallenſi* ſæc. circ. X. quod eſt ex *Gelaſiano*, *Gregoriano*, & *Ambroſiano* compoſitum, poſt officium letan. *Maii* VII. Kal. *Maii* ponuntur duæ Præfationes ſeu conteſtationes Miſſæ pro Feria III. una, & altera pro Feria IV. quarum prior infra iterum in eodem ſacramentario ponitur pro die ſecundo Rogationum, quæ revera eſt Feria III. ſed cum ibidem prolixum habeatur officium pro ſingulis tribus diebus Rogationum, dubitet forte quis, an aliquando etiam letania maior tribus continuis diebus fuerit celebrata, quod tamen ex ſolis illis Præfatio-

Digitized by Google

tionibus concludi haud poſſe exiſtimo, cum præſertim pro Feria III. & IV. aſſignentur, ipſa autem litania maior VII. Kal. *Maii* ponatur, cui feria III. & IV. per hebdomadam reſpondere ordinarie nequeunt; ſi vero proximi dies denotarentur, appellandi fuiſſent feria II. & III. In ſacramentario *San-Blaſiano Gregoriano*, aliisque ſimilibus ex bibliotheca cubiculi *Romæ* deſcriptis unum pro letania mai. VII. Kal. *Maii* habetur officium, nihil vero de Rogationibus. Aliquando dubitatum fuit, an utraque ſit agenda, cum revera in codice antiquiori *San-Gallenſi*, ubi hæc litania maior reperitur. Rogationes non compareant, & viciſſim in antiquiſſimo *Rhenaugienſi* Rogationum dies, non vero hæc litania maior. Qua de re ſtatutum habetur conc *Aquisgranenſis* an. 836. „De litania quo- „que maiore atque de Rogationibus ventilatum eſt, ſed communi con- „ſenſu ab omnibus electum atque decretum iuxta morem *Romanum* VII. „Kalendas *Maii* illam celebrationem ſecundum conſuetudinem noſtræ ec- „cleſiæ, non omittendam.“ Perperam apud *Fr.* PITHOEUM in Gloſſario ad libros Capitularium in eo canone particula *non* omittitur. Licet vero in conc. *Moguntino* an. 813. tantum Rogationum ſtatuantur dies, tamen apud REGINONEM & BURCHARDUM refertur Canon Conc. *Moguntini : Ut letania maior obſervanda ſit a cunctis Chriſtianis die ſeptimo Kal. Maii.* Nota vero, reliqua convenire cum canone laudati concilii, ut tantum mutatio acciderit quoad dies earum litaniarum. Fuerunt etiam in concilio *Clevesbovienſi* in *Anglia* ſtatutæ, atque ex BEROLDO apud MURATORIUM diſcimus ritu item *Ambroſiano* fuiſſe conſecratas.

T. II. Conc. Germ. p. 79.

Antiquit. Ital T. IV. pag. 903.

Refert HALTAUSEN in Calendario medii ævi *Halæ Saxonum* antiquam & ſolemnem fuiſſe conſuetudinem, ut hoc die S. MARCI venerabile Sacramentum, Corpus dominicum extra muros a ſingulis plebanis in totidem monſtrantiis (quas vocant) per circuitum urbis in magna proceſſione totius Cleri, & populi circumferretur, qui mos a *Lutheranis* demum ſit ſublatus, cum tunc iam inolitum fuerit, ut in ſolemni proceſſione feſti Corporis Chriſti venerabile circumferretur Sacramentum.

pag. 93.

XI. Apud SCHILTERUM in Gloſſario *Teutonico*, & HALTAUSEN in Calend. medii ævi, hic locus refertur ex hiſtoria *Lombard.* Mſc. *an ſante Marckens tage iſt der mereſte Krutzagange, der andere iſt drige tage vor unſeres Herren Vffart, und heiſſet der mineſte Krutzagang, das heiſſent rogationes.* Nihilominus, ut notarunt MENARDUS & editores S. GREGORII M. in ſuis antiquis ſacramentariis, etiam litaniæ illæ ſeu Rogationes ante Aſcenſionem Domini litania maior vocabantur, atque in concilio *Moguntino* an. 813. c. 23. *de litania maiore* ſtatuitur: *Placuit nobis, ut*

De triduo Rogationum. *pag.* 190.

Digitized by Google

litania maior obſervanda ſit a cunctis Chriſtianis diebus tribus, ſicut legendo reperimus &c. quem canonem mutatum in REGINONE & BURCHARDO iam obſervavi. Priorem autem ſententiam, ut hic in conc. *Moguntino* lego in collect. Capitul. ANSEGISI lib. V. c. 150. Forte perplexum quem reddat id, quod modo ex ſacramentario *San-Gallenſi* notavimus, in quo triduum etiam litaniæ maiori aſſignari videtur: id quod coniectati ſumus pertinere ad dies Rogationum, de quibus modo agimus. Nihil porro legas in Concilio *Moguntino* de alia illa litania maiore, de qua modo diximus; nihil econtra de Rogationibus in ſacramentariis noſtris *San-Blaſiano*, *Rhenaugienſi*, & *Petersbuſano*, quæ ætatem LUDOVICI *Pii* vix attingunt; nihil item in *San-Gallenſi* antiquiore, ut iam obſervavi, ad ævum CAROLI M. pertinente, quo *Romæ* ſub LEONE III. inſtitutæ leguntur: qui ad *Romanam* ſedem evectus eſt anno 795. mortuus an. 816. de quo ANASTASIUS in eius vita: „Ipſe vero a Deo protectus, & præ„clarus pontifex conſtituit, ut ante tres dies Aſcenſionis dominicæ leta„niæ celebrarentur. Scilicet feria II. egrediente pontifice cum omni Cle„ro & cuncto populo cum hymnis & canticis ſpiritualibus ab eccleſia „Dei genitricis ad præſepe &c. Feria tertia vero exeuntes ab eccleſia S. „SABINÆ martyris &c. Feria quarta exeuntes ab eccleſia *Hieruſalem* „*&c.*“ Memorantur vero apud EKKEHARDUM iuniorem de caſibus monaſterii S. GALLI ſub BURCHARDO abbate tempore OTTONIS M. ceu iam ſolemnes agi ſolitæ his verbis: *Audiunt reges Rogationes, & aſcenſionem Moguntiæ acturos.* In ſæpe citato ſacramentario S. GALLI ſæc. circ. X. qui continet ritum *Gelaſianum*, *Gregorianum*, & *Ambroſianum*, alias ſemper fere adnotatis auctoribus hic præciſe ante officium Aſcenſionis dominicæ *Incipiunt orationes, quæ dicendæ ſunt in letaniis vel in vigil. cottidian. dierum. Die primo.* Sunt vero plures orationes, demum: *item ad miſſam or. ſuper populum &c.* Eodem modo ſequuntur *Item orationes in die ſecundo.* Et ſic *Item orationes de die tertio.* In antiquiſſimo vero ſacramentario *Rhenaugienſi*, ubi deſideratur litania maior more *Romano*, hæ habentur: pars, ſcilicet diei ſecundæ, ac diei tertiæ, cum, reſciſſa pagina, codex mancus ſit.

Numerantur autem more *Gallico* dies iuxta miſſale *Gothicum*, quod pro prima, ſecunda & tertia die diſtinctum habet officium, cum unum tantum habeat ſacramentarium *Gallicanum*, Miſſale vetus *Gallicanum* vero mancum; ubi iam ſæc. V. inſtitutæ ſunt a S. MAMERTO primum in eccleſia *Viennenſi* ob ingentes terræ motus, quibus tum concutiebatur urbs *ceſſantibus exinde terroribus*, ſunt verba GREGORII *Turonenſis*, *per cunctas*

Lib. II. hiſtor. c. 34.

ctas provincias diſperſa facti fama cunctos ſacerdotes imitare commonuit, quod ſacerdos fecit ex fide. Circa initia mox ſæc. ſequentis an. 511. Concilio *Aurelianenſi I. Rogationes, id eſt, litanias ante aſcenſionem Domini placuit celebrari.* Cumque non ita multo poſt circa medium eiusdem ſæculi epiſcopi *Vindoniſſenſes* ſubſcripſerint conciliis *Aurelianenſibus* regni *Burgundici*, ex noſtra *Alemannia*, facile etiam ad nos propagari potuerunt, licet non ubique ſtatim receptæ, quod ex allatis documentis patet. Quos tamen dies S. Cæsarius *Arelatenſis* regulariter in toto mundo celebrare dicit eccleſiam. *Can. 29.* *Serm. 173. in Append.*

Celebratur etiam ritu *Ambroſiano*, ſed poſt aſcenſionem Domini: ſicque in elencho lectionum Apoſtoli ad miſſam apud Thomasium poſt *Aſcenſionem Domini* notatur *in lætinia* Ad *Cor.* II. *Fratres multa mihi libertas ad vos.* Eo intervallo Beroldus *de diebus Letaniarum* agit, easque S. Carolus *Borrom.* inſigniter ac devote celebrandas fecit. Aguntur ritu vero *Mozarabico* primum poſt Pentecoſten. Rationem affert Walafridus Strabo: „*Hiſpani* (inquit) propter hoc, quod ſcriptum eſt, non poſ„ſunt filii ſponſi lugere, quamdiu cum illis eſt ſponſus, infra Quinqua„geſimam Paſchæ recuſantes ieiunare, litanias ſuas poſt Pentecoſten po„ſuerunt, quinta, ſexta & ſeptima feriis eiusdem hebdomadæ eas facien„tes. Alii eorum Idibus *Decembribus* triduanum ſtatuerunt ieiunium, alii „Calendis *Decembribus*.“ *T. V. opp. S. Auguſt. T. V. opp. p. 425.* *De reb. eccleſ. c. 28.*

De litaniis triduo a die Iduum *Decembrium* concilii *Tolet.* V. extat ſtatutum an. 636. quod confirmatum eſt in ſexto an. 638. cum in conc. *Gerundenſi* ſecunda litania Kal. *Novembris* ſimiliter per tres dies agenda ſtatuatur, quæ ſupponit alteram poſt Pentecoſten. Habet etiam *Ambroſiana* liturgia per tres dies litanias aliquot ante Natale Domini diebus, ubi fit officium *de exceptato*, de quo tamen non eodem ſemper tempore peragi ſolito Beroldus videri poteſt. *Can. 1.* *Can. 2.* *Can. 3.*

XII. De triduanis Rogationibus cum ieiunio inſtitutis a S. Mamerto in eius epitaphio habetur documentum his verbis: *Hic triduanum ſolemnibus letanis indixit ieiunium ante diem, qua celebramus Domini aſcenſum.* In Collectionibus Capitular. Ansegisi, a Reginone, Burchardo & Ivone idem prolixius narratur: „Cum exigentibus peccatis *Gal*„*liarum* populi luporum rabie acriter interimerentur, nec huius flagelli „aliquod remedium invenire poſſent, congregati traduntur *Galliarum* „epiſcopi apud *Viennam* urbem, atque in commune ſtatuerunt, ut tri„duanum ieiunium facerent. Cumque Dominus peſtem miſericorditer „abſtuliſſet, hi dies in conſuetudinem annuæ celebritatis venerunt, ut Litaniæ cum ieiunio etiam tempore paſchali. *Lib. V. c. 86. T. II. Conc. Germ. p. 482.*

 „per

Can. 29. „ per *Galliarum* provincias ante Aſcenſionis Domini diem celebrarentur.“ In conc. *Aurelianenſi* I. an. 511. idem ſtatuitur: „Ita ut præmiſſum tri„duanum ieiunium in dominicæ Aſcenſionis ſolennitate ſolvatur. Per „quod tridum ſervi & ancillæ ab opere relaxentur; quo plebs univerſa „conveniat. Quo triduo omnes abſtineant, & quadrageſimalibus cibis „utantur.“ In concilio *Engilheimenſi* an. 948. can. 7. ſancitur: *In litania maiore ieiunium ſicut in Rogationibus ante Aſcenſionem Domini exerceatur.*

Lib. I. c. 94. Inter caſus, de quibus presbyteri inquirere debeant, hic apud Burchardum unus eſt num. 48. „Eſt aliquis qui ieiunium Quadrageſimale, vel „quatuor temporum, ſive litaniæ maioris vel Rogationum, ſive indictum *Lib. XIX. C. 5.* „ab epiſcopo ieiunium pro quacunque plaga non obſervaverit?“ Et inter canones pœnitentiales: *Si non obſervaſti ieiunium litaniæ maioris, & dierum Rogationum & vigiliarum Sanctorum, XX. dies in pane & aqua* *T. XIV. Conc. ed. Ven. p. 1117.* *pœniteas.* De litania maiori in ſtatutis ſynodalibus eccleſiæ *Leodienſis* an. 1287. legitur exceptio poſt alterum canonem 27. quo docere presbyteri ſubditos ſuos iubentur: „Quod ipſi tenentur ex præcepto obſervare ie„iunia ab eccleſia inſtituta, etiamſi mortaliter non peccaverint, ut ieiunia „Quadrageſimæ, quatuor temporum, proceſſionum, & in feſto S. Marci, „& Rogationum ſequentium, & ſimilia.“ Mox ſequenti canone 28. „Si „feſtum S. Marci in hebdomada paſchali venerit, ſive die dominica, non „differtur, neque ieiunetur, ſed proceſſio fiet generaliter cum letania.“ Ex ordinar. an. circiter 450. eccleſiæ colleg. S. Amiani *Aurelian.* notavit *p. 210.* De-Moleon in itinere liturg. de litania maiore in feſto S. Marci: *In ipſa die dominica fiat de ſancto, & in craſtino fiat de dominica, & fiat ibi ieiunium & litania.* Exceptionem de octo diebus Paſchæ quoad ie*De off. eccleſ. p. 71.* iunium cum feciſſet Ioan. *Abrincenſis*, ſubdit: *Si autem alio tempore evenerit, omnes, exceptis parvulis & infirmis, ieiunent*, ac poſt præſcriptum officium addit: *Simili modo dies Rogationum celebrentur.*

Probavit id iam antea *Rhabanus* Maurus lib. II. de inſtitut. Cler. c. 40. *Ante hanc ergo diem Aſcenſionis Domini mos eſt eccleſiarum Occidentis per tres dies proximos ieiunium exercere & litanias agere & hoc congrue.* Adhuc in conc. *Colonienſi* an. 1536. idem ſtatuitur: „Litanias, id eſt, *T. XIX. Conc. p. 1273.* „ſuplicationes ſeu rogationes indicto triduano ieiunio ante Domini aſcen„ſionem Patribus placuit celebrari: quibus omnes intereſſe iubentur, ut „quemadmodum omnes peccaverunt, ſic & omnes pro venia ſuplicent, „omnesque ad Deum corda cum manibus elevent.“ Id quod hodieque *Antiq. Ital. T. IV. p. 852.* *Ambroſianam* eccleſiam a populo ſuo ſeveriſſime exigere Muratorius teſtatur.

Secus

Digitized by Google

Secus eccleſiæ *Romana* habet mos iuxta antiquiſſimam eccleſiæ conſuetudinem, ne in Pentecoſte, id eſt, 50. a Paſchate diebus ieiunia agerentur, unde etiam AMALARIO improbatur: „Sequitur una varietas inter „ octavas Paſchæ & vigilias Pentecoſtes, hoc eſt ieiunium triduanum in „ vigilia Aſcenſionis Domini. Miror, quomodo inolevit conſuetudo præ„ſentis ieiunii in noſtra eccleſia, quæ tamen non tenetur per omnes o„rientales eccleſias, cum ſancti Patres, quos memoravimus, AMBROSIUS, „ AUGUSTINUS, HIERONYMUS dicant relaxanda ieiunia tempore Pentecoſtes, nec non etiam venerabilis presbyter BEDA &c." Deinceps agens de triduano ieiunio Rogationum a S. MAMERTO inſtituto intra *Gallias* reſtringit, ac de *Romana* eccleſia ſubdit: *Romana conſuetudo unum diem, id eſt, ſeptimo Kalendas Maii interponit, quem vocat in litania maiore non in ieiunio.* *Lib. I. de eccl. off. c. 37.*

Quod forte obſervatum eſt temporis diſcrimen in epiſtola PIPINI regis *de letaniis faciendis pro ubertate terræ: ut absque ieiunio indicto unusquisque epiſcopus in ſua parochia letanias faciat, non cum ieiunio, niſi tantum in laude Dei.* Contra vero in epiſtola LULLI inter *Bonifacianas* 62. *Ut unam hebdomadam abſtineant ſe ab omni potu, in quo mel eſt: ſecunda feria, quarta, & ſexta feria ieiunetis uſque ad veſperam.* Litaniæ a CAROLO M. ſimilem ob cauſam alio tempore indictæ cum ieiunio fuerunt.

XIII. Modus indicatur in epiſt. ad FASTRADAM reginam: „Nos au- *Cum aliis exercitiis humilitatis.* „ tem Domino iuvante tribus diebus litaniam fecimus, id eſt, nonis *Sep*„*tembris*, quod fuit lunis die, incipientes & *Martis* & *Mercoris* Dei mi„ſericordiam deprecantes, ut nobis pacem & ſanitatem atque victoriam, „ & proſperum iter tribuere dignetur, & ut in ſua miſericordia & pie„tate nobis adiutor & conſiliator atque defenſor in omnibus anguſtiis no„ſtris exiſtat. Et a vino & carne ordinaverunt ſacerdotes noſtri, qui „ propter infirmitatem aut ſenectudinem aut iuventudinem abſtinere po„terant, ut abſtinuiſſent: & qui redimere voluiſſet, quod vinum licen„tiam habuiſſet bibendi ipſis tribus diebus, ditiores & potentiores homi„nes in unaquaque die ſolidum unum dediſſent; minus potentes iuxta „ poſſibilitatem eorum, & qui amplius dare non poterat, & vinum bi„bere volebat, ſaltem vel unum denarium donaſſet; eleemoſynam vero „ unusquisque ſecundum propriam atque bonam voluntatem, vel iuxta „ poſſibilitatem feciſſet. Et ſacerdos unusquisque miſſam ſpecialem feciſ„ſet, niſi infirmitas impediſſet; & Clerici, qui pſalmos ſciebant, unusquis„que quinquaginta cantaſſet, & interim quod ipſas litanias faciebant, diſ-

„ calceati ambulaſſent. Sic conſideraverunt ſacerdotes noſtri & nos omnes ita aptificavimus & Domino adiuvante complevimus.“ Nec dubium eſt, quin idem CAROLUS egerit, quod Anonymus, qui res geſtas CAROLI M. ſcripſit, de LUDOVICO rege *Germaniæ*, CAROLI *Craſſi* patre teſtatur apud CANISIUM: „Tempore litaniarum de palatio diſcalceatis pedibus ad eccleſiam paſtoralem, vel ad ſanctum *Hemeramum*, ſi quidem eſſet *Regenſpurg*, crucem ſequi ſolitus erat.“ Apud THOMASIUM ex ord. Mſc. *Vallicellano* hæc notatu digna ſunt in litania minore ſicut in maiore Feria II. *Imprimis agitur benedictio cinerum ſequitur antiphona* Exurge Domine adiuva nos. *Pſ.* Deus auribus noſtris, *& cum* Gloria, *qua finita ponendi ſunt cineres ſuper capita ſicut teſtatur antiphona*, Immutemur habitu in cinere, & cilicio. Vid. quæ VEZZOSIUS notat citatque ex MARTENIO atque BEROLDO de ritu etiam eiuſcemodi *Ambroſiano*. In conc. *Moguntino* an. 813. litania maior obſervanda a cunctis Chriſtianis diebus tribus præſcribitur: „Sicut legendo reperimus, & ſicut ſancti Patres noſtri inſtituerunt non equitando, nec pretioſis veſtibus induti, ſed diſcalceati cinere & cilicio induti, niſi infirmitas impedierit &c.“ Et in laudato canone ex Collect. ANSEGISI, REGINONIS, BURCHARDI, ac IVONIS: „Nullus tamen his diebus veſtimenta pretioſa induat, qui in ſacco & cinere lugere debemus. Prohibeantur ebrietates & comeſſationes, quæ fiunt in vulgari plebe. Nemo ibi equitare præſumat; ſed diſcalceatis pedibus omnes incedant. Nequaquam mulierculæ choreas ducant, ſed omnes in commune *Kyrie eleiſon* decantent, & cum contritione cordis ſui miſericordiam exorent pro peccatis, pro pace, pro peſte, pro conſervatione frugum, & pro cæteris neceſſitatibus; dies enim abſtinentiæ ſunt, non lætitiæ.“ De S. ELISABETHA *Turingiæ* Landgravia auctor vitæ THEODORUS *Turingus* lib. III. c. 11. apud CANISIUM narrat: „In diebus Rogationum, cum quidam contra Sanctorum decreta facientes pretioſis ac delicatis veſtibus decorantur, ipſa princeps regis filia laneis induta, nudis pedibus proceſſionem Crucis & Sanctorum reliquias devotiſſime ſequebatur.“ In libro ord. inter monumenta noſtra præſcribitur: „Tres etiam dies Rogationum ante Aſcenſionem Domini celebrentur in cinere & cilicio, non equitando, ſed nudis pedibus incedendo. At huius tridui obſervanciam relaxentur ſervi & ancillæ a ſervili opere. Hoc triduo omnes ſe abſtineant, & quadrageſimalibus cibis utantur.“ Refert DE-MOLEON ex ordinario eccleſiæ Collegialis S. PAULI *Lugdunenſis* an. 400. Clerum tribus diebus Rogationum, uti olim in abbatia *Becenſi* diœceſ. *Rotomag.* diſcalceatum caput cinere reſperſum, qui hodieque in eccleſia *Mediolanenſi* mos obtinet, inceſſiſſe, atque ita diſcalceatas in feſto

T. V. opp. p. 113.

T. I. Conc. Germ. p. 411.

T. II. Conc. Germ. p. 482.

T. IV. p. 127.

Voy. liturg. p. 74.

Digitized by Google

feſto S. Marci in proceſſione inceſſiſſe ſanctimoniales etiam abbatiæ *Fontis Ebraldi*, ut ex ordinario an. 1115. didicit.“ *p.* 112.

In Conſtitut. *Hirſaug.* S. Wilhelmi apud P. Herrgottum præſcribitur: „Tribus diebus Rogationum ipſe (ſacriſta) cum adiutore ſuo phylacteria fratribus diſtribuit. A quibus tamen abſtinent ſe hi, quibus tale quid accidit, ut a pace & communione abſtineant. Ea vero, quæ ad miſſam ſunt neceſſaria, ad eccleſiam, ad quam proceditur, ut deferantur, ipſe providet. Ibi quoque aſtat altari, fratribus phylacteria deponentibus, & quotquot poterit ipſe recipit, & in altari deponit.“ Ubi haud obſcurum eſt, quid ſint phylacteria, atque inſuper in Conſuetudinibus *Germ.* monaſt. ſupra relatis explicatius notantur *phylacteria ſive buxæ reliquiarum.* Thecæ nimirum reliquiarum ex buxo. *De vet. diſc. monaſt. p.* 523.

Apud Martenium in itin. liter. an. 1724. habes imaginem proceſſionis flagellantium (cuiusmodi paſſim apud nos uſitatæ ſunt in maiori hebdomada præſertim die Paraſceves) expreſſam ex Guidone abbate S. Martini *Tornacenſ.* prout in Mſc. hiſtoriæ flagellantium repræſentatur. Solemne autem eſt non tantum paſſionis dominicæ myſteria repræſentare in huiusmodi proceſſionibus, ſed etiam eorum ex veteri teſtamento figuras exhibere. *p.* 105.

XIV. Aliquam hic etiam peregrinationum ſacrarum opportunum eſt facere mentionem: cuiusmodi haud infrequenter apud Euſebium & alios antiquiores ſcriptores memorantur *Hieroſolymam* primum ſeu in terram, quam dicimus, ſanctam, *orandi & locorum viſendorum cauſa*, ut is de ſanctiſſimo martyre Alexandro dicit, idemque cum aliis plerisque perhibet antiquis Scriptoribus de S. Helena, Conſtantini matre, veniſſe eam in eas terras, *reviſere loca ſancta*, ut S. Ambroſius in oratione funebri in obitum Theodoſii loquitur, huncque dilaudat imperatorem a ſimili pietatis ſtudio, peregrinatione ſuſcepta exemplo anteceſſorum ſuorum Conſtantini M. imprimis: qui ad dedicationem templi ſplendidiſſimi ad ſanctum ſepulcrum a ſe exſtructi præcipuos ex univerſis provinciis, epiſcopos convocavit, cuius eam in rem epiſtolam ad Macarium, epiſcopum *Hieroſolym.* refert Euſebius lib. III. de vita Conſtantini, ubi ac in ſequentibus celebritatem eam prolixe deſcribit. Tanta vero fuit deinceps eius peregrinationis ſacræ frequentia, ut pro more rerum humanarum non longe poſt abuſus tulerit, quos Gregorius *Niſſenus* in oratione ſeu epiſtola *de iis, qui adeunt Hieroſolymam* duxit eſſe perſtringendos, uti in epiſtola 17. ad Marcellam etiam S. Hieronymus, non damnando abſolute, quippe cum hic S. Pater ipſe ea devotione animi ductus adamarit loca

Peregrinationes ſacræ.

Hiſt. eccl. lib. VI. c. 11.

loca ſacra ; S. GREGORIUS *Niſſ.* ſimilem confluxum *idque tempore hiberno* ad natalem S. THEODORI martyris *Nyſſæ* oratione habita extollit laudibus, uti etiam paſſim S. PAULINUS *Nolanus* in Natal. S. FELICIS , & PRUDENTIUS de Natali S. HIPPOLYTI. S. BASILIUS vero in Aſceticis cap. 40. rectum declarat fidelium finem , *ut precentur , & ad recordationem Sanctorum , qui illi ſcilicet pro pietate ad mortem uſque conſtantes fuerint , & ad huiusmodi zeli imitationem incitentur.* Quod pium ſtudium ad memorias martyrum a prima eccleſiæ ætate in actis primorum martyrum , epiſtola imprimis eccleſiæ *Smyrnenſis* de S. POLYCARPO celebratum , incitatumque legitur, præcipue autem invaluit peregrinatio ad limina apoſtolorum PETRI & PAULI *Romam*, unde ſucceſſu temporum inſtitutio facta anni Iubilæi , quod a BONIFACIO VIII. primum ſæculare eſt celebratum deinceps a CLEMENTE VI. poſt annos quinquaginta, demum anno quovis vigeſimo quinto , quod nunc celebramus extra urbem , ubi anno ſuperiore magna frequentia transactum fuit. Silentio prætereo alia celebriora eiusmodi loca veluti *Compoſtellam* ad S. IACOBUM , *Lauretum* ad S. MARIAM Virg. cui gemina eſt in noſtra *Alemannia* trans-rhenana *ſacra Eremus* inter cæteras, quæ magno imprimis numero ad Deiparæ Virginis imagines fiunt votivæ peregrinationes , cumprimis frequentata.

DIS-

Digitized by Google

DISQUISITIO XI.

DE CURA PRO MORTUIS.

CAPUT I.

De Exequiis Funeris.

I.

Haud raro coram ipſo ægroto morti proximo præter alia pia erga moribundos obſequia peculiares miſſæ *pro infirmis*, *pro agonizantibus* antiquiſſimo uſu celebrari conſueverunt; unde reperias eiusmodi inſcribi miſſam *pro infirmo in domo.* Vel etiam, ſi fieri poterat, præſertim apud religioſos, in eccleſiam, ſeu oratorium portabantur ægroti: quod præſertim iuxta exemplum S. Benedicti in noſtro ordine fuit conſuetum, atque etiam recens exemplum in piiſſimo abbate *S. Emerami* refert *Bern.* Pezius: qui cum morte prope luctans, interrogatus a ſuis, an ad ſe viaticum e templo afferri vellet, reſpondit is: *Abſit a me filii, ut Dominum meum ad me deferri patiar. Quin contra me miſellum arripite, ac in templum ad percipiendum cæleſtis eſcæ munus deportate.* Fecit id exemplo SS. legislatoris ſui Benedicti eiusque aſſeclarum, apud quos, alioſque pios & religioſos homines prope in morem abiit, ut in cinere ac cilicio diem obirent: ac pœnitentes quidem ex præſcripto, ut in *Taphographia Principum*

Obſequium agonizantium.

Diſſert. Iſagog. in T. I. Anecd. pag. XLIV.

T. IV. Monum. Auſtr. P. I. p. 61.

pum Auſtriæ P. I. lib. I. c. 4. n. 53. eſt oſtenſum, firmatumque exemplo etiam magni Principis Henrici *Crudelis*, *Auſtriæ* Ducis.

De viatico, & extremæ unctionis Sacramento ſuo loco diximus, pauca addimus nunc de ordine ad commendationem animæ, prout in antiquiſſimo noſtro ſacramentario idem fere, quod hodie obtinet, legitur, deſideratur vero inter orationes ad viſitandum infirmum in ſecundo ſacramentario, ac etiam in obſequiali noſtro ann. 800. circ. & in rituali *Auguſtano* ſæc. XII. ubi peculiare habetur *obſequium circa morientes*, & inter alia litania ſingularis in noſtro. In *Auguſtano* etiam litania præſcribitur: quemadmodum in vita S. Udalrici perhibetur, Clericis letaniam devote canentibus, animam Deo commendaſſe, reddidiſſeque.

Sac. V. Ord. S. Ben. pag. 455.

Narratur ibidem, quomodo cinere in modum crucis, & aqua benedicta aſperſa depoſitus iacuerit: qui communis fere fuit ritus alicubi etiam adhuc notatus in ſuperiori ſæculo impreſſis ritualibus, ut in *Itinere liturgico* adnotavit De-Moleon, atque in Ord. *Rom.* X. ad viſitandum infirmum idem præſcribitur: „Tunc ſacerdos ſupra pectus faciat crucem, cum „aqua & cinere ſuperponens cilicium &c.“ habeturque etiam benedictio cilicii, & cineris, deinde hæc rubrica: „Tunc extendatur in terra cilicium, „& de cinere benedicto ſuper illud a ſacerdote fiat crux & aquæ benedictæ aſperſio, & ſuper illud ponatur infirmus: & ſimiliter fiat crux, & aſperſio ſuper pectus illius, & dicat ei ſic: *Recordare quia cinis es, & in „cinerem reverteris.* Ait rurſus ei ſacerdos, *Placent tibi cinis & cilicium „ad teſtimonium pœnitentiæ tuæ ante Dominum in die iudicii?* Reſp. *Pla„cent.*“ Idem ritus præſcribitur apud Martenium in *Itinere litter. ſecundo* in hunc modum: „Cum autem videbitur exitus hora imminere, cili„cium ad terram proſternitur, cinis deſuper in crucis modum ſpargitur, æ„ger deponitur. Priori nunciatur, qui facit coram eo legi paſſiones, ſi „habuerit memoriam æger, vel ſi non habet, pſalmos cantari. Cum au„tem videbitur anima ſine longa mora egreſſura, percuſſa tabula venit con„ventus cantando ſymbolum, donec anima ſolvatur. Si autem ad diem „perducitur, tunc a domno Abbate vel Priore pronunciatur hæc letania „*Kyrie eleiſon &c.* Quodſi nondum finierit, repetitur quater aut am„plius ab omnibus *Credo in unum Deum &c.* ſi adhuc vivit, recedit con„ventus, retentis aliquibus qui cantent pſalmos &c.“ Pſalmi pœnitentiales in noſtro obſequiali aſſignantur cum litania ac ſymbolo *ter*, *quater*.

pag. 146. 153. 423. Muſ. Ital. T. II. pag. 111. 112.

pag. 104.

In rituali *Auguſtano* paſſio Domini ſecundum Joannem inter alia recitanda præſcribitur. In Conſtitut. *Hirſaug.* S. Wilhelmi, poſtquam in cilicium depoſitus eſt ægrotus, ſequitur: „Prior vero, ſi æger intel„ligentiam habuerit, facit aliquem coram eo Paſſiones legere; ſin au„tem,

Vet. diſc. monaſt. pag. 559.

„ tem, præcipit duobus vel quatuor, ut indeſinenter ibi cantent pſalmos,
„ uſque dum manifeſtum ſit animam cito de corpore migraturam eſſe.
„ Quod cum viderint famuli, accenſo per totum clauſtrum infirmorum,
„ & in auditorio, ſi nox eſt, lumine, ab uno eorum tabula contra oſtium
„ dormitorii, vel eccleſiæ, vel ubicumque conventum eſſe cognoverint,
„ crebra & continua percuſſione, tantaque ſonoritate percutitur, ut in-
„ tus & extra clauſtrum a quolibet infra murum commorante audiatur.
„ Quod cum ſignum ſit obituri, illico, ut auditum fuerit, omnes accur-
„ runt, cantantes & recantantes maius ſymbolum fidei. Nam quamvis
„ homini noſtri ordinis omnino ſit prohibitum, ut ullius rei gratia in-
„ temperato inceſſu aliquando incedat, tamen ad morientem & ad incen-
„ dium eſt etiam præceptum, ut currat." Et poſtea: „Finita letania ſi
„ necdum finivit, bis vel ter, vel quotiens ipſa res docuerit, ab omni-
„ bus, ut prius *Credo in unum*, cantatur, & ſi necdum ſpiritum emiſit,
„ Priore innuente recedit conventus retentis quibusdam, qui cantent ibi
„ pſalmos, ſeu legant paſſiones, ſi memoria redierit ægro. Si vero mor-
„ tis articulum inſtare denuo perſpexerint, nihilominus tabula percutitur,
„ eodemque ordine, quo prius, ab omnibus curritur illuc, & ſymbolum
„ fidei, adiuncta letania, canitur, & huiusmodi fratrum revocatio letaniæ-
„ que repetitio totiens agitur, quotiens opus eſſe videbitur, cum autem
„ iam non dubitaverint eum obiiſſe, dicuntur a domno Abbate, vel Priore
„ hæ collectæ: *Piæ recordationis affectu &c.*" Quæ habentur in ſecundo
ſacramentario noſtro, uti etiam in *Geluſiano* & *Gregoriano* apud Mura- *Lit. T. I. p. 747.*
torium cum tit. *Orat. in agenda mortuorum, quando anima egreditur.* *T. II. pag. 214.*

II. Ultima inter illas orationes eſt, *Abſolve Domine animam famuli* Abſolutio
tui ab omni &c. quæ videtur eſſe abſolutio illa defunctorum, de qua De- defuncti.
Moleon in Itinere liturgico, occurritque id nomen lib. IV. dialog. S.
Greg. c. 55. & in eius vita a Ioanne diac. ſcripta lib. I. n. 16. appoſite
vero apud Baluzium de exſequiis B. Stephani abb. *Obazinenſis*: „Sa- *T. IV. Miſcell. p. 179.*
„ cerdotes cum ſtolis, clerici cum veſtibus albis, monachi decenter or-
„ nati cum crucibus & thuribulis obviam ſancto corpori longius procede-
„ bant, nec abſolvendi, aut quodlibet officium peragendi ulla erat facul-
„ tas." Abſolutio hic ſolemnes pro defuncto preces denotare videtur,
inter quas peculiaris illa *Abſolve Domine &c.* Id colligo ex Mſc. pontifi- *Pag. 424.*
cali *Romano Florentinæ* bibliothecæ S. Crucis Minorum Conventualium,
ut in Itinere *Italico* refert Mabillonius. Ante abſolutionem defuncti, *pag. 162.*
„ de mandato rectoris venit in medium & reddit teſtimonium pro defun-
„ cto, ſi fuerit unctus, ſi confeſſus: & de vita ſua audito teſtimonio,

„ ſæpe dictus rector quærit a cuncto clero & dicit: *Placeat vobis, ut ab-*
„ *ſolvatur frater iſte defunctus?* Reſpondent, *Placeat.* Tunc rector rogat
„ de voluntate omnium eum, qui maior eſt inter eos, vel qui primus
„ fuit in oratione, ut ipſe abſolvat. Ille vero, cui iniungitur, dicit,
„ *Orate omnes. Pater noſter. In memoria. Abſolve.* Finita oratione
„ iam dictus rector præcipit diaconis & ſubdiaconis, ut accipiant feretrum.“

Nota etiam verba ex Mſc. *Tornacenſi* de Fulcherio epiſcopo monachis in vita infenſo apud Martenium: *Voy. litter. an. 1724. pag. 104.* „Cuius interitum audientes viri „ religionis, quos exoſos ſemper habuerat, quidam eorum pro eius ab- „ ſolutione non *requiem æternam*, ſed *Te Deum laudamus* cantaverunt.“ *Lib. II. dial. c. 8.* At vero S. Benedicto cum mors inimici Florentii, corruente cum ipſo domus fabrica, denunciaretur, *Vir Dei*, ut S. Gregorius narrat, *audiens ſe ſe in gravibus lamentationibus dedit, vel quia inimicus occubuit, vel quia de inimici morte diſcipulus exultavit. Qua de re factum eſt, ut eidem quoque diſcipulo pœnitentiam indicaret, quod mandans talia, gaudere de inimici interitu præſumſiſſet.*

Campanæ pulſus in agone, & mox poſt obitum.

III. Idem in eodem Itinere notat ſingularem ritum monaſterii S. Vedasti in *Belgio*, dum poſt mortem religioſi Prior ſtola indutus tabulam monaſterii ſolet percutere. Vidimus id in conſtitutionibus *Hirſaugienſibus* *Pag. 69.* conſuetum ad congregandos fratres pro agonia monachi; paſſimque in noſtra *Alemannia* ſignum ſolet dari cum campana ad hoc deſtinata, *Sæc. III. O. S. Bened.* atque inde nomen inditum gerente, *die Schidglock.* In vita S. Sturmii abb. *Fuldenſis* refertur de eo morti proximo, *currere citius ad eccleſiam iuſſit, omnes gloggas pariter moveri iuſſit, & fratribus congregatis obitum ſuum cito adfuturum nuntiare præcepit, & pro ſe enixius orare poſtulavit.*

Explic. T. II. præf. p. XXXVII. Hunc uſum revocari optat De-Vert, ut pro agonizantibus potius, quam iam mortuis campanæ pulſentur, unde ſonitus ille hodieque in nonnullis diœceſibus dicatur *l'abboi mort*, agon mortis, ſeu morientis, *Præfat. 1. in ſæc. III. O. S. B. n. 102.* teſtaturque Mabillonius *Remis* corrupto vulgi ore lugubrem illum tinnitum, quo mortuorum obitus modo ſignificari ſolet, appellari *l'abbé mort.* Citat ibi, quæ V. Beda narrat de Hilda abbatiſſa, ſanctimonia- *L. IV. hiſt. Angl. c. 23.* lem, Begu nomine, tunc in dormitorio ſororum pauſantem audiviſſe ſubito in aere notum campanæ ſonum, quo ad orationes excitari vel convocari ſolebant, cum quis eorum de ſæculo fuiſſet evocatus. Pſalmi & capitula notantur in ſecundo noſtro ſacramentario, aliæque preces in obſequialibus antiquis, uti fere hodieque habentur in commendatione animæ, atque haud raro cum notis muſicis in antiquis monumentis reperi.

IV.

Digitized by Google

IV. Articulatim in antiquiſſimo noſtro ſacramentario omnia præſcribuntur, quomodo cum pſalmis & antiphonis deinceps in feretro poſitum corpus in eccleſiam portatum ſit. „Poſtea deputandi ſunt (proſequitur) „ qui ibidem ſine intermiſſione, uſque dum ipſum corpus ſepeliatur, pſal- „ lant pſalmos, vel reſponſoria permixtim, & ipſum corpus ſemper in „ eccleſia debet eſſe, uſque pro ipſa anima miſſa celebretur.“ In breviario *San-Gallenſi* manu Folchradi ſæc. IX. ſcripto, ubi inter cætera obſequium circa morientes prolixe habetur poſt alias mox poſt obitum preces & functiones circa cadaver, dum iam in eccleſiam delatum eſt, ulterius præſcribitur: „Et poſtea deputandi ſunt, qui ipſum corpus cuſto- „ diant, ſit autem in eccleſia conſtitutum, quouſque pro ipſa anima miſ- „ ſæ celebrentur.“ In Conſtitutionibus *Hirſaug.* lib. II. c. 62. apud Herrgottum poſt eadem deſcripta obſequia: „Ab illa hora, quouſque fera- „ tur ad ſepulchrum, non omittitur abſque pſalmodia, niſi interim, dum „ hora regularis in eadem eccleſia cantatur. Ad quam, cum primum „ ſignum pulſatur, a pſalmodia ceſſatur, præter ad ſolos nocturnos; tunc „ continuatur, uſque dum ſcilla dimittatur.“ Iuxta noſtrum ordinem operis Dei ſæc. XIV. qui adhuc ſæc. XVI. in uſu fuit, pſalteria per ordinem ad funus dici præſcribuntur.

Pſalmodia ad cadaver, ac miſſæ ante ſepulturam.

De vet. diſc. monaſt. p. 562.

Non poſſum hic prætermittere, quod in Conſtitutionibus ordinis *Vallis ſcbolarum* in Itinere literario Martenii legitur: „Si frater hora diei „ tertia moritur, vel in tali hora, in qua poſſit miſſa competenter pro „ eo celebrari, eadem die tumuletur, niſi Prior pro aliqua rationabili cau- „ ſa iubeat corpus uſque in craſtinum reſervari. Si vero tali hora mo- „ ritur, ut non poſſit competenter pro eo miſſa celebrari, uſque in cra- „ ſtinum reſervetur, & tunc Prior provideat, qui & ante & poſt ma- „ tutinas vigilent ad corpus ſemper, ſi competenter fieri poteſt, prius- „ quam frater ſepeliatur, vel dum ſepelitur, pro eo miſſa celebretur pri- „ vatim.“ In vita S. Wunebaldi poſt relatam ſanctiſſimam mortem ſubditur: „Tunc illi tollentes eum levaverunt, & portaverunt ad eccleſiam, „ & illic totam noctem cum pſalmis & hymnis & canticis Dominum lau- „ dabant, & divinis munerum oblationibus illum de mundo tranſiturum „ comitabantur, & Domino commendabant. Et mane facto ponebant „ illum in ſarcofago novo, & ſepelierunt eum in eccleſia. Illud ſarco- „ fagum, in quo poſuerunt illum, multos annos antequam de mundo „ migraverat, fuerat exciſum, & ſic ſtetit intus, & exſpectaverat diem „ exitus ſui.“ Apud Surium de S. Popone abbate Everhelmus ſcribit: „ Oratorio dein exponitur. Nox illa cum precibus uſque ad lucis or- „ tum pro eo tranſigitur.“ In vita S. Udalrici: „Interim vero corpus

P. I. pag. 128.

N. 19.

Tom. I. Sæc. V. act. O. S. B. pag. 455.

„ in eccleſia S. Mariæ a Congregatione die, noctuque cum orationibus „ & miſſarum celebrationibus caute & devote cuſtodiebatur uſque in diem „ dominicam. Die vero dominica poſt primam miſſam pro eius anima „ celebratam, congregato clero & ſanctimonialium Congregatione adve- „ niente, & magna de provinciis multitudine, presbyteri levaverunt cor- „ pus & ad ſanctam Afram, ubi ante ſepulchrum eius præparatum fue- „ rat, portare cœperunt.“ In ſocietate *Augienſium* cum *San-Gallenſibus* inſtituta ſub Alewigo *Augienſi* & Cralone *San-Gallenſi* abb. an. 845. pactum erat, ut Goldastus habet: „Ut ſi quando frater aliquis in utro- „ vis monaſterio obierit, corpusque defuncti in eccleſiam, ut moris eſt, „ translatum fuerit, antea inde non tollatur, donec omnes horæ cano- „ nicæ tempore ſtatuto decantentur, & omnis celebratio miſſarum ſive „ vigiliarum, ſeu etiam pſalmodiæ pro defuncto perſolvatur, & tunc de- „ mum ſepulturæ comendetur.“

T. II. rer. Alem. pag. 180.

Lotio cadaveris.

V. Lotionis poſt mortem haud raro occurrit mentio, quæ conſtans fuiſſe videtur ab eccleſiæ primordiis, ritu ex veteri teſtamento repetito, quem hodieque ſervant *Iudæi*. De-Moleon in *Itinere liturgico* non pauca exempla habet eiusdem moris etiam apud Chriſtianos, præſertim apud monachos *Cluniacenſes*, *Carthuſianos* & *Ciſtercienſes*. Quod apud *Græcos* vetitum eſt quoad monachorum corpora, *niſi in fronte*, *pectore*, *manibus*, *pedibus*, & *genibus*, & *nihil aliud*, ut in euchologio præſcribitur eodem fere modo ac in ſacerdotibus, *ut tamen tres ſacerdotes ſpongia oleo mundo impleta abſtergant*; alias vero cadaverum lotio apud *Græcos* hodie obtinet.

p. 151. 152.

S. Chrysostomus id etiam de Chriſto ſupponit: *Cum autem tempore urgerentur, hora enim nona mortuus fuerat, & dum peteret eum a Pilato, & dum lavarent, iam veſpera adventarat.* De Tabitha *Ioppenſi* mortua *Act.* IX. refertur: *Quam cum laviſſent, poſuerunt eam in cœnaculo.* In fragmento epiſtolæ S. Dionysii *Alexandrini* de peſte, quæ *Alexandria* graſſabatur, collaudatur Chriſtianorum pietas circa ſublatos ea lue, ut apud Eusebium legitur: *Hi ergo Sanctorum corpora ſupinis manibus gremioque excipientes, oculos illis & ora claudentes, baiulantes eadem humeris ſuis, componentes, adhæreſcentes illis, complectentes, lavacro & veſtimentis ornantes paullo poſt eadem officia ab aliis conſecuti ſunt.* Ad eundem morem alludit Tertullianus in Apolog. his verbis: *Rigere & pallere poſt lavacrum mortuus poſſum.* Paſſim de more hoc apud Chriſtianos perdurante vetera teſtantur monumenta.

Hom. 84. in Ioan.

v. 37.

L. VII. hiſt. c. 17.

C. 42.

Nota vero in actis S. Trutperti apud Herrgottum, cum *poſt aliquanta annorum curricula incorruptum eſſet inventum etiam ad maio-*

Geneal. Habsb. T. I. pag. 296.

rem

rem Chriſti gloriam e tumulo prolatum, miro ineffabilique modo, more noviter morientium lavacro lotum, linteaminibusque puriſſimis involutum magnis ſacerdotum laudibus in loco priori noſcitur fuiſſe depoſitum. Singulare eſt, quod in vita S. CORBINIANI ARBO narrat: *Veniente autem iam obitus ſui die balneum ſibi præparari iubet, & ex more abluens corpus, capillos ſibi tonderi fecit, & caput, & barbam radi.* Morem hic indigitari puto lavandi alias poſt mortem, quem prævenire voluiſſe videtur ſanctus vir: nuſpiam enim aliquid de more lavandi ante mortem legiſſe memini, ſicut de altero communi apud Chriſtianos paſſim teſtimonia habentur. Sic de S. TARSILLA GREGORIUS M. *Cuius corpus cum ex more mortuorum ad lavandum fuiſſet nudatum &c.* Eiusdem moris alibi haud raro meminit. Et GREGORIUS *Turonenſis* de PELAGIA, B. AREDII matre: *Abluta iuxta morem collocatur in feretro, atque in eccleſiam deportatur.* Morem ſolemnem vocat EGINARDUS in vita CAROLI M. *Corpus more ſolemni lotum & curatum, & maximo totius populi planctu eccleſiæ illatum, atque humatum eſt.* In vita S. UDALRICI perhibetur: *Pro certo ſanctum corpus, cum ad lavandum more ſolito denudatum fuiſſet, ſuavi odoris fragrantia nares omnium ibi manentium replevit, & tamdiu permanſit, quoad uſque corpus lavatum, prædeſtinatisque veſtibus indutum, & feretro impoſitum, in eccleſiam portaretur.*

N. 46. Lib. IV. Dialog. c. 16. De Glor. Confeſſ. c. 104. Sæc. V. O. S. B. p. 455.

In antiquiſſimo noſtro ſacramentario orationes habentur *Ad lavandum corpus*, in altero *Poſt lavationem corporis.* In breviario *San-Gallenſi* ſæc. IX. manu FOLCHARDI ſcripto: *Poſtea lavetur & ponatur in feretrum.* Et ita forte corrigendum eſt obſequiale noſtrum antiquum ut corrigatur iuxta ac habet rituale *Auguſtanum* ſæc. XII. „Poſtea lavetur corpus „& frates ante fores ſtantes cantent pſalmos ab *In exitu Iſrael*, uſque *ſu*„*pra flumina.*" Et ſi neceſſe fuerit, uſque in finem. In rituali Mſc. *Weſſofontano* ſæculo XI. vel XII. „Inter lavandum lavatores, quotquot „ſciunt pſalmos, non ceſſant a pſalmodia, & ſacerdos dicit hanc collectam „*ſuſcipe Domine &c.*" In conſtitut. *Hirſaug.* lib. II. c. 65. „Inter la„vandum lavatores officium defunctorum cantant. Ibi etiam Prior & „Armarius non deſunt, & Prior dicit hanc collectam: *Omnipotens ſem*„*piterne Deus.*" Nihil tamen in ordine operis Dei ſæc. XIV. de lotione hac reperio, licet tunc ac poſtea adhuc paſſim in uſu fuerit, ut in vita B. VINCENTII *Ferrerii* legitur, ubi eundem ſanctum lotum perhibet *Petrus* RAUZANUS apud SURIUM: „Quemadmodum habet multarum gen„tium conſuetudo, ut corpora vita functorum lavent. Aquam vero ip„ſam, qua illud abluit, diu accurateque ſervarunt, nec inde aut ver„mes, aut aliquid fœditatis enatum eſt: imo vero tanquam gratiſſimi fuit

T. II.

„odoris

Digitized by Google

„ odoris, donec in eo vaſe, in quo aſſervabatur, penitus conſumta eſt. „ Multi etiam cum ex ea bibiſſent, variis ſunt morbis liberati.“ Teſtatur De-Moleon adhuc in eccleſiis cathedralibus *Lugdunenſi* & *Rotomagenſi*, ac in hoſpitali *Cluniacenſi* ſupereſſe lavatoria ad hunc olim uſum.

Quomodo veſtiti mortui? An cum Euchariſtia aliquando ſepulti?

VI. In ſtatutis S. Bonifacii habetur c. 20. *Non licet mortuis Euchariſtiam nec oſculum tradi, nec de velis, vel palliis corpora eorum involvi.* Qui ex concilio *Matiſconenſi* deſumtus eſt canon, explicaturque in *Avernenſi* his verbis: *De oportorio dominici Corporis ſeu palla altaris nunquam ſacerdotis corpus, dum ad tumulum evebitur, obtegatur; quia ſacro velamine uſibus ſuis reddito, dum honorantur corpora, altaria polluuntur.* Non ergo ad ſepeliendum pertinebant, ſed tantum ut iis involveretur corpus, dum afferebatur. Quoad Euchariſtiam vero conſtat, olim nonnunquam etiam mortuis eſſe ſepulturæ traditam. Singulare vero eſt, quod S. Gregorius narrat de S. Benedicto, cum corpus pueri defuncti ſepultum terra identidem proiiceret: „Quibus vir Dei manu ſua protinus communionem dominici Corporis dedit, dicens: *Ite, atque hoc dominicum Corpus ſuper pectus eius* (cum magna reverentia) *ponite, & ſic ſepulturæ eum tradite.* Quod cum factum fuiſſet, ſuſceptum corpus eius terra tenuit, nec ultra proiecit.“ Sub capite & circa pectus S. Othmari *inventæ panis rotulæ, quæ vulgo oblatæ dicuntur*, in ſignum ſacerdotii, non conſecratæ. Nec aliter exiſtimandum eſt de eo, quod in vita S. Udalrici legitur, licet quidam aliter exiſtiment: „Inventum eſt igitur corpus ſanctiſſimi Confeſſoris ſuper aurum & topazion pretioſum, cum quibusdam particulis pontificalium induviarum necdum vetuſtate conſumtarum: & in dextro latere ad caput pyxis argentea admodum nitens in ſacello holoſerico, & in pyxide (ut quidam dicebant) ſanguis Domini, & alia ſancta continebantur.“

Dialog. L. II. c. 24.

Sæc. III. ord. S. Bened. p. 165.

Sæc. V. p. 475.

p. 456.

De eius ornatu, quo ſepultus eſt, antea relatum eſt, Hiltegardem ſcilicet camiſale cera perfuſum attuliſſe, *ut ſacro corpori caute ſecreto circumdaretur, ne ſacerdotalis paratura, qua indutus erat, cito a terra conſummaretur.* Perſeverat hactenus is mos, ut Clerici ſuis cum ornamentis, ac habitu ſacro ſepeliantur, Laici vero apud nos linteaminibus etiam inſuuntur, non involvuntur ſolum, uti fuit antiquiſſimus mos. Atque S. Athanasius in vita S. Antonii teſtatur morem *Ægyptiis* eſſe nobilium & præcipue beatorum martyrum corpora linteaminibus involvendi. Moris tamen fuiſſe, ut ipſi etiam monachi, qui ſolent ſuo in habitu ſepeliri, olim pretioſis veſtibus induti ſepelirentur, in vita S. Pachomii lugubre quidem legitur exemplum lib. I. *de vitis Patrum*, qui „cum uni

ex

Digitized by Google

„ex ipſis monaſteriis propinquaſſet, cuiusdam fratris occurrit obſequiis, „qui vitam ſuam negligenter conſumpſerat. Fratres autem ipſius mona„ſterii funus proſequebantur honorifice pſalmos ſolitos concinentes præ„ſentibus quoque defuncti parentibus ac propinquis. Qui cum vidiſſent „Pachomium, feretrum continuo depoſuerunt, ut tam pro mortuo, quam „pro ſe Domino ſuplicaret, qui mox ut orationem debitam Deo perſolvit, „converſus ad fratres ait: *Deſinite pſallere.* Præcepitque defuncti veſti„menta ſplendida, quibus indutus erat, auferri: quæ coram omnibus fe„cit comburi, & ita cadaver afferri iuſſit, ac præter aliquam pſalmodiam „ſepeliri. Nec induci potuit vir Dei, quam etiam precibus & obteſtatio„nibus inſtarent fratres cum parentibus eius, & univerſis, qui tunc ad„erant, ut ſolitam pſalmodiam defuncto reſtituat. Qui reſpondens ait: „*Vere fratres ac filii plus vobis præſentis mortui miſereor, in tantum, ut* „*vobis de viſibili re ac temporali curantibus, ego de inviſibili eius ſubſtantia* „*ſollicitudinem geram, & idcirco hæc erga eum fieri decernam. Et vos qui*„*dem maiores illi dolores per hunc honorem, quem paratis, acquiritis:* „*ego autem quantulamcunque ei requiem & ſatisfactionem per hanc iniu*„*riam præparo.*

VII. Præcipua ſemper cura ſepultura Chriſtianorum fuit parata. Inter illa, quæ a presbytero requirenda apud Reginonem ponuntur *ſimiliter ordinem & preces in exequiis atque agendis mortuorum* notatas legimus. Quod in ſermone ſynodali, qui S. Udalrico tribuitur, repetitur. In antiquiſſimo noſtro ſacramentario ſic præſcribitur: „Levatur ipſum „corpus procedentibus ante ipſum cereis vel thuribulis cum incenſis, can„tantibus Antiph. cum Pſal. *In Paradiſo.* Pſalm. *Ad te Domine levavi.* „Antiph. *Ingrediar in locum.* Pſal. *Quemadmodum.* Et ponitur in ſarco„phago; & antequam cooperiatur, orant omnes pariter pro ipſa anima „& canitur *Miſerere mei Deus.* Et ſacerdos dicit præfationem ſepultu„ræ: *Debitum humani corporis ſepeliendi officium fidelium more complen*„*tes &c.*" Quæ oratio in altero ſacramentario inter alias poſt ſepultum corpus collocatur, atque etiam præſcribitur in noſtro obſequiali an. 800. in ſingulari ordine *ad ſepeliendum nuper baptizatum, vel infantulum cum pſalmodia ex ordine ſine interpoſitione orationum.* Notandum etiam eſt, quod in Conſtitut. *Hirſaug.* habetur peculiare lib. II. c. 73. *De eo, qui ſepeliendus eſt in diebus ante Paſcha. Item ſi quis ſepeliendus eſt ante Nonam in qualibet die de illis tribus, qui proxime Paſcha antecedunt, ſine lumine & incenſo &c.* Tertullianus in Apolog. *Si Arabiæ,* inquit, *queruntur* (thura) *ſcient Sabæi pluris & carioris ſuas merces Chriſtianis ſepeliendis profligari, quam Diis fumigandis.*

Preces ac ritus funebres.

T. II Conc. Germ. pag. 441.

T. IX. Conc. ed. Ven. p. 1078.

Apud Herrgott de vet. diſcipl. monaſt. p. 567.

C. 42.

Digitized by Google

De accenſis cereis ſeu facibus & lampadibus innumera habentur antiquitatis teſtimonia, ex quibus multa cum aliis, quæ ad hoc argumentum pertinent, congeſſit *Iac.* GRETSERUS in opere de funere chriſtiano. Id vero ſingulare eſt, quod in vita B. STEPHANI abbatis monaſterii *Obazinenſis* apud BALUZIUM narratur, cum ad mortem decumberet, *nonnulli imo quam plurimi cereos deferebant ſacro eius funeri profuturos.* Tum, poſtquam obierat, circa mediam noctem *Corpus eius ex more compoſitum, & ſacerdotalibus indutum, quantum noctis ſupererat, in eccleſia eſt obſervatum, omnibus fratribus cum quibusdam abbatibus, qui convenerant, devote aſtantibus, & vigilias cum cereorum apparatu ſolemniter coram eo agentibus.* Apud GREGORIUM *Turonenſem* in deſcriptione funeris S. GALLI epiſcopi *Arvernenſis* inter alia memoratur, ipſos quoque *Iudæos* accenſis lampadibus proſecutos eſſe funus. Revocat hoc in memoriam, quod in vita cognominis S. GALLI *Alemanniæ* apoſtoli refertur: „Quomodo ab „ equis indomitis ad locum ſepulturæ eius delatum ſit corpus? accepta „ ergo cruce & candelis pſalmos & melodias concinentes, iter agere cœ„ perunt. Equi autem in neutram partem declinantes, recto itinere per„ rexerunt ad cellam viri Dei. Quo cum perveniſſent, depoſitum eſt „ feretrum ante oratorium. Diſcipuli autem eius elevantes eius doctoris „ reliquias, intulerunt, & ante altare poſuerunt. Deinde pariter cum „ epiſcopo orationem pro illo facientes, fecerunt foſſam ſepulchri inter „ parietem & altare, ibique precibus huic rei congruentibus præmiſſis ſe„ pelierunt eum; omnibusque rite conſummatis multitudo, quæ ad tan„ ti viri concurrit exequias, epiſcopi benedictione communita ad propria „ remeavit.“ Subiungam hic ex verſibus WALDRAMI ad SALOMONEM epiſcopum *Conſtantienſem*, quos SALOMON ad DADONEM miſit de funere fratris, quod concurſu omnis conditionis hominum curatum:

T. V. opp. — *T. IV. Miſcell.* — *De vitis Patr. c. 6.* — *Sæc. II. ord. S. Bened. p. 429.* — *Apud Caniſ. Tom. II. P. III. pag. 249.*

Turba ſacerdotum, monachorum corpus inerme
Nonnæ cum viduis pauper inopsque phalanx,
Clerus cum vulgo, vilis cum divite ſummo
Cum maiore minor, cum puero ſenior
Commendant animam IESU cum quæſtibus ipſam
Fratris germani Domne beate tui.

Præeunte ſacro.

VIII. In antiquiſſimo noſtro Capitulari ord. eccleſ. ſingularis habetur cautio quoad diem dominicam. „Hæc corpora defunctorum die do„ minico non ſepeliuntur ante ora quarta, ne miſſas eorum celebrantur „ ante oram nonam. Si neceſſe fuerit, ut in ipſo die ſepeliatur, ieiunet „ ſacerdos cum parentibus ipſius defuncti uſque ad oram nonam, & po-

„ nent

Digitized by Google

„ nent eum in eccleſia & celebrantur agendas ipſius offerentes pro ipſum oblationem, & ſic ſepeliunt eum. Similiter & in cenubiis monachorum vel ancillarum Dei faciunt.“

Ex dictis conſtat miſſæ ſacrificium cum officio ſepulturæ coniungi ſolitum, unde etiam frequentes erant in obſequiis mortuorum veſpertinæ miſſæ. Attamen iam in concilio *Carthag.* III. c. 29. cavetur, *ſi aliquorum pomeridiano tempore defunctorum ſive epiſcoporum, ſive ceterorum commendatio facienda eſt, ſolis orationibus fiat, ſi illi, qui faciunt, iam pranſi inveniantur.* Si unquam alias, præſenti ſaltem funere permiſſum fuit iterare miſſam, poſtquam iam in aliis caſibus ea facultas reſtricta fuit.

In concilio *Monaſterienſi* an. 1279. conceditur celebrari duas miſſas *neceſſitate incumbente, utputa unam de die, & unam pro defunctis funere præſente, vel ex alia iuſta cauſa, & in Nativitate Domini. Nec utatur ablutione primæ miſſæ &c.* In ſtatutis ſynodal. *Argentin.* an. 1435. apud MARTENIUM T. IV. Anecd. p. 531. præter tres miſſas in Nativitate D. permittitur celebrari *alio quovis die duas, ſi funus adeſt &c.* Notavit is in Itinere liturgico hodiernum diœceſis *Claromontanæ* morem, dum poſt prandium ſepelitur corpus, quod in craſtinum ſervari nequit, miſſam ſiccam, id eſt, ſine conſecratione dicendi. Singulare vero eſt privilegium, miſſam pro defunctis celebrandi *præſente corpore* etiam præcipuis feſtis. Rubrica miſſalis *Conſtantienſis* an. 1505. ad ipſum diem Paſchæ hæc habetur: *Nota in hac die miſſa pro defunctis non canitur, niſi funus ſit præſens, quod per totam ſervabis octavam.* Iuxta rituale *Romanum, ſi quis die feſto ſit ſepeliendus, miſſa propria pro defunctis præſente corpore celebrari poterit, niſi obſtet magna diei ſolemnitas.* Sacra rituum congregatio die 5. *Iulii* anno 1698. interrogata, *an in duplicibus primæ claſſis poſſit cantari miſſa defunctorum præſente corpore?* reſpondit, *negative*, ut *Proſper* LAMBERTINUS poſtea BENEDICTUS XIV. refert Inſtitut. XXXIV. §. 5. ac ſubdit: *Attamen diſputandi locus adhuc ſupereſt: an ſacra congregatio omnia duplicia primæ claſſis, an magis ſolemnia complectatur, in quibus, licet præſente corpore, ſacrum pro defunctis confici non poteſt. Id ſane noſtro iudicio dirimendum non eſt.*

T. III. Conc. Germ. pag. 646.

pag. 72.

T. IX. opp. pag. 238.

IX. Cum multis eſſent legibus *Romanis* urbanæ ſepulturæ prohibitæ, invaleſcente tamen religione chriſtiana ſub imperatoribus Chriſtianis ſenſim mos inolevit, ut ad baſilicas cœmeteria inſtruerentur, ac cryptæ pro more vetuſtiſſimo, prout a S. PAULINO in ep. 12. ad SEVERUM deſcribuntur: „Totum extra concham baſilicæ ſpatium in alto, & lacunato cul-

Locus ſepulturæ.

 „ mine

„ mine geminis utrinque porticibus dilatatur, quibus duplex per ſingulos „ arcus columnarum ordo dirigitur. Cubicula intra porticus quaterna „ longis baſilicæ memoriis religioſorum, ac familiarium accommodatos, „ ad pacis æternæ requiem locos præbent.“

Quæſierat S. Paulinus S. Augustinum, an cuiquam poſt mortem proſit, quod corpus eius apud Sancti alicuius memoriam ſepeliatur? Reſcripſit S. Doctor integrum de cura pro mortuis gerenda librum, idque probat pium fidelium ſtudium ac conſuetudinem: *Quod vero quisque*, ait, *apud memoriam martyrum ſepelitur hoc tantum mihi videtur prodeſſe defuncto, ut commendans eum martyrum patrocinio affectus pro illo ſupplicationis augeatur.* Cum vero martyrum ſepulchra intra ipſas eccleſias eſſent, illic etiam propter Sanctorum cineres condi, eadem apud fideles obtinuit conſuetudo. „ Ideo (ait S. Maximus *Taurinenſis*) a maioribus proviſum eſt, ut Sanctorum oſſibus noſtra corpora ſociemus, ut dum illos „ Chriſtus illuminat, nobis tenebrarum caligo diffugiat. Cum ſanctis „ ergo martyribus quieſcentes evadimus inferni tenebras eorum propriis „ meritis, attamen conſocii ſanctitate.“ Eusebius in vita Constantini perhibet: *Quem votis expetivit locum unacum apoſtolorum memoria, conſecutus eſt.* Locum vero deſignat S. Chrysostomus: *Nam*, inquit, & *hic Conſtantinum magnum ipſius filius in honore magno cenſuit haberi, ſi pro foribus piſcatoris paternum corpus collocaret.*

Serm. 55.

Lib. IV.

Hom. 66. ad popul. Antioch.

Can. 6.

Congruit hoc, quod apud Burchardum ex concilio *Nannetenſi* profertur: *Ut in eccleſiis nullatenus ſepeliantur, ſed in atrio, aut in porticu, aut in exedris eccleſiæ, intra eccleſiam vero & prope altare, ubi Corpus & Sanguis Domini conficitur, nullatenus ſepeliantur.* In concilio *Bracar.* I. intra baſilicas ſepeliri fidelium cadavera prohibentur. Et lib. I. Capitularium, *ut nullus deinceps in eccleſia mortuum ſepeliat.* In conc. *Triburienſi* an. 895. cum canone 15. ſtatutum eſſet „ ſepulturam morientium „ apud eccleſiam, ubi ſedes eſt epiſcopi, celebrari. Si autem hoc propter „ itineris longinquitatem aut adiacentem alicuius importunitatis difficultatem impoſſibile videtur, exſpectet eum terra ſepulturæ ſuæ, quo canonicorum, aut monachorum, ſive ſanctemonialium congregatio ſancta „ communiter degat, ut eorum orationibus iudici ſuo commendatus occurrat, & remiſſionem delictorum, quam meritis non obtinet, illorum „ interceſſionibus percipiat. Quodſi & hoc ineptum & difficile æſtimetur: „ ubi decimam perſolvebat vivus, ſepeliatur mortuus.“ Quoad ſepulturam vero in eccleſia poſtea ſequitur canon 17. „ Secundum ſtatuta ſanctorum Patrum & experimenta miraculorum prohibemus & præcipimus, „ ut deinceps nullus laicus in eccleſia ſepeliatur. Quidam mirabilis no-

C. 36.

T. II. Conc. Germ. pag. 396.

„ ſtræ

„ ſtræ diffinitioni conſentiens inquit: Nemo enim in eccleſia ſepeliatur, „ niſi forte talis ſit perſona ſacerdotis, aut cuiuslibet iuſti hominis, qui „ per vitæ meritum talem vivendo ſuo corpori defuncto locum acquiſivit. „ Corpora antiquitus in eccleſia ſepulta, nequaquam proiiciantur; ſed „ pavimento deſuper facto nullo tumulorum veſtigio apparente eccleſiæ „ reverentia conſervetur. Ubi vero hoc præ multitudine cadaverum diffi- „ cile ſit facere, locus ille cymiterium & poliandrium habeatur, ablato „ inde altari, & conſtituto, ubi religioſe ſacrificium Deo valeat offerri."

Referunt deinde ex S. Gregorio M. de Valentini *Mediolanenſis* eccleſiæ defenſoris cadavere in eccleſia ſepulto, altero die extra in ſepulchro alio reperto. Habentur tamen in eius dialogis exempla ſepulturæ in eccleſia, quæ inter illud memorandum de duabus ſanctimonialibus, quibus ob linguæ petulantiam S. Benedictus excommunicationem minatus fuerat: „ Illæ autem a priſtinis moribus nihil mutatæ intra paucos „ dies defunctæ ſunt, atque in eccleſia ſepultæ. Cumque in eadem ec- „ cleſia miſſarum ſolemnia celebrarentur, atque ex more diaconus clama- „ ret, ſi quis non communicat, det locum, nutrix earum, quæ pro eis „ oblationem Domino offerre conſueverat, eas de ſepulchris ſuis egredi „ & exire videbat &c." Provocat ad hoc exemplum Paschalis II. in epiſtola ad Gebhardum epiſcopum *Conſtantienſem*, quam Martenius edidit: „ Porro excommunicatorum cadavera de Sanctorum baſilicis pro- „ iiciantur, quia eorum putores ad ſuperna conſcendunt, ſicut quartus „ dialogorum beati Gregorii liber indicat, & Sanctorum ipſorum reve- „ latione didicimus, ideoque, dum ea illic continentur, ceſſandum a di- „ vinis officiis arbitramur."

Lib. II. dial. c. 23.

T. I. Theſ. Anecd. pag. 336.

X. De pompa funebri, mauſolæis ſeu monumentis ſepulchralibus inſtitutum hoc noſtrum attinere haud putamus, multa differere. Extat Prudentii hymnus in exequias mortuorum, in quo hoc extollit ſtudium humanitatis:

Monumenta ſepulchralia.

Hinc maxima cura ſepulcris
Impenditur, hinc reſolutos
Honor ultimus accipit artus
Et funeris ambitus ornat.
Quid nam ſibi ſaxa cavata?
Quid pulcra voluerunt monumenta?
Res quod niſi creditur illis
Non mortua, ſed data ſomno?

Nnn nnn 3 Quæ

Digitized by Google

Quæ, & ſequentia ſatis produnt, Cryptas iam tunc, quæ perſecutionis temporibus religioſo Dei cultui ſacris in conventibus, ac ſepulturæ Martyrum fuerant conſecratæ, exemplum poſtea præbuiſſe curatius condendi cadavera. Quibus etiam paulatim acceſſerunt inſignia illa chriſtiana, qualia inter alia fuerant monogramma ex duabus primis litteris X & P haud raro cum litteris A & Ω ipſaque ſanctæ crucis figura. Qua de re plura dabit ſcire aventi *Iac.* Boſius de triumphante Cruce. GRETSERUS *de Cruce*. Nonnulla etiam ipſe attuli in præfatione *Taphographiæ Principum Auſtriæ*: occurruntque, quæ ad rem ſunt, in ipſo illo opere quo magnifica deſcribuntur mauſolæa ducum *Auſtriæ Babenbergicæ* & *Habsburgicæ* ſtirpis, quæ poſtrema, in *Alemannia* noſtra efflореſcens, paucis abhinc annis monumentum novum in monaſterio S. BLASII accepit.

Lib. VI. c. 9.
Lib. I. c. 15.
T. IV. Monumentorum Aug. domus Auſtriacæ P. I. p. VIII. ſeq.

CAPUT II.

De aliis precibus & ſacrificiis pro mortuis, ſtatutis temporibus.

I.

Officium Defunctorum.

Reſtat adhuc, poſtquam iam diximus de obſequiis, quibus chriſtiano more parentamus piis manibus ad eos rite terræ commendandos, componendosque iuxta TERTULLIANI phraſin, ſacerdotum precibus, ut de aliis exponamus officiis ſeu agendis mortuorum, prout paſſim in monumentis liturgicis, ac etiam iam in concilio *Carthag.* II. c. 9. vocantur. In antiquiſſimo noſtro breviario & inſtructione ord. eccleſ. breviter his verbis deſignantur: „Ad „agendos vero mortuorum ad vigilias tam „pſalmi, quam & lectionibus cum reſponſuriis ſuis, vel antephonis in „matutinis laudibus ſine *Alleluia* de ipſis eſt canendum, in miſſas eorum „*Gloria in excelſis Deo*, nec *Alleluia* non cantatur.“ Additur in breviario ord. eccleſ. & *conſummata ſunt omnia*, quæ videntur eodem pertinere, cum hactenus his ſe contineat defunctorum officium additis tantum veſperis, quæ tamen iam in capitulis monachorum ad *Augiam* directis notan-

T. II. Capitul. p. 1382.

Digitized by Google

notantur, ubi legitur undecimo „ut defunctorum vigilia hoc modo ab „eis celebretur. Veſpera ſolito finita, ſtatim veſperam cum antiphonis „celebrant pro defunctis, & poſt completorium vigiliam cum antiphonis „vel reſponſoriis pleniſſime, atque ſuaviſſime canunt, & poſt nocturnas „intervallo matutinos pro mortuis faciunt." De pervigiliis in obitu ſororis Macrinæ mentionem facit S. Gregorius *Niſſenus: Perfecta eſt nocturna pervigilatio canendis pſalmis, ut in martyrum celebritate.* Inde origo vigiliarum pro defunctis repeti poteſt ſucceſſu temporis rite ordinato officio, ſeu curſu eccleſiaſtico. Qua in re aliquid ſe præſtitiſſe dicit Amalarius, ſed obſcurius: „Inveni (inquit) in *Romano* & *Metenſi* antiphonariis ordinem ſcriptum, quomodo fungi officio conveniat circa „fines hominum, & circa ſepulturam eorum. Ex utriſque collegi ea, „quæ recta mihi videbantur, & rationabili curſui congruere, atque ea „redacta in unum corpus poſui ſub uno textu in fine antiphonarii noſtri." Deſideratur hoc in editionibus vulgatis ab Hittorpio, & in bibliotheca Patrum. Sunt qui auctorem faciant officii defunctorum, ut nunc obtinet, Amalarium. *De Ord. Antiph. c. 79.*

In breviario *San-Gallenſi* ſæc. IX. ſcripto manu Folchardi, in vigiliis defunctorum *Placebo &c.* præſcribitur, ut ſolet ad veſperas dici: unde colligitur in ſuperiore etiam breviario & inſtructione ord. eccleſ. veſperas cum vigiliis comprehendi potuiſſe; ſequitur enim in mox citato breviario *San-Gallenſi:* „Item in vigiliis defunctorum ad Invitatorium „*Regem vivorum &c.* In I. Noct. *Dirige &c.* Lect. I. *Ne des alienis ho-* „*norem &c.* Sequitur lectio libri Iob, *Parce mihi Domine &c.* Item ſer- „mo S. Auguſtini epiſcopi in vigiliis defunctorum fratrum." Quando celebramus dies fratrum &c. diſtinguuntur que ex eo ſermone lectiones novem. „Item omelia in vigilia mortuorum: *Audiſtis fratres kariſſimi* „*in lectione evangelica Dominum dicentem, ſicut enim Pater ſuſcitat mor-* „*tuos & vivificat &c.*" Itidem lectiones novem. „Item ſermo B. *Cæcilii* „Cypriani epiſcopi in commemoratione defunctorum fratrum: *Frequen-* „*ter fratres kariſſimi ac manifeſte &c.*" Sequuntur Reſponſ. „in com- „memoratione fratrum de Iob & pſalmis. ℞. *Inducta eſt caro &c.* &: „Item lectiones in vigiliis defunctorum ex codice regulæ paſtoralis beati „Gregorii P. *Ne des alienis honorem &c.*" In antiphonario ſæc. X. eiusdem monaſterii Hartkeri recluſi manu ſcripto: „In vigilia defuncto- „rum Ad Invitat. *Regem vivorum acquieſcentium Dominum venite &c.*" Antiphonæ & reſponſoria ex variis veteris teſtamenti libris deſumta ſunt, quæ omnia differunt ab hodierno officio defunctorum: uti etiam quod in rituali *Auguſtano* ſæc. XII. habetur, hac præcedente rubrica: *Tunc*

cante-

Digitized by Google

cantetur vigilia vel ſolito more cum novem lectionibus, ſicut ſubinfertur novem orationibus. Orationes etiam diverſæ a noſtris habentur in officio defunctorum, quod ex Mſc. Pontificali *Salisburgenſi* edidit Martenius, licet pſalmi, lectiones & reſponſoria conveniant. Ac lectiones quidem iam eædem, quæ nunc frequentantur ex libro Iob, iisdem diſtinctionibus deſignantur ad calcem libri Comitis a Baluzio editi.

T. III. de rit. eccleſ. pag. 612.
T. II. Capitul. p. 1351.

In Capitulari *Aquisgranenſi* an. 817. ſtatuitur, *ut pſalmus invitatorius & Gloria pro defunctis non cantetur.* Quod quidem poſterius hodieque obſervatur, uti etiam, quod de omittendo *Alleluia* mox notavimus ex breviario & Capitulari ord. eccleſ. licet in officio defunctorum, ſeu potius pro ſepultura, quod ex cod. *Remenſi* Menardus profert, liberum relinquatur, ut *Alleluia* quoque canatur, veluti ex S. Hieronymo in epitaphio Fabiolæ conſtat, etiam *Alleluia* reſonaſſe: *Sonabant pſalmi & aurata tecta templorum in ſublime quatiebat* Alleluia. Id porro ritu *Græco* & *Mozarabico* obſervatur. Quod autem de invitatorio dicitur citato in canone, id hodie obſervatur, quando ſolemne non fit officium novem lectionum. Quod ſervandum eſt iuxta hodiernas rubricas tantum in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, & in die depoſitionis defuncti, *quibus diebus dicuntur tres infra ſcripti nocturni, & antiphonæ duplicantur.* Difficultatem autem movet altera rubrica, ubi poſt diem commemorationis fidelium & depoſitionis defuncti additur: *& quandocunque dicuntur tres nocturni.* Unde in hoc uſus variat. Qua de re noviſſime doctum dialogum edidit Canonicus *Cremonenſis* Cadonici.

Not. in S. Greg. ſacram. pag. 480.

Miſſæ pro mortuis.

II. Palmare ſemper pro defunctis officium fuit ipſum incruentum miſſæ ſacrificium, quo privari poſt mortem grandi eſſet piaculo, quemadmodum S. Cyprianus ab anteceſſoribus epiſcopis conſtitutum dicit: *Ut ſi quis frater excedens ad tutelam vel curam Clericum nominaret, non offeretur pro eo, nec ſacrificium pro dormitione celebretur*, vetatque ne pro Victore, qui *Geminium* Faustinum presbyterum moriens tutorem conſtituerat, *fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine eius in eccleſia frequentetur.*

Epiſt. I. ed. Pamel. 66.

Cavillari quempiam potuiſſe mirum eſt, ac ſi S. Bonifacius *Germaniæ* apoſtolus dubium geſſerit de offerendo pro mortuis ſacrificio, de cuius ea de re quæſtione reſponſioneque Gregorii III. mox dicemus. Equidem ex indiculo ſuperſtitionum & paganiarum colligitur, quaſdam gentilium ſuperſtitiones tunc temporis non penitus eradicatas fuiſſe, unde *I. de ſacrilegio ad ſepulchra mortuorum, II. de ſacrilegio ſuper defunctos*, quod explicatur ex epiſtola 140. quæ eſt Zachariæ P. ad S. Bonifa-

Digitized by Google

NIFACIUM de ſacrilegis presbyteris, *qui tauros & hircos Diis paganorum immolabant, manducantes ſacrificia mortuorum.* Atque id eſt, quod ſynodali conventu decretum tunc ex litteris CARLOMANNI diſcimus, *ut ſecundum canonem unusquisque epiſcopus in ſua parochia ſolicitudinem adhibeat adiuvante Gravione, qui defenſor eccleſiæ eſt, ut populus Dei paganias non faciat: ſed ut omnes ſpurcitias gentilitatis abiiciat, & reſpuat ſive ſacrificia mortuorum &c.* Eſt fragmentum epiſtolæ 71. inter *Bonifacianas*, ubi initium ac nomen reſciſſum eſt, ex epiſtola vero 21. S. BONIFACII ad EADBURGAM abbatiſſam patet, iuxta mentem ſancti martyris eſſe, quod in citata epiſtola 71. narratur, atque inter alia ex viſione cœleſti *unam fœminam redemtam de aliquo puteo*, ignis ſcilicet purgatorii, *miſſarum ſolemnitatibus, & hoc maxime bonum animabus egredientibus de corpore.*

Antiquiſſimæ quæque liturgiæ refertæ ſunt eiusmodi miſſis pro defunctis, quæve ad hodiernum uſque diem ſolet legi epiſtola B. PAULI apoſtoli ad TITUM, *Fratres de dormientibus nolumus vos ignorare &c.* a S. AUGUSTINO ſerm. 173. notatur, debere hanc lectionem eſſe in mente, *quando celebramus dies fratrum defunctorum.* Quantum vero defunctis proſit ſacrificium, idem teſtatur in ſermone præcedente, ut adnotavit MABILLONIUS ad ſacramentarium *Gallicanum*, ubi eadem habetur legenda in depoſitione ſacerdotis cum aliis lectionibus & orationibus ad miſſam pro defunctis, quarum nonnullæ etiam cum noſtris conveniunt, omnes vero *Ambroſianæ* in miſſis pro defunctis. Differentiam in ritu *Mozarabico* notavi, qui extra Quadrageſimam in miſſa etiam *Alleluia* adhibent, & in fine loco *Requieſcant in pace*, formulam habent alias apud nos etiam conſuetam *anima eius, & animæ omnium fidelium defunctorum per miſericordiam Dei ſine fine requieſcant in pace.* ℟. *Deo gratias.*

III. „Miſſa pro mortuis (inquit AMALARIUS) in hoc differt a con„ſueta miſſa, quod ſine *Gloria*, & *Alleluia*, & pacis oſculo celebretur.“ Antiquiſſimum breviarium & Capitulare ord. eccleſ. habet: „In miſſas eorum, *Gloria in excelſis Deo*, nec *Alleluia* non cantatur.“ In miſſali tamen *Argentinæ* 1510. excuſo notatur: „In miſſa ſolemni pro defun„ctis dicitur *Credo.*“ Miſſæ in noſtris antiquiſſimis ſacramentariis fere omnes peculiarem orationem infra actionem habent, quod hodie nunquam fit. Ac præterea in ſecundo ſacramentario *San-Blaſiano*, ut in S. ELIGII a MENARDO edito, in miſſa pro epiſcopo defuncto notatur: „Super dypti„cia *Memento etiam Domine & eorum nominum, qui nos præceſſerunt,* „*& dormiunt in ſomno pacis. Per. Item poſt Lect. Iſtis & omnibus Do*„*mine in Chriſto quieſcentibus locum refrigerii, lucis & pacis indulgen*„*tiam*

Qualiter celebratæ.

De eccleſ. offic. Lib. IV. c. 44.

Digitized by Google

„ *tiam deprecamur. Per.*“ Unde locus & ordo recitationis nominum palam eſt,

De hoc ac univerſim de agendis ſeu miſſa defunctorum memorabilis locus eſt in capitulari noſtro ord. eccleſ. quem hic exſcribam: „Ad agen-„das vero mortuorum antephona ad Introitum: *Donet vobis Dominus* „ *requiem ſempiternam* cum pſalmo *Te decet. De terra formaſti nos.* ſi „de uno: *Formaſti me.* Iſta eſt traditio ſecundum ordinem vel conſue-„tudinem ſanctæ ſedis *Rom.* eccleſiæ. In diebus autem ſeptimanæ celebran-„tur miſſas, vel nomina eorum commemorant. Die autem dominica non „celebrantur agendas mortuorum, nec nomina eorum admiſſas recitantur, „ſed tantum vivorum nomina regum vel principum ſeu & ſacerdotum, vel „pro omni populo chriſtiano oblationis, vel vota redduntur; defunctorum „autem, qui merentur, die dominica Chriſtus filius Dei ipſe dat requiem, „qui ſemetipſum pro ipſis, vel pro univerſo genere humano hoſtiam obtulit.“ Inter monumenta liturgica reperi *de commemoratione defunctorum*, ubi ſic legitur: „Solent vero nonnulli interrogare, ſi liceat cotidie orare aut ſa-„crificium Domino offerre pro mortuis? Quibus reſpondetur, quia ple-„rique in dominicis diebus ſacrificium pro mortuis non offerunt pro-„pter ſingularem reverentiam dominicæ reſurrectionis videlicet, quia ille „ſolus inter mortuos liber fuit: ideo valde condecet, ut eius ſingularis „reſurrectio venerabiliter ab omnibus & ſine alicuius admixtione defun-„cti celebretur.“ Fuit quorundam perſuaſio ceſſare pœnas ac tormenta in inferno die dominico vel ſolo potius reſurrectionis dominicæ iuxta PRUDENTIUM hym. 5. *καθημέρων* diebus paſchalibus. Licet vero nomina recitari non ſunt ſolita die dominica, tamen miſſæ tunc celebrari potuerunt, ut hodie, præſente corpore, quod mox ſubditur in laudato capitulari ord. eccleſ.

In miſſali *Fiſchingenſis* monaſterii ſcripto an. 1500. & nonnullis etiam impreſſis inter lectiones varias pro defunctis peculiaris notatur diebus dominicis epiſtola pro defunctis. *Lect. Iſaie proph. Capitulo XXXVIII.* In eodem miſſali ſpeciale habetur „officium pro defunctis tempore paſchali, „ad miſſam Introitus: *ſi enim credimus, quod Iheſus mortuus eſt & re-„ſurrexit &c.* Alio tempore officium pro defunctis ad miſſam Introi-„tus: *Requiem æternam &c.* ut hodie.“ Miſſale, ſeu ut inſcribitur, *ſacrificale itinerantium* impreſſ. *Oppenhemii* 1521. cum notaſſet, Graduale ac Tractum *Requiem æternam &c.* dici, *quando pro pluribus* celebratur, ſubdit: „Quando vero pro uno tantum, dicitur Graduale: *ſi ambulem in* „ *medio umbræ mortis.*“ Cuiusmodi varietates paſſim obviæ ſunt in antiquis miſſalibus. Inſcriptionem illam miſſæ *in Natale Sanctorum*, ſive in

agendæ

agenda mortuorum ſacrament. *Gelaſ.* lib. III. n. 95. ipſæ orationes explicant; tum ipſa inſcriptio, quam V. Thomasius in ſuo orationali poſuit: In natali Sanctorum ſimul & officio mortuorum. Ut Vezzosius adnotavit T. VI. p. 221. Spectanda hic eſt communio Sanctorum, atque etiam vetus diptychorum uſus, quæ etiam dicebantur liber vitæ: quo reſpicere autumo inſcriptionem miſſæ, quam adhuc in miſſali *San-Blaſiano* ſæc. XIV. reperi *Pro defunctis, quorum nomina in libro vitæ ſunt.*

IV. Ultima in ſacramentario noſtro *San-Blaſiano* pro defunctis eſt *miſſa, de cuius anima deſperatur*: cuiusmodi non ſolum apud Pamelium in ſacramentario Grimoldi (abbatis *San-Gallenſis*, habeturque ea miſſa in mſc. eius monaſterii, quod inter monumenta liturgica edimus) verum etiam in impreſſis *Conſtantienſi*, *Baſileenſi*, *Wormatienſi* ſæc. XV. ac *Romanis Nurimbergæ* 1484. & *Venetiis* 1479. 1491. 1501. 1510. & aliis reperire eſt cum titulo paullulum diverſo *Miſſa, de cuius anima dubitatur*, uti etiam in antiquiſſimo ſacramentario *Gellonenſi*, ubi differt verbis, ſententia nihilominus convenit oratio, de qua mox. Sicut in noſtro, ita habetur in mſc. ſacramentario *Sublacenſi* an. 1075. quod nunc in bibliotheca *Vaticana* ſervatur, *Miſſa, pro cuius anima dubitatur.* In aliis tamen prima quidem oratio convenit, omiſſis tantum, *fratris noſtri*, verbis, quorum loco in *San-Gall.* legitur, *cari noſtri.* Deeſt etiam in plerisque aliis oratio *Miſericors & miſerator*, excepto noſtro laudato *San-Gallenſi* & *Sublacenſi* ſacramentariis, in quibus hæc verba leguntur: *Ut vel veniam opus manuum tuarum ſentiat in inferis*, & ultima, *Omnipotens clementiſſime Pater, pro abundantia clementiæ tuæ propitiare animæ famuli tui N. & pium te ſentiat in inferis, quæ multorum cruciatus forſitan tormentorum pro iuſtitiæ merito ſentit in pœnis.* Singularis eſt inſcriptio orationis in *San-Gallenſi poſt orationem dominicam*: „Libera nos quæſumus Domine ab omnibus malis præteritis, præſentibus & futuris, & intercedentibus Sanctis tuis anima famuli tui N. pro abundantia clementiæ tuæ pium te ſentiat in inferis, quæ multorum forſitan tormentorum cruciatus pro iuſtitiæ merito ſentit in pœnis. Per. “ Sententia etiam in aliis legitur, quæ tamen movere neminem debent, cum quotidie pro defunctis orans eccleſia eiusmodi utatur phraſi, *a porta inferi erue Domine animas eorum &c.* Et: *Libera animas omnium fidelium de pœnis inferni, & de profundo lacu &c.* Abbatia S. Cornelii in urbe *Compendienſi* ſervat antiquiſſimum ſacramentarium 1000. circ. ann. ubi in memento mortuorum fiunt preces pro iis, qui cruciantur in inferno. Leo *Allatius de utriusque eccleſiæ occidentalis atque orientalis perpetua in dogmate de purgatorio conſenſione*

Miſſa, pro cuius anima deſperatur, vel dubitatur.

T. II. Lit. pag. 457.

oſtendit etiam falſo Catholicis appingi, orare pro iis, qui in inferno detinentur.

In diſſertatione theologica *de precibus pro defunctis*, quam unacum poſitionibus ex univerſa theologia in academia *Friburgenſi* propugnavit an. 1773. *Fr. Ioſ.* Daschner præſide, P. *Engelberto* Klüpfel, duæ recenſentur Miſſæ *pro animabus exulibus*, altera ex miſſali ſecundum notulam dominorum fratrum *Teutonicorum* impreſſo *Norimbergæ* per *Georgium* Schöchs ante finem ſæc. XV. extatque in bibliotheca Eremitarum *Auguſtinenſium Friburgi*; altera eaque a priori diverſa in bibliotheca *Carthuſianorum Buxheimenſium* prope *Memmingam*, quæ eidem implexæ ſunt difficultati, ac miſſa illa de cuius anima dubitatur, vel deſperatur; utrinque vero eodem reſolvitur modo ex S. Augustini libro de cura pro mortuis cap. ult.

Subditur paſſim etiam in impreſſis miſſa pro defunctis deſiderantibus pœnitentiam, & minime conſequentibus, quæ etiam in ſacramentario *Gelaſiano* & *Gregorianis* habetur cum hac rubrica: „Si quis pœnitentiam petens, dum „ſacerdos venit, fuerit officium linguæ privatus; conſtitutum eſt: ut ſi idonea teſtimonia hoc dixerunt, & ipſe per motus aliquos ſatisfacit, ſacerdos „impleat omnia circa pœnitentem, ut moris eſt.“ Quod paſſim indulgetur antiquis canonibus, antiqua præſertim diſciplina pœnitentiæ publicæ, quando ſubito pœnitentes non accepta reconciliatoria manus impoſitione ſeu communione morte ſunt præventi, velut in concilio *Vaſenſi*: „Horum, qui „pœnitentia accepta bono vitæ curſu ſatisfactoria compunctione viventes ſine communione, inopinato nonnunquam tranſitu, in agris aut in itineribus præveniuntur, oblationem recipiendam, & eorum funera, ac deinceps memoriam eccleſiaſtico affectu proſequendam. Quia nefas eſt eorum commemorationes excludi a ſalutaribus ſacris, qui ad eadem ſacra „fideli affectu contendentes, dum ſe diutius reos ſtatuunt, & indignos „ſalutiferis myſteriis iudicant, ac dum purgatiores reſtitui deſiderant, abs„que ſacramentorum viatico intercipiuntur, quibus fortaſſe nec abſolutiſſimam reconciliationem ſacerdos denegandam putaſſet.“ Auctor vitæ S. Gregorii apud Canisium exempla eiusmodi indigitat: „Nam cum „quidam (inquit) pro culpis ſuis communione privati abſque reconciliatione de hac vita migraſſent, eius clementia etiam poſt obitum reconciliati, ac triginta dierum ſacroſancta oblatione pro eis oblata, in requiem beatorum ipſis apparentibus, & referentibus recepti ſunt.“

Can. 2.

T. II. P. III. pag. 258.

Rem mox magis ediſſeremus, minusque hoc difficultatis habet, quam de illis, de quibus conſulendum duxit S. Bonifacius Gregorium III. hocque tulit reſponſi: „Pro obeuntibus quoque conſuluiſti, ſi liceat oblatio-

Epiſt. 122.

„ lationes offerri? Sancta ſic tenet eccleſia, ut quisque pro ſuis mortuis „ fere Chriſtianis offerat oblationes, atque presbyter eorum faciat memo„ riam: & quamvis omnes peccatis ſubiaceamus, congruit tamen, ut ſa„ cerdos non niſi pro mortuis Catholicis memoriam faciat & intercedat. Non „ enim pro impiis, quamvis Chriſtiani fuerint, tale quid agere licebit.“ Singulari capite 59. tractat Gezo Abb. in libro de corpore & ſanguine Chriſti apud Muratorium: *Quod pro homicidis & latronibus non eſt ſacrificandum*, hancque narrat hiſtoriam: „In ea via, quæ *Alvernenſis* monaſterii ducit ad forum, eſt eccleſia *S. Petri*, quæ dicitur *ad Salas*, in cuius vi„ cinia manebat quidam latro, qui duos itinerantes, quos hoſpitio ſuſce„ perat, ſpoliare volens, nocte interficere temptabat, ſed illi prævalentes „ interfecerunt eum, cumque ſepeliendus ad eccleſiam deferretur, ſacerdos „ pro eo miſſam celebrare cœpit. Cum ergo ad verba conſecrationis do„ minicæ venire deberet, terribilis ſonus in tecto eccleſiæ percrepuit, & al„ tare uſque ad radices ſciſſum eſt. Sicque ſacerdos cum omnibus ingenti „ pavore perculſus fugit, & pro apoſtata ſacrificare ceſſavit. Hoc autem „ contra eos dictum ſit, qui pro ſceleratis ob gratiam eorum ſe oraturos „ pollicentur.“ Eadem habes in collationibus Odonis *Cluniacenſis*. Pertinet huc canon concilii *Trevirenſ.* an. 1310. *De parochianis, qui ſine officio miſſæ ſepeliuntur*, ſunt autem illi violatores eccleſiarum. „Si quis autem „ parochianorum prædictorum deceſſerit, ſine officio miſſæ cum ſolis com„ mendationibus ſepeliatur in atrio, excepto prædone, prædæ emptore, „ fautoribus ſeu receptatoribus eorumdem.“

T. III. Anecd. pag. 296.

T. XIV. Conc. ed. Ven. pag. 1431.

Diſſimiles ſunt hi caſus ac conditiones hominum ſceleſtorum ab illis, de quibus dubitatur, aut deſperatur, quemadmodum e. g. etiam paſſim in antiquis miſſalibus extat miſſa *pro infirmo, de cuius ſalute deſperatur*, ob plenum periculi ſtatum, atque ancipitem vitæ rationem, & apud defunctos diſtricti iudicis ſententiam, etſi forte non ad damnationem æternam, æviternam tamen purgatorii pœnam, quæ ad diem magnum iudicii perdurare poterat, mitiganda forte aut etiam relaxanda precibus & ſacrificiis. Sic narratur in laudata S. Bonifacii epiſtola 71. *Omnes animas in puteis*, id eſt purgatorio, *quandoque ſolubiles eſſe, vel in die iudicii aut ante.* Status eiusmodi monachi *damnabiliter incluſi* in viſione Wetini monachi *Augienſ.* legitur, ut hoc exempli cauſa afferam: „Qui (inquit) de eodem nume„ ro unum ſpecialiter nominavit, quem dixit ibidem in arca plumbea in„ cluſum præſtolare debere diem magnum iudicii propter opus peculiare, „ quod in Anania & Saphira ad corrumpendam communis vitæ integri„ tatem præceſſerat. De quo fratre damnabiliter incluſo, cuidam peregri„ no in extremitate vitæ per exceſſum rapto ante decennium oſtenſum fue-

Act. Ord. S. Bened. ſæc. IV. P. I. pag. 267.

Digitized by Google

„rat, ſicut tunc fama vulgaverat.“ Eiusdem criminis reus dicitur a S. Gregorio triginta dierum continuato ſacrificio liberatus, quod mox examinabimus. *Io. Chryſoſt.* Trombellius T. V. de Mariæ ſanctiſſimæ vita ac geſtis cultuque illi adhibito P. II. diſſert. II. q. II. ſententiam illam examinat, refutatque, num ſolamen aliquod, & nonnullum infelicitatis levamen Mariæ ſuffragatione æternis cruciatibus deſtinati aliquando ſaltem percipiant. Eaque occaſione illam etiam attingit quæſtionem, num ſolamen aliquod damnati interdum percipiant, aut certe percipere poſſint.

pag. 151. &c.

Græcorum ſententia de ſalute damnatorum.

V. Extra omne tamen dubium viſus eſt poſuiſſe *Leo* Allatius in diſſertationibus de libris eccleſiaſticis *Græcorum* in aliquo errore hærere iam *Græcos*, in publicis liturgicis libris aſſerto, etſi in laudato opere *de purgatorio* oſtendat, non ad rigorem iudicii extremi leniendum, ſed ad præſentis ſtatus pœnas ſublevandas preces fundere *Græcos* explanans, quanam ratione *Græci* pœnas & ignem purgatorium, a quibus liberari ſupplicant, æterna dicant, & gehennæ ignem: ut nec in hoc ab eccleſia latina diſcordare videantur. Purgatorium hunc ignem longe diverſum eſſe a purgatorio igne Origenis, porro contendit. Sunt nihilominus, qui ex illis teneant, univerſum hominum genus ab inferni cavernis ereptum a Chriſto in cœlum fuiſſe aſportatum, qui Chriſto apud inferos prædicanti fidem adhibuerunt, hocque utuntur argumento, ut probent damnatos piorum precibus, animasque æternis ſuppliciis addictas ſublevari, quandoque etiam liberari, quod aperte in Triodio aſſeritur. Idem ex Paracletica refert non uno loco aſſeri de præcurſore Domini Ioanne *Baptiſta*, eum ſcilicet poſt mortem in infernis Chriſtum prædicaſſe, nunciaſſeque prope iam eſſe ſalutem ac vitam. Deinde Chriſtum deſcenſu ſuo ad inferos homines a pœnis illis & poteſtate dæmonis liberaſſe, atque qui in monumentis erant, ad vitam vindicaſſe. Affingunt præterea Triodii adulteratores Glycas, Gabriel *Philadelphenſis*, & *Georgius* Coresius, quorum teſtimonia citat Allatius, animas peccatorum, quas tenet infernus, quia pœnitentiam agere recuſarunt; precibus nihilominus fidelium identidem eripi: Cum Anastasius *Sinaita* in quæſtionibus a Gretsero editis dicat, Chriſtum ab inferis illos tantum eduxiſſe, qui ipſi prædicanti auſcultarunt, & crediderunt, in quibus fuiſſe Platonem refert ex Scholaſtici cuiusdam viſione; nullum vero poſthac deinceps inde eſſe liberatum.

Diſſert. II. in Examine Pentecoſtarii p. 163. alias 240.

pag. 116.

pag. 204.

Quæſt. 111.

At priorum illorum opinionem de toto humano genere interpretatur Allatius, quæ eſt ex Platone Origenis hauſta non ſolum de humano genere lapſo, verum etiam de dæmonibus poſt purgationem ſaluti reſtituendis ſententia, ut tum ex aliorum, cum ipſiusmet Origenis teſtimoniis

Lib. III. de Angelis c. 6.

moniis probat Petavius. Poſteaque refert nonnullorum Patrum ſententiam in eandem rem ſaltem dubitantium: veluti Gregorii *Nazianzeni* in primo carmine heroico de vita ſua ſub finem, de extremo iudicio agens, & duplici hominum ſorte, quorum alii ignibus damnabuntur, alii Dei compotes erunt, dubitat, an aliquando Dei omnes participes ſint futuri:

Qui & nihil exiſtentes compoſuit, & poſtea
Diſſolutos componet, & ad vitam aliam trahet,
Aut ignis, aut Dei illuminantis participes futuros,
Utrum autem & Dei omnes, poſthac alius ſit ſermo.

Et ſerm. 40. ignem memorans non purgatorium, ſed pœnalem πῦρ οὐ καθαρτήριον ἀλλὰ κολαϛήριον, „Sive (inquit) *Sodomiticum*, quem in omnes „peccatores pluit, ſulphure & procella miſtum: ſive eum, qui paratus „eſt diabolo & angelis eius: ſive eum, qui ante faciem Domini procedit, „& inflammabit in circuitu inimicos eius. Atque his formidabilior eſt ad„huc ille, qui cum inſomni illo verme coniunctus eſt: nec unquam ex„tinguitur: verum in ſceleratorum hominum pœnam ſempiternus eſt. „Hi enim omnes eam vim habent, ut perdant: niſi malit quiſpiam hoc „humanius, & ut puniente dignum eſt, intelligere." Aſſertior eſſe videtur Gregorius *Niſſenus*, liberaliorque non ſolum de hominum, verum etiam dæmonum ſalute, ſeu ἀποκαταϛάσει πάντων. Veluti Petavius C. 7.
ex Catechetico affert locum, ubi de Incarnatione Chriſti loquens, Dei Filium, ait, pio ac ſalutari dolo circumveniſſe mali inventorem, & architectum diabolum, qui primis hominibus in fraudem impoſuerat, humana illi obiecta ſpecie: qua ratione *non eum ſolum, qui perierat, ſed eum etiam, qui perniciem contra nos molitus eſt, affecit beneficio &c.* In libro *de anima & reſurrectione* idem dogma de dæmonum ac damnatorum omnium futura ſalute affirmare videtur ſub Macrinæ ſororis perſona, ut apud eundem Petavium videre eſt. Vetus eſt aſſertio ad excuſandum S. præſulem in aliis etiam rebus, quibus cum Origene facere viſus eſt, eius ab hæreticis corrupta eſſe opera, quod idem in excuſationem Origenis affertur, tum aliter etiam Origenem vindicare conantur. Sed hos SS. Patres atque etiam S. Basilium M. ab errore illo Origenis vindicat *Leo* Allatius de utriusque eccleſiæ occidentalis atque orientalis perpetua in dogmate de purgatorio conſenſu.

Non auſim vero decernere, an inde enata ſit recentiorum illorum *Græcorum* opinio, quam palam in ſuis libris liturgicis profitentur de ſalute etiam damnatorum per preces fidelium & ſacrificia obtinenda, an vero ex oratione inter S. *Ioan.* Damasceni opera *De iis, qui in fide obdormierunt*, quam eiusdem eſſe fœtum, communis eſt *Græcorum* ſententia teſte *Micha-*

Differt. V. pag. LXIII. *Michaele* Lequien in diſſertationibus *Damaſcenicis*, ubi etiam præfationem integram Combefisii in bibliotheca concionatoria ad diem 2. *Novemb.* exſcribit, in qua quidem adducit *Leonis* Allatii diatribam, qui *multorum diſcuſſis rationibus*, ſunt Combefisii verba: „Quibus hoc opus „abdicare ſe putant Damasceno, quod libris eius de fide in doctrina „non ſatis conveniat, *Machabæorum* hiſtoriæ plurimum innitatur, cuius „fidem canonicam iis in libris non agnoſcit, fabellas liberatorum infide„lium Falconillæ & Traiani ac Macarii cranium inducat; quæ ta„men omnia *Græci* libris ſuis ritualibus inſeruerunt, ſive præivit illis hic „auctor, ſive illi ipſi. His, inquam, diſcuſſis partimque ſolutis rationibus, „num ſit Damasceni fœtus, in re incerta fruſtra quæri decernit." Hæc Combefisius, qui etiam poſt examen alterum eiusdem Allatii in diſſertatione ſecunda de libris eccleſiaſticis *Græcorum*, ubi aliis ex rationibus orationem illam aſſertius S. Ioanni *Damaſceno* abiudicat, nihilominus Combefisius in oppoſitam *Allatianæ* ſententiam propenſum ſe declarat. Lequien vero inde potiſſimum cum aliis in contrariam it ſententiam, quod Allatius in diatriba de ſcriptis Ioannis *Damaſceni* habet hiſtoriolas de Traiano, & Falconilla, quæ theologicum illius axioma evertunt: *Quoniam, quod hominibus mors, hoc angelis eſt lapſus. Poſt lapſum enim non eſt illis pœnitentiæ locus, uti neque poſt mortem hominibus.* Alium in eandem ſententiam idem affert Lequien locum ex dialogo contra *Manichæos;* cum auctor illius orationis fabulis de Traiani & Falconillæ liberatione ſubiungat complures non ex *Hebræis* modo, verum & ex gentibus a Chriſto, quando deſcendit ad inferna, liberatos eſſe, qui ei illic prædicanti crediderunt. Vide plura de hac re quoad *Græcorum* ſententiam apud laudatum Lequien. Sed nos quæ Chriſtus in inferis egerit, nec divinando aſſequimur, præterquam, quod ex I. *Pet.* III. 19. eruitur.

Latinorum item Patrum. VI. Legati Cyriaci patriarchæ *Cpolitani* ad S. Gregorium M. teſtibus eccleſiæ *Romanæ* diaconis dixerant, *IESUM Chriſtum ad inferos deſcendentem omnes, qui illic confiterentur eum Deum, ſalvaſſe, atque a pœnis debitis liberaſſe.* Quæ vero reſcribit S. Gregorius, explodunt ea, quæ in laudata oratione inter opera S. Ioannis *Damaſceni*, & in vitæ *T. IV. opp. p. 14. 27. 59. 274. &c. T. II. P. III. pag. 261.* ſcriptoribus S. Gregorii, Paulo & Ioanne diaconis, Anonymo item apud Canisium narrantur de Traiano ab inferni pœnis liberato, accepto reſponſo, ſe pro Traiano auditum, tantum pro nullo ulterius pagano preces effunderet. Inepte preces a fletibus diſtinguit Ioannes diac. *Lib. IV. c. 44.* ut eludat argumentum, quod ex dialogis S. Doctoris ipſe præoccupat, *eandem cauſam eſſe, cur non oretur a ſanctis in futuro iudicio pro peccatoribus æterno igne damnatis; quæ nunc etiam cauſa eſt, ut non orent*

ſancti

Digitized by Google

ſancti homines pro hominibus infidelibus, impiisque defunctis. Obiectionibus ibidem S. Gregorius ſatisfacit, quas Petrus facit inter alia ſic locutus: *Quid ſi quis dicat: idcirco peccantibus æternam pœnam minatus eſt, ut eos a peccatorum perpetratione compeſceret?* At ſolide reſpondet S. Doctor: „Si falſum eſt, quod minatus eſt, ut ab iniuſtitia „corrigeret: etiam falſa eſt pollicitus, ut ad iuſtitiam provocaret.“ S. Hieronymus vero in calce commentariorum ad Esaiam apud Petavium, poſtquam Origenis ſententiam tacito eius nomine propoſuit, oſtenditque, quibus ſcripturæ locis utantur ii, „Qui aſſeverant poſt cruciatus at„que tormenta futura refrigeria: quæ nunc abſcondenda ſunt ab his, qui„bus timor utilis eſt: ut dum ſupplicia formidant, peccare deſiſtant,“ primo de hac re ſententiam ſuam ſuſpendit; deinde ex animi ſui ſententia ſic effatur: „Et ſicut diaboli & omnium negatorum atque impio„rum, qui dixerunt in corde ſuo, non eſt Deus, credimus æterna tor„menta: ſic peccatorum atque impiorum & tamen Chriſtianorum, quorum opera in igne probanda ſunt, atque purganda, moderatam arbitra„mur, & miſtam clementiæ ſententiam iudicis.“ Adhuc clariorem ſententiam ex libro I. adverſus *Pelagianos* apud eundem Petavium legas; quodve S. Ambrosius facit diſcrimen æterni ſupplicii dæmonum & hominum, miſericordia temperati, ad id utitur etiam exemplo divitis in inferno ſepulti. „Ideo (inquit) dives ille in evangelio, licet peccator, pœnalibus „urgetur ærumnis, ut citius poſſit evadere. Diabolus autem nequa„quam puniri ad iudicium demonſtratur, nequaquam adhuc pœnis eſſe „ſubiectus, niſi quas ipſe tantorum conſcius ſcelerum ſolvit timore per„petuo, ne aliquando ſecurus ſit.“ Vide apud Petavium auctoris commentar. in epiſt. Pauli, ſub nomine S. Ambrosii, Arnobii & aliorum ſententiam, imprimis ad locum S. Pauli ad *Ephesios* & prioris ad *Corinth.* in quo igne probari opera tradit apoſtolus & lignum, ac ſtipulam exuri, quem paſſim præſertim *Græci* etiam hodierni de inferorum igne interpretantur, ut ex actis ſynodi *Florentinæ* patet, quæ imprimis ibi Marcus *Eugenius* metropolita *Epheſius* diſputat contra ignem purgatorium.

De Ang. lib. III. c. 7.

In Pſ. 118. Oct. 20. ad verſ. 2.

Ex qua contentione etiam ſchiſmatici illi confirmati ſunt in altero illo vicino errore, in quo Tertullianus & alii hæſerunt, nempe animas piorum e corpore ſolutas a cœleſti beatitudine arceri uſque ad noviſſimum iudicium, tunc forte, quidquid maculæ ſuperſit, igne expurgandum. Audin', quomodo Nicetam in carmine Paulinus affatur:

Quis die nobis dabit hoc in illa,
Ut tui ſtemus lateris ſub umbra,

Digitized by Google

Et tuæ nobis requietis aura
Temperet ignem ?
Tunc precor noſtri nimium memento,
Et Patris ſancti gremio recumbens
Roſido nobis digito furentem
Diſcute flammam.

Et PRUDENTIUS *Periſtephan.* Carm. X.

Vellem ſiniſter inter hædorum greges,
Ut ſum futurus, eminus dignoſcerer,
Romanus erat, transfer hunc hædum mibi,
Sit dexter agnus, induatur vellere.

Alibi item aliam ſingularem de feriis prodit opinionem:

Hym. 5. τῶν καθημέρων in dieb9 Paſch.

Sunt & ſpiritibus ſæpe nocentibus
Pœnarum celebres ſub ſtyge feriæ
Illa nocte, ſacer qua rediit Deus
Stagnis ad Superos ex acheronticis &c.

S. AUGUSTINUS etiam hic aliquid videtur indulgere in *Enchirid.* cap. 112. „Sed (inquit) pœnas damnatorum certis temporum intervallis exiſtiment, „ſi hoc eis placet, aliquatenus mitigari. Etiam ſic quippe intelligi poteſt „manere in illis ira Dei, hoc eſt, ipſa damnatio. Hæc enim vocatur „ira Dei, non divini animi perturbatio: ut in ira ſua, hoc eſt, manente „ira ſua, non tamen contineat miſerationes ſuas, non æterno ſupplicio „finem dando, ſed levamen adhibendo, vel interponendo cruciatibus.“ Apud eundem S. AUGUSTINUM lib. XXI. *de Civit. Dei* caput 24. inſcribitur, *contra eorum ſenſum, qui in iudicio Dei omnibus reis propter Sanctorum preces putant eſſe parcendum*, ubi ita concludit: „Eadem itaque cauſa eſt, cur non oretur tunc pro hominibus æterno igne puniendis, quæ „cauſa eſt, ut neque nunc, neque tunc oretur pro angelis malis: quæ „itidem cauſa eſt, ut quamvis pro hominibus nunc vivis oretur etiam malis: tamen iam nec nunc oretur pro infidelibus impiisque defunctis.“

n. 3. Subdit tamen poſtea: „Sed quibus placet iſtam ſententiam uſque ad illa „impiorum tormenta protendere, ſaltem ſic intelligant, ut manente in eis „ira Dei, quæ in æterno eſt prænuntiata ſupplicio, non contineat Deus „in hac ira ſua miſericordias ſuas, & faciat eos non tanta, quanta digni „ſunt, pœnarum atrocitate cruciari, non ut eas pœnas vel nunquam ſubeant, vel aliquando finiant, ſed ut eas mitiores, quam merita ſunt eo-

Cap. 110. „rum, levioresque patiantur.“ In Enchiridio dicit, non prodeſſe ſacrificia damnatis ad pœnam æternam, ſed ad temporariam, ſeu *qualescunque vivorum conſolationes.* „Eſt enim (inquit) quidam vivendi modus, nec tam „bonus,

Digitized by Google

„ bonus, ut non requirat iſta poſt mortem: nec tam malus, ut ei non „ proſint iſta poſt mortem." Idem vero porro ibi dicit, quod in libro de Cura pro mortuis agenda: „ Quamvis non, pro quibus fiunt, omni- „ bus proſint, ſed iis tantum, quibus, dum vivunt, comparatur, ut pro- „ ſint. Sed quia non diſcernimus, qui ſint, oportet ea pro regeneratis „ omnibus facere, ut nullus eorum prætermittatur, ad quos hæc beneficia „ poſſint & debeant pervenire."

Ex quibus ſententiis quæſtionem hanc *ſi pro omnibus Chriſtianis licitum ſit miſſam celebrare*, reſolvunt AMALARIUS, atque Anonymus *de commemoratione defunctorum* inter monumenta noſtra aliis ſuperadditis auctoritatibus, ac ſcholaſtici fere omnes ad 4. Sentent. diſt. 45. reiecta diſtinctione AUGUSTINI de *Anchora*, PRÆPOSITI, STEPHANI *Cantuar.* CANTORIS *Pariſ.* & quorumdam aliorum de pœna damni vel ſenſus. Vide tamen, quæ S. THOMAS dicat pro defenſione orationis de iis, qui in fide obdormierunt, Supplem. q. 75. a 5. ad 5. quique illum ſecuti ſunt theologi, præſertim, qui B. BIRGITTÆ revelationes *Baſileenſi* ſynodo præcipiente examinarunt; in quibus nempe TRAIANI ab inferis exemtio affirmatur, ut LEQUIEN annotavit.

Lib. IV. de off. eccl. cap. 44.

VII. In vita S. WIBORADÆ narratur aliquid, quod huc pertinet, de mœcha infantem, quem ex adulterio conceptum peperit, in vivarium demergente, ac poſtea pœnitentiam agente, *donec beata Wiborada eam ad ſe vocavit, frenaque afflictionis iam laxanda eſſe indicavit, puerum in refrigerio eſſe.* Quod referens HEPIDANUS apud GOLDASTUM ſubdit: „ Huic „ non erit diſſimile, quod de TRAIANI anima legitur, quia liberata ſit ab „ inferno, GREGORIO dolente pro illo. Nam eius animam ab inferno „ ereptam, atque in paradiſum collocatam eſſe, omnino incredibile vide- „ retur, ipſa veritate dicente: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu* „ *S. non poteſt introire in regnum Dei.* Sed infernus hic per metonomiam „ dicitur id continet, pro eo, quod continetur, ſicut eſt percutere ci- „ vitatem in ore gladii, cum populus in illa habitans percutiatur tendens „ ad hoc: TRAIANUM cruciatibus inferni refrigerium eſſe conſecutum, non „ autem ex inferno eductum." Quod pertinet ad mediam eorum ſententiam, qui etſi ſacrificia & preces damnatis prodeſſe non dicant, ut a pœnis omnino liberentur, quod tamen tolerabilius damnentur, ac refrigerium ſentiant, admittunt. Eius opinionis locum ex ADREVALDO in libro de miraculis S. BENED. c. 21. citat MABILLONIUS, ubi ait, *Floriacenſes* pro animabus prædonum in acie cæſorum preces ad Dominum fudiſſe: *quatenus etſi perpetuis non mererentur abſolvi cruciatibus, ſaltem minoribus multarentur a ſtricto iudice pœnis.* Affert ibidem orationem ex miſſa, pro cu-

An ſaltem mitigentur precibus & ſacrificiis damnatorum pœnæ.

Act. SS. O. S. B. ſæc. V. p. 65.

T. I. Rerum Alem. pag. 217.

Act. O. S. B. ſæc. V. pag. 147.

Ppp ppp 2 ius

Digitized by Google

ius anima dubitatur, in ſacramentario *Gellonenſi*: ***Omnipotens & miſericors Deus, qui habes poteſtatem mortificare, & iterum vivificare, deducere ad inferos & reducere; & vocas ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt; cuius poteſtas in cœlo & in terra, in mari & inferis plena aſſiſtit: te humiles trementesque deprecamur pro anima famuli tui, quam traxiſti de præſenti ſæculo absque pœnitentiæ ſpatio, ut ſi forſitan ob gravitatem criminum non meretur ſurgere ad gloriam, per hæc ſacra oblationis libamina vel tolerabilia fiant ipſa tormenta.*** Differt a *miſſa*, *de cuius anima deſperatur*, ubi poſterior ſententia ſic exprimitur eodem modo, ac apud Pamelium, in citatis manuſcriptis, & in impreſſis adhuc: ***Et ſi ad plenum veniam animæ ipſius obtinere non poſſumus, ſaltim vel inter ipſa tormenta, quæ forſitan patitur, refrigerium de abundantia miſerationum tuarum ſortiatur. Per.***

Quæ magis commodam ferunt interpretationem, quam *Gellonenſis* cô- dicis, ad quem laudatus Mabillonius refert, quod de S. Pachomio ſupra retulimus, cum additione tamen, quæ apud Bollandum expuncta (*T. III. Mai. pag. 336.*) eſt, ne cuiquam offendiculo ſit, etſi in *Græco* legatur; ut tamen aliquid admittere videatur Papebrochius: „Pœnam ſcilicet (inquit) leviorem faciendo: alias nulla eſt in inferno redemtio: quare expungo tanquam præter mentem auctoris, vel Sancti ipſius, qui loquens inducitur, adiecta hæc verba; *& in eam, quæ ſuperne datur, vitam revocare*: nec enim video, quomodo hæc poſſint habere catholicum ſenſum.“ Referri huc poteſt, quod in *Enchiridio* (*C. 112.*) dicit S. Augustinus de ſacrificiis ſive altaris ſive quarumcunque eleemoſynarum: „Quibus autem proſunt, aut ad hoc proſunt, ut ſit plena remiſſio, aut certe tolerabilior fiat ipſa damnatio.“ Et lib. XXI. *de civit. Dei* c. 24. ubi tamen opinionem illam a ſua & eccleſiæ mente alienam pronunciat. Citat etiam Petavius (*Lib. III. de Angel. c. 7.*) nonnulla in eandem ſententiam S. Chrysostomi loca, quemque paullo ante retulimus ex hymno paſchali Prudentii de pœnarum feriis, ac ſic concludit: „De hac damnatorum ſaltem hominum reſpiratione nihil adhuc certi decretum eſt ab eccleſia catholica: ut propterea non temere tanquam abſurda ſit explodenda ſanctiſſimorum Patrum hæc opinio: quamvis a communi ſenſu Catholicorum hoc tempore ſit aliena. Et vero maximum adverſus illam præiudicium eſt, quod nunquam eccleſia pro damnatis orare conſueverit: quod profecto faceret, ſi levari ſaltem illorum cruciatus poſſent; etſi penitus terminari non poſſent.“

De I. III. VII. XXX. &c. pro mortuis agendis.

VIII. Operoſius hæc diſcutienda fuerunt ob miſſam illam ſacramentarii noſtri *pro cuius anima deſperatur*. Nunc ea proſequimur, quæ adhuc

Digitized by Google

huc dicenda reſtant de ſingularibus quibusdam per intervalla diebus pro defunctis peculiariter agi ſolitis, notaturque miſſa in ſacramentariis noſtris in die Depoſitionis, vel III. VII. & XXX. uti in *Gregorianis;* in deſuetudinem autem abiit fere dies tertius, quem etiam deſidero in carmine SALOMONIS epiſcopi ad DADONEM epiſcopum apud CANISIUM, & in bibliotheca Patrum *Lugdunenſi* T. XVI. p. 1303. *T. II. P. III. p. 247.*

Tunc ſanxere diem fieret, quæ ſeptima fratris
Omnes perficere cum prece ſi Agape,
Sic cum veniret, quæ lux Tricena maneret, *For. cum precibus Agapen.*
Ritu conſimili hanc ſtatuere coli.
Annuus utque diem circus revocabit eundem,
Rurſus agunt precibus hoc pietatis opus.

Græci agunt primam obitus diem, tertiam, nonam, quadrageſimam & annuam. Dies tertius ſingulariter celebrandus præſcribitur apud S. HIPPOLYTUM atque in conſtitut. Apoſt. lib. VIII. c. 42. *in pſalmis & precibus ob eum, qui tertio die reſurrexit: item dies nonus, in recordationem ſuperſtitum & defunctorum: atque etiam quadrageſimum iuxta veterem typum &c.* *T. II. Bibl. PP. p. 510.*

Novennalem luctum, ceu ex gentilium conſuetudine reprobat S. AUGUSTINUS. „Neſcio (inquit) utrum inveniatur alicui Sanctorum in ſcriptu„ris celebratum eſſe luctum novem dies, quod apud *Latinos* Novendiale „appellant. Unde mihi videntur ab hac conſuetudine prohibendi, ſi qui „Chriſtianorum iſtum in mortuis ſuis numerum ſervant, qui magis eſt „in gentilium conſuetudine.“ Huius numeri rationem habitam fuiſſe, nuſpiam in ſacris noſtris comperi, ſicut apud *Græcos* hodieque perſeverat; nec etiam diei quadrageſimæ, ut apud eosdem ſervatur, prout iam apud PALLADIUM in hiſtoria *Lauſiaca* aſſignatur: dum tamen in teſtamento S. EPHREM trigeſimus notatur. „Accedite ad me (inquit ille) O fra„tres mei, & extendentes componite me. Nam ſpiritus meus penitus „defecit. Et comitamini me in pſalmis atque orationibus veſtris: & aſ„ſidue pro mea parvitate oblationes facere dignemini: & quando diem „trigeſimum complevero, mei memoriam faciatis. Mortui enim in pre„cationibus atque oblationibus commemorationis Sanctorum viventium be„neficio afficiuntur.“ *Quæſt. 172. in Geneſ.*

Quibus verbis ſimul quotidianam oblationem per iſtos triginta dies innuit. „Habemus ſcriptum (inquit AMALARIUS) in quodam ſacramen„tario, quod officia mortuorum agenda ſunt circa terciam diem, & ſepti„mam & triceſimam. Quod non ita intelligo, quaſi ille, qui tercia die „agere vult officia mortuorum, debeat prætermittere priores duos dies *De Offic. lib. IV. cap. 42.*

 „ſine

„ ſine ſupplicationibus. aut qui ſeptima die, ſex ſuperioribus debeat te„ nere in ocio: aut qui in tricesſima, viginti & novem vacare ocio:" Et antea: „Non opinor ut aliquis velit dicere, quod non liceat nobis ora„ re quotidie & ſacrificium Deo offerre pro mortuis. Quod agitur in „ tercia, & ſeptima & tricesſima die publice agitur, & generaliter ab om„ nibus amicis, ac convenitur ſimul ad hoc in precibus miſſarum, ac „ eleemoſynis & cæteris bonis noſtris." Exempla nobis ſuppetunt id officii continuis diebus præſtiti. Geſta epiſcoporum *Metenſium* recitant de CLODULPHO epiſcopo, quod ipſi ſepulto Clerici eius per triginta dies miſſarum ſolemnibus, orationibus, continuis vigiliis, & pſalmodiis pietatis intuitu, iuſta perſolverint. In vita S. WUNEBALDI legitur: „Poſtquam ſan„ ctum corpus eius ſeptem diebus in terra humatum habebatur, quoti„ die diſcipulus eius presbyter, quem ipſe erudiendo docebat, atque im„ butum in presbyteratus conſecrare fecit gradum: ille & alii presbyte„ ri cum eo totam ſeptimanam illam quotidie, prout illi vires ſufficie„ bant, miſſarum ſolemnia celebrando cantare non deſinebant." Capitulare datum in concilio, cui interfuit S. BONIFACIUS circa an. 744. de trigeſimis mortuorum ſtatuit: „Fideles pro defunctis amicis ieiunia & ob„ lationes triginta diebus adimpleri faciant, & mortuum ſuper mortuum „ non ponant, nec oſſa defunctorum ſuper terram dimittant. Quodſi „ fecerint, canonicæ ſententiæ ſubiacebunt." Sunt illæ Trigentenæ pro mortuis hodieque variis officiis diſcretæ. Inter BERNONIS epiſtolas quinta apud PEZIUM ita præſcribuntur pro HENRICO fratre mortuo ſe abſente: *Vobis itaque in unum congregatis, & meo ſpiritu fraterne rogamus, ut continuos triginta dies computetis, ex quibus nullus intermittatur, quin ſalutaris hoſtia pro eiusdem fratris anima immoletur cum totidem pſalteriis, & vigiliis: ita ut in prima die paſcantur pauperes C. in tertia CC. in ſeptima CCC. in tricesſima CCCC. ut huius millenariæ perfectionis ſumma ibi fiat remiſſio plena, ubi melior eſt dies una in atriis Domini ſuper millia.*

Lib. III. cap. 44. — *Act. O.S.B. ſæc. III. P. II. p. 186.* — *T. I. Conc. Germ. p. 55.* — *T. V. Anec. P. I. p. 209.*

De Trentenario, vulgo S. GREGORII.

IX. Ipſe nobis S. GREGORIUS M. & ex eo IOANNES Diaconus in eius vita enarrat de IUSTO monacho, apud quem tres aurei detecti ſunt extremo morbo decumbentem, quam ſeverum ſe erga morientem ac defunctum exhibuerit, ut tandem eiusdem misereretur poſt triginta dies, evocatum ad ſe PRETIOSUM eius monaſterii præpoſitum ſic affatus: *Diu eſt, quod frater* IUSTUS, *qui defunctus eſt, in igne cruciatur; debemus ei aliquid charitatis impendere, & ei, in quantum poſſumus, ut eripiatur, adiutorium accommodare. Vade itaque, & ab hodierna die continuis triginta*

Lib. IV. dialog. c. 55. Lib. I. n. 15

Digitized by Google

*ta diebus offerre pro eo ſacrificium ſtude: ut nullus omnino prætermitta-
tur dies, quo non pro abſolutione illius ſalutaris hoſtia non mactetur.* Iuſ-
ſa cum Pretioſus executus eſſet, deinceps apparuiſſe narratur Iustus fra-
tri ſuo Copioſo, ereptumque ſe purgatorii pœnis nunciavit. *Fratres ve-
ro*, ſunt verba S. Gregorii, *ſollicite computaverunt dies, & ipſe dies ex-
titerat, quo pro eo trigeſima oblatio fuerat impleta.* Quod iisdem verbis
Ioan. Diaconus in eius vita narrat. Anonymus vero apud Canisium ſub *T.II.P.III.*
tit. de *Gregoriano* cantu paucis tangit: „Memoriam defunctorum trigin- *p. 258.*
„ ta diebus ſacra oblatione agi præcepit, quæ animabus hoc multum pro-
„ ficere certo experimento didicit. Nam cum quidam pro culpis ſuis
„ communione privati abſque reconciliatione de hac vita migraſſent, eius
„ clementia etiam poſt obitum reconciliati, ac triginta dierum ſacroſancta
„ oblatione pro eis oblata, in requiem beatorum ipſis apparentibus, &
„ referentibus recepti ſunt.“ Ortum hinc habuerunt triginta miſſæ gran-
di fiducia dici ſolitæ, quas paſſim reperi, ſed magna diverſitate notatas
in Mſſ. & editis ante decretum ſacræ rituum Congreg. an. 1628. octa-
vo *Aprilis*; quæ *miſſas* eiusmodi, *quæ circumferuntur, prohibuit, & re-
iecit omnino, & damnavit reſpective, & pro prohibitis, reiectis ac dam-
natis haberi voluit.* Idque, ut exiſtimat Papebrochius, ratione ordi-
nis, quo miſſæ alias in approbato miſſali contentæ præcipiuntur recitan-
dæ, hoc modo: *Prima debet eſſe &c.* uſque ad XXX. *de mortuis. Ea-
dem porro ſacra Congregatio*, ſubdit idem Papebrochius, *vel interpella-* *Tom. VII.*
ta a curatoribus eccleſiæ, cui non inutilis erat eiusmodi obſervantia; vel *Maii. Paralip. p. 54.*
*edocta, quam frequenter ſoleant fideles in utraque Germania petere ac te-
ſtamento legare curandum ſibi tricenarium Gregorianum, cum ſua vel alie-
na præſertim defunctorum cauſa anguntur*, declaravit, *paullo poſt publica-
tionem prænotatæ prohibitionis per ſuum iſtud* decretum *non prohiberi miſ-
ſas triginta pro defunctis a S. Gregorio inſtitutas Dialog. c. 55. dicendas,* *Lib. IV.*
*ſcilicet ritu communi de Requiem, quoties ita dici nulla maioris feſti alte-
riusve decreti ratio prohibet.* Agit de his miſſis Benedictus XIII. ſerm.
XX. de purgatorio inter alios, quos citat Benedictus XIV. Inſtit.
XXXIV. ſalvaque pia conſuetudine a S. Gregorio inducta, ut per tri-
ginta dies continuos totidem ſacrificia Deo offerantur pro illius expiatio-
ne, qui e vivis decedit, reiectas dicit triginta miſſas prorſus ineptas, &
rebus haud convenientibus refertas, quas quidam ſine ulla facultate te-
mere confecerit, easque a S. Gregorio appellarit.

In mſc. miſſali ſæc. XIV. vel XV. Biblioth. noſtræ eiusmodi miſſæ per
longum deſcribuntur cum hac rubrica: „Epiſcopus *Curienſis* invenit in
„quodam antiquo libro, ſi quis has XXX. miſſas pro ſe, vel pro alio a-

„ mico

Digitized by Google

„mico ſuo pro quacunque tribulatione celebrare fecerit, aut ipſe dixerit, „infra decem vel triginta dies liberabitur. Prima *Rorate cœli*, ut in An- „nuntiatione &c.“ In mſc. ord. operis Dei ſæc. XIV. ſic prænotatur: „Si „quis has XXX. miſſas, ſicut in textu habentur, ſive pro ſe, ſive pro a- „lio amico, vel pro qualibet neceſſitate, aut infirmitate cantaverit, vel „cantari fecerit, absque dubio Deo miſerante liberabitur. Res probata eſt. „Prima miſſa eſt *Ad te levavi animam meam &c.*“ In miſſali an. 1464. ubi præterea ſequuntur aliæ XLVII. ſub S. Gregorii nomine, ac poſtea *V. aureæ* inſcriptæ, ſic reperi: „Incipit tricenarium miſſarum de vita Chri- „ſti vel votivarum I. *Benedicta ſit Sancta Trinitas.*“ Nulla ibi fit S. Gregorii mentio, de quo ipſo penultima miſſa præſcribitur in notatis a Pabebrochio in conatu chronologico ad catalogum Pontificum miſſalibus an. 1511. per *Iacobum* Mareschal in *Belgio* (*ni fallor*, inquit) & an. 1529. *Cæſaraugustæ* in *Hiſpania* excuſis cum indulgentiis trium annorum, & trium quadragenarum per Innocentium VIII. indultis; atque in altero, quod præ manibus eſt, miſſali imp. cum hac rubrica: „Quod quicunque dixe- „rit, vel dici fecerit, obtinebit plures annos & quadragenas indulgentia- „rum per dominum Innocentium papam datarum. Et primo debet ſa- „cerdos qualibet die, qua ipſe eſt celebraturus, invocare gratiam Spiritus „Sancti, & deinde dicere noct. illius diei. Deinde ſeptem pſalmos pœni- „tentiales cum precibus & ſequentibus orationibus. Poſteaquam vero ce- „lebraverit, dicat vigilias mortuorum. Et hoc omni die cum magna de- „votione & ſuorum peccatorum confeſſione. Aliqui dicunt totum pſalte- „rium uſque ad pſalmum *Dixit Dominus Domino meo*, in veſp. de domini- „ca, & ieiunant omni die. Trentenarii huius in S. Sebastiano *Romæ* „ſunt iſtæ ſequentes. Prima miſſa dicti trentenarii debet eſſe de dominica „Adventus &c.“ Differunt autem, ut in aliis citatis locis.

T. IV. Mai. pag. 91.

De Anniverſariis.

X. In orbitam redeamus dicturi aliquid peculiariter de anniverſariis, quorum eſt antiquiſſima in eccleſia conſuetudo Tertulliano memorata ex- eunte ſæculo II. in lib. de Monogamia: *Et offerent annuis diebus dormitionis eius.* Et de Corona militum: *Orationes pro defunctis pro natalitiis annuas facimus.* Sæc. III. Origenes lib. III. in Iob „Convocantur „(inquit) in anniverſariis diebus memoriæ, vel parentum defunctorum, ſeu „amicorum, ſeu quorumcunque, qui in fide diſceſſiſſent, ſacerdotes ſi- „mul & laici, atque in eo cœtu primum mortuis, quod in fide diſceſſiſſent, „gratulantur, & ſibi pium & tranquillum exitum quisque precatur; poſtea „conferuntur eleemoſynæ, vel oblationes, quæ in pauperes, qui ſimul „tum adſunt, pupillos, & viduas diſtribuuntur.“ Sæc. IV. Gregorius

Naz.

Digitized by Google

Naz. orat. X. in laudem Cæsarii: „Atque alia quidem (inquit) perſolvi-
„mus, alia vero dabimus, anniverſarios honores, & commemorationes
„referentes." Sæc. V. Cassianus idem memorat Collat. I. c. 9. (ubi alia
documenta affert Gazæus) & Coll. XIX. c. 1. Provocatur ad Cassianum
circa hanc rem in vita S. Eigilis Abb. *Fuldenſis*, a Candido monacho
ſcripta, ob anniverſarium Sturmii ab eodem inſtitutum (perennaturum ſci- *Act. SS ord.*
licet) quod inſuetum fuit viſum: „Simili namque conſilio, atque devotio- *S. Bened.*
„ne idem bonæ voluntatis vir anniverſariam Styrmes primi abbatis & *ſæc. IV. P. I.* *p. 240.*
„fundatoris monaſterii *Fuldæ*, & memoriam omnium fratrum noſtrorum
„de hac luce defunctorum in natale ſancti Ignatii martyris Chriſti, qui
„paullo inferius ab hac anniverſaria numeratur, propter interceſſionem
„tanti patroni in miſſarum celebratione pſalmodiis & oratione ſancta ce-
„lebrare ſancivit. Huius rei ſiquidem conſtitutio, dum ſanctæ congrega-
„tioni perlecta eſſet, ac deinde, ſi placeret, interrogatum fuiſſet, reſpon-
„debatur ab omnibus, *Placet.* Sed ne cui fortaſſe hæc celebratio ſuper-
„ſtitioſa, & caſſa eſſe videatur, legat conlocutiones ſanctorum Patrum,
„& ibi reperiet huius feſtivitatis exemplum. Eadem vero die ob reve-
„rentiam tantæ ſolemnitatis ſecundum congruentiam monaſticæ vitæ ad
„victum fraternum cultius quid ſolito, iucundiusque fieri demandavit."
Feſtivitatem nominat anniverſarium hoc, atque innuit iam antea fuiſſe
inſtitutum, ab Eigile abbate ſolemnius celebrari iuſſum reſtituto decreto:
quod ex libello ſupplici monachorum *Fuldenſium* ad Carolum M. colli-
gitur factum, atque unacum vigiliis eo die anniverſario pro Sturmio &
fundatoribus monaſterii integrum etiam abſolutum eſſe pſalterium. In
ſynodo abbatum *Aquisgranenſi* an. 817. ſtatuitur, *ut pro abbate defuncto
anniverſarium fiat officium.*

Quod forſan pro uno duntaxat anno fuiſſe putat Mabillonius in
præfat. I. in ſæc. III. ord. S. Bened. cum tamen non ita multo poſt eo-
dem ſæculo adoleſcente Aldricus, *Cenomanenſis* epiſcopus, ut in geſtis *n. 101.*
ab eius diſcipulis ſcriptis, relatis apud Baluzium, ordinatum legitur, id
continuandum pro ſe ſingulis annis petierit his verbis obteſtatus: „Obni- *T. III. Mi-*
„xe quoque deprecor ſanctum ſucceſſorem meum, quemcunque Domi- *ſcell. p. 91.*
„nus fore voluerit, & omnes ſacerdotes tam monachos quam & Cano-
„nicos ſive cunctos Clericos & laicos in noſtra diœceſi & parochia comma-
„nentes & converſantes, ut in anniverſaria obitus mei per ſingulos an-
„nos diligenter tractent, & fideliter in eis pro me orare ſtudeant, & vi-
„gilias & miſſas devote decantent, ut Domino annuente remiſſionem
„omnium peccatorum meorum & indulgentiam miſericorditer percipere
„merear, & vitam inſuper habere ſempiternam valeam. Amen." Ipſe

Mabillonius ad Amalarium provocat, cuius ſunt hæc verba in lib. tertio de eccleſ. officiis cap. 44. *Anniverſaria dies ideo repetitur, quia neſcimus, qualiter eorum cauſa habeatur in alia vita.* Norbertum porro abbatem *San-Gallenſem* notat, qui anno 1072. mortuus, *primus* inter abbates eiusdem monaſterii *anniverſarium ſuum inſtituiſſe* dicitur in necrologio, quarto Nonas *Septembris*, ut legitur apud Goldastum, ac porro a diebus Manegoldi decani anniverſarios dies cœptos in *Alemannia* ab omnibus utriusque ſexus celebrari circa annum ducenteſimum ſexageſimum ſecundum ſupra milleſimum. „Iſte enim cum conſenſu fratrum „conventualium decrevit, ut omnium eorum, qui monaſterio aliquid „contraderent, anniverſarii diligenter, & ordinabiliter celebrarentur, & „res eorum, quas dediſſent ſive carnales ſive piſcales, quocumque tempore anniverſarius cederet, nihilominus fratribus ſine dilatione darentur, „& memoria donatorum defunctorum tam in eccleſia, quam in refectorio a fratribus cum gratiarum actione pro tantis donis ad Deum & patronos noſtros B. Gallum & Othmarum condigna haberetur." Quod mox ex inſtitutione Eigilis de anniverſaria notavimus, *eadem die ob reverentiam tantæ ſolemnitatis ſecundum congruentiam monaſticæ vitæ ad victum fraternum cultius quid ſolito iucundiusque fieri demandatum*, haud raro inſtitutum legitur, ut apud Goldastum etiam citatum videre licet, ubi magno numero anniverſaria monaſterii S. Galli adducit; atque præſertim in antiquis Calendariis *San-Gallenſibus* paſſim annotatum reperi unum aut duos ſtoupos &c.

T. II. Rer. Alem. p. 148.

In traditione bonorum vergente ſæc. undecimo facta a Wezelone archiepiſc. *Moguntino* id oneris adiunctum: „Ut in unoquoque menſe „(quod tunc a fratribus collaudatum eſt) die vigiliam & miſſam pro „eisdem parentibus ſuis, & omnibus fidelibus defunctis faciant, & ipſa „die unusquisque eorum denarium pro carne, & panem, vel obolum „pro pane, & menſuram bonam optimi vini accipiat. (Et poſtea:) ut „ſemper in anniverſario patris eorum præſcripta caritas illius menſæ fratribus detur, & centum pauperibus Chriſti centum panes albi, centum „alecia, & centum biberes vini tribuantur." Supra de Agapis notavi, id pro pauperibus fuiſſe factum, unde hodieque apud nos nomen obtinet *Spen*, præbenda, eleemoſyna in pane, vino, cibis, pecunia &c. Uſum quarundam eccleſiarum quotidie per annum miſſam celebrandi cum aliis item precibus, nec non uſitatas hodieque vigilias menſtruas memorat iam Amalarius: „Sunt etiam loca, in quibus generaliter pro omnibus defunctis omni tempore, excepto Pentecoſtes, & feſtis diebus in officio veſpertinali & matutinali oratur. Sunt & alia, in quibus miſſa pro iisdem

T. III. Conc. Germ. p. 611.

Lib. IV. de eccl. off. c. 42.

„dem quotidie celebratur. Sunt etiam & alia, in quibus in initio menſis „ novem pſalmi, novem lectiones, totidemque reſponſoria pro eis can„ tantur.“ Idem vulgatus ALCUINUS teſtatur.

XI. De ſocietatibus ſuffragiorum tum pro vivis, tum maxime pro defunctis, quæ hodieque apud Congregationes monaſticas obtinent, exempla complura inter epiſtolas *Bonifacianas* habentur. Quorum ſimplicior antiquiorque uſus ex diptychis repetendus eſt, præſertim inter eccleſiæ præſules. Sic ad S. BONIFACIUM ſcribit SIGEBALDUS rex: „Notum ſit ti- *Epiſt.* 49.
„ bi, quod ex eo tempore nomen tuum adſcriptum habuiſſem, cum miſ„ ſarum ſolemnia celebrarem ſimul cum nominibus epiſcoporum noſtrorum, „ & modo non ceſſo, quamdiu ſubſiſtam; & ſi ſupervixero tibi, cum no„ mine Patris noſtri ERENUALDI epiſcopi tuum adſcribo nomen.“ Sed magis ad rem eſt epiſtola S. BONIFACII ad OPTATUM abbatem *Caſinenſem*, a *Ep.* 106.
quo hanc mutuam confœderationem flagitat ſuum inter *Fuldenſe* ac *Caſinenſe* monaſterium. „Diligenter quoque deprecamur, ut familiaritas frater„ næ charitatis inter nos ſit, & pro viventibus oratio communis, & pro „ migrantibus de hoc ſæculo orationes & miſſarum ſolemnia celebrentur, „cum alternatim nomina defunctorum inter nos mittentur.“ Epiſtola mox centeſima octava inſcripta, *Precatorium memorandi fratrum defunctorum* formulam continet mittendi nomina mortuorum ad ſocios eiuſcemodi: „ Direximus itaque fratrum noſtrorum nuper defunctorum nomina, ut „ eorum in veſtris ſanctis orationibus ſolito more memoriam habeatis, & „ ad cætera deinceps monaſteria eadem nomina ſcripta dirigatis, ſicut & „nos facimus, quoties de vobis, ſive de cæteris monaſteriis defunctorum „fratrum nomina veniunt. Hoc eſt. Et reliqua.“ Quo loco nimirum nomina inſerenda erant. Sic in ſequenti epiſtola, quæ eſt LULLI ſucceſſoris *Ep.* 109.
S. BONIFACII, ad finem habetur: „ Nomina fratrum & amicorum noſtro„ rum tuæ Sanctitati commendantes de hac luce migrantium hæc ſunt. . .“ In epiſtola ÆARDULPHI, *Roffenſis* epiſcopi, ad LULLUM quædam recenſentur nomina: „ Præcedentium quoque nomina propinquorum noſtrorum, *Ep.* 77.
„ id eſt IRMIGI, NOTHTHRY, atque DULICHÆ, omnes Deo dicatæ virgi„ nes, tibi direximus poſtulantes, ut in oblationibus miſſarum, & oratio„ num ſuffragiis habeatis, quia ſimilia vobis ad vicem beneficii rependere „ parati ſumus.“ Eadem in epiſtola eiuſmodi ſocietatis leges pactæ habentur: „ Dum aliquis e nobis, alterius vitæ vias, ut opto, felices prior „ ingrediatur, en ſupervivens ſine mora Miſſis & eleemoſynis itiner illius „ hinc & inde, quantum valeat tueri, ac proſperum facere ſæpius remini„ ſcatur.“

De ſocietatibus initis pro defunctis.

Digitized by Google

Ep. 84. Dado *Harnbacenſis* abbas de ſimili ſocietate ineunda ad eundem Lullum ita ſcribit: „Cum ſalutationis officiis humili prece depoſcimus, ut „iſtam familiam Chriſti & ſancti Petri in veſtra commemoratione ſemper „habeatis, & ipſi pro omnibus amicis noſtris tam epiſcopis & eorum „Clero, quam abbatibus & eorum monachis ſeu & abbatiſſis, vel Deo „dicatis in iſta congregatione ſancti Petri oratores veſtros tam vivos „quam defunctos in veſtra mercede commemorare faciatis, ut in ſacris „orationibus illorum eam aſſidue memorare debeant, quatenus per illo„rum ſuffragia olim optatam adire mereamur ianuam paradiſi.“ Subdit deinde: „Similiter vos deprecamur, ut omnium amicorum veſtrorum „nomina tam vivorum, quam defunctorum per præſentem fratrem no„ſtrum Saganaldum per breve ad nos dirigere faciatis.“ Ex epiſtola Cinchardi epiſcopi *Wintonenſis* ad eundem Lullum diſcimus, id eo ſuggerente initum pactum, ac compleri promiſſum „non tantum in ſpi„ritali orationum ſolatio exhibendo, & miſſarum ſolemnitate celebranda „pro vobis, & pro illis, qui in veſtris regionibus in Chriſti confeſſione „obeunt, ſed etiam ſi qua ſæcularis ſubſtantiæ ſolatia veſtris uſibus pro„futura in his regionibus adipiſci poterimus, veſtræ participationi parata „erunt. Et hoc petimus, ſi qua apud vos ſolamina nobis neceſſaria, „vel ignota ſpiritalis quidem ſcientiæ, ſive in libris antiquis, qui a nobis „non habentur, ſive in aliis eccleſiaſticis adminiſtrationibus, ut nobis li„benter participare non negetis.“ Idem poſtquam petiiſſet de ſæcularis etiam ſcientiæ libris, aliiſque rebus, prout *villoſam* ſibi miſſam deſignat (cuiusmodi miſſitata munuſcula paſſim in amicitiæ & fœderis ſignum occurrunt) ſubdit: „Nomina quoque presbyterorum veſtrorum, diacono„rumque ac monachorum vel monacharum ſive cæterorum, quæ miſiſtis „per monaſteria & per eccleſias noſtræ diœceſis direximus ad celebranda „pro eis miſſarum ſolemnia & orationum ſuffragia. Idipſum facere ve„ſtram ſanctitatem ſuppliciter exoramus pro eis, quorum nomina vobis „habemus dirigenda, & nominatim cum perſonis ſuis ſcribenda, eorum „ſcilicet, qui mihi proprie, atque huic eccleſiæ, cui ſervio, amiciſſimi „vel ſubditi fiebant, vel prælati.“

Facile ſic accreſcebant diptycha mortuorum conſcriptis nominibus, ut ex epiſtola Cudberti abbatis *Wiremmutenſis* ad eundem Lullum diſci-
Ep. 95. mus, numerus item miſſarum viritim indictarum: *Simul etiam nomina fratrum dormientium in Chriſto ſcripta continentur, ita ut pro illis nonaginta & eo amplius miſſas facere præceperim.* Wigbertus *Fritiſlarienſis*
Ep. 83. in *Haſſia* a S. Bonifacio ex *Britannia* accitus abbas idem, qui pro ſanitate Lulli a congregatione monachorum ſuorum *ſingulos pſalterios de-*

can-

cantaſſe, & *ſacerdotes quinas miſſas feciſſe per ſingulos* ſcribit, alia in epiſtola, quæ ſcripta colligitur ab eo iterum (ſi quidem idem eſt) in *Britanniam* transfretante, oneratum cum litteris, & munuſculis ſe innuit eiusmodi negotio, quod & confecerit apud epiſcopos, abbates & amicos, „ veſtram (inquit) communionem & familiæ veſtræ inſtantiam orationum „ ſemper ſe habituros eſſe promittentes: nomenque tuum ut chariſſimorum „ ſuorum in eccleſiis ſuis ſcribentes, memoriamque tui tam viventis, „ quam defuncti iugiter ſe facturos eſſe dicentes &c.“ *Ep. 110.*

Pertinet huc quoque Lulli epiſtola inter *Bonifacianas 62.* qua poſt ſupplicationes pro Pipino, ſuffragia etiam pro defuncto pontifice *Rom.* & duobus laicis indicit: *Miſimus vobis nomen domini Romani epiſcopi, pro quo unusquisque veſtrum* 30. *miſſas cantet*, & *illos pſalmos*, & *ieiunium iuxta conſtitutionem noſtram.* Similiter *pro duobus laicis Meginfrith*, & *Iſraban decem miſſas unusquisque veſtrum cantet.* In ſynodo *Attiniacenſi* an. 762. cui plures epiſcopi *Alemanniæ* cum Lullo interfuerunt, fragmentumque ex ſchedis *Lucæ* Holstenii publici iuris factum, legitur: „Hoc quoque communi cunctorum decreto ſtatuerunt, ut unusquisque „illorum nomina in hoc indiculo ſupter ſcripta reperiuntur, quando quis„libet de hoc ſæculo migraverit centum pſalteria, & presbyteri eo„rum ſpeciales miſſas centum cantent. Ipſe autem epiſcopus per ſe „ XXX. miſſas impleat, niſi infirmitate, aut aliquo impedimento prohi„ beatur: tunc roget alterum epiſcopum pro ſe cantare. Abbates vero, „ qui non ſunt epiſcopi, rogent epiſcopos, ut vice illorum ipſas XXX. „ miſſas expleant: & presbyteri eorum centum miſſas, & monachi centum „ pſalteria pſallere meminerint.“ In ſynodo habita ab Aldrico in urbe *Cenomica* an. 840. ſimul etiam miſſæ præſcriptæ leguntur apud Baluzium pro vivis & defunctis, pro quibus decretum eſt: „ Ut unusquisque no„ ſtrum, dum advixerit, pro ſuis confratribus in anno duodecim cantet „ miſſas cum oblationibus, & reliquis orationibus, & quandocunque no„ ſtrum unusquisque (deceſſerit) Decanus nomina de ſuis iunioribus con„ ſcripta in noſtra per ſingula tempora, ſynodo deferat, & unusquisque „ noſtrum pro illis miſſas compleat duodecim cum oblationibus & reliquis „ orationibus, & vigiliam cum novem pſalmis & totidem lectionibus & „ reſponſoriis, unacum matutinalem ſynaxim fideliter pro defunctis fratri„ bus peragat. *T. VIII. Conc. p. 461.* *T. III. Miſcell. p. 146. &c.*

In miſſis vero, dum recitatio diptychorum obtinuit, conſcriptorum ſingulorum eſt mentio expreſſa. Quoad nos habentur apud Goldastum *Alamanicæ eccleſiæ veteris fraternitates* unacum inſtrumenta, ſeu, *hiſtoria de fratribus conſcriptis*, prout vocari ſolebant, quod eſſent in ſocietatem adſcripti, *T. II. Rer. Alem.*

ſcripti, ſive etiam, quod mos eſſet nomina conſcribi in necrologiis, aut regulæ libello in capitulo legendæ, unaque nomina fratrum conſcripto-
p. 142. rum, ut ibi in inſtrumento an. 908. habetur cum Adalberone epiſco-
p. 143. po *Auguſtano* inito pacto. Id autem ſingulariter eſt pactum cum Conrado *Conſtantienſi* epiſcopo, eo petente, *ut in oratione, quæ omni die fit in baſilica S. Petri ab omnibus pro imperatore & pro cæteris benefactoribus & tutoribus noſtris ei ſpecialiter pro vinculo caritatis pſal.* 142. *canatur, & in eadem miſſa, quæ ibi fit pro defunctis, III. miſſales oratio-*
p. 160. &c. *nes, illo tamen vivo, quaſi eſſet defunctus, agantur.* In Analectis Mabillonii variæ referuntur litteræ ad ineundam ſuffragiorum ſocietatem. Brevis eſt earundem monachorum *S. Galli* hæc forma: *Fratribus in Chriſto dilectis nos fratres de monaſterio S. Galli ſalutem: Intimamus caritati veſtræ obitum fratris noſtri N. defuncti, pro cuius anima ſolitas preces*
p. 418. *agere dignamini.* Apud Goldastum & apud laudat. mox Mabillonium Sindberti epiſcopi & abbatis *Murbacenſis* epiſtola encyclica; poſtea vero recenſentur nomina monaſteriorum, cum quibus ſocietatem habuit ſæc. IX. *Augienſe* monaſterium, copioſiorem autem ex Mſc. *Augienſi* in noſtro Itinere *Alemannico* notavi recenſionem ex codice antiquiſſimo, ſed pro more interpolato. Eo pertinent Commemorationes a *Sylvæ maioris* monachis pro aliarum eccleſiarum alumnis fieri ſolitæ apud Martenium T. I. *Theſ. nov. Anecd.* p. 258. paſſimque hæc in Mſſ. necrologiis, aut S. regulæ codicibus adſcripta leguntur, quoad ſuffragia præſertim pro benefactoribus, abbatibus &c. annuatim perſolvenda. Add. Hæfteni diſquiſ. monaſt. lib. VIII. Tract. I. diſquiſ. 4.

De commemoratione annua omnium fidelium defunctorum. C. 23.

XII. Demum aliquid adiiciendum de ſolemni omnium fidelium commemoratione annua. In regula S. Isidori ſtatuitur: *Pro ſpiritibus defunctorum altera die poſt Pentecoſten ſacrificium Deo offeratur, ut beatæ vitæ participes facti purgatiores corpora ſua in die reſurrectionis recipiant.* Alia exempla affert Martenius lib. III. c. 23. de antiquis monachorum ritibus, apud quos poſt Pentecoſten conſuevit annua commemoratio fratrum & benefactorum inſtitui, de qua modo res non eſt. Nec etiam aliquid ex loco Amalarii capite ſexageſimo quinto antiphonarii concludi poteſt, ubi ſic loquitur: *Poſt officium omnium Sanctorum inſerui officium pro mortuis: multi enim tranſierunt de præſenti ſæculo, qui non illico Sanctis coniunguntur, pro quibus ſolito more officium agitur.*

Communiter inſtitutio ſolemnis commemorationis omnium fidelium proxima poſt feſtum omnium Sanctorum die (quam hodieque *Græci* agunt ſabbato ante dominicam τῆς ἀπόκρεω, quæ Septuageſimæ vel Sexageſimæ noſtræ

noſtræ reſpondet) tribuitur S. Odiloni, *Cluniacenſi* abbati, quem circa finem ſæc. X. S. Maiolus ſibi ſucceſſorem ſubſtituit. Sic vero Petrus *Damiani* in vita S. Odilonis: „Venerabilis Pater Odilo per omnia mo„naſteria ſua conſtituit generale decretum, ut ſicut primo die menſis *No-„vembris* iuxta venerabilis eccleſiæ regulam omnium Sanctorum ſolem„nitas agitur, ita ſequenti die in pſalmis & eleemoſynis, & præcipue miſ„ſarum ſolemniis omnium in Chriſto quieſcentium memoria celebretur.“ Apud Ioannem *Abrincenſem*, qui ſcripſit ſæc. XI. iam fixa legitur ea commemoratio: „In craſtino omnium Sanctorum, fiat feſtiva celebratio „omnium mortuorum, in qua non dicatur hymnus aut Invitatorium. Bi„ni clerici cantent unumquodque reſponſorium, duo regant chorum, „duo cappati gradale, quatuor cantent tractum. Matutinæ & horæ diei „nullo modo prætermittantur, ſed has ferialiter dictas agenda mortuo„rum feſtiva ſequatur. Prima dicta, tres pſalmi, ſcilicet, *Ad Dominum „cum tribularer &c. Levavi, Lætatus ſum*, in tono dicantur, & verſu „dicto *Kyrie eleiſon* cantetur. Oratione dominica finita cum primo tan„tum cap. *Requiem æternam*, oratio ſequatur. Eodem modo in cæte„ris horis, exceptis (ſ. veſperis) & matutinis.“ *De eccleſ. offic. p. 81.*

Unde patet, ſimul cum officio diei ſingulis horis canonicis officium aliquod pro defunctis adiunctum fuiſſe. Integrum vero officium eius diei fidelibus defunctis fuiſſe accommodatum, de multis eccleſiis annotavit Martenius de antiqua eccleſ. diſciplina c. 34. Sicque in reformatione breviarii *Cluniacenſis* inſtitutum eſt, prout etiam habetur iam in breviario Congr. SS. Vitonis & Hydulphi 1759. edito, præſide tunc Congregat. doctiſſimo *Remigio* Ceillier: quod nihil differt ab officiis aliorum feſtorum in hymnis, canticis, capitulis, reſponſoriis brevibus, *Deus in adiutorium*, *Gloria Patri &c.*

Quorum rationem reddit De-Vert, *Cluniacenſis* theſaurarius in epiſtola de novo breviario *Cluniacenſi*, in quo is plurimum laboravit. Aliter tamen olim fuiſſe obſervatum, diſcimus ex Ioanne *Abrincenſi*, atque etiam apud nos ex impreſſo directorio diœceſis noſtræ *Conſtantienſis*, cuius hic ſtudioſe meminimus, quia rara eſt editio ſæc. XV. nihilque de hoc officio in aliis noſtris monumentis liturgicis occurrit, nec quidem omnino aliquid de commemoratione omnium fidelium hac die in mſc. ordine operis Dei monaſterii noſtri, ſæc. XIV. licet a tempore uſque S. Hugonis peculiaris ſocietas, ſeu confœderatio *Cluniacenſem* inter ac noſtram congregationem interceſſerit. Ex citato igitur directorio *Conſtantienſi* hic integrum exſcribam officium, prout habetur poſt feſtum omnium Sanctorum. „In „craſtino omnium animarum feſtum agitur. Ad matutinum ebdomada-

„rius

Digitized by Google

„ rius incipit: *Oremus pro omnibus fidelibus defunctis.* ℟. *Requiem æ-*
„ *ternam.* Sequitur, *Circumdederunt me.* Pſ. *Venite exultemus.* Ant.
„ *Dirige*, cum reliquis, ut habentur in mortuorum vigiliis. Et quilibet
„ pſalmus concluditur cum *Requiem æternam.* Lectiones, *Quando celebra-*
„ *mus.* quæ concluduntur cum *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.*
„ ℟. recipiuntur ſicut habentur in vigilia. Evang. Ant. *Ego ſum.* que an-
„ tiphona duplatur. Sequitur *K. X. K. Pater noſter. Et ne nos.* Verſi-
„ culus, *A porta inferi.* ℣. *In memoria eterna.* ℣. *Requiem eternam.*
„ ℣. *Requieſcant in pace.* ℣. *Domine exaudi orationem meam. Dominus*
„ *vobiſcum.* Oratio. *Fidelium Deus omnium.* Sequitur pſ. *Domine ne in*
„ *furore*, primus. Deinde pſ. *Ad Dominum cum tribularer.* Pſ. *Levavi*
„ *oculos.* Pſ. *Letatus ſum.* ℣. *Requiem eternam.* Oratio. *Fidelium Deus.*
„ Ad Primam pſalmi leguntur indirecte absque ymnis absque *Gloria Patri.*
„ ℣. *Requiem eternam. K. X. K. Pater noſter.* ℣. *A porta inferi.* ℣. *In*
„ *memoria.* ℣. *Requiem eternam.* ℣. *Requieſcant in pace.* ℣. *Domine*
„ *exaudi orationem. Dominus vobiſcum.* Oratio. *Fidelium Deus.* Sic fit
„ per reliquas horas, *Credo in Deum* prætermiſſo. Sequitur penitentialis
„ pſ. *Beati quorum.* Pſ. *Ad te levavi.* Pſ. *Niſi quia Dominus* Pſ. *Qui*
„ *confidunt.* Illis coniunctim lectis ſequitur ℣. *Requiem.* Oratio. *Fidelium.*
„ Ad Tertiam, ut ſupra dictum eſt. Penitentialis *Domine ne in furore* ſe-
„ cundus. Pſ. *In convertendo.* Pſ. *Niſi Dominus edificaverit.* Pſ. *Beati*
„ *omnes.* Ad Sextam duo ſequentes dicuntur penitentiales, ſcilicet *Miſe-*
„ *rere*, & *Domine exaudi orationem.* Primus pſ. *Sepe expugnaverunt.*
„ Pſ. *De profundis.* Pſ. *Domine non eſt.* Ad Nonam duo ultimi peniten-
„ tiales recipiuntur pſalmi: ſcilicet *De profundis.* Et, *Domine exaudi*
„ *orationem meam.* Pſ. *Memento.* Pſ. *Ecce quam bonum.* Pſ. *Ecce nunc*
„ *benedicite.* Sequitur publica miſſa. *Requiem.* cum ſola collecta *Fidelium.*
„ Poſt miſſam, ut ſolitum eſt, viſitantur ſepulchra. In ſecundis veſp. *Vir-*
„ *gam virtutis.* Evang. an. *Domine Deus virtutum.* Sequitur veſp.
„ mortuorum. *Placebo.* cum reliquis. Sequitur Completorium de omni-
„ bus Sanctis.

Kyrie, Christe, Kyrie.

INDEX

Digitized by Google

INDEX RERUM

SECUNDÆ & TERTIÆ PARTIS.

Lit. *i.* denotat initium, *m.* medium, *p. i.* poſt initium, *c. m.* circa medium, *p. m.* poſt medium, *c. f.* circa finem, *f.* finem paginæ. *p. t.* integram pag.

A.

Abbates quandoque conſecrati per manus impoſitionem. 509. *f.*
Abbatiſſis prohibitum eſt, benedicere aut manus imponere. 537. *i.*
Abrenuntiationem inter, & renuntiationem differentia. 430. *i.*
Abrenuntiationum in baptiſmo uſus antiquiſſimus. 428. *m.*
Abſolutio defunctorum. 1011. *c. f.*
Abſolutio non adeo facile concedenda pœnitentibus. 461. *m* 462. *i.* 477. *c. f.* Eius forma deprecativa iuxta quosdam. 461. *f.*
Abſtinentia a carne olim in dominicis Quadrageſimæ non obſervata. 949. *m.* eius obſervantia in V. T. 949. *c. f.* in *Alemannia* fuit diverſa. 949. *f. ſeq.* 952. *c. f.* qualis apud monachos invaluerit? 951. *ſeq.* Mirum abſtinentiæ exemplum. 951. *p. i.*
- - A vino etiam Clericis præcepta. 950. *c. f.*
Adalberti doctrina perverſa circa abſolutionem pœnitentibus dandam; 462. *p. i.* 469. *p. i.* eius errores ſuperſtitioſi a Conc. *Romano* & *Sueſſion.* damnati. 512. *m*
Alemanniæ Rex *Mediolani* recipere coronam tenebatur. 544. *f.*
in *Albis* Dom. quare & quomodo alias dicta? 970. *i. ſeq.*
Alleluia cantatur diverſimode in diverſis locis. 940. *i.* quando & quare deponatur? 936. *c. f.* 940. *i.* quando unum aut plura cantata? 972. *p. i.*
Altare portatile dictum olim *Itinerarium minus.* 523. *c. m.*
Angariæ unde dictæ? 980. *p. i.*
Angeli cuſtodes invocandi ad fugandos dæmones. 763. *p. i.*
Anni eccleſiaſtici initium olim a vigilia Natalis Domini, 837. *i.* nunc autem ducitur ab Adventu Domini. 930. *i.*
Anniverſaria dies ſolito lautius ad menſam celebrata. 1041. *m.* 1042. *i.*
Anniverſaria aliquando perpetua. 1041. *c. f. ſeqq.* Eorum antiquitas, 1040. *c. f.* & origo in *Alemannia.* 1042. *p. i.*
Annuntiationis B. V. feſtum quando celebratum in *Hiſpania*, 959. *i.* & apud *Romanos*? 960.
Antonius (S.) Abbas dæmones verberibus pellit. 746. *c. m.*
Apologia dicitur confeſſio. 469. *i.*
Aqua baptiſmalis quo ritu olim benedicta? 436. *c. m.* ad quem uſum alium inſerviat? *ib. c. f.*
- - Ad exorcizandum adhibita. 737. *m.*
- - In vigilia Epiphaniæ ut benedicatur, quis inſtituerit? 439. *m.* quo ritu benedicatur hac die ab Orientalibus? 439. *c. f.*
- - *luſtralis* ſparſa antiquitus ſuper prata, pecora, domos, cibos &c. 524. *p. t.*
Arnaldi (*Antonii*) de reducenda veteri diſciplina ſententia. 476 *c. f.*
Arreptorum a dæmone deſcriptio. 640. *c. m.*
Aurium apertio quo ritu peracta? 427. *c. m.*

B.

Baculorum uſus in proceſſionibus. 991. *c. f.*
Bannitum ieiunium quale? 969. *m.*
Baptiſmus olim per trinam immerſionem ſub una SS. Trinitatis invocatione, 444. *c. f.* & quidem adhuc ſæculo XIV. & XV. in *Alemannia*, 419. *i.* 445. *c. f.* in *Hiſpania* vero per unam immerſionem fuit collatus, *ib. i.* in Paſchate præſertim & Pentecoſte, 437. *p. t.* ac Epiphania D. 438. *i.* aliisque feſtis ſolemnioribus, 442. *p. i.* in caſu neceſſitatis autem quovis tempore. 442. *m.* Orientales hodiedum baptizant ſolemniter in Epiphania D. 419. *f.* quod alibi evidenti miraculo comprobatum, 440. *i.* ab aliis vero temeritati deputatur. *ib. c. m.*
- - Eius cærimonias quinam deſcribant? 418. *m.*
- - Formæ diverſæ. 444. *i.* in baptiſmo dubio conditionata eſt adhibenda. *ib. c. m.*
- - Eius miniſter ordinarius olim ſolus Epiſcopus, 443.

R rr rrr

443. p. i. *Romæ* vero iuſſu Papæ etiam Cardinales in ſuis titulis. *ib. m.*
Baptiſmus gravidæ non prodeſt naſcituræ proli. 442. *c. f.*
Baptiſteriorum in parochiis origo, 434. *c. m.* & forma. 435. *c. m.*
Baptizandi corpus totum a *Græcis* perungitur. 426. *c. f.*
Baptizandi ſunt, de quorum baptiſmo per teſtes non conſtat. 443. *c. f.*
Baptizatis antiquitus etiam alia nomina quare impoſita? 423. *m.* & Miſſæ pro iisdem ſunt lectæ? 971. *c. m.*
Benedictionem aquæ in pervigilio Epiphaniæ D. quis inſtituerit? 439. *m.*
Benedictus (S.) verberibus fugavit dæmones. 746. *m.*
Bernardi (S.) reliquiis dæmon fugatus, 762. *p. i.*
Bonifacii (S.) Martyris ſententia de ſacrificio pro mortuis. 1025. *p. i.*
Boso Ep. *Conſtantienſis* S. Galli corpus de ſepulchro ab hoſtibus eiectum ſecundo tumulo intulit. 545. *m.*
Breviarii nomen unde? 796. *c. m.* 797. *i.*
Burchardus (S.) oſſa S. Kiliani & ſociorum MM. e tumulo levat. 545. *f.*

C.

Cadaverum lotio. 1014. *c. m. ſeq.* pſalmodia ad eadem. 1013. *i. ſeq.*
Campanæ ſonus ad agoniam moribundi. 1012. *m.* easdem benedicendi antiqua conſuetudo. 743. *p. m.*
Campio idem ac duellum. 556. *c. f.*
Canonizationis ſolemnis veſtigium primum in S. Udalrico. Ep. *Auguſtano.* 549. *p. t.*
Capitulavium quid? 431. *c. m.* quando adhibitum? *ib.* & 435. *f.*
Carena ſeu *Carina* quid denotat? 478. *f.*
Caroli M. Canonizatio dubia. 890. *c. m.* Eius ieiunandi ratio. 954. *c. f*
Caſula quando induatur? 956. *m.*
Catechumenorum diſciplina, 421. *p. t.* inſtructio, 431. *c. f.* 432. *i.* & pœnitentia qualis? 420. *i.*
Cerei paſchalis benedictio cui auctori adſcribenda? 529. *p. t.* ad fugandos dæmones is fuit adhibitus. 745. *i.*
Cerei Neophytis dati quid ſignificent? 452. *m.*
Cereorum benedictio quando & a quo inſtituta? 995. *i.* eorum ad ſepulturam uſus antiquiſſimus. 1018. *p. t.*
Certamen adverſus dæmones oportet eſſe continuum. 593 *c. m.*
Chriſmale, 453. *f.* ad iudicium faciendum adhibitum. 559. *c. m.*
Chriſmatio a presbytero in vertice, ab epiſcopo fit in fronte: 447. *c. m.* an olim duplex adhibita? 446. *c. f.* 447. *i.*
Chriſtianorum in dæmones poteſtas ex Tertulliano. 699. *m.*
Christophori (S.) cultus ſuperſtitioſus unde ortus? 690. *p. m.*
Chriſtus *invictus Sol*, qui devicit diabolum, 791. *c. f.* a diabolicis inſidiis purgavit aerem. 702. *p. i.* Cur a diabolo voluerit tentari? 565. *p. m.* nec omnino huius extinxerit poteſtatem? 567. *f.* 580. *p. i.* 791. *c. f.*
Chrysostomi (S.) inſignis locus de poteſtate dæmonum. 703. *c. f.*
Chunegundis (S.) iudicium ferri candentis ſubit. 557. *m.*
Cineres ſolis olim pœnitentibus impoſiti. 460. *i.* Eorum receptio quando in communem uſum abierit? 526. *m.*
Ciſtercienſes extremam unctionem præmittunt viatico. 487. *i.*
Clauſum Paſcha quid? 971. *i.*
Clerici acta pœnitentia priſtino gradui poterant reſtitui, 476. *c. m.* duello etiam ſe purgabant, 559. *i.* rationem muneris ſui quotannis reddere debent epiſcopis. 949. *c. m.*
- - iuvenes presbyterorum *nutriti* dicti. 501. *m.* in Cœna Domini (Fer. V.) alias dies indulgentiæ dicta. 964. *p. m.*
Cœnulæ, ſeu collationis origo. 954. *p. i.*
Cogitationes malæ & a nobis ipſis, & a dæmone oriuntur. 620. *c. f.*
Collectæ unde & quando dictæ? 989. *f.* 990. *i.* & *c. m.*
Commemoratio ſolemnis omnium defunctorum S. Odilonem auctorem habet. 1047. *i.*
Commixtio ſalis & aquæ in benedictione aquæ luſtralis ad precem ipſam pertinet. 525. *m.*
Communio ſacra olim duplex, 481. *m.* ſingulis diebus dominicis ſumenda monachis præſcribitur, 928. *c. m.* cur damnatis ad mortem denegata? 491. *p. i.*
Competentium Paſcha quale? 431. *c. m.*
Completorium quomodo ſit olim celebratum? 808. *p. i.*
Concordia Miſſarum cum evangelicis lectionibus. 976. *f.* 977. *i.*
Confeſſarius quomodo ſe gerere debeat cum pœnitente verecundo, 470. *c. f.* non ſit adeo facilis in concedenda abſolutione. 461. *m.* 462. *i.* 477. *c. f.*
Confeſſionem laicis trinam olim in anno deponere iniunctum, 469. *f.* monachis vero eſt præceptum, ut ſingulis Sabbatis confiteantur Priori ſuo. 465. *p. i.*

Con-

Confeſſoris vocabulum admodum vagum. 501. *p. m. ſeqq.*
Confirmatio diſtinctum eſt Sacramentum. 448. *p. i.* Eius neglectus culpa non vacat. 449. *m.*
Conrado (S.) cultus publicus delatus ſæc. XII. 549. *f.*
Cordis cuſtodia firmum adverſus dæmonem præſidium. 566. *f.* 567. *i.*
Corporis Chriſti (SS.) feſtum quo tempore & quo auctore fuerit inſtitutum. 874. *f.*
Crimina canonica 456. *i.*
Crux ſuper altari quando & cur cooperiatur? 962. *i.*
- - Eius iudicium in quo conſtiterit? 558. *c. f.* prohibitum a Ludovico *Pio.* 559. *i.*
- - myſterium in exorcizandis energumenis adhibitum 722. *c. f.*
- - ſignum ſcutum inexpugnabile adverſus dæmones. 670. *c. m.* 725. *p. m.*
Cruces in proceſſionibus *Stationales* dictæ. 990. *c. f.*
Cypriani (S.) inſignis de dæmonurgia locus. 780. *p. m.*

D.

Dæmon diverſimode a SS. PP. nuncupatus, 627. *c. f.* 630. *i.* auctor perſecutionum eccleſiæ, 577. *p. t.* ſchiſmatum ac ſectarum pater, 578. *c. m.* orationis inimicus, 614. *c. m.* princeps huius mundi, 568. *c. m.* 569. *p. t.* ſalutis auctor licet reluctans, 582. *p. i.* 597. *c. m.* 599. *i.* adveniente Chriſto amiſit dominatum. 563. *f. ſeqq.* adhucdum tamen homines ad peccatum allicit diverſimode, 562. *c. f.* 564. *p. i.* 572. *p. i.* 612. *p. i.* 625. *i.* & ſecundum uniuscuiusque temperamenti qualitatem, 579. *c. m.* homines in deſperationem coniicere ſtudet, 787. *p. i.* morituris præcipue infeſtus, 618. *p. i.* Deo id permittente. 596. *c. f.* 599. *c. f.* 600. *p. t. ſeqq.* 606. *p. i.* cur Chriſtum tentaverit? 565. *f.* quomodo terram circuire dicatur? 564. *f. ſeqq.* quare non formidandus? 573. *c. m.* 575. *c. m.* 593. *p. m.* ſed deſpiciendus? 589. *p. t.* & quomodo vincendus? 590. *p. t.* 591. *c. ſeqq.* 626. *c. m.*
- - Eius arma quæ? 587. *c. m.* & poteſtas in corpus humanum? 596. *p. i. ſeqq.* per peccatum acquiſita, 697. *p. i.* cur conceſſa a Deo? 596. *c. f.* & qualis? 570. cur non omnino per Chriſtum extincta? 567. *f.* 580. *p. i.* 791. *c. f.*
- - Eius colloquium cum Deo quomodo exponant SS. PP. 565. *c. m.*
- - Eius variæ inſidiæ, ac technæ, 596. *p. i.* 656. *p. i.* ſimulque implacabilis nocendi cupido. 602. *f.* 603. *p. i.*
- - Illo eiecto curandum, ne revertatur. 785. *i.*
Dæmones metuunt cultores Dei. 748. *i.* diverſimode ex obſeſſorum corporibus eiciuntur, fractis eorum viribus, ac artibus. 697. per integrum Caput II.
- - Eorum quis ortus iuxta Veteres? 562. *f.* & quænam operationes? 563. *c. m.*
Δαίμων, δαιμόνιον voces antiquis Philoſophis vagæ. 563. *p. i.*
Damnatis ad mortem cur communio negata? 491. *p. i.*
Dedicationis eccleſiarum primordia. 518. *m.*
Diaconi a Subdiaconis per manus impoſitionem diſtinguuntur, 504. *p. i.* alibi etiam oleo ſacro & Chriſmate inuncti. *ib. f.*
Diaconiſſarum origo. 505. *c. f.* Earum ordinatio per manus impoſitionem quo ſenſu peracta? *ib. i.* Earum officia. *ib. f. & ſeqq.*
Dominicæ reſurrectionis nomine non ſemper venit dies Paſchæ. 496. *c. m.*
Dominicarum poſt Pentecoſten numerus apud diverſos diverſus. 975. *i. ſeqq.*
Donarium alba Neophytorum veſtis. 453. *p. i.*
Duello etiam Clerici & monachi ſe purgabant. 559. *i.*

E.

Eccleſia non ſerviat pro ſepultura ex decretis Conciliorum. 1020. *m.*
Eccleſiæ ſumma in dæmones poteſtas. 697. per totum Cap. II.
Eccleſiæ quando primum dedicatæ? 518. *m.*
Electi per dæmonum inſultus probantur. 582. *p. i.*
Eleemoſyna quando data? 962. *m.* 963. *i.*
Elevationes Sanctorum in ſynodis decretæ. 547. *p. i.*
Encratitarum error. 952. *f.*
Energumeni 631. *f.* quomodo antiquitus nuncupati? 634. *c. m.* & *ſeqq.* infirmorum oleo ſunt inuncti, 484. *c. m.* & ad Euchariſtiam admiſſi. 711. *c. f.* aut hæc eorum capitibus fuit impoſita. 763. *c. m.* Eos diſcernendi criteria. 635. *c. m. ſeqq.*
Epaonenſis Concilii decretum pœnitentiæ benedictionem nonniſi viduis converti cupientibus impertiendam decernit. 536. *c. f.*
Epiſcopæ an a maritis epiſcopis nomen ſortitæ? 506. *c. m.*
Epiſcopi neoordinati per 30. vel 40. dies ex eadem oblata communicabant olim. 509. *c. m.* Eorum ordinationi triduanum ieiunium aliquando præmiſſum. *ib. m.*
Evangeliorum codices in proceſſionibus portati. 996. *p. i.*

Euchariſtia in Cœna Domini olim ſero a pranſis ſumi ſolita, 849. *m.* mortuis ad ſepulturam fuit tradita. 1016. *m.*
Euchariſtiæ purgationem ſubiit Gregorius VII. 559. *m.*
Eudo *de Stella*, ſeu Eon, *Anglus* Meſſiam ſe venditavit. 518. *p. i.*
Exorciſmi inſtante periculo baptizatis adhibendi. 426. *f.* eorum in baptiſmo origo, 424. *c. m.* & virtus. 425. *p. t.* eorum clauſula diverſa a communi. 518 *p. i.*
Exorciſmi varii ad energumenos liberandos. 714. *i. ſeqq.* 743. *c. f.*
Exorciſtarum functiones. 708. *m.* & cautelæ ab iisdem obſervandæ. 772. *ſeqq.*
Exorcizo vocis huius varii ſignificatus. 705.
Exſufflationis in baptiſmo antiquiſſimus uſus. 425. *c. m.* nec vanus aut fruſtraneus. *ib. m.*
Extrema unctio infirmis in eccleſiam deportatis miniſtrabatur olim, uti hodie apud *Græcos*. 486. *c. m.* quandoque ſub unica formæ prolatione. 485. *f.* cur hodie poſt viaticum miniſtretur? 485. *f.* 487. *i. Ciſtercienſes* contrarium obſervant uſum. 487. *p. i.*

F.

Faſcia Neophytorum. 453. *c. f.*
Fermentum in liturgia quid denotat? 963. *c. m. ſeqq.*
Feſta Sanctorum quo ritu celebranda? 835. *i.* non ſunt multiplicanda. 803. *p. i.* olim fuere ab Epiſcopis, 548. *i.* imo & ab Abbatibus decreta, 548. *i.* in Quadrageſima non celebrata, 958. *c. f. ſeq.* ſed tranſlata fuere. 959. *m.* & *f.* quænam adhucdum obſerventur in Occidente? 960. *m.*
Feſta Virginum olim non plene agebantur temp. paſchali, 972. *m.*
Fides, firmiſſimum, adverſus dæmones præſidium, 776. *i.* requiritur tam in exorciſta, quam in energumeno ad expellendos dæmones. 783. *m.*
Flagellatio propria genus redimendi pœnitentias. 476. *i.*
Flectamus genua quando dicatur? 950. *c. f.*
Forma conditionalis in baptiſmo dubio adhibenda. 444. *c. m.*
Francici ſolidi valor. 480. *m.*

G.

Galli (S.) corpus a Bosone Ep. *Conſtantienſi* ſecundo tumulo illatum. 545. *m.*
Genius malus & bonus quomodo inter ſe dignoſcantur? 582. *f.* 583. *p. t.*
Gerardi (S.) Ep. *Tullenſis* canonizatio ſolemnis. 549. *c. f.*
Gloria laus &c. huius hymni quis auctor? 995. *c. f.*
Gregorius VII. Euchariſtiæ ſubiit purgationem. 559. *m.*
Gregorius (S.) Thavmat. ſolo anhelitu expellit dæmones. 746. *i.*

H.

Hebdomas ſancta unde ſic dicta? 967. *p. i.*
Homicidium pœna pecuniaria olim erat luendum. 480. *c. m.*
Homiliæ cum evangelio in vigiliis defunctorum olim recitatæ. 1023. *c. f.*
Homo quomodo dici poſſit ſatanas? 629. *p. i.* cur a ſpiritibus immundis quandoque corripiatur? 637. *p. t. ſeqq.*
Homo malus vas diaboli. 574. *f.*
Hymni *Te Deum laudamus* quis auctor? 817. *p. i.*

I.

Ieiunium ad veſperam uſque obſervatum, 953. *p. t.* Quoties in anno? 967. *m. ſeqq.*
- - Feria quarta, & ſexta antiquitus in tota eccleſia catholica præſcriptum, 921. *c. m.* 922. *c. m.* & Sabbato in eccleſia *Romana*. 926. *p. i.*
- - Quatuor temporum quotuplici nomine ſignetur? 980 *p. i.* quomodo celebratum? 981 *c. f. ſeqq.* & quando certo tempori fuerit affixum? 985. *p. i. ſeq.* quare inſtitutum? 495. *c. f.* 979. *m. ſeq.* & præceptum? 981. *c. m.*
- - quadrageſimale quando incipiat? 945. *p. i. ſeq.* apud *Græcos*, 941. *f. ſeq.* apud *Romanos*, 942. *ſeq.* 961. *m.* apud Clericos, monachos &c. 943. *c. f.* ab hoc ieiunio olim immunes fuiſſe videntur feriæ quintæ. 947. *m. ſeq.*
- - in feſto S. Marci. 1004 *p. m.*
- - triduo Rogationum inſtitutum fuit a S. Mamerto. 1003. *c. f.* 1004. *i.*
- - prohibitum fuit tempore paſchali. 973. *i.*
- - rigidiſſimum dæmoniacis præſcribitur, 772. *c. m.* quo ſæpius eiecti ſunt dæmones. 770. *m.*
Ignis ex cryſtallo excuſſi benedictio feria quinta in Cœna Domini, 527. *c. m.* alibi ſingulis tribus diebus notatur. 528. *p. i.*
Incredulitate impeditur eiectio dæmonum. 782. *m.*
Indulgentiæ lapſis ob preces Martyrum datæ diverſæ erant a noſtris, 481. *p. i.* quæ ortæ ſunt ex redemtionibus pœnitentiarum. 481. *p. i.*
- Earum multitudo diſciplinæ eccleſiaſticæ ruina. 482. *c. f.*
- - dies quinam dicti? 964. *m.* 965. *i.*
Infirmi quomodo condigne ſatisfacere queant? 465.

Digitized by Google

465. *m.* pœnitentia iisdem mitiganda quidem, ſed condigna eſt ſignificanda. 465. *m.*
Infirmorum oleo etiam energumeni ſunt inuncti. 484. *c. m.*
Inſidiæ dæmonum. 596. *p. i.*
Interſtitia minorum ordinum. 501. *p. t.*
Ioannis *Damaſceni* oratio de iis, qui in fide obdormierunt, an ſit genuina? 1032. *i.*
Ioviniani circa pœnitentiam hæreſis. 456. *c. f.*
Itinerarium minus, ſeu altare portatile. 523. *c. m.*
Iudæi prohibetur quæcunque communicatio cum Chriſtianis in ſacro triduo ante Paſcha. 849. *p. i.*
Iudicium Dei, ſeu purgatio vulgaris. 553. *i.*
Iumenta hominum cauſa a diabolo quandoque corripiuntur. 751. *i.*

K.

Kiliani (S.) oſſa a Burchardo e tumulo levata. 545. *f.*

L.

Lac B. V. aſſervatum *Verduni* dicitur lac vaccæ benedictum in honorem B. V. 534. *c. f.*
Lac & mel cum SS. Sanguine præbebatur infantibus. 451. *c. f.*
Laici trinam in anno confeſſionem deponere olim iuſſi. 469. *f.*
Le-Quien quid ſentiat de oratione Ioannis *Damaſceni* de iis, qui in fide obdormierunt. 1032. *p. t.*
Letania maior quando fuerit dicta? 1000. *p. i.* Eius antiquitas. *ib p. m.*
Letaniæ menſtruæ. 998. *f.*
Letaniarum variarum, 993. *p. t.* antiquus, 992. *i.* & frequens uſus. 955. *c. m.*
Liturgiæ antiquæ & novæ compilatores. 494. *m.*
Lotio mortuorum. 1014. *m.* preces ad eandem. 1015. *i.*

M.

Mala phyſica unde ſuum ortum trahant? 658. *c. m.*
Mammertus (S.) ieiunii in triduo Rogationum auctor. 1003. *f.*
Manus impoſitione dæmones expulſi. 755. *p. m*
Mariæ (S. V.) adverſus dæmones tutela. 764. *m.*
Martini (S.) in dæmones poteſtas. 753. *c. f.*
Matrimonium non ſecreto contrahendum. 514. *c. f.*
Mediana Dominica quæ dicatur? 961. *m.*
Meditatione verbi divini pelluntur dæmones. 774. *p. m.*
Miſſa præſanctificatorum in Paraſceve. 855. *i.* in hac vinum per commixtionem Corporis Domini non conſecratur, ſed ſanctificatur tantum. *ib.* & 857. *i.*
Miſſæ pro infirmis, & agonizantibus, 1009. *i.*
- - pro defunctis iam S. Augustini ævo fuere in uſu, 1025. *m.* olim duæ in defuncti ſepultura dictæ. 1019. *p. i.*
Mœrore ſuperantur, quoscunque ſuperat dæmon. 775. *i.*
Monacharum delinquentium pœnitentiæ. 479. *c. f.*
Monachi ſingulis ſabbatis Priori ſuo confiteri, 465. *p. i.* & ſingulis dominicis ad menſam Domini accedere ſunt iuſſi, 928. *c. m.* duello etiam ſe purgabant. 559. *i.*
Monaſteria quo ſenſu dedicari dicantur? 519. *f.* 520. *i.*
Morientis animæ commendatio. 1010. *i. ſeq.*
Mortalia peccata ſingillatim in confeſſione ſunt exponenda. 471. *c. m. ſeqq.*
Mortuorum veſtes. 1016. *p. i.* iisdem Euchariſtia olim ad ſepulturam fuit tradita. 1016. *m.*

N.

Neophyti per octiduum communionem recipiebant, 450. *c. m.* quod hodiedum fit in Oriente. 451. *i.* Infantes etiam mox a baptiſmo Confirmationem & Communionem obtinuere. 449. *c. f.* pariter ieiuni. 450. *i.*
- - Eorum veſtes *donarium*, 453. *p. i.* *Sabanum*, *ib.* & *Weſter-hembd* dictæ. *ib. c. f.*
Novati & Novatiani circa pœnitentiam error. 456. *p. i.*
Nubere cur dicantur matrimonium contrahentes? 514. *c. m.*
Nuptiæ die dominico prohibitæ a concilio *Tribu-rienſi*. 516. *i.*
Nutriti presbyterorum dicti ſunt Clerici iuvenes. 501. *m.*

O.

Obſequia circa morientes. 1010. *i. ſeq.*

Odilo (S.) ſolemnis commemorationis omnium defunctorum auctor. 1047. *i.*
Officium divinum in ſolemnitatibus quomodo ſit celebrandum? 801. *c. m. ſeq.* eius prima origo. 795. *c. f.* eius partes quædam cur dictæ ſint hiſtoriæ? 794 *f.* 795. *i.*
- - Dominicæ Palmarum 964 *m. ſeq.* 965. *m.*
- - temporis paſchalis. 970. *i. ſeq.*
- - parvum B. V. quando inſtitutum? 832. *p. i.*
- - defunctorum quo ritu ſæculo adhuc XV. peractum? 1047. *c. f.* olim ſingulis horis can. fuit annexum 1047. *p. i.*
Officia Quatuor Temporum. 987. *m.*

Officia in Quadrgeſima. 955. *p. i.*
Oleum energumenorum idem, ac infirmorum. 484. *c. m.*
- - ad exorcizandum adhibitum. 741. *p. m.*
- - infirmorum in Cœna Domini conficitur, 483. morbos etiam depellit. 486. *m.*
Oratio præſidium adverſus dæmones 767. *m.*
Orationes ſuper energumenos. 710. *m.*
Ordalium, ſeu purgatio vulgaris. 553. *i.*
Ordinatio quando & quomodo celebranda? 989. *i.* ſtata tempora deſignavit Gelasius P. 495. *p. i.*
Ordines maiores quibus temporibus conferantur? 497. *p. i.*
Ordinum Minorum interſtitia. 501. *p. f.*
Origenis error circa ſtatum animæ ante nativitatem. 636. *c. m.* Eius de pœnitentia locus quomodo ex S. Ambrosio interpretandus? 457. *p. i.*
Oſteru vox hæc unde? 863. *p. i.*
Othmari (S.) elevatio & translatio ad eccleſiam *S Galli.* 547. *c. m.*

P.

Palmarum Dominicæ officium. 964. *m. ſeq.* 965. *m.*
Palmas benedicendi uſus antiquiſſimus unde probetur? 527. *i.*
Panis Neophytis miniſtratus qualis fuerit? 452. *i.*
Paſcha a Proteſtantibus imperii Principibus eodem tempore, quo a Catholicis, poſthac ſemper celebrandum. 866. *c. m.*
Paſcha *annotinum* quale? 867. *p. i.*
Paſchalis temporis officia. 970 *ſeq.*
Paſſio Domini ſecundum Matthæum, 967. *i.* Marcum, 966. *m.* & Lucam quando cantata? 967. *i.*
Patrinos quinam agere poſſint? 433. *m.* Eorum origo 434. *i* & officium. 433. *i.*
Peccata ſubdunt hominem poteſtati diaboli. 606. *c. f.*
Pentecoſte cur Quinquageſima dicta? 971. *c. f.*
Peregrinantes ad limina apoſtolorum prius confiteantur. 465. *c. m.*
Peregrinationum uſus antiquus. 1007. *f. ſeq.* ad quænam loca fuerint præprimis inſtitutæ? 1008. *i.*
Petavii apologia pro Patrum *Græcorum* ſententia de ſalute damnatorum. 1031. *p. f.*
Petrus monachus *igniti* nomen cur ſit adeptus? 557. *m.*
Pœnitentes incluſi in Quadrageſima. 475. *c. f.* ab epiſcopo reconciliati. 463. *c. f.*
Pœnitentia iudicio epiſcopi moderanda relinquitur. 479. *m.* ſemel tantum fuit conceſſa antiquitus pro gravioribus criminibus. 457. *p. i.* iuxta Conc. *Epaonenſe* pœnitentiæ benedictio nonniſi viduis converti volentibus erat concedenda, 536. *c. f.* monachis delinquentibus quam ſevera fuerit iniuncta. 475 *c. f.* Ioviniani circa eandem hæreſis. 456 *c. f.*
- - Eius gradus 458. *c. m.*
- - Eius agendæ tempus ad Quadrageſimam reſtrictum. 458. *c. f.* 459. *i. ſeq.*
- - Eius redimendæ diverſa genera: per pecunias, pſalmos, genuflexiones &c. 480 *p i* per expeditiones ſacras, 481. *p. i.* per indulgentias. *ib. p. i.*
- - publica eluenda ſunt etiam hodie crimina publica, 466. *i.* occulta vero peccata ſecretæ pœnitentiæ erant ſubiecta. 466 *c. f.* 467 *i. ſeqq.*
Pœnitentialium librorum auctores. 454. *c. m ſeqq.*
Pœnitentiarii epiſcoporum a gravioribus reſervatis peccatis abſolvunt 464. *m.*
Prædeſtinatianorum errores. 456. *f.*
Præfatio de SS. Trinitate quando dicatur? 978. *c. f.*
Præſanctificatorum Miſſa in Paraſceve Domini. 855. *i.* & *f.* 857. *i.*
Præſtigia magica. 729. *m.*
Presbyteri non facile iurent, ſed per ſanctam conſecrationem interrogentur. 560. *f.* In eorum ordinatione Miſſæ peculiares dictæ. 507 *f.* Quando in eadem calicem cum patena, hoſtia & vino iis porrigendi conſuetudo fuerit introducta? 507. *c. f.*
Proceſſiones cum Euchariſtia celebratæ. 95.. ... 1001. *c. f.*
- - in feſtis B. V. 994. *f.*
- - in Paſchate 996. *c. f. ſeq.*
- - triduo poſt Natale Domini. 998. *p. i.*
- - diebus dominicis. 998. *m.*
- - in palmis. 995. *p. i.*
- - *Flagellantium.* 1007. *p. i.*
- - in ſuſceptione Epiſcopi. 999. *c. f.*
- - in ſuſceptione hoſpitum apud monachos. *ib.*
Proceſſionum vetuſtiſſimus uſus, 989 *c. f ſeqq.* ad quas deferebantur evangelia. 991. *c. m.* 996 *p. i.*
Promiſſiones in baptiſmo factæ ſæpius ſunt revocandæ in memoriam. 429. *c. m.*
Pſallentibus religioſe ſtudendum, ne *oratio* eorum *fiat* ipſis *in peccatum.* 815. *p. i.*
Pulvis ad exorcizandum adhibitus. 740. *m.*
Purgatio vulgaris dicta etiam *Ordalium.* 553. *i.*
Purgationes vulgares *Rom.* Pontificum auctoritate fuerunt fultæ. 554. *c. m.* diverſa earum genera. 553. per integrum Cap. III.

Q.

Quadrageſima quotuplex in anno? 967. *m. ſeq.*

Quæſtuarii

Digitized by Google

Quæſtuarii qui? 482. *c. f.*
Quinquageſima unde dicta? 939. *c. m.* 942. *m.* quando celebranda? 938. *m.* & qua cum ſolemnitate? 974. *p. t.* pro die Pentecoſtes etiam ſumitur. 971. *c. f.*

R.

Reconciliatio pœnitentium ſoli epiſcopo reſervata. 463. *c. f.*
Redemtiones pœnitentiarum erant occaſio modernarum indulgentiarum. 481. *p. i.*
Reliquiæ Sanctorum per ignem recentiori ævo probatæ, 556. *c. m.* ad proceſſiones, 996. *p. i.* & in caſtra ſolemni pompa ſunt deportatæ. 552. *f.* quibus ſæpe dæmones expulſi. 758. *p. m.*
Remedium declinandi diſtractiones a dæmone ſub oratione immiſſas. 614. *c. f.*
Renuntiationem inter & abrenuntiationem diſcrimen. 430. *i.*
Reſervari peccata S. Pontifici quando cœperint? 464. *p. i.*
Reſurrectionis Domini dies unde dicatur *Oſtern?* 863. *p. i.* hoc nomine non ſemper venit dies Paſchæ. 496. *c. m.*
Richardi epiſcopi de forma matrimonii ſententia. 513. *f.*
Richardis, Caroli *Craſſi* uxor per ignem illæſa tranſiiſſe dicitur. 557. *c. f.*
Rogationum triduum a quo inſtitutum? 1002. *i.* [illegible] celebratum in diverſis locis? 1003. *i.* & quibuscum pietatis exercitiis? 1005. *m. ſeq.*

S.

Sabanum veſtis alba Neophytorum. 453. *p. i.*
Sagiminis diverſus uſus permiſſus aut vetitus. 952. *i. ſeq.*
Salis uſus ad exorciſmos. 739. *p. m.*
Saliva cur in baptiſmo tangantur aures & nares? 427. *f.*
Salutatio angelica quonam tempore in breviarium fuerit invecta? 820. *f.*
Sancti etiam a dæmone tentantur. 611. *p. t.* 614. *p. t.* 615. *c. f.* 616. *p. i. ſeqq.*
Sanctorum elevationes in ſynodis decretæ. 547. *p. i.*
Satanas impedire conatur ſpiritum orationis. 768. *m.*
Satisfactio in tribunali ſacro quæ iniungenda? 474. *c. f.* 475. *i.*
Sceleratorum diem obeuntium nulla fiat in Sacris memoria. 1029. *p. t.*
Scholaſticorum diſcordia ex ignorantia & neglectu antiquitatis potiſſimum provenit. 493. *p. t.* 494. *p. t.*
Sepultura in eccleſiis prohibita a canonibus. 1020. *m.* eius modus diebus ante Paſcha ſine lumine & thure. 1017. *f.*
Septuageſima origo. 938. *ſeq.*
Sexageſima unde dicta? 938. *m.* 939. *c. m.* & 942. *c. f.*
Sigilli ſacramentalis violator deponendus. 468. *m.*
Solidi *Francici* valor. 480. *m.*
Somnia unde oriantur? 677. *i.*
Spiritus carnis, mundi, ac inferni quomodo agnoſcendus? 585. *f. ſeq.*
Statio in proceſſionibus, 989. *f. ſeq.* quid indicet? 919. *p. i.*
Stationarii qui? 483. *i.*
Sturmius (B.) Sanctis adſcriptus ab Innocentio II. 550. *i.*
Subdiaconorum a Diaconis diſtinctio. 504. *p. i.*
Superſtitiones Chriſtianorum in celebrandis Calendis *Ianuariis.* 842. *i. ſeq.* omnino cavendæ in rebus externis contra dæmones adhibendis. 766. *f.*
Symboli traditio, 430 *f.* & redditio. 431. *c. m.*

T.

Te Deum laudamus hymni huius quis auctor? 817. *p. i.*
Tentationes ac inſultus dæmonis perſæpe utiles, 598. *f.* 599. *i.* ſigno crucis fugantur. 735. *m.*
Teſſaracoſte quid indicet? 971. *f.*
Thecla (S.) ſigno crucis munita in rogum inſiliit. 734. *i.*
Thomas (S.) *Aquinas* monachus *Caſinenſis* primum fuiſſe aſſeritur in veteri quodam martyrologio. 539. *c. f.*
Tonſuræ origo, 499. *p. t.* *Romana* forma. 499. *i.* Eandem omnes Clerici etiam tranſeuntes ad nuptias gerere monentur. 499. *f.* 500. *i.*
Trentenarium S Gregorii a S. R. C. prohibitum. 1039. *c. m.*
Trinitatis (SS.) 873 *p. i.* invocatio neceſſario in forma baptiſmi exprimenda. 444. *c. m.*
Trutpertus (S.) ſecundo honorificentius conditus ſæc. IX. 546. *c. f.*
Turrium nomine antiquis veniebant vaſa reponendæ S. Hoſtiæ aptata. 522. *c. f.*

V.

Udalricus (S.) quomodo tranſegerit Quadrageſimam. 957. *f. ſeq.* Eius canonizatio ſolemnis. 549. *p. t.*
Velaminis loco etiam ſtola obnubebantur nupturientes. 514. *m.* 515. *c. f.*
Velum quando in Quadrageſima appenſum? 961. *f.* 962. *i. ſeq.*

Velum

Digitized by Google

Velum alba Neophytorum veſtis. 453. *m.*
Venialium peccatorum abſolutio in capite Quadrageſimæ alibi conceſſa, 450. *p. m.* generatim vero in Cœna Domini. *ib. c. f.*
Veterum opiniones circa dæmonum naturam. 563. *c. m.*
Vexilla ad quem uſum confecta? 996. *p. i.*
Viaticum Corporis Domini qua forma miniſtratum olim? 487. *c. f.* a laicis etiam delatum ad infirmos, 488. *c. f.* quod poſtea vetitum. *ib. c. f.* alibi mortuis quoque datum, 492. *p. i.* qui uſus tamen a Conciliis fuit reprobatus. *ib. m.*
Vigiliæ a ſabbato in Dominicam protractæ. 961. *i.*
-- menſtruæ Amalario iam ſunt memoratæ. 1042. *c. f.*
Virgines conſecrare presbyteris olim vetitum. 536. *f.*
Unctioni extremæ quando viaticum præmitti cœperit. 487. *i.*
Urteila, *Urteil* purgatio vulgaris. 553. *i.*

W.

Weſter-bembd alba Neophytorum veſtis. 453. *c. f.*
Weybnacbt vox hæc quid denotet? 838. *m.*
Wiboradæ (S.) cultus ſolemnis decretus a Clemente II. 549. *c. f.*
Wilibaldus (S.) fratris Wunebaldi oſſa levata honorifice condit. 546. *m.*
Wolfgangus (S.) e tumulo ſolemniter levatus. 549. *c. f.*

V. I. O. G. D.

Corrigenda.

Pag. VII. Præf. lin. 20. expugnatum, lege *expugnatam.*
XXIX. lin. 4. cundem, lege *eundem.*
XXXV. lin. 3. formicatus, lege *fornicatus.*
XXXIX. lin. 21. Leonis, M. lege *Leonis M.*
Ibid. lin. 23. ante duo fere, lege *ante duo ſeve* ſæcula.
8. lin. 22. ειρηαῖος, lege *εἰρηναῖος.*
Ibid. ἐμισκόπει, lege *ἐπισκόπει.*
10. lin. 2. turmatium, lege *turmatim.*
11. lin. 11. magis, lege *Magis.*
23 lin. 14. Frigienū, lege *Friſingenſi.*
28. lin. 8. mentione, lege *mentionem.*
38. lin. 29. anum, lege *annum.*
52. lin. 14. funeſta, lege *funeſtum.*
57. lin. 14. XVII. lege *XIII.*
106. lin. 26. in Richenaugienſi. Habetur, lege *in Richenaugienſi habetur.*
113. l. 10. *pacis.* Iterum, lege *pacis iterum.*
147. lin. 21. ordinis, lege *ordinis conſcripſit.*
153. lin. 12. correptum, lege *correctum.*
158. lin. 7. cenſpectu, lege *conſpectu.*
182. lin. 21. auguſtiora ſunt reddita, lege *auguſtiores ſunt reddita.*
209. l. 16. monogramte, lege *monogrammate.*
241. lin. 16. promiſue, lege *promiſcue.*
300. lin. 22. Amaiar. lege *Amalar.*
314. l. 34. dſſerte, lege *diſſerte.*
389. lin. 33. iſti, lege *iſte.*
400. lin. 4. eadem, lege *eadem.*
529. lin. 17. Zosimæ, lege *Zoſimo.*
532. lin. 4. dc, lege *de.*
535. lin. 16. nulla, lege *nullæ.*
807. lin. 5-6. per ſingolus ſermonis, lege *ſingulos ſermones.*
928. lin. 27. Chriſtri, lege *Chriſti.*
954. lin. 27. temporatiſſimus, lege *temperatiſſimus.*
Ibid. lin. 37. tyrranni, lege *tyranni.*
1066. lin. 10. admiſſas, lege *ad Miſſas.*
1031. lin. 34. perpetua, lege *perpetue.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google